BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
14
NAPOLI

Digitized by Google

XLI. -

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
AUCTORE
A. R. P. F. LUCA WADDINGO
HIBERNO
Ejuſdem Ordinis Chronologo.

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A.R.P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS QUINTUS

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.MI P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S.T.Lect. Jub. S.& U.Inquiſit. Conſultoris, S.C.Conſiſtor. Vot. Epiſcop. Examinat. Ord.Min.in Ciſmont.Fam.Cōmiſs.Gen. & Apoſt. Viſitatoris, Reformatoris &c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXIII. ✕ *Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

NAPOLI

Digitized by Google

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM



CUM *Minorum familiam auſpicio Tuo, ac voluntate adminiſtrandam ſuſcepi,* BEATISSIME PATER, *aliquando fore ſperabam, fructum ut meæ procurationis egregium, Te probante, conſequerer: quod beneficio prope divino, immortalique Tuo mihi jam video contigiſſe. Ut enim id* *præ-*

prætermittam, quod ex plurimis Tuis paternæ in eam caritatis officiis magnam quotidie voluptatem percipio; a Te nuper judicio ejuſmodi ſum ornatus, nihil ut gravius, nihil ad decus, ac dignitatem conciliandam illuſtrius mente aſſequi potuiſſem. Nam ſuper illam, qua per leges Comitiorum perfungor, dati muneris poteſtatem Apoſtolicæ mihi auctoritatis arbitrium, quo in ejuſdem familiæ mores, ac diſciplinam inquirerem, humaniſſime contuliſti. Afficior ſenſibus intimis, cum Tuas litteras in manus ſumo; quibus me litteris prolixe laudatum ad ineundam cum ſummo imperio iſtam provinciam invitaviſti. Quam multa in iis propenſæ in me Ordinemque univerſum voluntatis indicia paſſim occurrunt? Quam prudenter me urges, & exſtimulas, non juſſu modo, quod eſt Principis, ſed, quod eſt amantiſſimi Patris, impulſu quodam, & cohortatione, uti noſtris hominibus unam virtutem, & honeſtatem, quandocumque poſſum, quibuſcumque rebus poſ-

ſum.

ſum, aſſidue, diligenterque commendem? Eſt ergo mihi non modo laudabile, & honeſtum, ſed illuſtre etiam, & glorioſum, vocari a Pontifice Maximo ad eam curam, ut inſtituta Patrum noſtrorum, quæ ſemper Ordini ſalutaria fuerunt, ſarta tecta conſervare omni ope contenderem. Quo in munere ſi mihi non dico magnos labores excipere (quis enim bono viro labor eſt pro tuenda familiæ dignitate, ideſt pro communi ſalute recuſandus?) ſed ſi vitam ipſam profundere opus eſſet, egregie mecum actum putarem. Atque ego illam ſane incredibilem capio voluptatem, quod, cum præclarum eſſe nihil conſtet, quin idem operoſum, & perdifficile ſit; hac tamen in re omnium pulcherrima, ac præſtantiſſima plane omnes difficultates Tua tum ſumma auctoritas, tum ſingularis ſapientia ſuſtulit. Quibus ego præſidiis mirum in modum confirmatus, magna cum animi alacritate renovandæ, ubi ſit opus, diſciplinæ, continendiſque in officio ſodalitatis alumnis

operam

operam dabo. Quod ut commode præſtem, eos ſingam quotidie ad exemplar illorum patrum, quos ante noſtram ætatem multo maxima ſanctitatis, vel ſapientiæ, vel etiam utraque laude excelluiſſe Waddingus commemorat. Invenient profecto, me indicante, in his libris, quarum rerum amore flagraverint veteres illi Ordinis noſtri propagatores, quos velut Eccleſiæ clariſſima lumina extulit Deus: reperient eos, tamquam in hac vita peregrinarentur, ita ſemper, obvia quæque contemnentes, ad cœleſtem patriam, optimique parentis Dei, qui nos ad ſe vocare numquam deſinit, adſpectum, amplexumque properaſſe. Afficientur haud dubie, cum aut exagitandis improborum ſceleribus, praviſque dogmatibus inſectandis, aut veſanis gentium ritibus, & inanium deorum ſuperſtitionibus abolendis egregiam navaſſe operam Franciſcanos intelligent. Punget eos rurſum, atque adeo commovebit, in acerbiſſimis cruciatibus perferendis, multorum firmitas

mitas

Digitized by Google

mitas atque conſtantia; in Romani Pontificis auctoritate ab hoſtium ſcriptis contumelioſis, ac vocibus vindicanda cum doctrinæ, atque prudentiæ laude conjuncta religio. Quarum ſane virtutum ſemina, de ſanctiſſimi Conditoris legibus, & exemplis accepta, ita fovit, excoluitque Ordo Minorum, ut uberrimos fructus in unius Dei gloriam, & ſolatium Eccleſiæ Chriſti univerſæ, quodque mirum videri debet, in tanta rerum, qua tenetur, anguſtia, & egeſtate protulerit. Cum hæc legent in his Annalibus homines noſtri, vehementius, ut ſpero, quam meis monitis, præceptiſque, incitabuntur ad ea ſtudia excolenda, quæ digna tali inſtituto, digna Chriſtianæ Philoſophiæ profeſſoribus habeantur. Sed Te præſertim, Beatissime Pater, *velut exemplum quoddam antiquæ virtutis, ac probitatis nobis ad imitandum proponemus. Tu enim ipſe Tua temperantia, juſtitia, gravitate, conſtantia, quales eſſe alios oporteat, qui militiæ Eccleſiaſticæ nomen dederunt,*

non

non obſcure ſignificaſti. Inde manavit ad propinquos, & affines tuos bene vivendi diſciplina: quorum omnium incredibilis abſtinentia, humanitas, pudor civitatem non devinxit modo, ſed conformavit univerſam. Id quod omnes acceptum referunt excellenti virtuti Tuæ, quæ cum Principe digna eſt, tum actione maxime gaudet; vim ſuam longe, lateque diffundi, & propagari ſua bona cupit. Nunc, quando in eam curam incubuiſti, ut per me componendis familiæ moribus ejus priſtinum decus, atque ſplendorem amplificares, parebo libens voluntati Tuæ; connitarque pro viribus, ut, quod ſapienter inſtituiſti, ferendis legibus ſaluberrimis, ac magiſtratu bene gerendo cumulate perficiam. Quod ut ita ſit, vehementer opto; &, ſi aſſequor, feram in Cœlum iſtam pietatem, colam animo, tuebor officiis, & imitabor quantum potero: ſtudio certe, ac voluntate, Tibi ut in omnibus ſatisfaciam, elaborabo.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

QUÆ de Familiæ Franciſcanæ progreſſu Waddingus in hoc volumine litteris prodidit, ea profecto digna ſunt, in quibus avidiſſime lectitandis optimus quiſque tempus inſumat. Quid enim ad honeſtam vitæ oblectationem accommodatius, quam corpore domi ſedentem cogitatione, ac mente peregrinari; tranſmeare Alpes, Oceanumque; novas identidem formas rerum, & (ut inquit ille) mores hominum multorum cernere, & urbes? Quid porro vel ad animi fructum uberius, vel ad virtutis æmulationem efficacius, quam Minorum catervam unius paupertatis auſpicio, quæ ceteroquin magna aggredientibus impedimento eſſe conſuevit, longe, lateque fuſam intueri; & in toto propemodum terrarum orbe virentis Familiæ ſancita miraculis, corroborata doctrinis, diſtincta perſonis, notata locis, temporibuſque incrementa recognoſcere? Quæ mecum ego cum reputarem, non eos modo, qui Franciſcanæ militiæ nomen dederunt, ſed omnes omnino, qui Catholicam fidem profitentur, in ipſa fronte monendos exiſtimavi; ut his libris pervolutandis, quantum inde utilitatis, & gloriæ in Eccleſiam Chriſti manarit, intelligant univerſi. Superſunt alia nec levioris momenti; quæ diſpertita in alios libros conſtitutis temporibus proferemus. Tu interim, quiſquis es, amice Lector, fruere præſentibus; ac noſtros qualeſcumque conatus piis apud omnipotentem Deum precibus adjuvabis. Vale.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacrì Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

ANNALES MINORUM.

ANNO CHRISTI 1276.	PLURIUM PONTIFICUM ANNO 1.	RODULPHI IMP. ANNO 4.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 69.

ARGUMENTUM.

Mortuo Gregorio X. tres eliguntur ſucceſſive hoc anno Pontifices: de quarto etiam dubitatur. Moriuntur ſanctus Benevenutus Auximanus Epiſcopus, & Oddo Rigauldi Archiepiſcopus Rothomagenſis. Bentivenga de Bentivengis fit Epiſcopus Tudertinus, & inſtituuntur quibuſdam in locis Minoritæ.

I. UNus hic annus quatuor vel quinque vidit Summos Pontifices, Gregorium X. in omni vita clarum, excelſis virtutibus fulgentiſſimum, ſacra ſede, ſi homo alius, digniſſimum, cujus Pontificatus in hujus anni limine III. Idus Januarii finem accepit apud Aretium Etruriæ urbem, ubi clarus miraculis, quæ in Vaticana Bibliotheca obſervantur, in Eccleſia ſancti Donati (eſt qui dicat in Eccleſia Minorum) requieſcit, appoſito humili hoc Epitaphio. Moritur Gregorius X. Cod. MS. n. 3457. Ghirard. in hiſt. Bononien. p. 229.

Gregorius denus virtutum luce ſerenus
Dormit in hac arca, dignus Romæ Patriarcha,
Quem genuit Placentia, urbs Aretina tenet.

Innocentium V. antea Petrum de Tarantaſia, in Alpinis ſcopulis non procul a Maurienna valle, flumineque Iſara, qui in Rhodanum influit, mediocri municipio, in ſacris litteris doctiſſimum Ordin. Prædicatorum ex Epiſcopo Oſtienſi Pontificem XIII. Kalend. Februarii renunciatum Aretii, coronatum Romæ in Vaticano VIII. Kalend. Martii, qui dum præclara quæque moliretur, & pacificandæ Italiæ animum adjiceret, obiit x. Kalend. Julii, ſepultus Laterani, non Viterbii, ut ex errore ſcripſit Villanus. Adrianum V. Genuenſem, Innocentii IV. nepotem, prius Ottobonum Fliſcum appellatum, ex Diacono Cardinale ſancti Adriani creatum IV. Idus Julii in Palatio Lateranenſi; qui dum nimiam licentiam Caroli Regis in moderandis rebus Romanis cohibere, invocato Rodulphi Imperatoris auxilio, intentaret, obiit Viterbii XII. Kal. Septembris, ſepultus in æde Minorum ad lævam majoris altaris hono- Creatur Innocentius V. Moritur. Villan. l. 7. c. 10. Creatur Adrianus V. Moritur.

rifico mauſolæo; cui hoc inciſum Epitaphium: *Adrianus V. Pontifex Max. Fliſca e familia nobilis Genuen. menſis unius, dierum novem magiſtratum Pontificium gerens* IV. *Kalend. Octobris* MCCLXXVI. *diem Viterbii functus, hac honorifica ſepultura donatur*. Monendum eſt, recenti charactere ſcriptum hoc epitaphium, atque hinc facilius irrepſiſſe errorem temporis, ſeu diei obitus; conſpirant enim omnes ſcriptores, Adrianum obiiſſe in menſe Auguſti, quod & convincit Joannis XXI. ejus ſucceſſoris electio ſub menſe Septembri, ut mox referemus; pro IV. itaque Kalend. Octobris incidendum XII. vel ſecundum alios XV. Kalend. Septembris. Vetuſtum & primum ejus epitaphium, quod ſubeſt inſignibus gentilitiis, hoc eſt: *Hic requieſcit corpus ſanctæ mem. Domini Adriani PP. V. prius vocatus Ottobonus de Fliſco de Janua; tunc S. Adriani Diacon. Cardin.* Quartum hic adde Pontificem Joannem XX. aliis XXI. Luſitanum Ulyſſiponenſem, antea Joannem Petrum Juliani dictum, ex Cardinale Tuſculano Pontificem Viterbii acclamatum Idibus Septembris, coronatum XII. Kalen. Octobris; cujus Pontificatus, licet ad annum ſequentem pervenerit, fuit tamen octo dumtaxat menſium, totidemque dierum.

Creatur Joannes XXI.

An fuerit Pontifex Vicedominus Placentinus.

II. Inter hunc & Adrianum neſcio ſi audeam alium numerare Pontificem, utpote cujus nullus, qui vitas & ſeriem ſcripſerit Pontificum, vel minimum meminerit. Is eſt Vicedominus de Vicedominis Placentinus Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus Gregorii X. nepos, de quo nos egimus ſuperius, & Annales MSS. Placentinæ Urbis dum præcipuas enumerant ejuſdem Civitatis familias, ita habent. *Sunt & in dicta civitate Placentiæ Vicedomini, quæ eſt magna domus & nobilis; nam de iſta domo fuit unus Papa, qui non ſtetit in Papatu niſi per unum diem, & mortuus eſt Frater Minor*. Habuit autem patruelem Cardinalem Joannem Vicecomitem Epiſcopum Sabinenſem, qui tunc fuit in Conclavi. Condidit teſtamentum in Eccleſia ſanctæ Crucis Romæ infirmus; hinc tranſtulit ſe Viterbium, ubi ſepultus eſt in Eccleſia Minorum: incidit vero dies mortis ejus inter obitum Adriani & electionem Joannis, quippe ita adnotatur in Diario vetuſtiſſimo Cathedralis Eccleſiæ Placentinæ: *Octavo Idus Septembris obiit Vicedominus quondam Epiſcopus Præneſtinus anno* MCCLXXVI. *& reliquit huic Eccleſiæ anniverſarium in die obitus ſui, qui fuit* VI. *Septembris, ut in archivo*. Cum itaque Adrianus mortuus ſit XII. vel XV. Kalend. Septembris, & Joannes electus XII. Kalend. Octobris, in hoc interregnum incidens mors Vicedomini, ſexto ſcilicet Septembris, confirmat aſſertum Annalium Placentinorum, ut eodem etiam Septembris die electus ſit in Pontificem, & diem obierit extremum. Ægra valetudine abiit ex Monaſterio ſanctæ Crucis Romano Viterbium, in Conclavi veroſimile eſt eadem laboraſſe, nihilominus tamen propter eximia præſtita Eccleſiæ obſequia, & vitæ ſplendorem, necnon adhibita diligentia & opera patruelis Epiſcopi Sabinenſis, Pontificem fuiſſe acclamatum; qua tantæ dignitatis acceſſione, ut in ſimilibus fit, commotis & excitatis humoribus, moleſta etiam & importuna confratrum & amicorum congratulatione, mors ejus potuit accelerari, atque eodem die dignitate ſuprema, & vita perfungi. Quod autem non referatur inter Pontifices, neque in eorumdem ſerie numeretur, non obſtat, quin pro vero Pontifice haberi poſſit: namque ut notarunt Baronius, & Ciaconius, Stephanus II. communiter omittitur in catalogo Pontificum, propterea quod quatuor dumtaxat diebus vixerit in Pontificatu;

Baron. an. 752. Ciacon. in Steph. II.

quaſi

quaſi propter brevitatem temporis recenſendus non fuerit; & tamen uterque monet non omittendum, verumque Papam fuiſſe. Immo, inquit Ciaconius, a Pontificum numero non eſt ſubtrahendus, etiam ſi horam unam vixiſſet. Huic ergo Vicedomino, ſi fidem ſibi vendicant Annales citati Placentini, vel aliunde plenius hæc electio probatur, inter Romanos Pontifices ſuus dandus eſt locus, & Pontifices maximos e ſuo ſodalitio rite aſſumptos quinque numerabunt Minoritæ. Circa hujus Vicedomini mortem non ſibi ſat conſtat Ciaconius, dum in vita Joannis XXI. mortuum ait anno MCCLXXVII. quem tamen in vita Gregorii X. obiiſſe jam ſcripſit hoc anno MCCLXXVI. Neque ſupradicti Joannis Vicecomitis patruelis Vicedomini, quem tunc in conclavi extitiſſe affirmant citati Annales Placentini, meminit Ciaconius, habet tamen Panvinus creatum hunc Joannem in Concilio Lugdunenſi, idque ego crediderim, ſubſtitutum Bertrando Gallo Epiſcopo Sabinenſi probabiliter in eodem Concilio defuncto, quippe in gravisſima functione præſtitæ obedientiæ ab Imperatore Rodulpho Romano Pontifici Gregorio, dum in cod. MS. Vaticano omnes referuntur Cardinales, ſolus Bertrandus Gallus tacetur, quem credibile eſt, jam ſub illo tempore defunctum, vel ad mortem languiſſe, & ſubrogatum poſtea Joannem hunc Viſcontem ſeu Vicecomitem, licet ex errore Ciaconius Bertrandi vitam in plures protrahat annos. Et confirmatur efficaciter, quod de Joannis Cardinalatu aſſerimus ex poſtulatione Capitularium Eccleſiæ Montisregalis deſiderantium in ſuum prælatum Epiſcopum Potentiæ: dum eorum cauſam commiſit Innocentius V. ut habet illius Eccleſiæ hiſtoria, tribus Epiſcopis, atque ex his unum dicat fuiſſe Joannem hunc Vicecomitem Epiſcopum Sabinenſem. Demum Vicedominus ſui teſtamenti Romæ conditi unum inter executores ſcripſit Epiſcopum Sabinenſem, quippe patruelem, præſertim cum plurima legata diſtribuenda eſſent Placentiæ, ex qua uterque erat oriundus. Paulus Morigia intrepide etiam dicit, hunc Joannem a Gregorio creatum Cardinalem, atque inter beatos enumerat.

Joannes Vicecomes Cardinalis.

Lelius in hiſtor. Montis-reg. ſub Archiep. 9.

Morigia de nobilit. Mediolan. lib. 2. c. 2.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Brandan. 4. p. Monarch. Luſitan. libr. 5. cap. 42.

Nicolaus Hiſpanus Legatus ad Alphonſum Luſitaniæ Regem.

„ III. Recens rerum Luſitanarum hiſtoricus narrat ſub hoc tem-
„ pus, miſſum fratrem Nicolaum Hiſpanum Minorum Ordinis primum
„ a Gregorio X. deinde a ſubſequentibus hujus anni, quos enarravi-
„ mus, Pontificibus ad Alphonſum III. Portugalliæ Regem, datam-
„ que ei amplam poteſtatem, ut Regem libertatis & immunitatis Eccle-
„ ſiaſticæ violatorem ad reſarciendas injurias, aut ſuaviter induceret,
„ vel poteſtative compelleret; eumque ſuas partes intrepide peregiſſe,
„ & quæ dicenda erant Regi conſtanter intimaſſe, præſentibus multis
„ viris nobilibus & religioſis, præſertim Dominico Lovello, al. Bonel-
„ lo Guardiano Ulyſſiponenſi, Martino Joannis Lectore etiam Ulyſſi-
„ ponen. Dominico Michaelis Guardiano Vimarani, Arnaldo, ſocio
„ ipſius, Nicolao & Dominico de Leirena. Tantum autem abfuit, ut
„ Rex propter hæc Minoritis ſuccenſeret, ut potius laudaret, & ſub
„ mortem paulo poſt ſecutam, poſtremis tabulis pingues legarit elee-
„ moſynas omnibus fere cœnobiis Ordinis, quæ recenſentur in ipſis te-
„ ſtamenti tabulis, quæ legi poſſunt ad finem quartæ partis Monarchiæ
„ Luſitanicæ, ſcriptura ſeu monumento ultimo.

IV. Moritur ſanctiſſime hoc anno beatus Benevenutus de Scotivolis, quem alias diximus creatum Epiſcopum Auximatem ab Urbano IV. Patre Joanne, Anconæ progenitus, operam dedit Juri Civili Bononiæ, ubi

B. Benevenutus de Scotivolis moritur.

Ann. 1263. n. 18.

ubi Doctoratus laurea inſignitus, condiſcipulo & familiari uſus eſt amico beato Silveſtro Guzzolino, Silveſtrinæ Congregationis mox fundatore:

Qualis ejus vita?

Archidiaconatu Anconitano, & adminiſtratione Auximanæ Eccleſiæ, tunc privatæ paſtoribus ob initum fœdus cum Imperatoriis contra Pontificios, ab Alexandro IV. donatus, mox ab Urbano ſucceſſore, cui propter egregias virtutes familiariſſimus erat, ejuſdem ſedis creatur Epiſcopus, & Rector totius Marchiæ Anconitanæ. Ante admiſſam dignitatem vota emiſit Minorum, & deinceps perpetuo eorumdem veſtem palam geſtavit, quam adhuc videre eſt inter ſacras reliquias ejuſdem Eccleſiæ. In ſuſceptis muneribus non mediocrem laudem conſequutus eſt, neque obſcurum præbuit ſuæ ſanctitatis ſpecimen miraculis frequentibus comprobatum. Tredecim annis in Epiſcopatu feliciter expletis, præſciens ſuam mortem brevi ſequnturam, diſtributis in pauperes facultatibus, univerſo populo in aperto loco benedixit. Deinde infirmitate gravatus, ut ſanctum Franciſcum, quem in vita ſibi imitandum elegerat, æmularetur & in morte, ſe deferri fecit in Eccleſiam, ubi in nuda humo inter orationes & pſalmodiam Sacerdotum ſanctam efflavit animam XI. Kal. Aprilis. Tanto Paſtori Auximenſes ipſo, quo obiit, loco honorificum extruxere mauſolæum, duobus ordinibus columnarum innixum, & ſublimi loco in arca marmorea ſanctum corpus condiderunt.

Canonizatur.

Sed dum ob crebra miracula ſanctum Virum cœlitum numero adſcripſit Martinus IV. & Auximates inferiori loco ſub arca altare conſtruxerunt,

Refugit ſublime ſepulcrum.

ſanctum cadaver ob humilitatem & reverentiam erga corpus Chriſti in altari immolandum, relicta excelſa arca, inventum eſt in marmoreo pavimento inter columnas, ſuo tamen loco repoſitum. Dum ſecundo & tertio inveniretur in terra, intellexerunt Auximates, noluiſſe humilem Dei ſervum corruptibile ſuum cadaver vivifico Chriſti corpori præeminere, ſed ſubeſſe. Quare condito alio ſepulcro ſub ipſa ara ſanctum pignus commendarunt, relicto in rei memoriam & ſplendorem priori mauſolæo. Requievit hoc in loco uſque ad annum MDXC. quo eum cum magna ſolemnitate transferri curavit Theodoſius Florentius Epiſcopus Auximanus ad novum ſepulcrum, a ſe ſplendide præparatum in Eccleſia inferiori ab eodem conſtructa pro ſepeliendis illius Eccleſiæ Præſulibus. Additum hoc Cœnotaphium novo ſepulcro. *Sancti Benevenuti corpus ex ſuperiori Templo, ad venerabiliorem cultum Theodoſius Florentius Epiſcopus Auximanus huc transferendum curavit anno Domini M. D. XC. die* XI. *menſis Julii, Pontificatus Sixti V.* Prioris ſepulcri hoc Epitaphium. *Sanctus Benevenutus de Scotivolis Anconitanus Epiſcopus Auximanus.* Ob crebra miracula, quæ in vita ejus MS. in Eccleſia Auximana ſervata diffuſe leguntur, multa in ejus honorem conſtructa ſunt Templa & ſacella, inſtitutæ confraternitates, & ædificatum ſub ejus nomine Xenodochium, Parthenopæum item Veſtalium. Solemnis habetur ejus dies feſtus apud Auximates, aliiſque in locis. In Martyrologio Romano celebratur ejus

Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

memoria, & vitam ſcripſerunt ultra ea acta, quæ habentur Auximi MSS. Gaſpar Volaterranus Epiſcopus Auximanus in deſcriptione ejuſdem Eccleſiæ. Joannes Baldus Canonicus, & Pœnitentiarius dictæ Eccleſiæ libro de martyribus, & Epiſcopis Auximatibus. Petrus Rodulphus de ſanctis Viris Ordinis Minorum. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad XXII. Martii, & alii. Nos alias præter hunc, tres alios numeravimus Benevenutos hujus Inſtituti ſectatores; hunc celebrem virum & ſolemniter inter ſanctos relatum, eſt cur miremur in noſtris dypticis

Tom. 2. an. 1232. num. 18.

non

non commemorari celebrius, & in noſtro Sodalitio non celebrari feſtive.

V. Moritur etiam hoc anno v. Maii, ut habet Kalendarium Dionyſianum, Oddo Rigaldi vulgo *Rigault*, Archiepiſcopus Rothomagenſis, invitus ad hanc dignitatem aſſumptus ex Ordine Minorum, de cujus initiatione nos ſuperius egimus. Ex religioſe compoſita vita, & piis inſtructionibus ad bene, beateque vivendum, cognomen ſortitus eſt *Regula vivendi*. Expoſtulatus fuit ad illam ſedem anno MCCXLVIII. in die Paſchatis ab ipſo Innocentio IV. Lugduni conſecratus menſe Majo. Egregias frequenter habebat conciones ad populum, & *domus ejus perpetua erat magiſtra diſciplinæ*. De pio & docto hoc viro referunt Chronica antiqua Ordinis, quod cum Aureliani prædicaret, pœnitentiæque virtutem digne commendaret, acceſſerit ad eum mulier quædam nobilis, quæ exterius pietatis ſpeciem præferens, ſecreto tamen laſciva valde per ſeptem annos incubo uſus ſit diabolo; & rite confeſſa, dolenſque de peccato abſolutionem ab eodem receperit. Gravitatem autem peccati conſiderans, & dæmonis artes præcavens, interrogavit an ſufficienter abſoluta eſſet a crimine, & quid ſibi faciendum, ut defenderetur ab hoſte? Reſpondit ille integre abſolutam, & fiduciam omnem collocandam in Domino, qui ab inimici liberaret inſidiis. Apparuit paulo poſt dæmon queritans ſe ab amaſia derelictam, & tot annorum ſpretam amicitiam, culpamque omnem refundebat in cucullatum fraterculum; *at* inquit, *cito recedet*; *hodie namque recepit obedientiales a Miniſtro litteras, ut abeat Lutetiam, & nos ſecurius ad ſolitos regrediemur amplexus*. Timuit inimici domeſtici inſidias pavida mulier, & ad Fratrem Oddonem regreſſa, comperit verum eſſe quod dæmon prædixit. Dum autem lacrimabunda ſuum exponeret periculum: *Ne timeas*, inquit, *ad meum receſſum, quod enim me præſente non poterat dæmon, nec valebit abſente. An frater Oddo fortaſſis, vel potius Deus te abſolvit a ſcelere? Ille tibi dimiſit reatum, ille dabit & protectionem*. Illa his verbis confortata, iterum apparenti dæmoni & priora dicenti, *abeat*, inquit, *quo voluerit frater Oddo, non Oddo ſed Deus me abſolvit, & contra tuas proteget artes*. Quibus verbis confuſus dæmon, non eſt auſus amplius inferre moleſtiam.

Moritur Oddo Rigaldi.

Antonin. tit. 24. cap. 9. §. 1.
Claud. Rob. de Epiſcop. Gall. Tom. 2. an. 1236. n. 16.

Perpetuus Concionator.

Hieron. epiſt. 13. ad Paulin.

Quanta pœnitẽtiæ virtus?

VI. Eligitur ab ipſo Pontifice hoc anno frater Bentivenga de Bentivengis in Epiſcopum Tudertinum in Umbria ad Tyberim, in loco Petri Caetani ad Eccleſiam Anagninam tranſlati. Patria hic Aquaſpartanus. Capellanus & Confeſſarius erat Joannis Caetani Urſini Cardinalis, eique valde familiaris, a quo ad ſummum Pontificatum poſt Joannem hunc evecto ſub Nicolai tertii nomine, factus eſt Cardinalis Epiſcopus Albanus, & major Pœnitentiarius: promotionis litteræ incipiunt: *Onerosa paſtoralis*. Datæ xv. Kalend. Januarii.

Bentivenga Epiſcopus Tudertinus.

Joan. Bapt. Poſſevin. de rebus Tudertin.

Reg. Vat. n. 76.

VII. Moriens hoc anno XXVII. Julii Jacobus, cognomento victor, Rex Aragonum, diviſit inter filios regna glorioſe in ſuam poteſtatem redacta, & relicta potiori regni parte Petro filio primogenito, dedit Jacobo ſecundo genito Inſulam Majoricenſem, cum aliis adjacentibus & comitatibus Roſſellionis, & Montis-peſſulani. Hæreditavit hic cum dominiis patris pietatem & zelum de Sarracenis convertendis, quare ſtatim in Inſula Baleari, in loco qui dicebatur *Daya*, alias *Miramar*, ex grato maris aſpectu, in Parochia ſancti Bartholomæi vallis de Moſſa extruxit Collegium pro tredecim Fratribus Minoritis, qui linguæ arabicæ addiſcendæ perpetuo intenderent, ut ea competenter inſtructi ad terras Paganorum proficiſcerentur eiſdem prædicaturi. Addidit etiam annos red-

Zurita 1. p. l. 3. cap. 101.

Rex Balearium fundat Minoritis Collegium.

redditus, ne rebus neceſſariis perquirendis diſtracti, tardius proficerent; eo tamen modo, juxta Pontificis declarationem & mentem, cuncta diſpoſuit, ut puritati regulæ minime contradicerent. Ut ita Rex faceret perſuaſit Raymundus Lullus, qui Sarracenicæ gentis convertendæ maximo tenebatur deſiderio, idque teſtatum ipſe reliquit in libro inſcripto

Lullus in Blanch. lib. 2 par. 2. c. 72.

Blancherno, ſeu ejus marginator ibidem. Et in quibuſdam carminibus, ſeu rythmis idiomate patrio a ſe conſcriptis, præſertim in illo, quo breviter ſuæ vitæ recitat compendium, & cui initium *Son creat per eſſer* &c. Ubi ita habet *Lo Monaſter de Miramar, fiu a Fraris Menores donar, per Serranis a preicar enſre la vinya, e el fenollar*.

Convent. Samatarienſis.

Gonzag. in Prov. Aquitan. recent. Con. 4.

Conventus Caſtilionen.

Idem in Provin. Catal. Con. 9.

Monaſterium Baſileenſe.

Bruſch de Epiſc. Mogunt. n. 55. Rodul. fol. 211.

Conventus Furcenſis.

Ann. 1274.

VIII. Samatarii Comes in Aquitania in ipſo Oppido Samatarienſi aliud hoc anno extruxit Fratribus domicilium, in quo ſe tumulari curavit; cujus hæredes ejuſdem reſarciendi perpetuam curam egerunt. Aliud Oppidani Caſtilionenſes in Emporitana Provincia & diœceſi Gerundenſi in Catalonia, ædificarunt ex politis & quadratis lapidibus, quo tamen certo anno, non omnino conſtat. Vetuſtum ibidem ſervatur inſtrumentum, de quibuſdam conventionibus inter Fratres & Pontium Uguetum Empuriarum Comitem hoc anno ſtipulatum. Tranſiit ad Obſervantes ſub Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabetha. Hortos licet habeat amænos, inſalubri tamen infeſtatur aura, tempore præſertim æſtivo. In Provincia Marchiæ & Cuſtodia Aſculana in Oppido Furciæ diœceſis Ripanæ, obtinuerunt hoc anno Minores domicilium ex donatione & liberalitate Domini Marci Abbatis Farfenſis uti patet per vetuſtam ſcripturam ibidem aſſervatam. Exorſus item hoc anno Monaſterium Clariſſarum Baſileæ frater Henricus Knoderer Epiſcopus Baſileen. de quo nos alias loquuti ſumus,

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Monaſt. Placent.

„ Inchoatum ante hunc annum domicilium Sororum Pœnitentum in urbe Placentina Italica; conſtat ex teſtamento Aloyſiæ nobilis viduæ, hoc anno ſcripto, quo legat prædictis Sororibus tres libras argenti. Sedem mutaverant anno MCCCXXXVII. relicto humili hoſpitio, & conſtructo Monaſterio in Parochia ſanctæ Brigidæ prope Conventum PP. Dominicanorum, quod litigiorum cauſa fuit, contendentibus Fratribus, juxta privilegium ſibi a Clemente IV. conceſſum, non licere ulli Regularium ſocietati ædes extruere intra tot cannarum ſpatium prope ſuum Monaſterium. Vicerunt tamen populi favore Sorores, & commodum ædificarunt habitaculum ſub invocatione ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Commiſſio facta Guardiano Dublinienſi.

Reg. Vat. n. 3.

Ann. 1271.

IX. Joannes Pontifex hoc anno IV. Kalend. Octobris commiſit Guardiano Minorum Dublinienſi ut (quia Sedes Metropolitana Dublinienſis tunc Præſule carebat, propter longas contentiones Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & alterius dictæ ſancti Patritii Dublinienſium) ſimul cum Epiſcopo Clonfertenſi, & Priore Prædicatorum Dublinienſi, examinarent merita & electionem Magiſtri N. Archidiaconi Lechlinen a Capitulo ejuſdem Eccleſiæ in ſuum Epiſcopum communibus ſuffragiis expoſtulati; eumque ſi idoneum, & omnia canonice peracta intelligeret, in Epiſcopum confirmaret, conſecrationiſque munus impendi curaret. Confirmant hæc, quæ de vetuſtate Conventus Dublinienſis diximus ſuperius.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Gregor. X. ſancte obiit,

„ I. Quinque ſucceſſive ſummi Pontifices hunc annum vidiſſe conſtat: Gregorium X. qui III. Idus Januarii virtutibus, & miraculis conſpicuus obiit Aretii; Innocentium V. natione Gal-

,, Gallum, Provincia Burgundum, antea M. frater Petrus Taranta-
,, ſienſis, Ordinis Prædicatorum nuncupatum, qui creatus Aretii XIII.
,, Kalend. Februarii, ſedit menſes quinque, & dies duos: obiit Romæ
,, in Patriarchio Lateranenſi x. Kal. Julii, ibidem ſepultus; Adria-
,, num V. Ligurem, patria Genuenſem, Ottobonus Fliſcus ex Comitibus
,, Lavaniæ prius nuncupatum, qui renuntiatus fuerat in Palatio Late-
,, ranenſi IV. Idus Julii, ſedit in Petri Cathedra menſem unum, & dies
,, ſeptem, obiit Viterbii XII. Kal. Septembris, ſepultus ibidem in Mi-
,, norum Eccleſia ſancti Franciſci; Vicedominum de Vicedominis Mino-
,, ritam, ſed Pontificem Ephimerum; Joannem XX. dictum XXI. Lu-
,, ſitanum Ulyſſiponen. Juliani filium, M. Joannes Petrus antea dictum,
,, creatum Viterbii Idibus Septembris, hoc eodem anno coronatum ibi-
,, dem in Eccleſia Cathedrali ſancti Laurentii XII. Kal. Octobris: qui
,, ut rebus chriſtianorum in Terra ſancta conſuleret, per ſuas Apoſtoli-
,, cas epiſtolas Regem Francorum ſollicitavit: *Habet infauſti &c.* Idi-
,, bus Octobris: & Prælatis Regni Franciæ pro ejuſdem Terræ ſanctæ
,, ſubſidio: *Conſiderantes &c.* v. Idus Decembris.

Plures Pontifices intra annum eliguntur.

Indicul. ex Odern. num. 47.

Epiſtol. pro Terra ſancta.

Ex Oder. n. 46.

,, II. Bavaria interea tranſmittit, non multum poſt S. P. Franciſci
,, tempora Ingolſtadium Tertii Ordinis Seraphici Patris Sorores; juxta
,, vetuſtiſſima loci monumenta, hoc anno MCCLXXVI. Ingolſtadii tres
,, religione Sorores erant, quæ hujuſmodi Inſtituti privatim in propriis
,, domibus regulam obſervantes, optimum perfectionis evangelicæ odo-
,, rem diffundebant: non vivebant autem ſub regimine Fratrum, ſed ſub
,, Eyſtettenſis Ordinarii juriſdictione: & annoſa vetuſtas earum nomi-
,, na, non tamen laudabilem vitæ famam, oblivioni dedit. ,, Sorores
,, Tertii Ordinis, quarum hic nomina deſiderantur, anno MCCLXXVI.
,, Ingolſtadii primum viſæ ſunt, cum ſuperiore anno Fratres Minores
,, in eam urbem admiſſi fuiſſent. Earum Magiſtræ duæ fuerunt optimæ
,, fœminæ; altera Humilitas Treylachenn, altera Margarita de Puechi,
,, quæ ſuas ædes ejuſdem Inſtituti Sororibus attribuerunt. Itaque non
,, uno in loco Sorores primum domicilia habuere, neque idem tectum
,, omnibus fuit ante annum MCCCLXV. quo demum, libente Epiſcopo,
,, urbiſque Magiſtratu petente, communi hoſpitio receptæ ſunt. Ab
,, eo tempore, uſque ad annum MCCCCLXVI. ſub Epiſcopi imperio eas
,, fuiſſe compertum eſt. Poſtero anno Obſervantes diſciplinæ Magi-
,, ſtri eiſdem dati. Tum Sorores ſolemnia vota nuncuparunt, publi-
,, ciſque teſtata litteris voluntate in eorum ſe poteſtate fore pollicitæ
,, ſunt IV. Nonas Decembris anno MCCCCLXXX. Cœnobium juſtæ ma-
,, gnitudinis, unaque Templum ædificari cœptum, biennio poſt piorum
,, ſumptibus abſolutum, anno MDV. recenti ſubſtructione auctum eſt.
,, Mos erat Sororibus, ut gregatim ad Obſervantium Templum ſtatis
,, horis contenderent, quibus pietatis officia ſimul obirent. In his egre-
,, giæ probitatis laudem tulit Agnes Kioneria. Hæc Patrum juſſu Mo-
,, nachium profecta, Tertii Ordinis Sorores, quæ in Cœnobio Bitricenſi
,, D. Chriſtophori degebant, ad omnem virtutem, ac religionem in-
,, formavit, obiitque Ingolſtadii anno MDXL. Severiores id Cœnobium
,, leges accepit anno MDCXXI.

Sorores Tertii Ordinis Ingolſtadii.

Chron. MSS. Provinc. Bavar. de Monaſt. Ingolſt.

Anonymus ibidem.

ADDITIO ALIORUM.

ARGUMENTUM.

Mortuo Joanni Pontifici ſuccedit Nicolaus III. Palæologus cum Prælatis Eccleſiæ Orientalis ſubſcribit traditæ fidei in Concilio Lugdunenſi, miſſoſque a Pontifice Nuntios cum honore remittit. Mittendus in Galliam Generalis Miniſter pacem compoſituras inter Caſtellæ, & Franciæ Reges non potuit intereſſe comitiis generalibus, quæ per ſocium Bonagratiam celebranda commiſit. Inſtituitur Inquiſitor in Marchia Tarviſina frater Philippus Bonaccorſius. Moritur Gerardus de Villa magna, & Margaritæ Cortonenſis recenſentur præludia ſanctitatis. Commendatur multis prodigiis Indulgentia Portiunculæ, & ædificantur aliquot Minorum domicilia.

Moritur Joannes Pontifex.

I. JOANNES Pontifex cum octo menſibus, die uno regnaret, longioremque vitam ſibi promitteret, atque aliis diu ſe victurum prædicaret, corruente novo cubiculo, quod in palatio Viterbienſi ſibi conſtruxerat, oppreſſus, atque inter ligna & rudera ſepultus, ſeptima die poſt tantam ruinam, acceptis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, moritur Viterbii, tumulatus in Cathedrali Eccleſia ſancti Laurentii. Homo fuit litteratiſſimus & litteratorum amator, ſed rebus gerendis plane ineptus, & moribus inæqualis, unde plus detrimenti, quam honoris, aut emolumenti Pontificatui eum ferunt, attuliſſe. Frequenter ita evenit, ut viri quidam admodum litterati regendis aliis parum idonei videantur; dum enim altiſſimarum rerum contemplatione delectantur, ægre terrenis negotiis animum addicunt. Minorum ſummum fautorem fuiſſe notavit Ciacon. & Joannem Parmenſem olim Miniſtrum Generalem impenſe coluiſſe, atque ſi paulo plus in Pontificatu vixiſſet, eum proculdubio Cardinalem creaturum; quod plane amplius confirmat Parmenſis virtutem, præſertim vero ejus innocentiam, a nobis tot præclaris teſtimoniis roboratam.

Impenſe colit Joannem Parmenſem.

Platina. Ciacon. Ciacon. in Gregor. X. Cardin. 1.

Anno 1256. n. 2.

Vacat diu Sedes.

II. Poſt mortem Joannis vacavit Sedes menſes ſex, dies quatuor, acriter inter ſe diſcordantibus Cardinalibus; quibuſdam ad Caroli Andegavenſis, Siculorum Regis, ſuggeſtionem, Gallum, ceteris Italum Pontificem creare ſtudentibus. Mire etiam favit, quod bullam Gregorii de recluſione Cardinalium in Conclavi ſuſpenderit Adrianus V. & omnino abrogaverit Joannes ſucceſſor. Quare octo dumtaxat, qui tunc aderant, Cardinales a recluſione & coactione liberi, electionem tamdiu protraxerunt, quoaduſque Viterbienſes eos in Civitatis prætorio recluſerunt, & tamdem adegerunt, ut qui Carolo, comitiorum præfecto, obſequium præſtare ſtudebant, nequaquam pro ejus arbitrio Pontificem legerent, ſed cum ceteris convenirent, Papam acclamantes Joannem Caetanum Urſinum, Diaconum Cardinalem ſancti Nicolai in carcere Tulliano, ſancti Petri Archipresbyterum, Ordinis Minorum Protectorem, & amiciſſimum, cui adhuc infantulo, uti alias diximus, ſanctus Franciſcus ſuam ſodalitatem commendavit. Bene hujus Inſtituti Protectoribus evenit Joanne hoc, & iis, qui eum præceſſerunt ad Pontificatum aſſumptis. Electus VIII. Kalend. Decembris, Romæ in Baſilica Vaticana VII. Kalen. Januarii conſecratur in Presbyterum & Epiſcopum, coronationiſque inſignia ſuſcepit per manus Jacobi Sabelli Romani S. R. E. Archidiaconi.

Creatur Nicolaus III.

Tom. 2. an. 1222. n. 3.

III. Per

III. Per hæc tempora Palæologus multis circumdatus inimicis, & hoſtilibus oppetitus incurſibus, ex una parte Genuenſibus, qui e regione Conſtantinopolis habitabant, quaſdam ſibi illatas injurias ulciſci volentibus, atque quod magis urgebat, Carolo Siciliæ Rege omni arte & conatu Imperium Conſtantinopolitanum titulo uxoris, Balduini II. Imperatoris filiæ, ſibi, ut dicebat, debitum ambiente, gratiam Pontificum captabat, & conſervabat, tamquam ſibi ſumme neceſſariam pro Imperio retinendo. Promiſerat jam Gregorius, præmiſſo Abbate Caſſinate, ut ſuperius dixi, alios Legatos ſe deſtinaturum, qui peracta in Concilio Lugdunenſi præſentes diffuſius explicarent, concordiam factam inter utramque Eccleſiam ſolidius conſummarent, & de temporalibus Imperii negotiis ponderoſius tractarent. Quod ille morte præventus non potuit, tentavit Innocentius ſucceſſor deligendo ad hoc munus Jacobum Epiſcopum Ferentinum, Gaufridum Epiſcopum Taurinum, & duos ex ſuo inſtituto viros Raynerium Priorem Viterbienſem, & Salvium Lectorem Lucanum; ſed dum non plene fuerunt expediti ſub Innocentio, non niſi ſub Joanne Pontifice diſceſſerunt. Objerunt illi feliciter legationem, & reſponſum, comitantibus Legatis Imperatoriis, hoc anno attulerunt Sede vacante, tam a Michaele patre, quam ab Andronico filio, quorum hic damus exemplaria, ut conſtet quoties data fides a gente inconſtanti, quam tamen paulo poſt Andronicus non obſervavit.

[Captat Palæologus gratiam Pontificiam.]
[*Anno* 1274.]
[Miſſi ad eumdē Nuntii.]
[Placidum reportant reſponſum]

Sanctiſſimo & beatiſſimo primo, & ſummo Pontifici Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ, univerſali Papæ, communi Patri omnium Chriſtianorum, & reverendiſſimo Patri noſtro Imperii Domino ..... Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus ſpecialis filius magnæ Sanctitatis Veſtræ convenientem reverentiam, cum ſincera & pura affectione, ac orationum poſtulationem.

Summæ ſupereminentiæ Apoſtolicæ ſanctitatis, cui fidelis quilibet in Chriſto ſubeſſe non debet ambigere, ſpe certa, & fide præclara me totum confidenter exponens illius Imperio, cui ſervire perpetuo eſt regnare, non ſuſtinui, Deum teſtor, dies & annos meos in vacuum conſummare, ſed tanto provide adjeci ſtudia ſtudiis, & vigilias continuis laboribus addidi, ut acceptabile opus orthodoxæ fidei germinatum in Domino, vivifice progrediens ad optata, beatum finem ſuſciperet glorioſe divino lumine illuſtratum; quanto ut luminare majus præeſſet hæſitantibus, & veluti accenſa candelabra in toto univerſalis Eccleſiæ Catholicæ corpore radiaret, ac in remiſſione peccatorum meorum, & laudum obſequio Deo glorioſo hujuſmodi dignum fieret & acceptum. O felix ætas tanti boni deſiderati operis commemoratione digniſſima, & per totum alacritate nimia refectiva, in qua deſtructo totaliter, & de medio Chriſtianorum abjecto penitus diſſenſionis ſchiſmate, quod inter Eccleſiam orthodoxam, & populum, quem ſibi Dominus noſter Jeſus Chriſtus adoptavit ut ſuum, Græcum ſcilicet & Latinum, tot diffuſis temporibus viguit ſuggeſtione humani generis inimici, qui de noſtra immortalitate condolens noſtri primi patris ſeductione, dira eum incauta mortalitatis tranſgreſſione peremit, in evidentem Chriſtianorum perniciem & jacturam! Nunc, diſponente Altiſſimo, multa ſolertia & ſollicitudine ipſius veræ fidei totalis identitatis integritas ad matrem Catholicam, & Apoſtolicam, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, omnium Chriſtianorum dominam & magiſtram, & ad patrem verum Eccleſiæ, ſummum Pontificem, univerſa-

[Reg. Nicol. 3. n. 1.]
[Servire Sedi Apoſtolicæ regnare eſt.]
[Quam laboraverit Palæologus pro unione.]
[Schiſmatis auctor diabolus.]
[Elogia Eccleſiæ & Pontificis.]

lem omnium Chriſtianorum Rectorem, & Doctorem Catholicæ veritatis, Chriſti Dei noſtri in terris Vicarium, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principum ſucceſſorem reſidet opulenta dignitate, benignitate nominis, virtutis gratia, & honoris gloria coronata. Et licet, pie Pater, prædeceſſoris Veſtræ tempore Sanctitatis illius, videlicet bonæ memoriæ Domini Papæ Gregorii, reverentiſſimi Patris mei, quem propterea ſpecialiter præ aliis

Commendat Gregor. X. *bonis in Domino firmiter vivere credo, tantus eum zelus reuniendæ Dei Ec-*

Pſalm. 68. 10. *cleſiæ, ac Chriſtianorum pacis continue comedebat, hujuſcemodi operis laudanda primordia fuiſſent indulta in generali Concilio, apud Lugdunum proſpere hactenus celebrato. Tamen glorioſa ſolemnitas totalis perfectionis ipſius Veſtræ Sanctitatis pio patrocinio extitit divinitus conſervata in poſterum moderamine veſtri glorioſi Apoſtolatus, qui præ ceteris præexcellit indiſſolubili caritatis vinculo in perpetuam roborandæ. Cujus gratia ſingulare commodum, quod incomparabile proinde adjacet ad omnium beneficia diffunditur, ſine diffidentia qualibet, cum ſint dulciſſima, quæ per gratiam ſancti Spiritus, cujus res agitur, benigniter largiuntur. Digne itaque ad me pridem Apoſtolicæ Sanctitatis Nuntii viri religioſiſſimi, virtute morum, & gratiarum ſcientia decorati, videlicet Dominus Jacobus Ferentinus, & Dominus Gaufridus Taurin. Epiſcopi, & de ſacro Ordine Prædicatorum frater Raynerius Prior Conventus Viterbii, & frater Salvius Lector Lucanus, magis quam poteſt exprimi, alacriter pervenerunt, veſtris piis orationibus pro-*

** Alludit ad illud Lucæ c. 14.* *ſperati, eo potiſſime quia menſam Dominici convivii, & feſtivam mundis paratibus, refectivis ferculis ſatiatam, & amenis odoribus reperientes ornatam, nihil omiſſis de contingentibus in iis, quæ fore utilia videbantur, prout Creator omnium Deus benigne diſpenſaverat ab excelſo. Qui finem malis imponens, ſervos quos invenit in caritate manere, invitat & præparat eis cibum, non ſolum Angelorum panem, ſed ſeipſum, qui ait;* Qui

Joann. 6. 58. manducat me, ipſe vivet propter me: *affectatas ſatis quondam magnificæ ac reverentiſſimæ ſummæ Apoſtolicæ Sanctitatis prædeceſſoris veſtri litteras meis propriis manibus aſſignaverunt, quibus filiali reverentia receptis, & devotiſſime oſculatis, ac diligentiſſime intellectis, quæ ordo narrationis ipſorum detexerat, ac iis, quæ ipſorum nuntiorum grata inſinuatio continebat, in illo magno ſalutis gaudio meus animus fuit repletus, gratias dedi illi, qui pro nobis, & ſalute noſtra veram carnem humanitatis aſſumpſit genitus Deus homo de utero virginali, & inde multiplicium congaudiorum genere hilaratus, nomen Domini benedixi, qui meam indigentiam multis circumventam afflictionibus, & ſuſpiriis, quia videbatur quoad ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, proh dolor! ex ſubito defectu paſtorum, unitatis Eccleſiarum Dei opus refrigeſcere, quoquomodo divina gratia ſubito me ſatiavit, & refecit ſuſpiria, & mærores ad gaudia infinita convertit, intellecto per ipſos veracius qualiter ſanctitus prædeceſſoris veſtri, diſponente Domino, conſcenderat ad Pontificalis ſpeculam dignitatis. Nec minus ſinceros affectus, quos ad ſæpedictum opus Dei de bono in melius promovendum, ejuſdem ſanctitas corde & animo pare gerebat, quam de benignitate Sanctitatis Veſtræ in Domino ſuſcipere confidimus & ſperamus, dum effecti eſtis Dei Vicarii, & Apoſtolorum Principum ſucceſſores. Ego autem tantis Chriſti donariis ubere ditatus, exhilaranter in opere ſpem firmavi, in quo jam multa inquiſitione ac ſtudio Prophetarum, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum maniſeſtiſſima documenta ſolerter appoſueram,* Fundamentum, quod ne-

1. Cor. 3. 11. mo poteſt ponere aliud, niſi Dominus Jeſus Chriſtus, *qui patriæ ſupernæ*

Joann. 14. 6. *Hjeruſalem* eſt via, veritas, & vita, *ut inhabitantes in ea cohabitent in eodem*

dem, quorum efficitur cauſa mercedis, qui per hanc viam ingreſſi ſunt in veritate, quibus vita vivere promittitur ſine fine. Nimirum ergo ſi allectus tam dulciſſimis repromiſſionibus ad ipſorum conſortium revocem partem meam beatorum exemplo, qui pro æterna patria commutarunt terrena. Super quod quid aliud exiſtimare oportet, niſi reſurrectionem Chriſti a mortuis, ut vitalis intellectus, qui latebat, prodiret, & remotis odiis, Fratrum contentionibus, & animarum preſſuris, pax vigeret, amor creſceret, & quaſi cujuſdam floris ſpecies, ſcripturæ monumento prodeuntes, ovilo Dominicum impleretur in vera fidei unitate: Ac una Columba ſcilicet Catholica & Apoſtolica Eccleſia, rota prima, quæ major apparuit ſuper terram, & unus Agnus, qui peccata mundi abſolvit, ejus in terris Vicarius, paſtorem gregis univerſaliter venerentur; propter quod quam bonum eſt, & quam jucundum habitare fratres in unum, *ſatis os propheticum repræſentat. Ut autem mutatio hujuſmodi excelſi dexteræ Sanctitatis Veſtræ piis interceſſionibus ſuper angularem lapidem, qui æternæ legis dominio cuncta regit, in montibus fundata ſanctiſſimis, clareat in æternam, & in ſancta ſanctorum novæ ſtructuræ Hieruſalem, quæ Civitas æternæ patriæ ſuperaugeatur & creſcat, in atriis ejus ſtantes pedes mei reperiantur ab humanis inſultibus, & preſſuris me totaliter abſoluto, ut quæque grata ipſius divini operis perficerent, & in iis fidei meæ ſinceritas in caritate vigeret, mens mea in rebus congruis intentior fuit, cura propenſior, voluntas pronior, devotio clarior, & exhibitio operum efficacior, ut ſtudium perfectæ conſolationis meæ in omnibus efficacius haberetur, cum eiſdem Venerabilibus Nunciis ſupereminentis Apoſtolicæ Sanctitatis tractatum extitit, & Deo coadjuvante completum, quidquid negotii executio poſtulabat, & eiſdem a Sanctitate Apoſtolica ſpecialiter fuit injunctum, roborans, & confirmans diverſis litteris, & ſcripturis omnia & ſingula, quæ de Catholica fide ſacroſancta Romana Eccleſia tenet, docet, & prædicat, quæ ſimili modo etiam per primagenitum meum Imperatorem Græcorum, & aliarum gentium, quæ ſubditæ ſunt Imperio meo, Conſtantinum devotum filium veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis, qui una mecum ad hoc opus viriliter laboravit, inſtructus benedictione veſtra, ſecundum quantitatem ſui temporis in divinis operibus, & ſalutaribus animarum, & pacis per Venerabilem quidem Dominum Patriarcham, & per ceteros Prælatos Orientalis Eccleſiæ, qui una nobiſcum in unitate ſpiritus convenerunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ejuſdem Pontificis recognoſcentes Primatum, & ſibi debitam deberi reverentiam & honorem, & cetera, quæ in ipſis apertius continentur, ſunt vallata, & etiam roborata propriis ſubſcriptionibus, & ſigillis, prout miſericordia ſupremi Judicis, qui cuncta in æquitate diſponit, ſalubriter diſpenſavit, & obturavit ora abloquentium falſa, inania, & mendacia, quæ odit Dominus, & deteſtatur. Qui non verebantur ſe timore divino contra tantum bonum opponere, nec inveſtigare iniqua, nec etiam in hujuſmodi operis ſegete, quam Dominus coluit, diſcordiæ ſemina ſpargere in Chriſtianorum contumeliam, & eorum animarum damnationem æternam. Cetera vero tam ipſis venerabilibus Nunciis de ipſorum religioſitate, ac probitate confiſus, ac meis Nunciis, quos confidenter cum eiſdem tranſmitto ad præſentiam veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis, videlicet ſacratiſſimo Metropolitæ Kiſicen. Tpertiuo, & Exarcho totius Eliſpontis, Theodoro quartam ſedem in Concilio obtinenti, honorabiliſſimo ſcriviario ſanctæ Eccleſiæ Conſtantin. & Archidiacono Imperialis Cleri Conſtantinopolitan. Melitiniota, & honorabiliſſimo Archidiacono ceteri Imperialis Cleri, & Epiceudeſion ejuſdem ſanctæ Conſtantinopolitan.*

Joann. 11. 26.

Cant. 6. 8.
Eze. 10. 9.
Joann. 1. 29.

Pſ. 132. 1.

Confirmatum Conſtantinopoli, quod decretum eſt Lugduni circa fidem & unionem Eccleſiarũ.

* *Andronicum nomine.*

* *Hic ille Joannes Beccus vir doctus & Latinorum fautor.*

Multi contradixerunt unioni.

De his officiis vide ſi placet Bulengerum de Imper. Rom. in append. de offic. Eccleſ. Conſtantinopol. Georgium Godinum de eodem argumento cum notis Jacobi Gretſeri, & Pancirolum de Notitia dignitatũ utriuſque Imperii.

Eccleſiæ, Georgio Methocitæ, & de ſecretis familiaribus, & ſecretis Cameræ noſtræ Angelo Joanni, & Andronico Maſgoda fidelibus Imperii noſtri verbo ſuggerenda commiſi, ac exponenda perſpicaciter auribus veſtræ magnificæ Sanctitatis inſtructis, de omnibus plenarie, prout ipſi præſentialiter pertractarunt, & oculis inſpexerunt univerſaliter ſingula, & ſingulariter univerſa. Quibus in his fidem plenariam dignetur Dei intuitu veſtra pia Sanctitas adhibere, ac inde, Deo auctore, illa perficere, & ad luculentam divini operis publicationem complere, per quæ non ſub modio ejuſdem luminis claritas, ſuggerentibus forſitan ſupradictis iniquitatis filiis, qui in unione tantæ proſperitatis, quam divina potentia ſalutari præſidio miſericorditer introduxit, in contemptum aliquatenus reponatur, ſed tanta majora luminaria veſtræ Sanctitatis ſtudio ad univerſalem notitiam conſurgant in mundo, quanto inde major creſcit lætitia in corda fidelium, qui pura conſcientia Deum vident, quæ attendenda ſunt, Pater Sanctiſſime, a veſtra pia benignitate omnino. Cui oves Chriſti paſcere ab ipſo Domino ſunt commiſſæ vices beati Petri Apoſtoli, cujus vicem geritis, cui ter præcepit Dominus paſce oves meas. *Reddatur igitur in his Creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris* gloria in altiſſimis, *& ab univerſis orthodoxis de Terra actio gratiarum, quoniam qui retroactis temporibus multa mœroris vulnera pertulerunt, nunc univerſalis conſolationis invenerunt fomenta. Unde neceſſe eſt omnipotentis Dei miſericordiam exorare obnixius, ut cor veſtræ Sanctitatis, & veſtrorum Fratrum ſua ſemper dextera teneat, veſtraſque cogitationes & actus ad firmitatem divini operis ſupradicti cœleſtis gratiæ ope diſpenſet, quatenus tranquillitas veſtra tanto rectius valeat Deo ſervientes protegere, quanto dominatori omnium noverit verius deſervire, ac in amore Catholicæ fidei defenſores ſuos faciat, quos fecit ex benigno opere imperare, zelum ſimul & manſuetudinem in mentibus eorum infundat, ut pio ſemper fervore valeatis quidquid in Deo exceditur, emendare. Omnipotentis Dei miſericordiæ largitor Sanctitati veſtræ concedat, ut quo longius vita veſtræ Sanctitatis extenditur, ipſa orthodoxia fidei, & meorum laborum conſolatio validius in Domino roborentur. Ceterum me divina potentia Imperatorem, & eamdem cariſſimum primogenitum meum Dei gratia Imperatorem, omnes noſtros filios, & alios nobis propinquos ſpeciali affinitate, nec non & omnem ſortem nobis largitam a Deo, veſtris ſanctis orationibus recommendo. Supplicans humiliter quatenus ſemper mei, & ipſorum memores exiſtentes in veſtris ad Deum perſuaſionibus, & deprecationibus me ac ipſos paternali gratia protegatis.*

Joan. 21. 17.
Luc. 2. 14.

Sanctiſſimo & beatiſsimo primo & ſummo Pontifici Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ, communi Patri omnium Chriſtianorum & reverendiſsimo Patri noſtro Domino .... Andronicus in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, devotus filius V. Sanctitatis, convenientem reverentiam, cum ſincera & pura affectione, ac orationum poſtulationem.

Ex eodem Reg. n. 2.

QUæ fides, quæve devotionis integritas ob honorem & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris meæ, ac ejuſdem Pontificis ſummæ Apoſtolicæ Sanctitatis, me ſollicitaverit hactenus excellentiſſimo genitori, & dominatori meo, Dei gratia Imperatori Romæorum, adeſſe continue ad exequendum opus divinum, unitatis ſcilicet Eccleſiarum, & Chriſtianorum pacis, reformationis ardentibus deſideriis, & ſtudiis curioſis, jam

divi-

divina miſericordia operante, patent ex opere, nec minus effectus ipſorum meam devotionem & ſollicitudinem debitam repræſentat, non ſub modio, ſed omnibus qui habitant in domo Domini manifeſte. Delectabatur in his, novit Altiſſimus, qui eſt hujus operis ſtabilitatis perpetuæ fundamentum, ſine quo nihil proficiunt operarii, & ſine ipſo factum eſt nihil, ultra quam poteſt exprimi, meæ juventutis affectus, prætermiſſis omnibus ſollicitationibus, ad quas multotiens ætatis meæ converſatio applauſiva conabatur attrahere, ſed zelus domus Domini me adeo comedebat, quod ad cor non deſcendebat alicujus voluptatis affectus, quam ſenilis diſpoſitionis providentia, & præmeditatione matura ſuppeditans, ad ipſum opus totaliter aſpirabam, & factus ſollicitudinis zelator continuas ſtudendo, inquirendo, vigilando, & audiendo ſanctorum Patrum volumina, Dei præſidio, & neceſſitate virtutem aſſumpſi, nunc ſuadens ſupradictum dominatorem, & genitorem meum, nunc oſtendens ſecundum cognitionem, & gratiam mihi conceſſam a Deo, a quo cognovi operis complementum, quod bona, quæ de perfectione ipſius provenicbant, erant ſibi principaliter, mihi & ceteris genitis ejus inexſpugnabilis exercitus, glorioſam præconium, vita perpetua, pretioſa hæreditas, & glorioſa memoria ſuper terram; requies conſanguineis, & ceteris fidelibus Imperii ſui pacem & ubertatis tempus, quæ ſunt regnantis excellentia nominis, & pretioſa commoditas; dum propterea cives & populos habet laudantes præter illa manſura præmia, quæ a Creatore omnium æternaliter pollicentur, & ſi quandoque, quod anxie dicimus, oportebat me neceſſario ab opere præſentialiter dividere, ipſum opus protectioni Altiſſimi, ſtudiis exquiſitioribus continuis mei excellentiſſimi dominatoris, & genitoris prædicti, qui ad hæc Dei beneplacito ſuum immolaverat corpus & animam, nec ad alia ex aliquarum varietatum incurſu temporalium quantumcumque ſua præſentia indigeret, ſuum animum convertebat. Tamen ferebar ad arma conſurgere, turmas belli inſtruere, ac armata manu pro defenſione Chriſtiani generis, ad cujus ſervitium miſericordia divina conceſſit me benigniter imperare, potenter inſiſtere, pugnare pro patria, quæ, proh dolor! continuis inſultibus ab ipſis laceſſitur, & ad reprimendum Turcarum impetum, & multimodam præſumptionem, ipſorum Chriſtianorum acies dirigere, ac ipſos Dei præſidio in propria expugnare, ac de eorum confiniis ejicere, quibus Chriſtianorum Imperio vicinantur; & infra terras ipſorum victorioſe glorificans nomen Chriſti, ubi prædicti ſcelerati fatua doctrina blaſphemant, & veſtris piis orationibus proſperatus refecta noſtra præſentia gente utcumque perterrita, inſultibus Paganorum curam gerebam Provinciæ. Non ſic, Pater ſanctiſſime, quod a diviniori opere me aliquatenus diviſiſſem, ſed in ipſum fundatus anima & corpore meum excellentiſſimum genitorem & dominatorem ſedulis litteris, & nunciorum frequentia de ſtatu proſpero Provinciæ ſuum reficiebat affectum, quem ad opus proptere a ferventius accendebam, a quo grata viciſſitudine mea totaliter anima reficiebatur, delectabatur ſpiritus, & mea viſcera congaudebant ſuper quibus divina providentia diſpenſante, ea quæ procurat non deſerit, me ad urbem feliciter redeunte ad mei dominatoris & genitoris præſentiam, in qua poſt paucos dies ſanctiſſimi prædeceſſoris veſtri Nuntiis emeritiſſimis & diſcretis ſalubriter pervenientibus, & invenientibus Dei gratia omnia negotii merita præparata, proſperum aſſumentibus tractatum, invocato Chriſti nomine, finaliter ipſi perfecerunt negotium, prout eis redeuntibus ad arcam, unde ut columba exiverant, ferentes ramum viridantis olivæ, ramum unitatis, & & pacis, poterit veſtra Sanctitas informari, & eis a Sede Apoſtolica fuit

Quam hæc cohærcant cum ejus receſſu ab Eccleſia poſt obitum Patris.

Gen. 8. 12.

injun-

injunctum, cujas ſucceſſores vos Dei gratia, & miſericordia conſtituti ad ſpeculam dignitatis, confido in Deo, quod illa reſtitutionis gratia veſtra Sanctitas aſſumere poterit, per quæ veſtro patrocinio univerſalis conſolatio benigniter oriatur, & amplificatio negotii perducatur ad perpetuam firmitatem; contra quod oh! in quantum laboraverit, & laborare non ceſſat ille humani generis inimicus, qui tot diffuſis temporibus ſuper diviſione præterita gloriabatur inique, non dimittens ſeducere debiles, & inermes, & illaqueare inſcios & indoctos, & oſtendens eis ſophiſticare charitatem operis, & operari opus araneæ, cujus telam facilis aura diſſolvit. Attamen opus tantæ unitatis, ex quo ad gremium ſuæ matris, Deo faciente, conſtituitur; ſicut jam ipſius diviſio multa mœroris vulnera pertulit, ſic cura & vigilantia veſtri digniſſimi Apoſtolatus, cujus intereſt, non fraudabitur ejus operis identitas, ſed conſervabitur in integrum in æterno, de quo erit nomen benignitatis in ſæcula benedictam, & in cœlis ab Angelis æterne glorificatum. Ego autem ex ſupradictis omnibus aſſumens materiam, de benedictione veſtra confiſus, quam pie cunctis fidelibus exhibetis, quodammodo tentavi ſcribere veſtræ Apoſtolicæ Sanctitati, quod in præſumptione non imputetur mihi aliquatenus impertiri, ſed acceptum ducatur, quod filiali devotiona præſumpſi, & oblata ab offerente, ac offerens ab oblationibus placeant: nam reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, *& quamquam tantam gratiam conſequi ſim indignus, tamen non fruſtretur ſpe, qui in veſtra devotione perſiſtit, quoniam Sanctitatis veſtræ ſupereminens Apoſtolatus, qui habet recompenſare merita ſingulorum, & in cœlo & in terra abſolvere ac ligare benedictionibus, orationibus, & perſuaſionibus poteſt, ut ad caritatis gloriam, & devotis filiis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ aggregare, perducere, ac in eis protegere, ac fovere, quæ peto mihi benigniter impertiri a veſtra piiſſima Sanctitate, ac requiri ad omnia, quæ veſtra ſanctiſſimà Paternitas mihi ſuo devoto filio placuerit committere, ac mandare, quæ devote recipiam, & alacriter perimplebo. Me nunc & ſemper veſtris ſacris orationibus recommendo, ac Nuncios qui ad veſtræ Sanctitatis præſentiam tranſmittuntur in ſignum devotionis innatæ, quibus dignemini credere, quæ pro parte mea Sanctitatis veſtræ audientiæ oretenus reſerabunt. Vivat Sanctitas veſtra ſalutari & perpetua vita in Domino. Amen.*

Gen. 4. 4.

Anno 1274.

Joannes Beccus Patriarcha promotor unionis.

IV. Ex his litteris, Michaelis præſertim, conſtat, prædictos Nuntios ab Innocentio litteras legationis accepiſſe, miſſos tamen a Joanne; liquet etiam ſubſcripſiſſe Imperatores, & Prælatos Eccleſiæ Orientalis ſacroſanctæ fidei traditæ in Concilio Lugdunenſi, & primatui Romanæ Eccleſiæ. Quod vero dicatur, Patriarcham in his etiam conſpiraſſe, non contradicit eis, quæ diximus de renitentia Patriarchæ ante Concilium: nam ille alius ab iſto; ille Joſephus, pertinax in ſuo errore; hic Joannes Beccus, vera fide tandem imbutus, qui & in eadem Imperatores inſtruxit, magno adhibito ſtudio de intelligenda rite mente ſanctorum Patrum, quorum apertos & enucleatos ſenſus circa proceſſionem Spiritus ſancti, de qua capitalis erat controverſia, dedit Imperatoribus, quibus percipiendis ſe omnem operam poſuiſſe ſcribit uterque. Doctas ejus elucubrationes circa hoc myſterium a D. Petro Arcudio Corcyræo Græce & Latine erudito, noſtro amico, latio idiomate reſtitutas hoc anno MDCXXVI. Lugdunum cum aliis aliorum Græcorum opuſculis, quæ ad hanc ipſam controverſiam ſpectant, tranſmiſimus excudendas. Neque inaniter laboravit Beccus, nam præter inſtructos eos, qui veram doctri-

ctrinam proterve non reſpuebant, donatus eſt honore & onere Patriarchali, ablegsto Joſepho. Rem omnem, & hujus Patriarchæ converſationem ſimul & converſionem narrat Nicephorus Gregoras his verbis, quæ multis Græcorum controverſiis, & hiſtoriæ toties explicandæ, lucem afferent non exiguam: *His*, inquit, *temporibus magnæ Eccleſiæ cartophylax erat Beccus, excellenti vir ingenio, & in doctrinæ ſtudiis ab ineunte verſatus ætate: præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quiſquam alius illius ætatis. Nam & proceritate corporis, & majeſtate vultus, & facundia, & ubertate, atque acumine ingenii omnes ad res apti, aliiſque dotibus præſtabat. Quibus id erat conſecutus, ut & Imperatoribus, Principibus, & omnibus eruditis venerabilis, atque illuſtri apud eos fama eſſet. Qui cum Imperatorio decreto acriter adverſaretur, Imperator nihil non tentavit, tam per ſeipſum, quam per alios eruditos, ut eruditis, & legitimis rationibus eum adduceret, ut decreto aſſentiretur. Verum ille ingenii acumine, & copia orationis omnium animos commovebat, eorumque argumenta veluti Penelopes telam retexebat. Nam in Græcarum litterarum doctrina erant, qui illum ſuperarent: ſed acumine ingenii, & eloquentia, & Eccleſiaſticorum dogmatum uſu, omnes cum illo collati, pueri videbantur. Ea ſpe fruſtratus Imperator, aliam viam init, eumque & omne fere genus ejus in teterrimos carceres conjicit. Quibus peractis tamdem in mentem venit Imperatori, eamdem rem a Latinis ante annos* XXV. *Joanne Duca rerum potiente, agitatam fuiſſe: ac tum doctum extitiſſe virum Nicephorum Blemmydam, divinarum litterarum peritiſſimum, qui cum ſe in otium contuliſſet, multa e ſacra Scriptura teſtimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere, ac conſcribere cœpiſſet: clam ille quidem, infamiæ metu, ſed tamen ſcripſiſſe quædam. Quæ tum Imperator Becco miſit, quibus ille perlectis, Sanctorum libros, e quibus Blemmydes ea collegerat, prudenter admodum poſtulavit: iiſque lubentiſſimo Imperatore acceptis, in eo occupabatur, ut diligenter eos legeret, expenderet, ad verbum conferret. Itaque brevi tempore eum teſtimoniorum acervum coegit, quæ integra volumina complere poſſent: & qui dudum acerrime Latinis adverſabatur, mutata ſententia, victoriam faceret ambiguam. Quamobrem patriarchatus ſede conſcenſa, Imperatori uſus fuit omnia, & lingua, & manus, & acuti ſcriptoris calamus, & dicenda, & ſcribendo, & dogmata ſtatuendo: ejus certamen adjutoribus Meliteniote & Metochite, Imperatorii cleri Archidiaconis, & Georgio Cyprio. Nullus tamen eorum ad Papæ rationem liturgiam celebrarat: niſi quod Freriorum nonnulli poteſtate data, ſemel in Blachernio templo id fecerunt, ſuffragio cujuſdam e familiaribus.*

Nicephor. lib. 5. hiſtor. Rom. c.2.

Ut converſus eſt Beccus.

V. Alios legatos mittere præparabat hoc anno Joannes Pontifex, pacem compoſiturus inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges, neque tamen ille morte præpeditus, ſed Nicolaus ejus ſucceſſor amandavit. Delecti pacis auctores Joannes Vercellenſis Magiſter Generalis Prædicatorum, & Hieronymus Auſculanus Miniſter Generalis Ordinis Minorum; quibus mox alii adjuncti. Belli & tumultus origo ea fuit, quod defuncto anno MCCLXXV. Ferdinando Principe cognomento *de la Cerda*, Alphonſi Hiſpani Regis filio & hærede, relictis ex Blanca conjuge, Philippi Regis Galli ſorore, filiis duobus Alphonſo & Ferdinando, fidei Joannis Laræ, Nuntii filii, ſub ipſam mortem enixe commendatis, Sancius ejus frater ætate proximus, regni ſucceſſionem ad ſe devolutam contenderet, etſi Alphonſus pater ægre tulerit ſe ſuperſtite de regni ſucceſſione intempeſtive & ſeditioſe agi, & nepotes, quos privatis affectibus complectebatur,

Belli inter Hiſpanum & Gallum origo.

Marian. lib. 14. c.1. & 2. Zurita to.1. l. 3. c.93.

tur, prætermitti, quod jure publico iniquum eſſe videbatur. Emanuelis tamen fratris conſilio, qui jam totus Sancii erat, ejus controverſiæ dijudicandæ cauſa regni conventus Segobiam urbem indicti ſunt. In iis convenientibus, re ultro, citroque jactata, ſecundum Sancii jura & poſtulata pronunciatum eſt, opinione ancipite, jure ne, an injuria? Vicit ſane publicæ utilitatis reſpectus, & tranquillitatis ſtudium. Neque enim Sancius ſi repulſam tuliſſet, quieturus videbatur: & erat ætas idonea, ingeniumque & indoles rebus communibus gubernandis. Repulſos a regni hæreditate nepotes ſuos Rex Gallus ſumme doluit, conſtitutoſque in Aragonii Regis tutela, curabat ne in Sancii patrui poteſtatem redacti, ſalutis, libertatis certe periculum adirent, non ignarus naturam mortalium ambitioſam, & præ imperii cupiditate in crudelitatem pronam eſſe. Mittebantur utrinque legationes, neque quidquam videbstur aliunde, quam gladio terminandum. Futuri belli mala cauturus Pontifex, per dictos legatos cupiebat cuncta componi. Cetera quæ ad legationem hanc ſpectant commodius ſequens annus excipiet.

Capitulum generale XXII.

Rodulph. ſol. 239.

VI. His rebus implicitus, & in Curia detentus Hieronymus Miniſter non potuit intereſſe Comitiis generalibus a ſe indictis Patavii hoc anno; quæ in annum MCCLXXV. minus vere rejicit Rodulphus; neque enim gravis nrgebat cauſa ad Capitulum convocandi Ordinis Patres, eoſque e ſuis ſedibus exturbandi, qui non niſi anno proxime præcedenti Lugduno coierunt: moriſque erat, nonniſi triennio expleto, juxta Regulæ ordinationem, generalia Comitia celebrare. Miſit itaque ſuas vices acturum fratrem Bonagratiam de ſancto Joanne in Perſeceto, diœceſis Bononienſis in Legatione Conſtantinopolitana fidum ſocium; per quem litteras dedit ad Patres conſcriptos, ut ſe omnino tali muneri ineptum, & inſufficientem a prælatura abſolverent; quod tamen illi noluerunt audire, immo potius novis & communibus ſuffragiis in officio confirmarunt. Tunc etiam fidele & authenticum miſit teſtimonium de cæco illo Aſſiſiate hoc ipſo anno mirabiliter a ſancto Franciſco, ut alias retulimus, illuminato, atque de viſione illa facta Innocentio III. de confirmsndo ejuſdem ſancti Viri Inſtituto, quæ auctore eodem Hieronymo, monuimus, legendæ ſancti Bonaventuræ poſtea fuiſſe inſerta. Quid ultra in hoc Capitulo actum, non referunt Scriptores.

Renunciat officio generalatus Hieronymus Miniſter.

Tom. 2. an. 1228. num. 59.

Tom. 1. an. 1210. num. 8.

Sanat S. Franciſcus devoti viri filium.

VII. Opportune nos ad commemoratum miraculum aliud adjicimus hoc ipſo anno ab eodem ſancto Patrisrcha pstrstum. In valle Viridi diœceſis Neumacenſis ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, filia Magiſtri Martini, apud quem Fratres hoſpitio benigne recipi ſolebant, prolem edidit maſculsm, ſuper quam poſtea aggravata eſt manus Domini, dum cæca, muta, ſurda, & paralytica efficitur. Ab umbilico deorſum nihil ſentiebat, & brachium dextrum omnino aruit, ita ut prorſus videretur moles quædam carnis emortuæ. Martini conjux pietate commota ſuper nepotem, eum efficaciter ſancto Franciſco ſub veſpere commendsvit. Mane facto, recepit vividum, videntem, audientem, & loquentem; ſed inferiorem adhuc partem dolentem. Objecit magns fide ſancto Curatori, Dei perfecta opera eſſe, atque ob tot annis præſtita ſuis ſectatoribus obſequia, ſe mereri ut plene exaudiretur circa infantuli ſalutem. Ststim exaudita, & puer ab omni malo immunis alacriter exilivit.

Inquiſitor in Marchia Tarviſina Philippus Minorita.

VIII. Diximus alias, Prædicatores conſtitutos ab Innocentio Inquiſitores in Marchia Tarviſina. Hoc autem anno invenio Philippum Bonacçorſium Minoritam (quem ſuum & ex Ordine Prædicatorum Bzovius fa-

facit, quam vere, docebit hoc diploma, & alia, quæ dabuntur anno ſequenti) illi etiam muneri ibidem deputatum. Gravi id probo Joannis Papæ inſtrumento Vaticano ex læſo codice aliquantulum hiulco, quo ei præſcribitur modus reconciliandi Caſtri de Sermione Veronenſis diœceſis hæreticis, iiſque Patarenis, ut patet ex regiſtro Nicolaì IV. infecti. Ex illo licebit aſpicere qualiter in his caſibus olim ſe gerebant Inquiſitores. Philippus autem, ut ſcribit Hieronymus Corteſius, ex his hæreticis ultra ſeptuaginta reſipiſcere nolentes comburi curavit.

Brov. an. 1278. n. 33.

Corteſ. in hiſtor. Veron. lib. 9. ad hunc annum.

Fratri Philippo Ordinis Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Marchia Tarviſina auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputato.

IX. *Nuper ad Apoſtolicam Sedem accedens in noſtra propoſuiſti præſentia conſtitutus, quod univerſitas & homines Caſtri de Sermion. Veronen. diœceſis a longis retroactis temporibus in eodem caſtro ſcienter hæreticos receptarunt, eiſdem impendendo conſilium, auxilium, & favorem, & nonnullos ex eis tam mares, quam mulieres putas eorum erroribus crediditſe, ac alios in hæreſeos crimine culpabiles multipliciter extitiſſe, nec Inquiſitores per Sedem ipſam hactenus in Tarviſina Marchia deputatos permiſerunt inquiſitionem facere in Caſtro prædicto, ubi erat receptaculum perfidorum, propter quod contra dictam univerſitatem & homines Caſtri prædicti per Inquiſitores eoſdem, & alios ſuper hoc juriſdictionem habentes eſſe dicuntur excommunicationis, interdicti, & pœnarum aliarum gravium ſententiæ promulgatæ. Modernis autem diebus univerſitas ipſa & homines prædicti Caſtri, ut videtur, zelo fidei & devotionis inducti, ut ſibi divinam miſericordiam, & dictæ Sedis gratiam propterea compararent, centum ſeptuaginta & octo inter mares & mulieres hæreticos conſulatos, ſecundum hæreticæ pravitatis abuſum commorantes in Caſtro prædicto, procurarunt ad manus tuas, opem & operam ad hoc officium præſtantibus venerabili fratre noſtro Epiſcopo Veronen. & nobilibus viris Maſtino & Alberto de la Scala Veronen. ac Pinamonte de Bonacolſis Mantuan. civibus, devenire; ſperantes per hoc pœnas tam ſpirituales, quam temporales, quas propter culpas hujuſmodi, ſuis exigentibus meritis, incurrerunt miſericorditer relaxari. Unde cum ipſi, ut aſſerunt, redire velint ad mandatum Eccleſiæ reverenter, & petant ſibi abſolutionis beneficium miſericorditer impertiri, ſupplicaſti nobis humiliter, ut providere in hac parte de benignitate Apoſtolicæ Sedis dignaremur. Nos igitur, qui circa cultum Catholicæ fidei continuis vigiliis excitamur, eorumdem univerſitatis, & hominum adhibitum in hac parte ſtudium commendantes, ac ſperantes, quod ipſi quanto magis manſuetudinis Apoſtolicæ gratiam ſibi benigniorem invenerint, tanto ferventius quæ Deo ſunt placita, & ejuſdem fidei augmentum proſequantur, & alii per hoc ad ſimilia invitentur; devotioni tuæ præſentium auctoritate committimus, ut conſideratis provide quæ acta ſunt, & ..... quæ nunc habentur, & haberi ſperantur in poſterum, ſi ſecundum Deum expedire videris, habito prius ſuper hoc conſilio & aſſenſu ejuſdem Epiſcopi, necnon & alterius, ſeu aliorum Inquiſitorum ejuſdem Marchiæ, ſi plures ibi fuerint per Sedem deputati prædictam: requiſito quoque conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum tuæ Provinciæ, de quibus tibi videbitur, in negotio ipſo procedas juxta formam inferius annotatam; ut ſcilicet ſi per univerſitatem prædictam in .... ſpecialiter ſyndicus ordinatus coram te nomine univerſitatis prædictæ culpas in prædictis per ipſam univerſitatem hactenus*

Castrum Sermionis Patarenis infectum.

Eos capiunt incolæ Castri.

Opem cōtra eos præſtant Epiſcopus Veronen. & alii.

commiſſas publice confitens, ac humiliter recognoſcens, veſtris & ipſius ſanctæ mandatis Eccleſiæ abjurando omnem hæreſim, & jurando quod in perpetuum non receptabunt, nec recipient, & non defendent hæreticos; imo ipſos capient, & in manibus Inquiſitorum dabunt, & officium Inquiſitionis inibi faciendum non impedient, ſed potius adjuvabunt, & cetera capitula juxta formam Eccleſiæ, quæ conſuevit in talibus obſervari; & ſi qua etiam alia ſpectata qualitate .... expedientia videbuntur, tu de miſericordia & gratia ſpeciali relaxare, ac .... ſententias interdicti, ſi quæ ob culpas prædictas in dictum Caſtrum latæ fuerunt, & ..... quam civiles univerſitati prædictæ inflictas, vel etiam infligendas tam ab hominibus, quam a jure ob culpas confeſſas & recognitas ab eodem ſyndico ob crimen hæreſeos ab ipſa univerſitate commiſſas, his modo, tenore, ſive forma in dicta relaxatione adhibitis. Quod ſi ipſa univerſitas nullo unquam tempore contra prædicta, ſeu prædictorum aliquod venerit a ſyndico ipſo jurata, ipſa relaxatio nullum robur obtineat firmitatis, ſed tam propter culpas præteritas, quam etiam propter novas, non obſtante relaxatione prædicta, exerceri poſſit rigor in ea diſtrictiſſimæ ultionis. Cum ſingularibus vero perſonis Caſtri prædicti tam maribus, quam fœminis hoc modo procedas, ut ſcilicet aliquem terminum competentem, prout tibi videbitur, univerſis & ſingulis dicti Caſtri pro peremptorio termino ſtudeas aſſignare, infra quem ſinguli comparеant coram te confitentes, & recognoſcentes, ſicut vere pœnitentes humiliter culpas ſuas, quas in crimine hæreſeos hactenus commiſerunt, nihil omittentes ſcienter, quod & eorum culpas & ſtatum poſſet aliquatenus aggravare, ipſorum quoque culpis redactis in ſcriptis, & juramento recepto, & abjuratione facta juxta formam in talibus conſuetam, tales abſolvas juxta formam Eccleſiæ ab excommunicationis ſententia, quam propterea incurrerunt. Illis autem omnibus, de quibus veriſimiliter præſumere poteris, quod non ficte, ſed vere ad Eccleſiæ gremium revertantur, gratiam faciens ſpecialem ob culpas confeſſas & recognitas ab eiſdem, juxta diuturnitatem temporis, modum culpæ, & qualitatem exceſſus, imponas pœnitentiam ſalutarem citra confiſcationem bonorum, mulctam ſeu pœnam pecuniariam, retruſionem carceris, itinera peregrinationum, crucis impoſitionem, ipſas pœnas proprio nomine expreſſas, necnon & tam canonicas, quam civiles eis & ipſorum poſteritati propter eas impoſitas, miſericorditer remittendo. His modo, tenore, & conditione adjectis, quod ſi ulterius inveniantur recidivare in priores errores, vel notabiliter aliquid facere contra ea, quæ juraverint ſe facturos, ſeu legitime conſtare poterit, ipſos Eccleſiam decepiſſe, occultando videlicet notabiliter aliqua, quæ culpas eorum merito aggravarent, & ex quibus major eſſet eis pœnitentia injungenda, quod ipſa relaxatio nullum robur obtineat firmitatis; ſed non obſtantibus relaxatione, & abſolutione prædictis, tam propter culpas præteritas, quam etiam propter novas procedetur ſtrictiſſime contra eos, prout rigor juſtitiæ ſuadebit, niſi forſan aliqui de prædictis, qui præſumerentur ad Eccleſiæ gremium non ficte velle redire, prius impedire ſatagerint, & quantum in eis fuerit, impediverint dictorum hæreticorum captionem, & ipſorum traditionem in manus tuas, & ceterorum qui proſequebantur ipſum negotium, circa quos licet gratia miſericordiæ ſupradictæ velimus eos fore participes, non tamen tanta, ut circa prædictos pœnitentiarum relaxatio habeatur, ſi procedatur miſericorditer circa eos in præmiſſa relaxatione pœnarum, prout ſecundum Deum videris expedire. Circa alios vero de quibus præſumeretur, quod non vere, ſed ficte redirent, necnon & circa non confitentes, & no-

lentes

lentes recognoſcere culpas ſuas, tu ſecundum hanc viam & miſericordiæ ordinationem aliquatenus non procedas, ſed contra eos officii tui debitum exequaris, juxta communem traditam tibi formam ſuper executione commiſſi miniſterii facienda. Et ut Eccleſia per cujuſquam ſubreptionis aſtutiam in tanto nequeat falli negotio, inquiſitiorem nihilominus, præmiſſis confeſſionibus, tam ſyndici, quam ſingularium perſonarum nequaquam obſtantibus, facias diligentiam ſuper omnibus culpis & offenſis tam a dicta univerſitate, quam a ſingularibus perſonis ob crimen hæreſeos, quomodolibet perpetratis. In recipiendis autem cautelis & ſecuritatibus pro præmiſſis procedas, prout melius videris expedire, faciens ſuper confeſſionibus, juramentis, abſolutionibus & relaxationibus, ac omnibus ſupradictis confici publica inſtrumenta, & illa cum diligentia conſervari. Datum Viterbii v. *Kalend. Februarii, anno* 1.

X. Ipſo illo tempore, dum Patres adhuc eſſent in conclavi comitiorum, quæ ſupra hoc anno retulimus feria II. Pentecoſtes, III. Idus Maii, obiit beatus Gerardus de Villa Magna, oppidulo quarto a Florentia lapide. Vir jam factus conſiderans mundum in maligno poſitum, eumque cum concupiſcentia tranſire, Florentiæ habitum & Inſtitutum Tertii Ordinis aſſumpſit in Conventu Minorum, ubi divina gratia præventus, morum honeſtate, perfectione ac ſanctitate clareſcens, a minoribus ad majora gradatim aſcendit, donec ſummam virtutum videretur aſſequutus. Nullus illo continentior, nullus humilior, nullus in ſectanda paupertate vigilantior, qui neque vitæ neceſſaria ſibi reſervabat, diſtributis omnibus in pauperes & infirmos. Qualibet hebdomada ter viſitabat tres Eccleſias valde inter ſe diſſitas, unam vetuſtam in vertice montis excelſi, qui *Incontrus* appellatur, aliam ad Montem-Acutum ſitam juxta fluvium Arni, tertiam ſanctæ Mariæ in Monte-Remuli ſupra Seſinas. Sacrum hoc iter die Lunæ dicabat animabus e purgatorii pœnis relevandis, die Mercurii ſuis peccatis remittendis, Veneris pro condonandis omnium peccatorum fidelium reatibus, & infidelibus illuminandis. Ad ejus tuguriolum in oppidulo nativo turmatim undique ex vicinis remotiſque urbibus & oppidis confluebant populi, quibus verbum Dei magno fervore prædicabat, & mira dabat hortamenta ſalutis. Aliquando ægrotanti magnus irrepſit appetitus ceraſorum, idque in menſe Januarii, rigeſcentibus & nudis arboribus, juſſit ſororem ut ex hortulo vicino illa diſcerperet. Puella potius obtemperatura, quam quidquam factura abiit, quo juſſit, invenit brumali & rigido tempore arborem florentem, ceraſis onuſtam. Stupefacta collegit ad votum, languenti tulit, aliqua comedit; ſed optimo ſapore allecta, dum regreditur ut ſibi evellat, videt prius viridantem jam aridam & gelu rigentem. Mortem præmeditatus quatuor ingentes excidit lapides pro ſepulcro conſtruendo, quibus trahendis duo vel tria boum juga adhiberi oporteret. Illa petiit a quodam agricola, ſed non obtinuit; vocatos itaque tamquam rationales duos juvencos jugum adhuc inexpertos ingenti currui ſubmiſit, & quo voluit facile minavit. Plurima hujuſmodi miracula operatus in ſenectute bona ſenſuque perfecto, omnibus Sacramentis rite acceptis, ſuaviter obdormivit, concurrentibus plurimis, ut vita fungentem conſpicerent. Dum autem de honorifice ſepeliendo agitur, differturque in aliquot dies ſepultura, in loculo ponitur loco quodam excelſo. Subtus contigit duci ad ſepulcrum ancillam quamdam Xenodochii ſanctæ Mariæ Novæ de Florentia, quæ tunc ruri agebat, ſed virtute ſacri corporis

Legenda antiq. Marian. in append. tom. 1.

Gerardi de Villa Magna acta.

Gerardi ſtatim ſurrexit, glorificans Deum in tanti viri poteſtate. Statim ejus habitaculo in Eccleſiam conſtructo, religioſe conditus eſt in ſepulcro, quod vivens ipſe paravit. Ejus cingulum quotidie infirmis applicatur, & deſideratam ſalutem impertit.

Legenda antiq. Marian. lib. 2. c. 11. Marcus 2. p. l. 5. c. 29.

Margarita Cortonenſis convertitur ad Dominum.

XI. Eodem anno illud ipſum Inſtitutum amplexa eſt beata Margarita Cortonenſis, ita dicta a ſepulturæ loco, licet Alviani Cluſinæ diœceſis oppido progenita. Hæc prius vanam & lubricam vitam ducens, vagis thoris aſſueta, etſi proprium habuerit virum e Monte-Politiano, ex quo filium ſuſcepit (alii amicum volunt) egregia forma & laſcivo ornatu multorum poſt ſe corda trahebat, donec interemptum virum, & in foveam occulte projectum vidit fœde vermibus ſcaturientem, & facta manu Domini ſuper eam, cœpit ſecum cogitare mundum, & quæ in mundo ſunt, arbitranda ut ſtercora, & carnis delicias vere fœdiſſimas eſſe ſpurcitias. Rediit itaque vultu confuſa, doloribus attrita, & lacrymis irrigata in domum patris ſui ad vitam ejus confuſibilem offenſi, a quo precibus & lacrymis obtinuit admitti. Crine tonſo, & neglecto capite, quod antea ſummo cultu curabat, pullis & humilibus veſtibus utebatur, profunde ſecum conſiderans, quam graviter Deum offenderit, & proximos ſcandalizarit. Doloris vehementia magnis clamoribus Dei miſericordiam deprecabatur, atque ut interceſſores eſſent, non ſolum divos, ſed & homines quoſque obvios interpellabat. Spiritu agitata hinc illuc diſcurrebat, interrogans paſſim an crederent derelictam, & a facie ſua ejectam, aliquando Deum ad gratiam ſuam admiſſurum? In ipſa Eccleſia inter miſſarum ſolemnia fune ad collum alligato, in terra procumbens, ab omnibus dati tanti ſcandali veniam humiliter exoravit. Noverca inſtigante, paternæ miſerationis genitor oblitus eam domo ejecit, ſed ſub ſua tutela Dominus recepit. Nam cum in amaritudine cordis ſub ficu in horto ſuam miſeriam deploraret, & diabolus ſuaderet ut ad priſtinam vitam rediret, eam Dominus admonuit ut Cortonam pergeret, & pœnitentis habitum aſſumeret. Protinus obſecuta, ſe diſciplinæ Minorum ſubjecit, neque tamen per integrum triennium habitum, quem cupiebat, potuit adipiſci, donec tamdem hoc ipſo anno frater Raynaldus Cuſtos Aretinus ejus precibus acquievit. Mutato habitu, mutata eſt in mulierem alteram, nam ſuperno ardore ſuccenſa ferventiori cura ſtudebat, quæ ſibi deeſſe videbantur, virtutes acquirere, hominum oculis ſe ſubtrahere, & miris pœnitentiæ modis corpus affligere. Lectus nuda humus, cervical lapis, aut lignum, noctes ei ferme inſomnes, quas in oratione & cœleſtium contemplatione inſumebat. Lacrymæ ei familiares & copioſæ, ſuſpiria profunda, quæ tanta contritione ex alto corde ducebat, ut animam etiam agere videretur, & per diuturnum tempus elinguis remaneret. Flagris aſperis, pugnis & alapis ita ſe cædebat, ut tenella caro, quam adeo ſolerter antea curabat, omnino nigreſceret, duriora volens ſuo ferre in corpore pro ejus amore, cujus livore ſanati ſumus. Paulatim cibaria quæque, illa præſertim quæ prius placebant, adeo prudenter palato ſubtraxit, ut aqua arcta, & pane brevi alacriter veſceretur, pro magnis deliciis nuces aliquando, vel crudas herbas adhibens pro obſonio. His aſſueta, reliqui cibi, & potus faſtidium, nauſeamque generabant, & omnino amaricabant. Languenti ſtomacho dum remedium adhibere medici ſuaderent, dicebat, juſtum eſſe ut pateretur dolores ex jejunio, qui alias dolebat ex crapula, & corpus attenuaretur vigiliis, quod antea laſciviebat in deliciis. *Decet profecto & juſtum eſt,*

Publice pœnitet peccatorum.

Fit tertii Inſtituti.

Aſpera pœnitentia.

Abſtinentia.

Bernard. ſeu auctor epiſt. de vita ſolitar. ad fratres au. med.

caput

caput aliquando dolere in ſervitio Dei, quod olim ſæpe uſque ad dolorem laboravit in vanitate ſeculi: eſurire ventrem uſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt uſque ad vomitum. Corpus vocabat illa traditorem, cui minime deberet credi, illudque dicebat ſæpius ad modum aſini pigri laſſitudinem & infirmitatem obtendere, ne debite juſtum onus cogatur ſubire. Quando feriatur vel in delitiis turpiter volutatur, non conqueritur, & dum Domino inſervit, ſemper reclamat. Fraudulentus certe eſt inimicus, proficienti animæ ſtruit inſidias, nollet ſemetipſo neglecto illam curari. Attamen confeſſarius ejus frater Junta Beccegnates præcepit ei, ut modico vino lymphato propter ſtomachum uteretur, & infirmæ aliquoties exhiberi permitteret refrigeria. His abſtinentiis attenuato corpuſculo, ſpiritu potentior evaſit, nullum deinceps paſſa inordinatum carnis motum, vel malum deſiderium: neque quantumvis attrita jejuniis, & duro ſtrato viribus conſternata, ſtatuta virtutis exercitia omittebat, ſed ſpiritus promptus carnem ſublevabat infirmam.

XII. Tantum in tenella fœmina abſtinentiæ rigorem ſufferre non valens humani generis hoſtis, mutata ſpecie, importunus conſolator acceſſit, dicens: quid pia fœmina in cellulæ hujus anguſtiis adeo crudeliter temet affligis? cur indiſcretis pœnitentiis occidis? tui Inſtituti Pœnitentium plures ſunt, qui tibi exemplum religioſæ vitæ peragendæ proponant, ne melior univerſis evadere ſuperbe contendas; fac quod ceteros videris præſtare, ſufficiat tibi ex numero fieri ſalvandorum. Si his pœnitentiis inſiſtas, corpus perdis, & animam condemnas. Hoſtem ex verbis Margarita detexit, & animoſe hoc reſponſo confudit. Seductor inique, in tuas partes me cupis iterum revocare. Probe novi magno meo malo, in quæ præcipitia ducis tibi obſequentes: mihi itaque nunc adhærere Domino Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam; ipſe ſuſceptor meus eſt, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum; quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, & a tuis ſubtraxit inſidiis. Quinam illi fructus tibi (pro dolor æternus!) præſtiti obſequii? quid mihi ſupereſt, niſi labor & dolor? at ſibi ſervientibus gratiam & gloriam dabit Dominus; neque privabit bonis, qui ambulant in innocentia. Abi in malam rem ſceleratiſſime proditor, pœnitentias non remittam, ſed addam. Alias eſurienti omnium ciborum, quos aliquando viderat, ſeu guſtaverat, propinavit odores, ut quemcumque deſideranti proponeret; at ipſa eadem hora illam Dominus tanta ſpiritus dulcedine replevit, ut eſcas omnes abhorreret. Multoties importune ſe ingerebat domunculæ dæmunculus varias aſſumens figuras, modo placidas, modo horribiles, aliquando leviter ſuadebat, aliquando aſpere minabatur, alias priſtinam objiciebat vitam, aliquando tamquam malus Propheta, & divinans mendacium, dicebat non perſeveraturam, ſed a Domino derelinquendam. Sed ille cujus oculi ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum, trementi ac oranti aſſiſtens, ait: Ne timeas filia, quia ego tecum ſum in tribulatione, eripiam te & glorificabo te. Adhære tui præceptoris diſciplinæ, religioſos habes tui Sodalitii viros, a quibus inſtruaris; his adhærens contrarias ſuggeſtiones inimici contemne, ego te non derelinquam, ſed oſtendam tibi ſalutare meum.

Hoſtis inſidiæ.

Ab illa rejectæ.

XIII. Paupertatem adeo impenſe coluit, ut nihil ſibi reſervarit, quin omnia Chriſti pauperibus erogarit, utenſilia tugurioli, proprias veſtes ad ultimum uſque induſium, remanens aliquando ſeminuda, oblata ſibi ligna brumali tempore, & torres ex ipſo tractos incendio algentibus & ege-

Paupertatis ſtudioſa.

egenis miniſtrabat; & terrena omnia generoſo animo procul a ſe faciebat, ut Chriſto frueretur liberius. Interrogata aliquando an minimam conſolationem ſpiritus ingenti, ſi offerretur, theſauro mutari permitteret: abſit, inquit, ut tanta jactura vile ſtercus admittam; etiam abſque tanto diſpendio lutum hoc adeo mihi abominabile, ut certe ſi ipſe Dominus meus Jeſus Chriſtus mihi præciperet quidquam terrenum poſſidere, ad thronum majeſtatis ſuæ toties appellarem, donec a gravi hoc præcepto me dignaretur abſolvere. Omnem etiam parentum, & amicorum amorem defæcavit, nullum niſi propter Deum diligendo, etiam erga unicum filium dilectionem reformans; & ne divinæ eſſet impedimento alio abire compellens. Dum apud eam remanſit, bonas horas dicebat non eſſe male impendendas in cibis ei præparandis, ſumendos proinde quos crudos, vel impræparatos inveniſſet; *quia tempus*, ajebat, *divinis laudibus impendendum in te curando nulla ratione conſumam*. Dum tamen in pauperum diſtraheretur obſequiis, dicebat non inaniter tempus elabi, cum ſpiritus illa reputentur miniſteria, & orationis meritum non extinguant. Si quidpiam verbo, vel opere ſe offendiſſe ſuſpicabatur, tremens & timens animo conſternabatur, ita ut exanimis appareret, ſed & illam tanti metus reddebat rationem: Zelotypus eſt ſponſus animarum, adeo intrinſecus & curioſe noſtras ſpeculatur actiones, ut aliquando quas nos putamus eſſe virtutes, ille vitia eſſe comperiat, & unde pia merces ſperatur operum, inde æternum proveniat ſupplicium: quare cum timore & tremore multo, juxta Apoſtoli conſilium, noſtram ſalutem expedit operari.

Omnem amorem in Deum impendit.

Cum magno timore ſuam operabatur ſalutem.

Phil. 2. 12.

XIV. Adoleſcentem filium Minoribus addixit, inter quos virtute crevit & ſapientia, inſignis tamdem prædicator effectus. Sed dum tironem ageret, timens mater hoſtis inſidias, ejus imbecillitatem precibus & ſalutaribus adjuvabat hortamentis, & quas ſubjicio litteras, ipſis verbis, quibus Confeſſarius eas exſcripſit, eidem ſubmiſit.

Ejus epiſtola exhortatoria ad filium.

Benedictus ſis a Domino, fili mi, cujus te ſervitio mancipaſti, & ſi pro ejus amore in acie ſuorum militum ſtrenue militaveris, tibi ſemper familioris efficiar, & ero mater tua, ſi hæc quæ ego doceo, fideliter obſervaveris. Primo quod te doceo & exhortor amore Chriſti, eſt ut in animo tuo plantare debeas obedientiam profundæ humilitatis, & obſequium tuum erga Fratres Ordinis tam benigne, ut ſecundum gradus ſuos cuilibet ſervias ſine perſonorum privata dilectione. Deinde tamquam Deo gratus, de omnibus tibi collatis donis ſemper exiſtens, verecundus, reverens, & boneſtus, & numquam de aliquo murmurare præſumas. Sis etiam ſecundum tui ſanctiſſimi Ordinis voluntatem & uſum ſilveſter, honeſte fugiendo inutile conſortium ſecularium perſonarum; Fratribus autem tuis, & Viris ſanctis ſemper adhæreas. Orationes tuæ, fili mi, ſint cum devotione ferventes, & contra tui hoſtis multiformes inſidias ſemper eſto cum vigilanti cura paratus. Numquam de his, quæ pandenda ſunt, animus tuus celet aliquid Confeſſori tuo, quia infirmus curari non poteſt ſine oſtenſione ſuorum vulnerum. Conſilia a ſapientioribus te cum tibi dabuntur, fideliter ſuſcipe cum manſuetudine, & tui cordis conſiliis penitus præferantur, tamquam magis perfectiva. Horas tuas abſque mentis & corporis evagatione reverenter coram Domino proferas, & ultra ſtatutum a ſancta matre noſtra Eccleſia tempus non differas dicere, nec aliquam de cetero prætermittas. Cum aliquis frater de tuis defectibus te correxerit, ſtatim nudato capite, & genibus flexis, omnique contumaciæ ſigno pariter excluſo, dicas humiliter tuam culpam.

In

In omni tribulatione tua ex crucifixi Domini tui memoria jucunderis; & præceptis tuorum loco Domini Prælatorum voluntarie te inclina. Verbis labiorum tuorum curialitatis & puritatis murum apponas, & tardiloquus in loquendo effectus, breviter, matureque loquaris. Cunctos animi tui cogitatus dum inchoantur examina, & in omnibus, quæ decreveris agere, Dei noſtri cave injuriam. Et ut corde puro Domino famuleris, cuſtodi ſenſus tuos ab omni vitio, & has, quas tibi deſtino litteras ſæpe legens uſque ad tuum obitum eas ſerva, perficiens etiam cuncta, quæ continentur in iiſdem. Vale fili mi in Domino, & memor eſto matris tuæ.

XV. Humilitati & ſui abjectioni ſtuduit diligenter, omnibus grata, omnibus amabilis tam in decore geſtuum, quam mortificatione ſenſuum, dulcedine cordis, lenitate verborum, & remiſſione injuriarum. Objecit tamen inimicus, ut ſe deprimentem extolleret, multa & magna ab ea opera facta, eam a multis deſiderari; ex Hiſpania, Gallia, & univerſa Italia ad eam viſendam innumeros confluere, ejus famam longe, lateque dilatatam, atque alia plurima, quæ animi tumorem poſſent injicere. In memoriam etiam revocavit ſingulare donum a Deo conceſſum, interpellante ſancto Franciſco, remiſſionem utique plenariam omnium peccatorum, favoreſque alios, quibus Dominus ancillam ſuam dignatus eſt conſolari. At illa ſuperbiæ timens periculum, protinus egreſſa Cortonenſes alta voce compellavit: ſurgite boni viri, & fideles hujus urbis cuſtodes. Ut quid inter vos permittitis commorari fœminarum omnium ſceleratiſſimam? Abjicite, procul facite mulierum impudentiſſimam, quæ tot impudicitiis, & nequitiis ſemet involuit. Abigite, lapidibus obruite, quæ mundum ſcandalis replevit. Illa ego peccatrix in civitate, quæ tot peccata commiſi. Admirantibus & ſtupeſcentibus vicinis ad mulieris clamores, & ſui contemptum, præteritam vitam opprobrioſam ex ordine in ſui confuſionem enarrabat. Qua tanta ſui mortificatione & circumſtantes vehementer ædificavit, & inimicum glorioſe devicit. Statuit alias ſecum ad apertius opprobrium Montem Politianum ire, eleemoſynam oſtiatim abjecta veſte colligere, advocare fœminam, quæ ad collum fune alligato traheret, & præconia voce præiret, dicens: hæc illa veſtra Margarita forma decora, quæ omnium poſt ſe trahebat oculos & corda: hæc illa, quæ ſuperbo oculo & inſatiabili corde, erecta cervice, greſſu compoſito, in ſericis & aureis incedebat ornamentis. Hæc illa, quæ tot animas vulneravit. Hæc illa, non tam in veſtro oppido peccatrix, quam totius oppidi peccatum: ſumite ergo de ea dignum ſupplicium. Hæc & alia proponebat agere, & conſtanter (inquit Confeſſarius) feciſſet, niſi ego vetuiſſem, conſiderans itinerum diſcurſus periculoſos eſſe juvenculis, præſertim ſpecie decoris, & indiſcreti fervoris impetus prudentiæ virtute frænandos: necnon frequenter evenire, ut proprius contemptus fiat majoris elationis occaſio. Alias dolens non aboleri longa corporis maceratione ſpeciei decorem, & vultus pulchritudinem, voluit ſibi naſi extremitatem & labia præſcindere: ſed dum nihil auderet abſque Confeſſarii venia peragere, negavit ille, quam petiit, reprehenſionem addens vulneris cogitati. In hujuſmodi dicebat approbari bonam intentionem, & piam voluntatem, per quam, inquit, merito boni deſiderii non carebis, & me jubente ab his te continens obedientiæ præmium recipies in futuro.

Ejus humilitas & manſuetudo. Dæmonis tentatio.

Ut eam illa rejecit.

Ut ſui ſtudebat contemptui.

XVI. Non ſolum his adinventionibus ſe in humilitate continuit, ve-

verum quod rarius & difficilius eſt, honores quoſque in ſui dedecus convertebat. Puer quidam in Burgo ſancti Sepulcri miſerabiliter a dæmonibus vexabatur, adjuratus a multis, tamdem reſpondit, ſe nullatenus curandum niſi virtute & meritis Margaritæ Cortonenſis. A conſanguineis ducitur, ſed dum pervenirent prope Caſtrum Gerardi, unde cacumen arcis Cortonæ licebat intueri, dæmones propius accedere non audentes, neque aerem illum fervidis, ut dicebant, Margaritæ orationibus inflammatum, ſufferre valentes, puerum miſerabiliter diſcerpentes reliquerunt, & alta voce clamaverunt: Cortonam duci nolumus, ne videre cogamur mulierculam, quæ nos ſuis orationibus incendit. Ductores gratias acturi nihilominus puerum Margaritæ ſtiterunt, gratiaſque accepti habuerunt beneficii. Illa vero, ſummo concepto dolore, profundos emittens gemitus, reſpondit: Egone quæ fæx ſum omnium vitiorum, & ſentina peccatorum, vas abominabile immunditiæ, & ſtabulum ſpurcitiæ tanti ſim apud Dominum, ut propter me gratiam hanc præſtare velit miſello? Abſit a vobis, ut ita credatis: quæ & qualis ego ſim, ego ipſa probe novi, neque Dominum circa hominum merita, vel demerita falli poſſe firmiter confiteor. Nulla eſt ſub cœlo creatura me deterior, nec quæ gravius Dominum offenderit, quare beneficium hoc aliunde proveniſſe certo certius judicate. His & aliis verbis ſuam ſuaſit, ſed non perſuaſit, indignitatem, graviterque ſenſit tantam de ſe haberi opinionem. Ita meruit ſumma humilitate divinos excipere favores, & quotidianum gratiæ incrementum, quæ nulla elatione intumeſcebat interius, vel vano geſtu efferebatur exterius. Alia quæ ſuperſunt ejus acta, dabimus ad annum MCCXCVII. quo feliciter obdormivit in Domino.

Quam fervens ejus oratio.

Moleſte fert ſe in honore haberi.

Marian. l.3. c.2.

Commendatur variis teſtimoniis & prodigiis Indulgentia Portiunculæ.

XVII. Hoc ipſo tempore amplius evulgari cœpit magna illa Indulgentia Portiunculæ, ſeu ædis ſanctæ Mariæ Angelorum, quam proinde gravibus teſtimoniis comprobari oportuit, quibuſdam de ea dubitantibus, aliis contradicentibus. Vivebat tunc beatus Benedictus Aretinus beati Franciſci diſcipulus & ſocius, cujus fidem & ſententiam in hac re expoſtulantibus, hoc ipſo anno authenticum iſtud dedit teſtimonium. *In nomine Domini. Amen. Ego frater Benedictus de Aretio, qui olim fui cum beato Franciſco, cum adhuc viveret, & divina gratia operante, ipſe Pater ſanctiſſimus ad Ordinem me recepit; quique ſociorum ſuorum fui ſocius, & frequenter in vita ſancti Patris noſtri, & poſt ipſius tranſitum de hoc mundo ad Patrem cum eiſdem de ſecretis Ordinis frequenter collationem habui: confiteor me audiviſſe frequenter a quodam ſupradictorum ſociorum beati Franciſci, qui vocabatur frater Maſſeus Marignani, qui fuit homo veritatis & probatiſſimæ vitæ, quod ipſe fuit cum beato Franciſco apud Peruſium ante præſentiam Domini Papæ Honorii, cum petivit Indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti & confeſſi convenirent ad locum ſanctæ Mariæ de Angelis a veſperis primæ diei Kalendarum Auguſti uſque ad veſperas diei ſequentis. Quæ Indulgentia cum fuiſſet tam humiliter, quam inſtanter a beato Franciſco poſtulata, fuit tamdem a ſummo Pontifice liberaliſſime conceſſa, quamvis diceret ipſe ſummus Pontifex, non eſſe conſuetudinis talem Indulgentiam facere. Hæc eadem ego frater Raynerius de Marianis de Aretio ſocius venerabilis dicti fratris Benedicti, confiteor me audiviſſe frequenter a dicto fratre Maſſea, cui ſpecialiſſimus amicus fui. Lectæ & publicatæ fuerunt ſupradictæ collationes apud cellam dicti fratris Benedicti coram fratre Compagno de Burgo, fratre Raynaldo de Caſtillione, fra-*

fratre Caro de Aretio, & aliis pluribus ad hæc vocatis & rogatis anno Domini MCCLXXVII. *Eccleſia Romana vacante, Indictione* V. *die Dominico, ultimo die menſis Octobris. Ego Joannes Notarius prædictis omnibus interfui, & de mandato venerabilis Patris fratris Benedicti, & fratris Raynerii ſcripſi & publicavi.*

XVIII. Michael Bernardutius prius Spoletanus, mox civis Aſſiſias, rogatus a piis viris totam ſcripſit hiſtoriam hujus Indulgentiæ, ſicut eam audiverat in ipſa æde Angelorum a primis ejuſdem ſancti Viri diſcipulis. Petrus Zelſanus teſtificatus eſt coram fratre Angelo Peruſino Provinciæ ſancti Franciſci Miniſtro, aliiſque Fratribus ſe interfuiſſe conſecrationi ſanctæ Mariæ Angelorum, de qua nos ſuperius, audiviſſeque beatum Franciſcum prædicantem coram ſeptem deſtinatis huic muneri Epiſcopis. * Prædictus etiam frater Angelus de Peruſio die XIX. Auguſti hujus anni in cella beati Ægidii apud Peruſium, aliud præbuit teſtimonium, quale ex ore Domini Jacobi de Capoli Peruſini, ille vero ex ore beati Leonis ſocii ſancti Franciſci accepit. Præſentes aderant Deodatus Cuſtos Peruſii, & frater Angelus ejuſdem ſocius. Poſt hæc aliud dedit frater Joannes Alvernicola in hunc modum. *Ego in verbo veritatis aſſero, me audiviſſe ab optimis viris ac probatiſſimis ſancti Patris noſtri Franciſci ſociis, fide utique dignis, quod ipſi acceperint a fratre Maſſeo intimo ſocio ejuſdem ſancti Patris, viro ſanctiſſimo, & probato in omni ſanctitate & veritate, ſeriem & relationem obtentæ Indulgentiæ Portiunculæ, qui dixit eis ſe fuiſſe cum ſancto Franciſco, quando eamdem Indulgentiam a Domino datam Pontifex confirmavit.* Frater Franciſcus Bartoli Aſſiſias dixit ſe recepiſſe a fratre Angelo Gregorii de Gualdo viro grandævo, coævo & familiari ſancti Franciſci ſociis, teſtimonium ſcriptum in pergameno referens aſſertionem trium religioſorum & gravium virorum, Oddonis Aquaſpartani, Raynerii Aretini, & Marini Aſſiſiatis, qui fidem faciebant ſe eadem, quæ de hac Indulgentia prædicantur, a prædicto Maſſeo accepiſſe. Idipſum teſtificati ſunt Theobaldus Epiſcopus Aſſiſias, & alii quorum nos meminimus ſuperius.

* *Vide Catalogum Epiſcoporum Fulginatenſium a Jacobillo editum ſub Ægidio Epiſcopo, qui fuit unus ex ſeptem.*

Tom. 2. an. 1223. n. 1. & ſeqq.

XIX. Rem etiam comprobant alia plura argumenta. Frater Illuminatus Epiſcopus Aſſiſias, quem paulo ante ad hanc ſedem aſſumptum diximus, retulit fratri Angelo ſupradicto Miniſtro ſancti Franciſci, ſibi Roma regredienti, apud Caſtrum Morlupi dixiſſe, unum ex oppidanis quotannis ſe Aſſiſium hujus lucrandæ Indulgentiæ gratia abiiſſe; at illo anno diſſuaſum ab accolis inanem eam eſſe inculcantibus, noluiſſe ire, donec ter in ſomnis monitus a pulcherrimo viro ſibi apparenti in ſpecie Diaconi, eum in latere fortiter percutiente, & de incredulitate redarguente, abiit alacriter firma fide credens, magnos acquiri theſauros meritorum in illa devota peregrinatione, ad quam amicos & notos quoſque invitavit & duxit. Eodem anno peregrina quædam Germana, tactis ſacroſanctis Evangeliis ſuper Mariæ Virginis altare, aſſeruit, ſibi apparuiſſe ſanctiſſimos viros Dominicum & Petrum martyrem, & nutantem circa veritatem hujus Indulgentiæ, quam condemnaverat & falſam dixerat ſuus confeſſarius, cujuſdam Inſtituti profeſſor, in ejus fide & devotione confirmaſſe, atque ut eam lucratum veniret, omnino perſuaſiſſe. Alios peregrinos deriſit juvenis quidam dicens, eadem certitudine credendam hanc Indulgentiam, qua videbant hirundinem prætervolantem ſe manu tenere: non prius dixit, quam celerrimo volatu ſe illius manui indomita volucris crediderit. Quidam e ſancto Severino Mar-

Tom. 4. an. 1273.

chiæ Anconitanæ oppido, regreſſus Aſſiſio poſt lucratam hanc Indulgentiam obiit, apparuitque cuidam Minoritæ germano fratri, Sacriſtæ Monaſterii ejuſdem loci, valde ſollicito circa ſalutem animæ defuncti, dixitque, ſibi bene eſſe propter ingentes theſauros acquiſitos in peregrinatione Aſſiſiati, & elargitos in Templo ſanctæ Mariæ Angelorum; in modica tamen pœna detineri propter inſolutum debitum, quod dum ille ex numerata pecunia repoſita domi, in quadam arcula, ſolveret, ab omnibus liberaretur anguſtiis.

Suffragatur mortuis hæc Indulgentia.

XX. Suffragari etiam mortuis eamdem Indulgentiam varia comprobarunt exempla. Civis quidam Venetus dum ſub tempore ejuſdem lucrandæ vellet Aſſiſium pergere, infirmatus ad mortem vocavit amicum, quem valde dilexit, rogavitque ut pro veteri amicitia illam defuncto præſtaret gratiam, ut abeuntes ceteros illius urbis peregrinos comitari vellet Aſſiſium, pro ejus anima prædictam Indulgentiam lucraturus. Faciliter ille ſe facturum promiſit, ſed homine mortuo, perficere neglexit: apparuit ei defunctus & datæ fidei accuſavit, obnixeque rogavit, ut ſi tormenta patientem liberare vellet, ſolveret quod promiſit: dum ille ſtatim abit, & regreditur, apparet, qui prius erat in tormentis totus glorioſus, gratias reddens de accepto beneficio. Sub illo tempore fœmina quædam apud eamdem ædem Portiunculæ cuidam ex Fratribus confeſſa ſubjunxit, ſe paulo ante fratri moribundo promiſiſſe Eccleſiam illam viſitare, ut bene eſſet animæ ejus; eumque ipſa nocte Indulgentiæ, poſt adhibitam a ſorore diligentiam, eidem apparuiſſe, & uberrimas reddidiſſe gratias, quia illa ipſa hora, inquit, qua pro me Eccleſiam intraſti, e pœnis evaſi Purgatorii; & valde felices illi ſunt, qui huic tantæ lucrandæ Indulgentiæ dant operam, magnos enim ſibi accumulant theſauros meritorum. Mulier quædam Sicula, dum ſtatueret pro anima filii, quem valde dilexit, ſancti Jacobi limina viſitare, apparens ille, rogavit ut in reditu curaret ſub ſecundo Auguſti Indulgentiam etiam adhibere Portiunculæ, ſic enim fieret, ut omnino ab omnibus pœnis extraheretur. Fecit ita, rem Fratribus narravit, atque ut fidem faceret, quæ Umbriam numquam antea viderat, univerſam regionem, omnia Monaſterii ſepta, officinas interiores & quidquid in intimis latebat penetralibus, audientibus deſcripſit, quæ in viſione filius, dum apparuit, diſtincte ob oculos poſuit. Regredienti vero filius apparuit, & dixit jucunde, eadem die, qua illa Templum viſitavit, ſemet ex pœnis in cœlum evolaſſe.

XXI. Auximana quædam mulier a dæmonibus vexata cum exorcizaretur a fratre Guarrino de ſancto Severino illius loci Guardiano, atque invita confiteretur virtutem dictæ Indulgentiæ, illuc tracta reſtitit quantum potuit, ne Templum ingrederetur; licet ad alias Eccleſias abſque ulla difficultate accederet. Tamdem intromiſſa, libera evaſit ab iniquis poſſeſſoribus & crudis tortoribus, publiceque prædicavit tanti theſauri virtutem. Detrahentibus etiam hujus Indulgentiæ veritati & certitudini inflictas pœnas, & immiſſa flagella ſcribit Franciſcus Bartolus Aſſiſias peculiari de hac Indulgentia tractatu.

Conventus Comenſis.

Rodul. fol. 273.

XXII. In urbe Como nobili & opulenta, juxta celebrem lacum Larium in Lombardia Tranſpadana, inter Inſubres ſita, hoc anno die XVI. Maii mulieres quædam de Zerberto Minoritis, arcto loco & incommodo habitantibus, dederunt alium contiguum, in quo ſuas ædes ædificare & hortos habere poſſent. Conditiones quaſdam æquas adjecerunt, quas vi-

videre licebit in litteris Pontificiis ſub anno MCCLXXIX. datis, quæ donationem confirmant, & executores deſignant. Acta hæc ſub miniſtro Protaſio Mediolanenſi. Aram habet egregiam, Templum & Monaſterium viris floruit illuſtribus. Eodem tempore ædificatum Nugaroli, quod Aquitaniæ oppidum eſt, aliud Monaſterium ab Armaniachenſium Comite, cui & Auxitani Conventus tribuimus originem. Combuſtum fuit ab hæreticis, paſſique ſunt ibidem Joannes Lana ædis Præfectus, & Joannes Vanglius Sacerdos, ob conſtantem fidei confeſſionem glorioſum martyrium.

Conventus Nugaroli.
Gonz. in Provin. Aquitan. recent. Con. 7.
Ann. 1274.

XXIII. Prope Ligerim fluvium diſtat ab urbe Bleſenſi v. M. P. Guyſchiæ oppidum, in quo vir Princeps Joannes de Chaſtillon Bleſenſis Comes, & Alides conjux ex divina revelatione ædificare cœperunt hoc anno ſub menſe Martio Virginum Veſtalium Parthenonem ſub regula Urbani IV. idque in loco mirabiliter præmonſtrato ardentis rubi ſigno, ubi glorioſæ Virginis Mariæ ſimulacrum repertum eſt, quod in hunc uſque diem maxima cum veneratione habetur ob crebra miracula; nec non prægrandis lapis, ex quo altaris tabula dolata eſt. Prima Abbatiſſa & diſciplinæ magiſtra fuit Juliana de Trecis ex Monaſterio Longi campi evocata. Fundatoris ſepulcrum ex atro marmore cum ſtatua ejuſdem inſtar equitis armati ſuperjacentis confectum ante majus altare cum inſcriptione Gallica honorifice conſurgit.

Monaſter. Guyſchiæ.
Idem in Provin. Turoniæ Monaſt. 1.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. JOannes XX. ſeu XXI. ſummus Pontifex, licet in agibilibus
» mundi parum expertus ab Hiſtoricis habitus, laudatus nihilo- *Litteræ Apoſt. pro Terra ſancta.*
» minus ab eruditione, doctrina, & paſtorali ſuo muneri diligenter
» incumbens, & maxime Terræ ſanctæ neceſſitudinibus ſublevandis pro-
» ſpiciens, Guardiano Cortonæ pro iiſdem ſcripſit: *Petitio dilecto-* *Dogl. p. 3. fol.*
» *rum &c.* VIII. Kal. Martii: & Simoni Cardinali pro ejuſdem Terræ *388.*
» ſanctæ ſubſidio: *Moleſto nimis &c.* V. Nonas Martii: Rodulpho pariter
» Romsnorum Regi ſcripſit, decretum Cardinalium tranſmittens, in *Indicul.*
» quo de Minoritis agitur: *Quamquam de vacatione &c.* III. Nonas Fe-
» bruarii: & Regi Aragonum itidem pro Terræ ſanctæ ſubſidio......
» II. Idus Aprilis. Tamdem cum in palatio Viterbii inter cetera ſibi *Ex Oder.*
» cameram recentem excitaſſet, ſub ea de repente diruente, ſibi finem
» temporis, & dignitatis reperit. Obiit igitur poſtquam ſediſſet menſes *Obit Pont.*
» octo, & dies octo, ibi XIII. Kal. Junii, ſepultus ibidem in Eccleſia
» ſancti Laurentii: illi vero in Pontificatu ſucceſſit Nicolans III. Urſi- *Nicolaus III. elig.*
» nus, Romanus, Joannes antea dictus, creatus Viterbii VII. Kal. De-
» cembris, & coronatus hoc eodem anno MCCLXXVII. in Baſilica Va- *Dogl. p. 3. fol.*
» ticana VII. Kal. Januarii. Magnarum rerum hic machinator erat. *377.*
» Reipublicæ tamen primo rebus incnmbens, ad Regem Caſtellæ
» Apoſtolicas litteras dedit, in quibus fratrem Benevenutum Ordinis *Ejuſ litt.*
» Minorum commemorat: *Tuam excellentiam &c.* III. Kal. Decembris:
» & gloriam in terris promoturus ſancti Ludovici Regis, ut ejus miracu-
» la redigerentur in actis ordinavit: *Sicut noſtri &c.* II. Kal. Decem-
» bris. Pacem etiam inter Catholicos Reges ſummopere cupiens, ad
» Hieronymum pro eadem inter Reges Caſtellæ, & Franciæ litteras
» expedivit: *Vocatis nobis &c.* Kal. Decembris: & fratrem Hieronymum
» Generalem Nuntium deſignavit: *Quanto ex poteſtate &c.* IV. Nonas

 De-

Ex Vatic.

,, Decembris : Regi Romanorum pariter ſcribens fratrem Bartholo-
,, mæum de Amelia Minoritam commemorat : *Solet nota Principum &c.*
,, II. Idus Decembris : ac tamdem Regi Franciæ pro Legatis : *Quam*
,, *amare &c.* IV. Nonas Decembris.

Comit. Gener. Patavii in quib. confir. Nicolaus Mor.

,, II. Ceterum pauca ſunt admodum, quæ huic anno, præter ab An-
,, naliſta recenſita, addenda occurrant, præterquam quod in Comitiis
,, generalibus Patavii celebratis, de quibus agit Wadding. pro mini-
,, ſteriatu Provinciæ Boemiæ, Poloniæ, confirmata fuerit inſtitutio fra-
,, tris Nicolai Moravi, qui Piſis in Comitiis generalibus a ſancto Bona-
,, ventura anno MCCLXXII. illiuſdem Provinciæ Miniſter decretus fue-
,, rat : eratque duodecimus in Ordine, & ſucceſſione miniſteriali; Hic
,, in ſuo munere exequendo ſedulus hoc eodem anno Comitia Provin-
,, cialia convocaſſe Caliſii lego : quodque in eiſdem Conventus *Pyzdren-*
,, *ſis* receptus fuerit, teſte Joanne *Furſtenbain* in M.SS. Niortium etiam
,, ſileri non patitur : eſt Oppidum haud vulgare Pictonum in diœceſi
,, Pictavienſi, a Rupella in ortum decem Leucis gallicis diſtans, & ad
,, fluenta Ligneuræ in ripa ſedens: Minoritarum Cœnobium conſpicuum
,, valde, licet Waddingo, nomine tantum, & haud aliter notum, quod
,, ejus antiquitatem monimentorum ob caritatem habere nequiverit, aut
,, aliquid quidpiam, quod in tenebris ſibi lumen præferret : hæc eſt con-
,, ditio temporis præterita devorare, ut recentia gignat : ſed tempore
,, pejus hæreſis eſt : hæc enim quæ oblivioni dare non poteſt, alterat,
,, confundit, & ipſa ſanctiora, & venerabiliora deturpat. His de cauſis
,, noſtræ Religionis ſcriptoribus plurima ſua latebris involuta oblivionis
,, deficiunt : verumtamen antiquitatis illius Niortiani Cœnobii indicia
,, præbet ſervata memoria, quod anno MCCLXXVII. Comitia Provincia-
,, lia celebrata fuerint : quamobrem longe ante fundatum fuiſſe apertiſ-
,, me conſtat, ſi diuturnitate temporis, & non ſubito Cœnobia ad hu-
,, juſmodi ſtatum, ut poſſint ſimilem cœtum religioſorum hoſpitari, per-
,, ducantur : erat autem intra mœnia loci; quadragintaque Fratres in
,, divinis laudibus occupatos, & ad ſalutem animarum procurandam pa-
,, ratos alebat.

Wadd. ad hunc ann.

Caſim. Biern. cit. art. 19.

Niortium Oppidum.

Cœnobium Min. ibi.

Wadd. ad ann. 1275. n. 14.

Mon. Pro. Tur. majo. de anno 1680.

Vide ad ann. 1562.

AR-

ARGUMENTUM.

Miſſi Minoritæ quatuor ad Palæologum de profectu unionis, & negotiis Imperii acturi. Quinque itidem deſtinati ad magnum Cham Tartarorum Imperatorem, ejuſque nepotem Abagham Regem, fidem diſſeminaturi. Ad Cumanos amandati alii. Conradus Probus Germaniæ Miniſter Legatus Rodulphi Cæſaris ad Pontificem, & viciſſim Pontificis ad Rodulphum egregie abſolvit grave negotium confirmationis jurium omnium bonorum Eccleſiæ. Paci reformandæ inter Principes Chriſtianos impenſe ſtudet Pontifex, mittitque Generales Præfectos Prædicatorum, & Minorum eamdem compoſituros inter Reges Galliæ, & Hiſpaniæ. Cardinales duo creantur ex Minoritis. Perit Otthogarus Rex Bohemiæ Minoritis valde addictus, & apud eoſdem ſepultus. Inſtituuntur plures Epiſcopi ex Minoritis. Reformatur pax inter Prædicatores & Minores. Florent in Ordine viri præclari. Aliis graviora committuntur negotia; & quibuſdam in locis propagatur Inſtitutum.

I. CORONATUS Nicolaus Pontifex, uti erat magnanimus, & rerum agendarum majeſtate præclarus, miſit confeſtim manum ad fortia, & quæ in Cardinalatu dirigebat ardua Eccleſiæ negotia, in Pontificatu perficienda ſuſcepit. Cum univerſis ferme Orbis Principibus de rebus graviſſimis, & Chriſtianæ Religionis incrementis tractavit. Cum Imperatore Græcorum de firmanda unione Eccleſiarum: cum Tartarorum Imperatore, & Rege de fide inter ſuos propaganda; cum Hungaris de convertendis Cumanis; cum Latinorum Imperatore de non minuendo, ſed augendo Eccleſiæ patrimonio; cum Philippo Conſtantinopolitano, & Carolo Siculo Rege de bellorum induciis; cum Palæologo, cum Hiſpano & Gallo de tollendis mutuis diſcordiis; cum Ordinum Capitibus de reducendis in gratiam Pontificum Rebuſpub. & Civitatibus, quæ ad Imperatores hoſtes, deflexerunt, uſus in præclariſſimis his functionibus opera & induſtria Minorum, quibus erat addictiſſimus. Præterire quidquam horum abſque ſeria, & fundata narratione ſine Lectoris offenſione, qui res graviores amplius ſcire deſiderat, non immerito timuerim; proinde ſingulas ponderoſius dabimus, adjunctis, quæ plenam fidem faciunt, Vaticanis monumentis.

Magna molitur Nicolaus Pontifex.

II. Diximus, præterito anno deſtinatos a patre & filio Græcorum Imperatoribus Legatos, qui ad miſſas ab Innocentio V. & Joanne XX. reſponderent, fidemque facerent ſubſcriptis membranis confirmatæ ab eiſdem, & Patriarchalibus unionis, in Concilio Lugdunenſi inchoatæ. His congratulaturus atque amplius conſolidaturus Eccleſiarum fœdus alios deſignat Legatos ex Minoritis, in quorum manibus negotium iſtud incœpit, & coaluit, videlicet Bartholomæum Epiſcopum Groſſeti in Etruria, Bartholomæum de Senis Miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum, & Angelum Urbevetanum ſacræ Theologiæ profeſſores. His præſcribit, ut agant de ampliori unionis profectu, & temporalium prætentionum tractatum ineant circa pacificandas & ſtabiliendas pacis conditiones inter Palæologum, & Carolum Siciliæ Regem, nec non Philippum, Conſtantinopolitanum Imperatorem nuncupatum, ut concordatis & ſedatis Principibus, ſublatiſque bellorum motibus, & animorum diſſidiis, univerſa Græcia facilius & ſuavius Eccleſiæ velit adhærere Latinæ.

Anno 1277.

Mittuntur quatuor Minoritæ ad Palæologum.

Rem

Rem omnem clarius dabunt ipſa concordiæ inſtrumenta ſeu tranſmiſſa hinc inde diplomata, quæ ex penu Vaticana ſubjicio. Bina data ad Michaelem, tertium ad Andronicum filium, quartum ad Patriarcham & Prælatos Græcorum.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri ſalutem &c.

Reg. Vatic. n. 143.

Quam laudabilis in Principe Religionis zelus.

III. *Sicut ex litterarum tuæ Magnitudinis Sedi Apoſtolicæ noviſſime directarum grata lectione collegimus, illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clarius ſyderis inſtar irradiat, quod ad Catholicæ fidei veritatem, quam ſedes eadem tenet, docet, & prædicat, zelo devotionis afficeris, ipſam devotus amplecteris, ad ejus unitatem cunctos tibi ſubditos adducere ſatagis, & debitam ei reverentiam invariabili propoſito conſervare promittis. Quid enim puriore luce relucet in Principe, quam fidei rectæ ſinceritas, & vera religio? qui cum in luminis & vitæ dirigantur auctorem, tenebras reſpuunt, ſubjacere defectui neſciunt, nec verentur occaſum. Probant autem laudabilem tuæ in his ſinceritatis affectum ejuſdem vere Catholicæ fidei tua fidelis, clara & aperta profeſſio, Primatus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ devota recognitio, ſpontaneaque ſuſceptio, debitæ ſibi obedientiæ prompta & humilis ſponſio, corporaliter a te præſtito juramento firmata, ſchiſmatis abjuratio per te publice facta, ac in earumdem litterarum ſerie, juxta formam per eamdem Sedem traditam plenius ſeriatim expreſſa. Quas ipſi Sedi per tuos Apocriſarios præſentatas non ſolum ad veritatis teſtimoniam, ſed & ad memorabile tuæ laudis præconium, tam præſentibus quam poſteris memorandum in Archiviis ejuſdem Eccleſiæ fecimus conſervari. Sane fili, dum ardorem deſiderii, quoad Latinos, & Græcos, antiquo ſchiſmate ſeparatos, in caritatis mutuæ vinculo, & unitate fidei uniendos per ſanctos Patres Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros eſt ſuſpiratum ardentius, & labores immenſos, quibus eſt hinc inde diutius laboratum, memoria recenſemus, quod in præmiſſis actum ab Excellentia tua comperimus, tanto votis noſtris cedit acceptius, quanto ſolet haberi gratius, & reputari præclarius, quod anxie quæritur, & laborioſius obtinetur. Et quidem cunctis Chriſtianæ religionis communionem habentibus in iis de reintegratione religionis ejuſdem communis præſtantur excitativa lætitiæ, ſed nobis eo majoris jucunditatis, & gaudii ſpecialiter cauſa ſuccreſcit, quo magis dum minori fungebamur officio, eorumdem fuimus laborum participes, & deſiderii non expertes, quo ſingularius hæc a nobis ad Apoſtolatus culmen aſſumptis diligentiam promotionis expoſcunt, quæ prius cooperationis tantummodo commune nobis, & aliis miniſterium exigebant. Sed & tu, Princeps magnifice, te lætanter in iis conſidera præducem, & lætare per alios etiam tuos imitaturos exemplum tibi retributionis præmium, aliis convenientibus meritis adaugendum. Conſidera quod fortes animo, nec debiles viribus, qui prudenter ſui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant, diligentius operantur. Sic & ii, qui in agone contendunt, quo minus reſtat de curſus inſtantia, eo currere nituntur inſtantius, & quo de victoria magis ſperant, ad bravium plus aſpirant. Eja igitur & tu fili, qui tantum in te ac aliis, & præcipue in dilecto filio nobili viro Andronico nato tuo ſic deſideratis dediſti principium tantum in ſic accepto unionis perutilis opere proceſſiſti, cum præſto tibi fatearis potentiam virium, nec promptum diffitearis, aut diffiteri deceat animum; inſta opportune, immo, ſi opus fuerit, etiam importunus in-*

inſiſte. Inſta, ut quæ in te ipſo cœpiſti, feliciter in Prælatis, & aliis etiam ore ac opere compleantur. Suppleantur omnino quæ deſunt, nec ulterius prætermittantur, aut differantur omiſſa. Cum igitur ſicut non ſolum famæ, verumetiam miſſorum dudum ad te Nunciorum ipſius Eccleſiæ relatio perhibet & veritas, & tua nihilominus aſſertio habeat, quod totaliter a te hujuſmodi negotium, ejuſque dependet conſummata perfectio, tuæ decet eſſe ſollicitudinis, tuæ curæ, ut idem negotium celerem deſideratæ, ſed proculdubio nimium prorogatæ conſequatur effectum; ideoque Nos, qui ad hoc ſummo deſiderio ſuſpiramus, tibi ſingulariter innitentes, ad id apud tuam Excellentiam, & cum ea quin potius, & per eam apud ceteros ſcilicet Prælatos, ac alios exacta diligentia procurandum, Venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum Epiſcopum Groſſetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis Miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum, & Angelum Urbevetanum Lectores Ordinis Minorum, viros Catholicæ fidei zelatores, ſcientia præditos, obſervatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos, ad tuam præſentiam deſtinamus. Celſitudinem tuam rogantes & obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, quatenus ipſos ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, ea, quæ tantum decet Principem, benignitate recipiens illos, quæ ad pleniorem ejuſdem negotii conſummationem, ſoliditatem, roburque ſolidius tam per te ipſum, quam per alios facienda ſuaſerint, clementer audias, & ut efficaciter impleantur ad augendum retributionis tuæ præmium, & ampliandum laudis titulum, operoſus intendas. Ceterum moram Apocriſariorum tuorum apud Sedem eamdem, quam ipſius Sedis vacatio, tibi, ut credimus, non ignota, & noſtræ promotionis novitas induxerunt, habeat tuæ manſuetudinis circumſpectio excuſatam. Ad petitiones autem per eos coram felicis recordationis Gregorio, & Innocentio V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris nomine tuo propoſitas, & noviſſime in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia repetitas, ſcimus per ſpeciales litteras ejuſdem prædeceſſoris Innocentii plene, prout ſuaſit facti qualitas, fuiſſe reſponſum; quam quia nulla poſtmodum novitas immutavit, nec nos ad eas reſponſionem putavimus immutandam. Datum Viterbii IX. Octobris anno 1.

Nomina Nunciorum.

EIDEM.

IV. *EX more quemvis opificem conſervatio ſui operis afficit, & ad vitanda ſollicite quæcumque contrarii etiam ſuſpicionem inducerent, inſtinctus quaſi naturalis inducit. Porro circa negotium unionis inter Latinos & Græcos, non ſine multo & mutuo hinc inde labore promotum, eminent evidenter ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec ſollicitudo diſſimilis, nec diſpar affectus. Siquidem felicis recordationis Joannis Papæ prædeceſſoris noſtri tempore Apoſtolicis directis Magnificentiæ Tuæ litteris, nec unio eadem ex diſſenſione, quam inter te ex parte una, & cariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem Conſtantinopolitanam, & Carolum Siciliæ Regem Illuſtres ex altera, temporalium ſubminiſtrat occaſio, diſpendium ſentiret, & in aliquo facti circumſtantias non ſub involucro verborum involvere, nec ſub aliquo velamine velare ſtuduit, ſed revelata veritate dictorum Principum querelas aperuit, detexit inſtantiam, & propoſitum non celavit, nec omiſit, ſed ad communem cautelam, ſuæque puritatem conſcientiæ conſervandam pia denunciavit intentione pericula, quæ diſſenſio eadem comminatur. Ad quæ vitanda conſultius prædictis Principibus exhortatis ad pacem, Magnificentiam tuam monuit, & rogavit attentius, paterno affectu nihilominus perſuadens, ut proinde dubiis guerrarum conſideratis, & vi-*

Reg. Vatic. n. 144.

& vitatis eventibus, quos ſolent innumera diſpendia prævenire, animum tuum ad concordiam præparans, & diſponens ad pacem, ac vias, & modos, per quos inter te, ac Principes memoratos pax & concordia poſſent provenire, facilius diligenter excogitans illos Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, tunc ad tuam præſentiam deſtinatis communicare, ac ipſos ſuper eis informare curares. Et nihilominus Apocriſarios tuos animum, & plenum ad proſequendum eoſdem modos & vias, & etiam conſummandum, mandatum habentes infra certum terminum, in litteris ipſis expreſſum, ad ſedem deſtinares eamdem. Sed ne & medio tempore per moleſtias vel injurias aliquas inter te, ac præfatos Principes poſſet exaſperari negotium, ut ab illis abſtineretur omnino, treugas aliquas, ad quas memoratos Principes variis indictionibus inclinarat, prout prædicti Nuntii tui ſuggererent, perſuaſit iniri. Super his autem nullo a Magnitudine tua recepto reſponſo, ex eo nobis, & Fratribus noſtris datur admirationis non injuſtæ materia, quod cum prædiceris vir eſſe conſilii, vir magnæ prudentiæ, tantum ac tale ſpiritualis tui Patris conſilium ne contempſiſſe dicaris, taliter præteriiſti, nec ipſum facto proſequens, nec ad illud ſcripto, ſeu verbo reſpondens, præſertim cum habuerit hactenus tua inſtans, ac repetita petitio, quod ad Latinos & Græcos in caritate mutua ſolidandos tractatus erat temporalium præmittendus. Licet ejuſdem Eccleſiæ circumſpecta proviſio non indigne a ſpiritualibus elegerit initium aſſumendum. Quia vero per hæc monitioni carorum inſiſtitur, ad quorum utilitatem ſtimulis caritatis urgemur, quamquam ex parte tua non fuerit efficaciter præmiſſa, ut decuit, admiſſa monitio. Nos tamen propterea nequaquam deſiſtendum a cæptis, ſed ad conſervationem unionis ipſius, & vitandum pervigili ſtudio, quæcumque poſſent occaſionem turbationis ejus inducere, præmiſſum affectum ejuſdem Eccleſiæ proſequendum potius exiſtimantes, Excellentiam Tuam attente rogamus, & affectuoſe monemus, exhortantes in Domino Jeſu Chriſto, quatenus prudenter attendens, quanta ex hujuſmodi ſedatione diſcordiæ detur non ſolum utrique parti, ſed etiam toti quaſi Chriſtianitati tranquillitas, quanta vitentur ex ea pericula, quam ſit eadem animarum ſaluti congrua & ſoliditati tui, tuorumque ſtatus accommoda, juxta præmiſſas exhortationes, & perſuaſiones ejuſdem tuæ matris Eccleſiæ, ſine cunctatione aliqua pacis ſemitas proſequaris, & in excogitandis prædictis viis & modis venerabili fratre noſtro Bartholomæo Groſſetano Epiſcopo, & dilectis filiis fratribus Bartholomæo de Senis Miniſtro Syriæ, Philippo Peruſino, & Angelo Urbevetano Lectoribus Ordinis Minorum Nuntiis noſtris, circa illos, prout utilius fore putaveris, informandis, nullam ulterius negligentiam habiturus, Apocriſarios tuos, viros quidem idoneos, viros pacificos ad pacem & concordiam, ut præmittitur, animum, & mandatum habentes, infra quinque menſes poſt receptionem præſentium deſtinare ad ejuſdem ſedis præſentiam non omittas, ſed & ad compeſcendum hinc inde moleſtias, & injurias, quæ poſſent partim animos irritare circa treugas certi temporis cum dictis Principibus ineundas, eorumdem Nuntiorum noſtrorum perſuaſionibus acquieſcas. Penſans conſultius, quod cum treugarum conventio ex utriuſque partis conſenſu dependeat, non expedit alterutram partium certam formam eligere, ſed ad communem & æqualem decet eam animos inclinare, nec aliquid petere, quod vel abſurditatem ſapiat, vel a juſtitia & ratione diſcordet. Datum ut ſupra.

Dile-

Dilecto filio nobili viro Andrônico primogenito cariſſimi in Chriſto filii Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum Illuſtris, ſalutem &c.

V. *AGe fili prudenter, & humiliter immenſa beneficia tui Creatoris attende; attende quanta tuæ juventutis auſpicia ſuæ dilectionis benedictione prævenit. Ipſe quidem, ut ſuæ circa te largitatis abundantiam in temporalibus taceamus, in te oculos interioris hominis ſuo lumine illuſtravit. Immiſit in tuæ mentis habitaculum lucem ſuam, dedit intelligere Catholicæ fidei veritatem, ut in montem ſanctum ſuum, in communionem videlicet & unitatem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per profeſſionem ipſius fidei, recognitionem & ſuſceptionem Primatus ejuſdem Eccleſiæ, ſponſionem debitæ ſibi obedientiæ, abjurationem ſchiſmatis, quæ omnia tuæ teſtantur litteræ, quas noveris per Sedem Apoſtolicam gratanter & benigne receptas, ſuo ducatu deductus, tamdem in dilecta ejus tabernacula per continuationem bonorum operum feliciter adducaris. Ipſe ſic erga cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum Illuſtrem, genitorem tuum, & te ipſum pium direxit ejuſdem matris Eccleſiæ ſtudium, ut non ſolum per hæc ei, & tibi ſpiritualiter conſuluerit ad ſalutem, ſed & ſalubribus multiplicatis perſuaſionibus, quæ in aliis eidem genitori tuo tam a felicis recordationis Joanne Papa prædeceſſore noſtro, quam a nobis directis litteris exprimuntur temporaliter ad ſecuritatem ſtatus ſatagit provenire. Decet igitur ut & tu periculoſe de tantis gratiis non comperiaris ingratus eidem Creatori tuo, pro omnibus quæ tibi tribuit, aliquid gratitudinis pro tuæ poſſibilitatis viribus recompenſes. Cum itaque ad perfectiorem conſummationem unionis, jam per ipſius genitoris, & tuam ſollicitudinem promotæ, feliciter inter Latinos & Græcos, non ſolum quæ per ipſum & per te acta ſunt in Prælatis & aliis agenda ſuperſunt, ſed & alia nonnulla ſupplenda, ad quorum proſecutionem de tua cooperatione ſpecialiter confidentes, venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum Epiſcopum Groſſetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis Miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum, & Angelum Urbevetanum Lectores Ordinis Minorum, viros Catholicæ fidei zelatores, ſcientia præditos, obſervatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos ad ipſius Imperatoris, & tuam præſentiam deſtinamus. Magnitudinem tuam monemus, rogamus & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, quatenus provide penſantes quod ſolum bene cœpiſſe non ſufficit, niſi perſeveranter uſque ad operis exitum perſiſtatur, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, eiſdem Nuntiis te favorabilem exhibens, & benignum in iis, quæ ad perfectionem ſolidam dictæ unionis faciendæ ſuaſerint, & ſpecialiter apud ſæpefatum genitorem tuum, ut noſtris conſiliis & ſuaſionibus tibi, & eidem proculdubio, ut ſperamus, utilibus acquieſcat, ſollicitam operam ſtudioſus impendas. Per hoc etenim non ſolum tibi laudis titulum, & retributionis meritum ampliabis, ſed & ſtatui tuo conſultius, auctore Domino, providebis. Datum ut ſupra.* Reg. Vat. n. 145. Gratulatur pietati Andronici.

Venerabilibus fratribus Patriarchæ, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, ceteriſque Prælatis Græcorum.

VI. *FRaternitatis tuæ litteras, frater Patriarcha, profeſſionem veræ Catholicæque fidei, quam Romana Eccleſia tenet, docet, & prædicat, aſpernationem & abnegationem antiqui ſchiſmatis, ut earumdem* Reg. Vat. n. 146.

litterarum verbis utamur, recognitionem & ſuſceptionem Primatus ipſius Eccleſiæ, ac ſponſionem obedientiæ ſpontaneam ad eamdem per te nomine tuo, & totius Synodi apud nos antea celebratæ, certo modo factas inter alia continentes, Sedes Apoſtolica benigne recepit, & eas diligenter inſpiciens veſtrum ad negotium unionis inter Latinos & Græcos, divino beneplacito inchoatum, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris Illuſtris, dilecti filii nobilis viri Andronici nati ejus, ac veſtra ſolerti cooperatione promotum, quem eædem litteræ prætendebant, notavit affectum, probat multipliciter & commendat; ſuper quo illi ſacrificium laudis offerimus, & jubilationis hoſtiam immolamus, qui eorumdem Imperatoris, nobilis, & veſtros oculos mentis aperuit, intellectum tribuens, & vos ad agnitionem veritatis adducens: & quidem, fratres & filii, letanter attendimus, & gratanter accepimus multa in eiſdem litteris contineri profeſſioni ejuſdem veræ fidei conſona, recognitioni dicti Primatus accommoda, obedientiæ ſponſioni congrua, & abjurationi præfati ſchiſmatis opportuna. Verum cum in prædictis propenſo conſilio, & diſcuſſione ſollicita ejuſdem Eccleſiæ certa, quam eſſe decet in omnibus uniformem, forma ſit prodita, per memoratos Imperatorem & nobilem acceptata, jam dudum per eorum Nuntios in generali Lugdunen. publicata Concilio, & ab ipſis nuper in perſonis propriis publice ac ſolemniter iterata, illam cenſuimus omnimodis obſervandam, præſertim cum expediat in iis uniformiter ab omnibus per hujuſmodi unionem vivendi in fidei unitate procedi, & vos velut jam factos obedientiæ filios deceat ipſius Eccleſiæ veſtræ omniumque matris fidelium & magiſtræ fideli magiſterio per obſervationis promptitudinem humiliter adhærere, ac juxta ejus beneplacitum & diſpoſitionem circa hujuſmodi negotium adimplere ſollicite omnia, & maxime illa, quæ ad ipſum conſummandum plenius & ſolidius roborandum per Nuntios, noviſſime ad hoc miſſos ex ejuſdem Eccleſiæ parte requiſita, nec adimpleta fuerunt. Ideoque venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum Epiſcopum Groſſetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis Miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum, & Angelum Urbevetanum Lectores Ordinis Minorum, viros Catholicæ fidei zelatores, ſcientia præditos, obſervatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos ad hæc inter cetera ſpecialiter deſtinantes, Univerſitatem veſtram rogamus & hortamur, obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus juxta requiſitionem ipſorum, omnes & ſinguli ſingulariter præmiſſam veram fidem profiteamini, recognoſcatis & ſuſcipiatis Primatum, abjuretis ſchiſma, obedientiam promittatis. In his ſupradictam formam vobis per eoſdem noſtros Nuntios præſentandam ſtudioſe per omnia obſervando, & in ceteris, ut prædicitur, non impletis, ac aliis, quæ iidem Nuncii ad perfectam conſummationem ejuſdem negotii duxerint requirenda, ipſis acquieſcendo humiliter, & cooperando efficaciter, quod idem negotium celeriter abſque ulterioris moræ diſpendio ſtudio veſtro perfectius conſummatum, nos, qui anxio & immenſo id deſiderio affectamus, ac univerſalem Eccleſiam, ſanctam Dei lætificet Civitatem, vobiſque non ſolum apud nos ad uberioris favoris cumulum, ſed apud retributorem bonorum omnium ad fœcundioris retributionis cedat augmentum. Datum Viterbii VIII. *Idus Octobris, anno* 1.

Recepta unio a Prælatis Græcorum.

VII. Tradito etiam longo, prudenti, circumſpecto memoriali, ſeu inſtructione prædictis Legatis, cujus penes me exemplar, per varia diplomata plurima dedit indulta, magnamque fecit poteſtatem circa res quaſ-

quaſque, ſuam Legationem & ſalvum conductum concernentes. Unum dumtaxat diploma Legationis inſtrumentum Fratribus datum, nos hic ſubminiſtramus.

Venerabili fratri Bartholomæo Epiſcopo Groſſetano, & dilectis filiis Fratribus Bartholomæo de Senis Miniſtro Syriæ, Philippo Peruſino, & Angelo Urbevetano, Lectoribus Ordinis Minorum, Nuntiis noſtris &c.

Deſiderantes ut ea, quæ ad unionis inter Latinos & Græcos tractatæ negotium conſummandum, plenius & firmius roborandum, nec non & ad tollendum materiam turbationis, ſeu impedimenti unionis ipſius, quam inter Chriſtianiſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Siciliæ Regem Illuſtres ex parte una, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum Illuſtrem ex altera, diſcordia ſuper temporalibus ſubminiſtrat, in litteris, quas per vos eidem Palæologo, Patriarchæ, & Prælatis & Clero Græcorum, & nobili viro Andronico ejuſdem Imperatoris Græcorum Primogenito, deſtinamus, & in memoriali ſuper illis ſub bulla noſtra vobis tradito plenius continetur, deſiderato, Deo auſpice, impleantur effectu. Volumus & diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad partes illas perſonaliter accedentes, tam circa prædictos Imperatorem, & Primogenitum, quam circa Prælatos, & alios premiſſa ſtudeatis exequi diligenter. Et ut illa commodius & facilius valeant provenire, vobis audiendi confeſſiones confiteri volentium, & eis ſalutarem injungendi pœnitentiam pro commiſſis, ac ipſis abſolutionis impendendi beneficium ſuper illis, niſi forte talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, excommunicandi præterea auctoritate Apoſtolica eos de partibus illis, quos negotii unionis ejuſdem fore vobis conſtiterit turbatores, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus exiſtant, & in terras ipſorum interdicti ſententias proferendi, necnon & procedendi alias ſpiritualiter & temporaliter contra ipſos, & terras eaſdem, prout utilitati negotii, conſideratis ejus circumſtantiis, videritis expedire. Abſolvendi quoque juxta formam Eccleſiæ Latinos & Græcos tam Clericos, quam laicos illarum partium ab excommunicationis ſententia, quam pro violenta manuum injectione in Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas incurrerunt, niſi adeo gravis fuerit, & enormis exceſſus, propter quem ad ſedem eamdem oporteat haberi recurſum, & diſpenſandi cum eiſdem Clericis ſuper irregularitate, ſi quam contraxiſſe noſcantur, ſe ſic ligati divinis officiis immiſcendo. Concedendi etiam ſecuritatem plenariam noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine Nuntiis Imperatoris, Primogeniti, & Prælatorum ipſorum pro negotio ſupradicto ad ſedem prædictam venire volentibus, vobis ac vice noſtra in prædictis partibus exiſtentibus uſque ad certum tempus, quod eis duxeritis præfigendum, plenam & liberam præſentium auctoritate concedimus facultatem. Datum Viterbii VII. *Idus Octobris, anno* I. Reg. Vat. n. 147.

VIII. Miſſos ab Abagha Orientalium Tartarorum Rege Legatos ad Concilium Lugdunenſe, atque icti fœderis initia retulimus ſuperius; mox hominem allicuit Gregorii X. benignitas a legatis relata, ut alios ad ſedem deſtinaret Apoſtolicam, per quos ad avunculum ſuum Magnum Cham, ſeu Imperatorem Tartarorum, & ad ſe mitti rogabat viros Apo- Tartari petunt mitti ſibi Evangelii Miniſtros.

ſtolicos, qui & Catholica fide imbuerent, & ſacro intingerent baptiſmate filios, atque ex exercitu & familia, qui fieri vellent Chriſtiani. Gratum hoc nuncium pervenit ſedente Joanne XX. cogitatumque eſt ex tempore de mittendis dignis operariis. Sed infelici morte Pontifice ſublato, expectandus fuit alter cujus auctoritate mitterentur. Nicolaus in demortui locum ſuffectus, idoneos hujus rei miniſtros judicans Minoritas, quorum in hoc ipſo opere, & aliorum ex Tartaris Principum converſione induſtriam jam probaverat Eccleſia, ex eiſdem aſſumpſit Fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de ſancta Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio, viros doctos & religioſos, quos hoc anno miſit ad Quolibey Imperatorem, & Abagham Regem; datis ad utrumque litteris, quæ ſequuntur.

Mittuntur quinque Minoritæ.

Excellenti & magnifico Principi Abagha Regi Orientalium Tartarorum Illuſtri, viam agnoſcere veritatis.

Reg. Vatic. n. 13.

IX. *EXultavit & exultat in Domino Romana Mater Eccleſia in iis, quæ grata felicis recordationis Joanni Papæ prædeceſſori noſtro, & ejus Fratribus accepta quamplurimum Joannes Vaſſalli miles, & Jacobus Vaſſalli, Magnificentiæ tuæ Nuncii, eiſdem prædeceſſori, & Fratribus ex parte tua quædam contenta litteris, & quædam expreſſa vivæ vocis oraculo portaverunt. Sub tuo namque nomine præſentatæ per eoſdem Nuncios eidem prædeceſſori litteræ ſicut aſſeritur, continebant, quod ſi Chriſtianum exercitum in Terram ſanctam transfretare contigerit, tu Terram tuam, & proviſionem victualium ipſius exercitus Chriſtiani, necnon & perſonam tuam, ac potentiam tui exercitus contra inimicos Chriſtianæ fidei, videlicet Sarracenos devota promptitudine offerebas. In fine vero continebatur earum quod eiſdem Nuntiis in omnibus, quæ pro parte tua dicerent, crederetur, ſub qua credulitate rem Deo placitam, eiſdem prædeceſſori & Fratribus, inter quos nos tunc officium Cardinalatus habebat, amabilem retulerunt. Eſt quidem res ipſa digna lætitia, plena jubilo, tota divinæ laudis extollenda præconiis, quæ ſi factis dicta frequentibus confirmentur, ſalutem tantarum continet animarum, videlicet quod voluntas & deſiderium ſit cariſſimi in Chriſto filii noſtri Quolibey Magni Chami Imperatoris, & moderatoris omnium Tartarorum Illuſtris, Avunculi tui, qui jam dudum fuiſſe aſſeritur baptizatus, & tuis inhæret affectibus, perſonas aliquas ad vos per Romanam Eccleſiam deſtinari, per quas in Chriſtiana fide, vos, filii, populique veſtri inſtrui valeatis, & ab eiſdem prædicti filii veſtri, & alii de utriuſque populo, ſeu exercitu baptizari. Lætetur ergo mater Eccleſia ſi ſponſo ſuo Jeſu Chriſto, miſericordi operante clementia, tot poſſit filios per baptiſmi lavacrum generare. Lætetur & Paſtor Eccleſiæ ſi Chriſtiana plebs ſuis temporibus tanti populi quaſi infinito numero augeatur. Quid mirum ſi cœtus exultet angelicus in tantarum perditarum ovium obtenta ſalute, cui, ſecundum Evangelicam veritatem unius peccatoris pœnitentia ſuper nonaginta novem juſtis prædicatur acceptior? O noſtra beata tempora, ſi diebus noſtris tale ac tantum gaudium poſſemus illi cœleſti Curiæ præſentare! Sane quæ per eaſdem litteras tua obtulit prompta devotio, gratanter eorumdem prædeceſſoris, & Fratrum non immerito ſenſibus adhæſerunt. Grandia enim ſunt, immo maxima reputamus, quæ ſic devote porrigit, & ſic prompte promittit tuæ Celſitudinis magnitudo. Nec eſt veriſimile, quin digitus Dei circa hoc operetur in te, quod tantus zelus ad negotium Chriſti cor tuum videtur aſcendere, ut teipſum, populi tui robur, terram, ac victualia contra inimicos*

Offert auxilium contra Sarracenos.

Magnus Cham Chriſtianus petit mitti qui Tartaros baptizent.

Luc. 15. 4.

micos Chriſti deliberaveris exponenda. Super eo vero, quod de præfatis perſonis per eamdem Eccleſiam tranſmittendis prædicti Nuncii, ſub prædicta credentia retulerunt, dictus prædeceſſor groto ſibi quamplurimum tua per eoſdem Nuntios facta inquiſitione commotus, certos nuncios propter hoc ad partes illas decreverat deſtinare, qaos ad id diligenter accinctos, ſuperveniens obitus prædeceſſoris ejuſdem, ab impoſito eis itinere non indigne retraxit. Unde nos poſt alicujus decurſum temporis ipſius Chriſti Vicarius, & beati Petri, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores effecti, ſuper omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt Apoſtolatus officio, ad tuam omniumque ſolutem noſtræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis noſtræ firmamus affectum, circa eam diligenti ſtudio & ſtudioſa diligentia vigilantes, ut errantes ad viam veritotis reducere, omneſque Deo lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Unde tibi de oblato ſuccurſu actiones referimus gratiarum, & quod ſuper præmiſſis expediat cum tempus adfuerit, prout rerum & temporum exegerit qualitas, ſalubriter, dante Domino, diſponemus. Pro ſua quoque prædicti Cham, filiorum, populique ſui, tua, populique tui procuranda ſalute ſervitutis noſtræ debitum exſolventes, fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de ſoncta Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio Ordinis Minorum latores præſentium, viros religione conſpicuos, honeſtate vitæ pudicos, morum claritate decoros, & ſacræ ſcripturæ ſcientia præditos, ut tu, filii, populuſque tui ipſum Dominum Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum ſalutaribus eorum eruditionibus agnoſcendo, ac ob eis illi ex vobis, qui nullum baptiſmum hactenus, vel non in forma debita receperunt, In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen: auctoritate noſtra ſecundum ritum, quem in hoc eadem ſervat Eccleſia Chriſti baptiſmate baptizati, nomen ſuum glorioſum, quod eſt ſuper omne nomen, Chriſtianæ fidei obſervatione colatis, de Fratrum noſtrorum conſilio, duximus deſtinandos. Quibus etiam per noſtras litteras & oraculo vivæ vocis injunximus, ut opportuno tempore, juxta prudentiæ tuæ motum, ad præfatum Cham ſe perſonaliter conferont, ut & ibi circa ſolutem animarum procurent, juxta datom ipſis divinitus gratiam ac Deo miſerante, perficiant quod eorumdem aſſeruit relatio nunciorum, & Chriſti operante clementia, devota mente cupimus, & ſperamus. Ideoque Magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortomur attente, quotenus eoſdem Fratres Minores, ſeu illos ex eis, quos ad te pervenire contigerit, ſi forſan eorum aliquem mors, vel caſus aliquis a proſecutione injuncti eis per nos itineris impediret, imo potius nos in ipſis pro divina, & noſtra reverentia benigne recipiens, & honeſte pertractans ſuper iis, quæ tibi ex parte noſtra de ſuſceptione baptiſmi, & inſtructione Chriſtianæ fidei, ac ipſius obſervantia, & aliis, quæ ſalutem reſpiciant animarum, retulerint fidem indubitatam adhibere procures, eos cum ſecuro conductu ad præfatum Chom, cum expenſarum, & aliorum neceſſariorum proviſione, matura deliberotione tranſmittens. Et nihilominus tum nos propter viarum pericula, longitudinem itineris, & incertitudinem temporis, per quod eoſdem in partibus illis oporteat immorari, nequiverimus eiſdem in determinata, & certa neceſſariorum ſufficentia providere, quamdiu ipſos in partibus illis morari contigerit, provideas diligenter, ac ſufficienter eiſdem in eundo, morando, ac redeundo ad nos, de ſecuro conductu, & neceſſariis opportunis, ut ipſi ad præſentiam noſtram, & prædictorum Fratrum noſtrorum cum optato fructu tanti populi ſperatæ ſalutis, læti de ſuis laborioſis operibus tute valeant remeare. Chriſtianos autem confluentes ad loca tuæ ditioni ſubjecta, vel mo-

rantes

rantes in eis tuæ Magnificentiæ commendamus, & ut ipſos favorabiliter proſequens protectione tuæ potentis dexteræ munias, & defendas, ut per hoc & alia, quæ, ut ſperamus, exercebis opera caritatis, & gloriam in præſenti, & æternæ retributionis præmium recipias in futuro. Nos enim & Fratres noſtri divinam clementiam ſuppliciter exoramus, ut ſic tibi, & filiis eiſdem dies proſperitatis adaugeat, & actus noſtros dirigat ad ſalutem, quod vobis, populo, exercituque prædictis cum Catholicis in lucis ambulantibus claritate in felicibus veſtris ſucceſſibus, æterni Patris oculi delectentur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kalend. Aprilis, anno 1.

Cariſſimo in Chriſto filio Quolibey Magno Chamo, Imperatori, & moderatori omnium Tartarorum ſalutem &c.

Reg. Vatic. n. 14. X. P*Laſmator hominis Deus de parentis protoplaſti fraude facta generi humano patienti compatiens, ut hominem redimeret peccati labe collapſum, quem ad imaginem ſuam, ſimilitudinemque formaverat, quemadmodum legis ænigmata figurabant, & ſanctis Patribus promiſſum fuerat in Prophetis, ex nimia caritate miſit in mundum filium ſuum unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſibi coæternum, & majeſtate poteſtatis æqualem, factum ex muliere, ex cujus ſacro utero, non ex virili ſemine, ſed ſancti Spiritus operatione conceptus, inde pariendi completo tempore, permanente gloria maternæ virginitatis, egreſſus, cunctis viſibilem ſe oſtendit, & tamdem illos, pro quorum ſalute de excelſo ſolio ad ſolium infimum mundi deſcenderat, ſalutaribus inſtitutis informans, & viam vitæ ipſis indicens perfectæ doctrinæ demonſtrans, poſt ſanctæ converſationis exempla, poſt evangelicæ inſtructionis eloquia, poſtquam ſe verum hominem, verum Deum, ac Dei Filium ſacris Scripturis, ſignis & virtutibus comprobavit, licet eſſet impaſſibilis divinitate, vera tamen, quam aſſumpſerat, humanitate paſſibilis, dignatus eſt ſub diræ Crucis ſupplicio mortem pati, ut pœnali præſentis vitæ fine pœnam mortis perpetuæ, quam protoplaſti poſteritas ipſius incurrerat tranſgreſſione, finiret, & de amaro calice ſuæ mortis temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem ſempiternæ. Pro humani ergo redemptione generis ſe hoſtiam exhibens, illud ſuæ ſalutis hoſte proſtrato, de opprobrio ſervitutis eripuit ad gloriam libertatis cæleſtis, ſibi patriæ oſtium reſerando, & deinde licet paſſus, mortuus, & ſepultus ut homo, die tertia tamen a mortuis divina virtute reſurgens, ac teſtibus præordinatis a Deo ſuam veram reſurrectionem, per quam & noſtram firmiter ſperamus, & credimus, manifeſtans, ipſos ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ac baptizandum omnes gentes,* In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti *in univerſum mundum, tamquam ſalutis humani generis angelos deſtinavit: & demum eiſdem videntibus, ut iidem Aſcenſionis, qui & Reſurrectionis teſtes exiſterent, in cælum elevatus aſcendens, Vicarium ſibi beatum Petrum reliquit in terris, cui animarum curam, ut earum ſaluti proſpiceret, amoris ejus conſtantia trinæ profeſſionis argumento probata commiſit, tradens ſibi claves Regni cælorum, per quas ipſe ſuique poſt eum ſucceſſores poteſtatem aperiendi omnibus, & claudendi ejuſdem Regni januam obtineret, ac in eis in diſpenſatione cæleſtis gratiæ ſummæ poteſtatis auctoritas reſideret. Hæc ergo ipſis imminet ex Apoſtolatus officio cura præcipua, ſalutem quærere ſingulorum, hanc exemplo Salvatoris pendentis in Cruce ſitit Chriſti Vicarius; hanc piſcando perquirit piſcatoris Petri ſucceſſor: hæc Civitatem Dei obtentam lætificat, hæc etiam in umbræ mortis regione degentibus, per vias*

gra-

gradientibus tenebrarum aliquibus ſperata præſagii mentem ſummi Paſtoris exhilarat, officium excitat cura promovere ſollicita, quatenus ambulantes in tenebris videant lucem magnam. Porro ab olim in eo Romana mater exultavit Eccleſia, & felicis recordationis Joannes Papa prædeceſſor noſter lætitiæ incrementa ſuſcepit, quod de te per Abagham Regem Orientalium Tartarorum Illuſtrem, nepotem tuum, ſuis extitit auribus intimatum, videlicet quod dudum te gratia divina præveniens, mentem tuam ſua miſericordi virtute commovit, ut ſemitas erroris abjiciens, vias incederes veritatis, recipiendo Chriſti baptiſmum, ut ſic regeneratus in Chriſto, populo fidelium jungereris. Ex hoc tua fertur accenſa devotio, ut ſacroſanctam Romanam reverearis Eccleſiam, cultum diligas Chriſtianum, & ipſos Chriſtianos ſub ditionis tuæ degentes imperio caritative foveas, favoribus munias, benigne pertractes, ac ipſos in libertate conſerves, & in tantum prout aſſeritur, gratia te divina proſequitur, quod natos tuos ad agnitionem Chriſti, & ejus, quam prædicavit, & docuit veram fidem, pervenire deſiderans, eos de auctoritate Romanæ Eccleſiæ appetas baptizari, ut ab ipſo Chriſto dici valeant veraciter Chriſtiani, & veteribus erroribus derelictis, per viam veritatis euntes, per bona opera ſuas animas poſſint reddere Creatori, nec hoc tantum in filiis, quinimo in toto tuo exercitu affectas, ſicut fertur, impleri. O, ſi ita ſit, laudanda paternitas, quæ ſuos filios, ne pereant, dirigit ad ſalutem! O ducatus fidi Ducis errantis exercitus, dignis laudem præconiis attollendus, qui ductos in devium reducere conatur ad viam, exercet ſuis ſtudiis ut errans exercitus a noxiis retrahatur exercitiis, & ad ſalutaria dirigatur! O ſummi Dei laudanda clementia, quæ tantum populum, tantis erroribus, tanto tempore excæcatum, oculis ſuæ pietatis aſpiciens, ſemitas aperit, ut perducatur ad lucem! Confirmet autem Deus, quod operatus eſt in te, tuque a Deo tibi factam gratiam devota mente conſerva, ut & ipſe, quam cœpit, adaugeat quouſque hæc ſcintilla tenuis ſua, quæ prævenit, ſequente gratia in ardorem tranſeat ſalutiferæ caritatis. Cum autem idem Abagha dicto prædeceſſori ſuis litteris, & nuntiis, ſicut aſſeritur, intimarit, quod tuis, ut dictum eſt, inhæret affectibus, perſonas aliquas ad te per eamdem Eccleſiam deſtinari, per quas in Chriſtiana fide plenarie inſtrui, & ab eiſdem dicti filii tui, & alii de tuo exercitu baptizari poſſitis, prædictus prædeceſſor ejuſdem Abagha grata commonitione commonitus, certos nuncios propter hoc ad partes illas decreverat deſtinandos, quos ad id diligenter accinctos, ſuperveniens obitus prædeceſſoris ejuſdem, ab impoſito eis itinere non indigne retraxit. Unde nos, qui tunc Cardinalatus officium gerebamus, poſt alicujus decurſum temporis ipſius Chriſti Vicarius, & Petri, licet immeriti, diſponente Domino, ſucceſſores effecti, ſuper omnia, quæ nobis ex injancta incumbunt Apoſtolatus officio, ad tuam omniumque ſalutem noſtræ intentionis dirigimus aciem. Ad hanc præcipue mentis noſtræ deſtinamus affectum circa eam diligenti ſtudio, & ſtudioſa diligentia vigilantes, ut errantes ad viam veritatis inducere, omneſque Deo lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia humanæ conditionis renitente natura, uno eodemque tempore diverſis locis præſentialiter adeſſe nequimus, ne ullatenus negligere videamur abſentes, ad eos viros diſcretos, & providos tranſmittimus vice noſtra ipſorum miniſterio, circa illos Apoſtolicæ ſervitutis debitum exolventes. Hinc eſt, quod in ipſis noſtræ promotionis exordiis, quæ præmiſſa ſunt cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus recenſentes, pro tua, filiorum, populorumque prædictorum procuranda ſalute, dilectos filios Fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joan-

Joannem de ſancta Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio Ordinis Minorum, latores præſentium, viros religione conſpicuos, boneſtatis vita pudicos, morum claritate decoros &c. ut in proxime præcedenti diplomate, verbis competenter mutatis, uſque ad præmium recipies in futuro: *Datum Romæ apud ſanctum Petrum 11. Nanas Aprilis, anno 1.*

XI. Legatis vero per multa diplomata multa conceſſit privilegia, eaque graviſſima & ſingularia, ampla in alios auctoritate conceſſa; quod miſſionis præcipuum eſt inſtrumentum, hic placuit offerre.

Fratribus Gerardo de Prata, Antonio de Parma, Joanni de ſancta Agatha, & Andreæ de Florentia, ac Matthæo de Aretio Ordinis Minorum in terras Tartarorum proficiſcentibus, Nuntiis noſtris.

Reg. Vat. n. 15.

ÆTerni Paſtoris, licet immeriti, vices tenentes in terris ſupra vires noſtras per hoc nobis anus incumbere naſcimus, ſed ad id nos eſſe potiſſime obligatos advertimus, ut de ſalute cunctorum inceſſabili ſollicitudine cogitemus. Hanc profecto ferventi deſiderio cupimus, vigili attentione perquirimus, & quantum nobis ex alto permittitur, vehementi ſtudio procuramus. Sed licet mens noſtra urgentibus agendis innumeris meditatione multiplici diſtrahatur, numquam tamen ab illa aculum naſtræ intentæ conſiderationis avertit. Imminet enim nobis compaſſionis ac doloris multa materia, quod videmus plurimos diabolica fraude deceptos cordis cæcitate perire, nonnullos, qui viam ſalutis prorſus ignorant, multos vera quoniam ab ea damnabiliter declinarunt. Quare oportet ne in commiſſi nobis officii executione id quod magis expedit, per negligentiam omittamus, ut animarum ipſorum periculis, quibus poſſumus remediis obviemus. Rogantes Altiſſimum, quod errantibus, ut in viam poſſint redire juſtitiæ, veritatis ſuæ lumen oſtendat, ut cognoſcentes veram lucem, quæ Chriſtus eſt, illa reſpuant, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectentur. Cum autem ſicut Magnificus Princeps Abagha Rex Orientalium Tartarorum Illuſtris, felicis recordationis Joanni Papæ prædeceſſori noſtro, ejuſque fratribus, inter quos nos tunc officium Cardinalatus habebat, ſuis litteris & nuntiis intimavit, cariſſimus in Chriſto filius noſter Quolibey, Magnus Cham, Imperator, & moderator omnium Tartarorum Illuſtris, qui Chriſtianus aſſeritur, & ipſe plenis expectent affectibus perſonas aliquas ad partes illas per Romanam Eccleſiam deſtinari, per quas ipſi, filii, populique ſui poſſint in chriſtiana fide inſtrui, & ab eiſdem perſonis prædicti filii, & populi, aliique de ipſorum exercitibus baptizari. Nos Chriſti Vicarius, & beati Petri, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores effecti, prædicti Abaghæ grata nobis quamplurimum perceptione commoti, ut pro tantorum Principum, & populorum procuranda ſalute ſervitutis noſtræ debitum exolvamus, ad vos quos novimus viros religionis claritate fulgentes, morum honeſtate decoros, & diverſarum virtutum titulis divinitus inſignitos, ac litterali ſcientia multipliciter circumfultos, propriam mentem convertimus, & oculos fiducialiter aperimus, ut vobis de quorum ſtudioſis operibus fructus utiles, Deo placitos & nobis acceptos ſperamus, & credimus proventuros, ſuper hoc onus noſtræ ſollicitudinis imponamus. Vos igitur ad partes eaſdem de fratrum noſtrorum conſilio, tamquam ſalutis Angelos ad exercendum inibi opus Dominicum, juxta profeſſæ religionis officium, prudenter accinctos, duximus deſtinandos; devotioni veſtræ præſentium tenore ac in remiſſionem peccatorum om-

omnium injungentes, quatenus ſperantes in illo, qui ſuorum greſſus dirigit in ſalutem, illuc fiducialiter accedatis, & eoſdem Abagham, filios, populos, & alios de exercitibus ſupradictis, juxta datam vobis ab Altiſſimo gratiam, ad receptionem ſacri baptiſmatis, & cognitionem veræ & orthodoxæ fidei attentis monitis, efficacibus exhortationibus, & inſtructionibus ipſius fidei generaliter, & ſingulariter inducatis, ut divina cooperante clementia, & ſermonem veſtrum miſericorditer confirmante, prædicti Cham & Abagha, filii & populi, ac alii memorati in profeſſione ac obſervatione Catholicæ fidei fidelium populis aggregentur, & per omnipotentiam divini nominis ſalvi fiant. Ut autem in præmiſſis eo ſecurius procedatis, quo per nos ſicut his & aliis, quæ ad commiſſum vobis ſpectant officium, majori fueritis auctoritate muniti, vobis & cuilibet veſtrum præſentium tenore concedimus, ut in eiſdem partibus ubi, quando, & quoties expedire videritis, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, etiam ſi aliqui ſint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo ac aliis ſecure communicare, ac ipſos Abagham, filios, populos, ſea quoſcumque alios converti ad unitatem Chriſtianæ fidei cupientes, recipere, & baptizare, juxta formam quam in hoc eadem ſervat Eccleſia, libere valeatis. Liceat etiam vobis communiter vel diviſim, ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui ſunt excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium, juxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis cujuſcumque conditionis extiterint, qui ſacros receperunt ordines, & divina celebrarunt officia ſic ligati, niſi tales fraudulenter ſe ad partes illas pro his obtinendis gratiis tranſtuliſſent. Et ut ii, qui ad Eccleſiæ Catholicæ redierint unitatem, quod inter ſuos habitent, eiſque communicent. Similiter quoque concedimus, ut omnium fidelium dictarum partium confeſſiones audire, ac ipſis injungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos a canone, vel alio modo, juxta prædictam formam, abſolvere, dummodo injuriam & damna paſſis ſatisfaciant competenter, ac occiſores quoque Clericorum, & Religioſarum perſonarum in prædictis partibus conſtitutos abſolvere: dummodo Eccleſiis, Monaſteriis, & perſonis per hoc læſis condignam ſatisfactionem impendant, fundare de novo ibidem Eccleſias in locis, ubi non ſunt ad hæc diſtinctæ diœceſes, & diœceſani Epiſcopi non habentur, & taliter fundatis idoneos inſtituere Rectores, & illis, qui de præfatis populis noviter fuerint converſi dare licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere, dum tamen talis retentio ipſos conjuges ad mortale non pertrahat, & fieri poſſit abſque contumelia Creatoris; & de cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam veſtram, ſeu cujuslibet veſtrum deferri contigerit, legitime cognoſcere, ac diſcordantes inter ſe ad invicem quod ad pacem & concordiam redeant, & quod inordinate viventes de ſuis exceſſibus, ſicut juſtam fuerit, & expedire videritis, ſatisfactionem exhibeant, compellere per cenſuram Eccleſiaſticam libere valeatis. Volumus inſuper, quod in terris, & locis, in quibus vos hoſpitari contigerit, in illis ſpecialiter partium prædictarum, in quibus reſidentiam facietis, etiam ſi ibidem Eccleſiæ, vel oratoria non exiſtant, miſſam & cetera divina celebrandi officia, & in eiſdem partibus benedicendi Cœmeteria, indulgentias dandi, vota commutandi, ac veſtes ſacerdotales, altaria, pallas, & corporalia per eos, qui ex vobis ſunt presbyteri benedicendi, ubi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur, necnon omnia alia & ſingula faciendi, quæ ad augmentum divini nominis, & ampliationem Eccleſiæ fidei, ac reprobationem, & irritationem illorum, qui ſacris traditionibus contradicunt, ſicut pro loca

Magna eis conceduntur privilegia.

& tempore videritis expedire, communiter & ſingulariter liberam licentiam habeatis. Datam Romæ apud ſanctum Petrum Kalend. Aprilis, anno 1.

XII. Quamplures ſub hoc tempore Minoritas ad Tartaros perrexiſſe, & multos ex eiſdem convertiſſe, mihi indicant ſequentes litteræ Pontificiæ, in quibus Philippus Epiſcopus Firmanus, Apoſtolicæ Sedis Legatus in partibus Hungariæ admonetur, eoſdem carere ſubſidio & auxilio Epiſcopali; atque ſe velle hunc defectum ſupplere.

Venerabili fratri Philippo Epiſcopo Firman. Apoſtolicæ Sedis Legato.

Reg. Vat. n. 180. Minores multos convertunt ex Tartaris. Vult in confinibus Tartarorum creari Epiſcopum.

SIcut dilectus filius Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Regni Hungariæ nobis ſignificare curavit, quamplures Fratres ejuſdem Ordinis inter Tartaros commorantur, qui fidem Chriſti gratioſis ſtudiis annunciantes eiſdem, multos ex eis ad fidem ipſam, divina cooperante gratia, converterunt. Cum autem nullus ſit ibi Catholicus Epiſcopus, qui eoſdem Fratres ad ſacros Ordines valeat promovere, & Civitas de multo poſita in confinibus Tartarorum jamdudum per prædictos Tartaros deſtructa fuerit, nec inibi Epiſcopus, & alii Catholici habitatores extiterint quadraginta annis, & amplius jam elapſis; Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pro utilitate animarum, ſi Epiſcopus inibi, ut prædicitur, eſſe conſueverit, de proventibus ad Sedem Apoſtolicam ſpectantibus, ſi qui provenire poſſent, ne vileſceret Pontificalis auctoritas..... & aliis circumſtantiis diligenter inquiſitis, quod de præmiſſis inveneris, nobis per tuas litteras harum ſeriem continentes, ſtudeas fideliter intimare. Datum Viterbii Nonis Octobris, anno 1.

XIII. Ad aliam efferam gentem voluit etiam Pontifex mittendos hos inconfuſibiles operarios, verba vitæ recte tractantes. Scripſit itaque ad Miniſtrum Hungariæ, ut ad Cumanos deſtinaret ex ſuis Fratribus, quos idoneos judicaret prædicatores, & ſacramenti Baptiſmi, quem conferri converſis indulſit, prudentes miniſtros.

Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum Regni Hungariæ.

Reg. Vat. n. 179. Jubet mitti Minores ad baptizandos Cumanos.

EX tuis & aliorum Fratrum tui Ordinis claris operibus fragrantiam ſuavitatis aſſumimus, & benigne ſperamus, quod ad hoc principaliter veſtra deſudet intentio, ut lucrifaciatis Chriſto animas verbo pariter & exemplo. Quare de te plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni tuæ præſentium auctoritate committimus, ut Fratres ejuſdem Ordinis, quos ad hoc idoneos eſſe cognoveris, de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum tuæ Provinciæ ad Cumanos, qui ad ſuſcipiendam fidem Catholicam diſpoſiti eſſe videntur, tranſmittere valeas, ut eis prædicent verbum Dei, tibi & per te Fratribus illis, qui jam miſſi ſunt illuc, vel quos propter hoc mitti contigerit, nihilominus concedentes, ut illos, qui ad fidem prædictam converti voluerint, poſſint juxta ritum, quem in talibus Romana obſervat Eccleſia, baptizare. Datum Viterbii Nonis Octobris, anno 1.

XIV. Graviſſime & prudentiſſime egit cum Rodulpho Imperatore, ut ſtabilita, & firma omnia jura vellet Eccleſiæ Romanæ, ac nova donatione tolleret omnem ambiguitatem vel defectum, ſi quæ eſſent, circa

ea

ea quæ ex liberalitate & pietate Cæſarum poſſidebat. Chriſtiane & pie juſtis votis Rodulphus ſubſcripſit, & fratrem Conradum Miniſtrum Fratrum Minorum ſuperioris Germaniæ, Nuncium & Procuratorem ſuum miſit ad Pontificem, data ei plenaria poteſtate, omnia illa in rem Eccleſiæ Romanæ confirmandi, quæ primum nomine Rodulphi Otto Præpoſitus ſancti Guidonia Spirenſis, Regalia Aulæ Cancellarius, in Concilio Lugdunenſi Gregorio Pontifici coram Patrum conſeſſu pollicitus fuerat; & quæ Lauſanæ coram eiſdem Pontifice & Cardinalibus idem Rodulphus olim ſpoponderat, atque obtulerat. Is itaque Conradus Romam veniens, in Palatio Apoſtolico apud ſanctum Petrum, in conſiſtorio publico præſentatis litteris a Rodulpho Rege Romanorum, Viennæ anno Domini MCCLXXVIII. XIV. Kalend. Februarii datis, coram Nicolao Pontifice & Cardinalibus tam antiquis, quam noviter ab eo creatis, omnia ſupradicta nomine ejuſdem Regis innovavit, promiſit, obtulit, approbavit, & ſacramento roboravit, cum pacto quod eadem ſupradicta Rodulphus cum primum ſigna Imperii accipiet, Bulla aurea Sedi Apoſtolicæ data, ex formula privilegii confirmaret. Actum fuit Romæ hoc anno, IV. die menſis Maii, Indictione VI. præſentibus, atque inſtrumenti tabulam ſubſcribentibus Bonifacio Ravennatenſi, & Joanne Barenſi Archiepiſcopis, cum aliis Prælatia & viris nobilibus, quarum adhuc integrum & illæſum aſſervatur autographum in Archivo Romano.

Miniſter Minorum Germaniæ Nuncius Rodulphi.

Vide Speculator. par. 2. tit. de reſcripti præſentatione §. fin. n. 18.

Confirmat nomine Imperator. omnia jura Eccleſiæ.

XV. Ut omnia hæc ad perpetuam rei memoriam firmius conſiſterent, ea voluit repetita, & bulla aurea confirmata per ipſum Rodulphum. Remiſit proinde in Germaniam eumdem Fratrem Conradum, qui juxta tenorem ſequentis inſtructionia omnia cum Imperatore tractaret; & inſuper de componendis controverſiia inter eumdem Romanorum, & Siculorum Reges diligentem operam adhiberet. Ex decem quæ in regeſto ſunt hujus tractatus tabulis, damus ſequentem.

Remittitur à Pontifice ad Imperatorem.

Dilecto filio fratri Conrado Miniſtro Fratrum Minorum ſuperioris Alemanniæ ſalutem, &c.

In litteris Cameral. n. 7.

C*Um te ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Rodulphum Regem Romanorum Illuſtrem pro certis negotiis remittamus, ſic te gerere volumus in iis, quæ tibi imminent facienda. In primis eumdem Regem ex parte noſtra cum benedictionis dulcedine ſalutabis. Item præſentabis ſibi litteras noſtras, quæ incipiunt:* Intima mentis noſtræ *&c. Item alias quæ incipiunt:* Ad tuæ devotionis augmentum. *Item alias quæ incipiunt:* In aliis quæ tibi diriguntur. *Deinde facias ratificari, innovari, recognoſci, confirmari, & de novo concedi, & nihilominus in tua præſentia corporali præſtito juramento firmari per ipſum Regem omnia & ſingula, quæ per te facta fuerunt ſuo nomine coram nobis, prout continentur in quinque inſtrumentis confectis per manus Magiſtri Pauli de Reate Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ noſtræ Notarii, tuo ſigillo ſignatis, quorum tenores tibi de verbo ad verbum facimus exhiberi: ita quod de prædictis quinque inſtrumentis ratificandis ſiant quinque alia ſub aurea bulla Regis, videlicet de quolibet unum ſecundum notam, quam tibi tradi fecimus, quæ incipit:* In nomine Domini Amen. Nos Rodulphua Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus. Ad æternam rei geſtæ memoriam recognoſcimua & fatemur, *&c. Proviſo quod in diverſitate ratificationum prædictorum quinque inſtrumentorum verba competentia factis, cum diſcretione & maturitate mutentur,*

tur, & ordinentur, ſicut per eamdem notam inſtructio tibi datur; diligenter attendens, quod inter teſtes alios, qui in ratificationibus hujuſmodi apponentur, ponantur Principes, & alii Nobiles cum ſubſcriptionibus eorumdem. Item per ea, quæ in tenoribus privilegiorum Romanorum Imperatorum propriis oculis inſpexiſti, referendo ipſi Regi, quomodo Civitas Bononiæ, Ravennæ, & ceteræ aliæ Civitates, & loca, quæ in litteris directis eidem Regi expreſſius nominantur, ad nos, & Romanam Eccleſiam clare & diſtincte pertinere noſcuntur, quorum etiam privilegiorum tenores per te dicto Regi ſub bulla noſtra tranſmittimus; inducas eumdem Regem ut omnia, & ſingula, quæ tam in declarando, quam in recognoſcendo, & de novo etiam concedendo, atque donando, & alia faciendo, prout in notis, quas tibi tradi fecimus, quarum una ſic incipit: Summa Reipublicæ tuitio, *&c. Et reliqua*, In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Rodulphus, divina favente clementia, Rom. Rex ſemper Auguſtus. Ab eo ſolo, *&c. continentur prompte ac liberaliter faciat nobis ſuper his ſuas litteras, ſecundum formam ipſarum notarum, ſub bulla aurea concedendo, & nihilominus omnia & ſingula, quæ fecit in noſtra, & noſtrorum Fratrum præſentia Magiſter Gottifredus Præpoſitus Eccleſiæ Solien. Salzeburgen. diœc. ipſius Regis Protonotarius, de Mandato Regis ejuſdem, facias confirmari, ſecundum formam, quam fecimus tibi exhiberi, & procures attentius per dictum Regem litteras & nuntios fideles, utiles & aptos ad talia, qui fideliter & clare, prout decet, expediant, nec involvant, ad partes illas ſolemniter deſtinari, per quos ea quæ idem Rex fecerit in prætactis, ſolemniter publicentur, & ad omnium notitiam deducantur, & per eoſdem circa prætacta omnia faciant, & integre impleantur, quæ nobis neceſſaria, vel utilia videbuntur. Item*

Committitur ei concordia tractanda inter Reges.

quia multum inhæret noſtris affectibus, ut inchoati tractatus ſolidandæ concordiæ inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ, & prædictum Rodulphum Romanorum Reges Illuſtres, dante Domino, compleantur, & intentionis noſtræ ſit ſuper iis per vias, quas poterimus, dare operam efficacem, ne ex defectu procuratorii, vel mandati ex parte ipſius Romanorum Regis bonum tantæ concordiæ contingeret impediri, vel etiam retardari, procurare ſtudeas diligenter, quod idem Rex Romanorum mittat ſpeciales Ambaxiatores, & Nuntios ad nos cum plenaria poteſtate tractatus reſumendi prætactos, illoſque proſequendi, necnon conſummandi, & circa dictam concordiam, caritatem, amicitiam, ac fœderis unionem ordinandi, componendi, paciſcendi, tranſigendi, compromittendi, promittendi, & confirmandi cautionibus opportunis, & omnia alia plene, libere, generaliter, & ſpecialiter faciendi, quæ in ſolemnitate, ac expeditione tanti negotii requiruntur, abſque conditionali adjectione, ſalvo jure, vel demembratione Imperii, aut alia ſimili, cum tales clauſulæ captioſæ plurimum videantur, cum intendamus ab eodem Rege Siciliæ ad ſolidationem prædictæ concordiæ poteſtatem ſimilem procurare. His autem per ſollicitudinem tuam cum omni celeritate qua poteris, plenarie adimpletis, cum privilegiis, litteris prædicti Regis, & aliis, quæ petimus infra inſtans feſtum Nativitatis beatæ Virginis, vel Kalendas futuri proximi menſis Octobris, ad noſtram præſentiam revertaris, intentionem ejuſdem Regis Romanorum in his & aliis, quæ tibi commiſerit nobis fideliter relaturus. Intendimus enim quod ſive Rex ipſe mittat alios nuntios, ſive non, tu nihilominus ad nos in prætacto termino in omnem eventum negotii redire aliquatenus non omittas. Ceterum prætacta, quæ in memoriali hujuſmodi continentur, & eorum quodlibet, ſic attente percurras, diligenti ſollicitudine inveſtiges, ac ſollicita diligentia pro-

ſe-

ſequaris, quod nihil per incuriam negotio tanto depereat, nihilque ſuper iis tuæ negligentiæ valeat imputari, quin potius diligentiam tuam poſſimus exinde merito commendare. Datum Romæ apud ſanctam Petrum Nonis Junii anno 1.

XVI. Ex his litteris, iiſque quas ad Palæologum datas exſcripſimus ſuperius, plene conſtat quam aberrent, qui vel Græcorum, vel Germanorum Imperatorem in Carolum Siciliæ Regem concitare voluiſſe Nicolaum temere ſcribunt. Etenim nihil tam concupierat, quam omnes ab armis revocare, atque inter eos pacis fœdera ſtabilire, ut vel oblatæ tabulæ, atque aliæ multæ in hunc dumtaxat finem conſcriptæ, aperte teſtantur. Poterat Nicolaus, ſi quemadmodum impoſtores fingunt, odio Caroli flagraret, Rodulphum ſponte in arma ruentem, acrius impellere in vindictam ejus, quam mentiuntur injuriæ, & in occaſiones, quas comminiſcuntur captandas familiæ ditandæ, atque ampliandæ: Verum non is Nicolao animus fuit, ut vel malum malo rependeret, vel in ordinem eum redigere cuperet, ut potius Rodulpho imperaverit, ne in Italiam penetraret, neve exercitum præmitteret, antequam cum Carolo ei bene conveniſſet. Audivit Pontificem Imperator, atque fratrem Conradum ſupradictum ſuum Nuncium remiſit, una cum Magiſtro Gottifredo Præpoſito Eccleſiæ Solienſis Salzeburgen. diœceſis ſuo Protonotario, qui referrent quid illi cum Carolo intercederet, quantumque Majeſtati Imperatoriæ decederet, ſi Rex Siciliæ, & titulo Senatoris Romani, & poteſtate Vicarii Etruriæ præemineret. Ceterum nec quidquam de candore Nicolai dubitavit, quin potius totum illi arbitrium pacis ſtabiliendæ permiſit, ut is Apoſtolica auctoritate conditiones concordiæ proponeret, cognoſceret, decerneret, remque bono publico definiret. Conſtant omnia hæc ex Imperatorio diplomate dato in Caſtris apud Dian. hoc anno Nonis Septembris, Indictione VI. Regni anno V. Conſtat etiam ex Epiſtola 7. Nicolai Pontificis in Regeſto Vaticano data Romæ apud ſanctum Petrum II. Idus Decembris poſt deſtinatos a Gregorio X. Innocentio, & Adriano V. varios Legatos pro componendis controverſiis inter hos Reges, etiam a Joanne ſucceſſore in eamdem curam miſſum ad Imperatorem fratrem Bartholomæum de Amelia Ordinis Minorum.

Hoc anno n. 4. Papir Maſſon. & ex eod. Ciac. in Nicol. III. & alii.

Liberatur a calumnia Nicolaus Pont.

XVII. De bellorum motibus comprimendis, & feriendo fœdere, vel induciis ſtatuendis cum Palæologo, ejuſque Legato ſalvo-conductu concedendo egit cum eodem Carolo, & Philippo Conſtantinopolitano Imperatore per varias litteras, in quibus nihil tam ſe deſiderare profitetur, quam ut pacifice viverent Principes Chriſtiani, & ad Romanæ Eccleſiæ unitatem omnes convenirent. Ex multis hujus argumenti tabulis damus ſequentem.

Hortatur Carolū Regem, ut det ſalvum conductum legatis Palæologi.

Regi Siciliæ Illuſtri.

SIcut tuam novimus Excellentiam non latere, felicis recordationis Joannes Papa prædeceſſor noſter, certis ad partes Græciæ ſuper tractatu ſpiritualium proſequendo Nuntiis deſtinatis, cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum Illuſtrem per ſuas ſub certa forma litteras diligenter monuit, & induxit, ut ſuper temporalibus, quæ inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Imperatorem Conſtanti-

Reg. Vatic. nu. 151.

tinopolitanum Illuſtrem, ac teipſum ex parte una, & eum ex altera, diſſenſionis materiam ſubminiſtrant, animum ſuum habilitans & diſponens ad pacem, ac vias, & modos excogitans, per quos poſſet ſuper eiſdem temporalibus ſedari diſcordia, & concordia provenire ſuper illis, prædictos ejuſdem Prædeceſſoris Nuncios informare, ſuos Apocriſarios ad pacem animum & mandatum habentes proſecuturos eoſdem modos & vias, ad ejuſdem prædeceſſoris præſentiam infra certum tempus in eiſdem litteris comprehenſum deſtinare curaret. Et ne interim hinc vel inde moleſtiæ, vel offenſæ procederent, inter eos certas treugas certi temporis perſuaſit iniri. Verum quia ſuper his adhuc optatus exitus non provenit, Nos Venerabilem fratrem noſtrum Bartholomæum Epiſcopum Groſſetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis Miniſtrum Syriæ, Philippum Peruſinum, & Angelum Urbevetanum Lectores Ordinis Minorum, ad partes Græciæ ad proſequendum, quæ circa tractatum ſpiritualium inter Latinos, & Græcos opportuna reputavimus, deſtinantes, ſuper temporalibus memoratis per noſtras ſub certa forma litteras apud dictum Palæologum eamdem monitionis, inductionis, & perſuaſionis inſtantiam iteramus. Ideoque Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, quatenus prudenter conſiderans, quod ſedatio diſſenſionis ejuſdem ſpiritualiter & temporaliter eſt multipliciter utilis, & ob hoc nobis valde votiva ſuper dictis treugis ineundis ita provideas, & ab eodem Imperatore Conſtantinopolitano provideri procures, quod vel inibi opportuno tempore ipſius Imperatoris Conſtantinopolitani, & tui Nuncii cum mandatis ſufficientibus ſint parati pro treugis ineundis eiſdem, & ipſis firmitatibus opportunis, & debitis roborandis, vel ſi ipſi Imperatori, & tibi non videtur hoc poſſe in partibus illis de facili fieri aut ſecuritatibus debitis roborari, cum Apocriſarios ejuſdem Palæologi, juxta præmiſſam noſtram inſtantiam, venire contigerit, ejuſdem Imperatoris Conſtantinopolitani, & tuis Nunciis ad hoc concurrentibus coram nobis, ad omnia ſufficienter inſtructis, tam ſuper ipſis treugis, quam ſuper principali negotio libere, & efficaciter, auctore Domino, procedatur. Datum apud Caſtrum Capranicæ. xv. *Kalend. Novembris anno* 1.

Anno 1277.

Prædicatorum & Minorum Generales mittuntur ad pacificandos Reges.

Bzov. an. 1278. n. 18. & 25. Ciac. in Nicol. III. Inter litteras curiales Regeſti ep. 3. 4. 5. & 6.

XVIII. Perquam impenſe etiam laboravit in ſedandis turbulentis motibus, & præveniendis bellorum tumultibus inter Philippum Gallorum, & Alphonſum Caſtellæ, & Legionis Reges valde diſcordes, ex cauſis ſuperius allatis. Nullum non movit hac in re lapidem, nulli pepercit labori, ſæpius orans, deprecans, exhortans, auctoritate compellens, ut ea quæ pacis ſunt, potius amplecterentur, quam arma, quæ frequentius in ſubditorum damna, & innocentum oppreſſionem procedunt. Angelos pacis jam elegerat ſuperiori anno Joannes Pontifex Joannem Vercellenſem (quem Viterbienſem ex errore Bzovius, & Perrum de Parma ex alio craſſiori vocat Ciaconus) Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Generalem, & Hieronymum Aſculanum Ordinis Minorum Miniſtrum item Generalem, quos eidem muneri addicendos ſub fine anni proxime elapſi ſucceſſor Nicolaus judicavit. Miſit etiam tamquam interlocutores, & qui plenius omnia voce referrent ad Gallum, Joannem de Viterbio Procuratorem Ordinis Prædicatorum, quem Bzovius Magiſtrum judicavit Generalem; ad Hiſpanum, Benevenutum Ordinis Minorum doctum prædicatorem, & virum gravem, mox Epiſcopum Eugubinum, datis etiam ad Simonem de Bria tituli ſanctæ Ceciliæ Cardinalem tunc Legatum in Gallia cum poteſtate magna, pro ſacro bello inſtaurando, litteris,

ut

ut his Nunciis in boc tractatu proſequendo conſilio adeſſet, & auxilio.

XIX. Creatis autem hoc anno 1. Idus Martii Cardinalibus, & inter bos electo prædicto Hieronymo Aſculano, aſſumptoque in Patriarcham Hieroſolymitanum ejus ſocio Joanne Vercellenſi, addidit Pontifex paci tractandæ tertium Nuncium Gerardum Blancum, ex villa Gainaco Parmenſi, tituli SS. XII. Apoſtolorum, presbyterum Cardinalem, locnmqne deſignavit, quo Regii procuratores cum plenitudine poteſtatis ad paciſcendum, conveniendum, & controverſias tollendum coirent, Civitatem Toloſanam.

Adiunguntur alii hujus tractatus ſocii.

Sed dum expectat ex data a Regibus fide, per præmiſſos prævios Nuncios Joannem, & Benevenutum explicata, cuncta in eadem urbe pacifice obeunda, Hiſpanus ſuos mittere noluit, ea prætenſa ratione, Civitatem præſcriptam in Dominio Galli ſitam, remotam nimis ab oris Betbicis, quas a Maurorum quotidianis incurſibus præſentem oportebat defendere, neque alio ſe ſuoſve, quam Perpinianum, aut Bajonam venturos. Doluit Pontifex ſe eluſum, irritoſque tot conatus Legatorum; aſpera proinde data epiſtola obtenias excuſationes refellente, tandem eo itum eſt, poſt longas unius alteriuſque anni moras, & inanes Pontificis operas, ut data acceptaque fide a Caſtellano, Gallo, & Aragonio Regibus (quorum hic poſtremus puerulos Regis Galliæ nepotes, Ferdinandi Principis defuncti filios, circa quorum jus in ſucceſſione Regni diſceptabatur, uti diximus ſuperius, Setabi in arce, tuta cuſtodia penes ſe retinebat) in colloquium deſcendere, & de omnibus controverſiis coram agere placuerit. Eo conſilio Gallus Salvaterram acceſſit, Bajonam Caſtellæ Rex in Tarbellis ſitam, in finibus Aquitaniæ.

Joan. Maria lib. 14. c. 4. An. 1277. n. 7.

Quid tandem actum.

Ut coram de conditionibus agerent, Sancii aſtu impeditum eſt, ne a patre, in nepotes haud obſcure propenſo, aliquid contra ſuam dignitatem impetraretur. Sermonum tantum miniſter Carolus Tarenti Princeps, Siculi Regis filius, ultro citroque uti commearet impetratum, neque quidquam tamen perfectum eſt, cum omnia conſilia Principum Sancii artibus eluderentur', tametſi æquiſſima petere Galli videbantur: Alphonſo puero Giennium urbem Regis nomine dari, ut Regum Caſtellæ beneficiario. Soluto eo Conventu Gallus, & Aragonius Reges Toloſam inter ſe collocuturi convenerunt, nibilo majori quam priori colloquio, operæprætio; prorſus ut Regem Gallum ludibrio habere viderentur. Monpellerii tantum principatum, quoniam de eo controverſia erat, Rex Gallus jurejurando eſt pollicitus, ſe Jacobo Baleari Regi relicturum, gratiſſimumque Sancio Principi accidit, Galli Regis opera, tantaque contentione nihil a Regibus, quod ad puerorum quidem commodum pertineret, eſſe impetratum. Patris tantum inconſtantiam verebatur, ne ætatis commiſeratione ad nepotes reſpiceret: nam mutatæ voluntatis non levia extabant indicia: multique qui Principum offenſas acriter ſpeculantur, Alphonſum Regem variis criminationibus in filium concitabant, eum Reipublicæ procurationem univerſam occupaſſe, omnia pro arbitratu invertere, Regis auctoritatem contemptui habere. Erat Alphonſo ingenium varium, flexibile, multiplex, pudenda actionum inconſtantia, cum ætate effecta major. Ne vero ad bellum inter duas potentiſſimas nationes procederetur, neque Reges manus conſererent in tantis animorum commotionibus, & contendentes de Regno, Gallo pro nepotibus, Hiſpano pro filio, arma ſuſpenderent, Pontificis pietati, & paternæ debetur ſollicitudini. Quatuor vel quinque inſtituit hac de re legationes, miſſis Eccleſiæ Principibus, & ſcriptis ultra viginti Epiſtolis graviſſimis, quas ex Va-

Habentur in append. litterarum Curialium f. 69. 74. & deinceps.

Vaticano Regeſto curavi exſcribi. Unius vel alterius dabimus exemplar in operis appendice.

Creatur Cardinalis Præfectus Minorum.

Ciac. cit.

XX. Dum in hac legatione abeſſet Hieronymus Miniſter Generalis, ob præclara merita, & perpeſſos pro Eccleſia labores, creatus eſt S. R. E. Cardinalis tituli ſanctæ Potentianæ. Errat in eo Ciaconus, quod in Hiſpaniam dicat ablegatum, ad curiam redeuntem Patriarcham Hieroſolymitanum deſignatum, eum honorem cum dignitate Cardinalatus commutaſſe, & cum Gerardo Cardinale tituli XII. Apoſtolorum iterum in eam Provinciam ablegatum. Nihil horum ſubſiſtit; etenim ex ipſis Pontificiis habetur Epiſtolis in Franciam miſſum, atque ibi exiſtentem Cardinalem creatum, neque illum, ſed ſocium Joannem Vercellenſem Ordinis Prædicatorum Primicerium, Patriarchatu Hieroſolymitano donatum; Gerardum item collegam datum in Galliis hærenti, non ex Italia denuo abeunti. Aſſumptionis ſuæ nuncium ab ipſo Pontifice per has litteras accepit.

Hieronymo quondam Fratrum Minorum Generali Miniſtro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali.

Reg. Vatic. n. 24. Amos 9. 11.

XXI. S*Ummus omnium Magiſter & opifex, ore prophetico inquiens:* Suſcitabo Tabernaculum David, quod cecidit; *ac poſt pauca ſubjungens*; & ea quæ corruerant, inſtaurabo, *Vicarios ſuos pro tempore futuros inſtruxit in Eccleſia Dei reparare quæ decidunt, & ut neceſſarios Miniſtros ipſius, quos ſortis humanæ fragilitas frequentius ſubtraxit, & diutius manere non ſinit, remedio viciſſitudinariæ ſubſtitutionis inſtauret, & hinc nos, non ſine multa mentis amaritudine, recenſentes ſolemnes a paucis retro temporibus in ſacroſancta Romana Eccleſia cecidiſſe columnas, & multiplicatas in ipſa ex multorum Cardinalium ſubtractione ruinas illas, prætactam ſecuti doctrinam, cum Fratribus noſtris frequenti & perpenſa deliberatione præhabita, implere ſtuduimus, ſubtractorum vices aliis dilectis, ut credimus, & electis a Domino de ipſorum Fratrum conſilio ſubrogatis, ut eidem piæ matri Eccleſiæ pro patribus filii naſcerentur, quorum conſilio dirigi poſſit in dubiis, & fulciri ſuffragiis in adverſis. Inter quos ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus inſignivit conſiderationis convertentes intuitum, te in Presbyterum Cardinalem ipſius Eccleſiæ duximus aſſumendum. Licet itaque ad ſupportanda nobiſcum ejuſdem Eccleſiæ onera, tua foret admodum apud Sedem Apoſtolicam præſentia opportuna, ne tamen negotium tuæ, ac dilecti filii Fratris Joannis Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtri prudentiæ commiſſum, aliquod ex abſentia tua diſpendium patiatur, de tuo ad ſedem eamdem reditu certo modo duximus ordinandum, noſtrum circa hoc beneplacitum per alias noſtras litteras communiter tibi, & eidem Magiſtro directas apertius exprimentes, quod prout opportunitas facti conceſſerit, proſequaris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum* IX. *Kal. Maii, anno* I.

In litteris Curial. epiſt. 24. 25. & 27.

Invitus dignitatem admittit.

XXII. Cum his miſit alias litteras ad eumdem & Prælatos Eccleſiarum, omniumque Religionum, ut ultra ſtatutam pecuniæ ſummam, ſibi & ſocio præfato Joanni hac legatione fungentibus quotidie præſtandam, jam deſignato Cardinali ampliori familia, & majoribus ſumptibus indigenti largius ſuccurreretur. Ad lætum, & honorificum nuncium vir probus & religioſus non ambulavit in magnis, neque exaltavit animam ſuam

ſuam: imo ſe tanto honore indignum humiliter ſentiens, reſcripſit ad Pontificem, ultra ſuas vires & merita eſſe beneficium, & potiori viro conferendum: neque dum in Gallia detentus eſt, ſubſidia Eccleſiarum admiſit. Amplius reſiſteret, & dignitatem omnino excuteret, niſi timeret (ipſe ajebat) Ordinem ſuum offendere, vel Fratribus nocere, inter quos dicebat ſe malle converſari, & in humilibus obſequiis inſervire, quam Cardinalitio eminere faſtigio. Ex inſcriptione etiam illa Pontificii diplomatis *Hieronymo, quomdam Fratrum Minorum generali Miniſtro* (ex qua obviam notatur contra Ciacon. citatum nullam fieri mentionem Patriarchatus, quem pro more Pontifex explicuiſſet, ſi ille prius obtinuiſſet) ſublatam in eoſdem Fratres poteſtatem judicavit, neque illorum regimini voluit ſe amplius immiſcere, donec Pontifex novo reſcripto curam Ordinis gubernandi impoſuit hoc tenore verborum.

Fratri Hieronymo Presbytero Cardinali.

Reg. Vat. n. 41.

Jubet Pontifex ut retineat præfecturam Ordinis Minorum.

PRudentiæ tuæ circumſpectam induſtriam ex tuis laudabilibus actibus aperte colligimus, & illam multipliciter in Domino commendamus. Nam ſicut nuper ad noſtrum pervenit auditum, poſtquam te in Eccleſiæ Romanæ Cardinalem aſſumpſimus, quia te quondam Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum miſſæ tibi litteræ noſtræ deſcribebant, ta Miniſtri Generalis officium exercere ulterius dubitaſti. Verum quia dictus Ordo ad præſens carere dicitur directore, nos circa ipſum, quem in domo Domini prælucere conſpicimus, & corde tenemus, paterna ſollicitudine vigilantes, ut nihil inibi quovis defectu poſſet exereſcere, quod odorem tuæ famæ reprimeret, vel ejus decorem obnubilet, ſed potius, Deo propitio, protegatur a noxiis, ſalubria ſemper incrementa ſuſcipiat, & pacis affluat ubertate, præſentium tibi tenore mandamus, quatenus donec circa id aliter proviſum extiterit, prædicto vaces, & intendas officio, ſicut ante aſſumptionem hujuſmodi faciebas, & illud, ac ea quæ ad ipſum pertinent, plene, ac libere, & ſpecialiter circa diſpoſitionem loci, & temporis celebrandi Capituli generalis, prout ad laudem Dei, & quietem dicti Ordinis expedire cognoveris, exequaris. Datum Viterbii VIII. *Idus Julii, anno* 1.

Creatur Cardinalis frater Bentiven.

XXIII. Præter hunc alium eadem creatione deſignavit ex Minoritis Cardinalem Bentivengam de Bentivengis Aquaſpartanum, Provinciæ ſancti Franciſci, Tudertinum Epiſcopum a Joanne XX. creatum, ut ſupra diximus, quem prius confeſſarium & familiarem habuit Pontifex Nicolaus. Duplici honore in ipſa aſſumptione affecit, & Epiſcopatus Albanenſis, in quo eum præceſſit ſanctus Bonaventura, & majoris Pœnitentiarii. Vir fuit doctus, & rebus agendis idoneus. De eo ita Paulus Corteſius: *Bentivenga Tudertinus, Theobaldus Brittannus, Matthæus & Neapoleo Urſini, maxime laudari poterant, propterea quod ab his numquam ſit ſcribi & diſputari deſtitutum, multaque ab his in Theologia ſcripta feruntur, quæ jam aut vetuſtate areſacta latent, aut in publicum ſuppoſititii nominis uſurpatione prodierunt.*

Ann. 1276.

Ottogarus Rex Boemiæ moritur.

XXIV. Cæſum hoc anno die XXVI. Auguſti Ottogarum Regem Boemiæ contra Rodulphum Cæſarem præliantem, primum Znoymam delatum ſcribit Dubravins, deinde translatum Pragam, & in Cœnobio D. Franciſci ab illo ædificato majore pompa ſepultum. Sed quod ad Monaſterium attinet alias diximus ex eodem auctore, illud a Primiſlao Ot-

Dubrau. lib. 17. hiſt. Boem. Tom. 2. an. 1254. n. 4.

togaro hujus cognominis primo ædificatum: fortaſsis hic inchoavit, ille abſolvit, vel refecit.

Frater Tellius fit Archiepiſcopus Braccarenſis.

Frater Bartholomæus Epiſcopus Groſſetanus.

XXV. Aliquot etiam ex Minoritis evexit hoc anno ad infulas Pontificias; fratrem Tellium Miniſtrum Provinciæ Caſtellæ ad Archiepiſcopatum Braccarenſem in Luſitania primum, qui & de primatu cum Toletano contendit, per aſſumptionem Ordeonii ad Cardinalatum, & Epiſcopatum Tuſculanum vacantem, aſſumpſit. Abſenti merita & bona fama hanc ei dignitatem conciliarunt, quem tamen pro conſecrationis munere obtinendo, voluit Pontifex videre præſentem: *Militanti Eccleſiæ* VIII. Idus Aprilis. Groſſetanam in Etruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi Eccleſiam, & conſecrationis munus ſuis manibus impendit fratri Bartholomæo, cujus opera uſus eſt poſtea in legatione Conſtantinopolitana, quam ſupra retulimus: *Militantis Eccleſiæ*. V. Idus Aprilis, deditque litteras ad Ildebrandinum Comitem de ſancta Flora, & Ildebrandinum de Pitilliano Comitem Tuſciæ Palatinum, ut ejuſdem Eccleſiæ jura in ſuis terris conſiſtentia benevolo favore protegerent, & defenderent. Nepeſinæ Eccleſiæ in Provincia Romana, & ditione Pontificia per mortem Laurentii Epiſcopi paſtore deſtitutæ præfecit Fratrem Thomam Minoritam a ſe ipſo conſecratum, ad quam regendam prius ipſius Eccleſiæ Capitulares elegerunt fratrem Bartholomæum de Corbonaria Minoritam, ſed denegata ſibi a ſuo Prælato regulari licentia hoc regimen ſuſcipiendi, in ſua humilitate permanſit. Litterarum idem eſt initium ac præcedentium. V. Idus Auguſti. Eugubii in Umbria ſub Archiepiſcopatu, & Ducatu Urbinate conſtituit Epiſcopum fratrem Beneventum, quem ad Caſtellæ Regem legatum diximus pro concordia ineunda cum Gallo: *Debitum officii*. Nonis Junii. Joannem Martini ab Eccleſia Gadicenſi in Bætica, cui præfectum diximus ſuperius, ad Egitanienſem in Luſitania per mortem ſui conſodalis fratris Walaſci vacantem tranſtulit: *In diſpenſatione miniſteriorum*. IX. Kalend. Januarii. Paulo autem antea in curia obiit Walaſcus; nam ex regeſto Pontificio conſtat, eum ſub fine Octobris vixiſſe, nam in epiſtola CLXXXVIII. ſcripta apud Burgum ſancti Joannis XI. Kalend. Novembris conceditur ei facultas teſtamentum condendi. „ Hoc anno V. Idus Martii, promotus eſt a
„ Nicolao Pontifice frater Franciſcus Monaldi Balneoregienſis ad Ec-
„ cleſiam Melphienſem in Lucania, Pontifici Romano immediate ſubje-
„ ctam. Anno ſequenti V. Idus Martii translatus eſt ad Eccleſiam Ur-
„ bevetanam, & anno MCCXCV. ad Florentinam.

Frater Thomas Epiſcopus Nepeſinus.

Frater Beneventus Epiſcopus Eugubinus.

Anno hoc n. 17.

Frater Joannes Martini Gadicē ſis.

Frater Walaſcus Epiſcopus Egitanien. moritur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Frater Franciſcus Melphien. Urbevetan. Florentinus.

Chron. 24. Gener. Marian. l. 3. c. 3.

Pax reformatur inter Prædicatores & Minores.

Tom. 3. an. 1255. n. 12.

XXVI. Dum vero in legatione Gallica Pariſiis hærerent Hieronymus & Joannes Generales Minorum, & Prædicatorum Præfecti exorientes aliquando controverſias inter utrumque ſodalitium omnino tolli cupientes, ex diſcretorum earumdem Religionum Patrum conſilio quædam ſtatuerunt, quibus pax & caritas deinceps nutrirentur; videlicet ut a mutuis detractionibus, & contentionibus abſtineretur; religioſo honore utrinque præveniretur, hoſpitia benevole paterent; dubia & quæſtiones litigioſæ ad Prælatos referentur per illos decidendæ; offenſionem præbentes, vel injuriam ferentes Provincialibus denunciarentur, hi pœnam infligerent, & offenſi ad ulteriorem vindictam non procederent. Hæc & alia ſalubriter inſtituta epiſtola encyclica ad univerſas Provincias ſunt tranſmiſſa. Similem præſcriptam concordiam per Generales Joannem Parmenſem, & Humbertum jam diximus.

XXVII. Ibidem etiam exiſtens Hieronymus Generalis, de multorum

rum

Anno Chaisti 1278.	Nicolai III. anno 1.	Rodulphi Imp. anno 6.	Relioionis Minorum anno 71.

rum Fratrum conſilio condemnavit, & reprobavit doctrinam fratris Rogerii Bacconis Anglici ſacræ Theologiæ Magiſtri, de quo nos alias, propter aliquas novitates ſuſpectas, & præcepit omnibus Fratribus, ut nullus eamdem ſequeretur, aut amplecteretur, ſed potius vitaret ut ſuſpectam, & ab Ordine reprobatam, & ipſum auctorem carceribus mancipavit. Prævenit etiam illius aut ſequacium querelas Pontifici, quod factum erat, ſcribens, & rogans ut actum confirmaret. Erat hic Vir miri ingenii, ſubtilioris quam felicis, nulla erat litterarum facultas, in qua non eſſet exercitatiſsimus, & in ſacra Scriptura ultra omnes verſatiſsimus. Sed ea quorumdam indoles, ut dum non plus ſapiant, quam oporteat, atque ultra communem, receptamque doctrinam quidquam novi non dicant, nihil ſe dixiſſe putent. Non ea debet eſſe in ſacris doctrinis libertas dicendi vel opinandi: in aliis liberalibus ſcientiis quod novum, gratum; in iſtis quod vetuſtum, ſecurum; ſua antiquitate ſacræ litteræ commendantur: ſat ſua vetuſtate conſiſtunt: *Omnino res Chriſtiana ſancta antiquitate ſtat, nec ruinoſa rectius reparabitur, quam ſi ad originem cenſeatur*. Joannes Pitſeus gentilem ſuum Rogerium hunc ita excuſat. *Dum Mathematicas ſcientias, & Philoſophiam, maxime naturalem, curioſius forſan, quam par erat, inſpiceret, profundius contemplaretur, & penitius penetraret; tam arcanas inde traxit conſequentias, & tam mirabiles rerum reconditarum intulit concluſiones, ut apud imperitum vulgus haberetur mirus præſtigiator, apud quoſdam etiam non indoctos de Magicis artibus vehementer fuerit ſuſpectus; imo & a malevolis tamdem graviter accuſatus. Super quibus, ſive vulgi ſuſpicionibus, ſive malevolorum accuſationibus, ab Hieronymo de Eſculo Ordinis totius Miniſtro Generali ferunt eum Romam vocatum, & juſſu Clementis Papæ IV. examinatum, vix ſatis ſe de nimis periculoſa curioſitate purgaſſe, & ideo ad tempus carceribus mancipatum fuiſſe. Sed ſalvo meliore judicio, hic locum habet verſus ille Ovidianus.*

Rogerii Bacconis doctrina reprobatur.

Ann. 1266.

Tertul. lib. 1. adver. Marcio. cap. 23.

Cōmendatur & excuſatur Bacconius.

Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem.

Certe malum hac in parte non videtur homini, niſi ex ſuo bono: nam ſecundum illud, & profundum litteratiſſimi hominis ingenium difficilia multa invenit, quæ aliorum ingenia ſi alta, a ſe non inventa dolebant, & ex invidia accuſabant; ſi vulgaria, ne inventa quidem capere poterant. Itaque ex invidia, vel ex ignorantia calumniabantur, & condemnabant illa, quæ ſuam vel effugerant induſtriam, vel ſuperaverant captum. Porro Bacconus aliquando Romam miſit diſcipulum ſuum Joannem Londinenſem ejuſdem Inſtituti Monachum, ad præfatum Pontificem cum libellis, & inſtrumentis Mathematicis a ſe compoſitis, & ſuæ Sanctitati auctoris nomine præſentandis, ut ex illis colligere poſſet Pontifex eum longe penitius, quam vulgus Doctorum, citra omnem artem illicitam, has ſcientias non inſpexiſſe ſolum, ſed etiam penetraſſe. In eo tamen errat Pitſeus, quod Romam vocatum dicat, cum in Gallia ſubierit judicium, neque hoc potuit incidere in tempus Clementis IV. quo Hieronymus adhuc non erat Generalis Miniſter. Quod de ejus libris ad Pontificem transmiſſis ſcribit, hoc accidit prius, & ſub Clemente, uti nos narravimus ſuperius.

Ann. 1266.

XXVIII. Tunc etiam coram eodem Præfecto accuſatus frater Petrus Joannes Olivi ex Provincia Provinciæ Cuſtodia Narbonenſi, & Conventu Bitterenſi, quia tractatulos quoſdam de beata Virgine conſcripſit, quibus novas etiam opiniones immiſcuit. Voluit ultra menſuram Virginis præconium efferre, eaſque laudes tribuere, quæ neque ipſi Virgini

Examinatur doctrina Petri Joannis Olivi.

profecto placerent: etiamſi communiter aſſeratur, in Virgine laudanda excedi non poſſe, quippe quæ major ſit omni laude; attamen ea quidam comminiſcuntur, quæ vere laudes non ſunt, ſed ineptiæ: *Honor Reginæ judicium diligit, Virgo Regia falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum*. Laudari vult, ſed diſcrete. Perlegit Primicerius hujus Opuſcula, in quibus dum auctorem exceſſiſſe judicavit, juſſit ut ipſe propriis manibus ea traderet incendio. Confeſtim ille obediit, & abſque ulla animi commotione in Eccleſiam deſcendit ſacrum facturus. Admirati Fratres, interrogarunt quomodo poſt tantam confuſionis mortificationem, abſque expiata ſaltim conſcientia per confeſſionem ſacramentalem de commoto in ſuperiorem animo, acceſſerit ad altare? Reſpondit, pacatiſſimo hæc animo feciſſe, nec voluptuoſius pro ſuo captu illa ſcripſiſſe, quam pro Prælati imperio combuſiſſe. Jacturam item minimam fuiſſe, quando, ſi oporteat, liberum & facile fuerit eadem vel potiora reficere. Faſſus eſt poſtea Primicerius in Apoſtolica Sede conſtitutus, dum de hujus Petri vita, & doctrina coram eo ageretur, non tam ad ſupplicium, quam ad mortificationem hoc ei præcepiſſe, & luxuriantem ingenii ſubtilitatem voluiſſe putare, exuberantiſque ingenii tumorem ſupprimere; & quæ de beata Virgine diſſerebat, non tam erronea, quam nova & ſingularia fuiſſe.

Bern. epiſt. 174.

Ortus & converſatio Petri Joannis.

XXIX. Prælibanda hic iſtius Petri nativitas, & converſatio, ut alias æquius de eodem efformari poſſit judicium in multis rebus, quarum non ſemel ab æmulis inſimulabatur. Ortus in Caſtro ſanctæ Mariæ Sirignani in Gallia, oblatus eſt a parentibus ſancto Franciſco in prædicto Conventu Bitterenſi anno ætatis XII. & Chriſti nati MCCLIX. quare valde errat Franciſcus Penna eum viguiſſe, vel emerſiſſe aſſerens circa annum Domini MCCXX. temporibus Cœleſtini III. neque tunc etiam regnabat Cœleſtinus, qui creatus eſt anno MCXCI. Hujus Petri converſatio miro placuit univerſis, quippe ingenium vividum, mores optimi, inceſſus gravis, verba ſeria magnam ei apud ſuos conciliarunt auctoritatem, & multiplici doctrinarum facultate apud exteros egregiam obtinuit opinionem. Baccalaureus Pariſiis creatus, indefeſſo ſtudio pietatem, manſuetudinem, humilitatem, & ſanctam coluit paupertatem, aliis factus norma diſciplinæ, atque ad eas tamdem aſcendit virtutes, ut ſpiritu prophetiæ multa vere prædixerit, & curandæ animæ multos præmonuerit. Tendebant tunc alii in laxiorem vitam non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum carnis indulgentias, placidum ſibi, aliiſque vivendi genus efformantes, quibus Petrus hic ſe oppoſuit, modo, juxta doctrinam Apoſtoli, arguens, modo obſecrans, alias ſevere increpans, quorum contra ſe excitavit invidiam. Alii vero ei inſeparabiliter adhærebant, & vitam venerantes, & doctrinam ſequentes, quorum ſequela amplius cruciabat inimicos, donec in eum conſpirarunt, & in multis accuſarunt ſcrutantes in ſcrutationibus ſuis, ut ſuis locis dicemus. Præter ceteros, valde doctrinæ & perſonæ ejus addicti Raymundus Gualfredi Miniſter mox Generalis, & Ubertinus de Caſali. Plurima pie ſcripſit Opuſcula, quorum alias dabimus catalogum.

Penna in comment. direct. 1. 2. ſchol. 25.
Chron. antiq.
Marian. l. 3. c. 3.
Marc. 2. par. lib. 5. c. 23.
Antonin. tit. 24. c. 9. §. 11. & 13.

Reprehendit libere diſciplinæ regularis diſſolutionem.

Hinc excitatæ contra eum turbæ.

Floret ſub hoc tempore Joannes Peccamus.

XXX. Floruerunt ſub hoc tempore in Ordine alii viri præſtantiſſimi, e quibus horum recurrit memoria Joannis Peccami Angli, patria Ciceſtrienſis, ut traditur. Ipſe certe in regeſto Cantuarienſi in litteris ad Abbatem Cluniacenſem fatetur, ſe non procul ab Hewenſi Cœnobio educatum, ab eodem ſe liberaliter adjutum, beneficiique accepti memo-

moriam ingrate non depoſuiſſe, ſed paratum ſe illi gratificari oſtendit. Quantumvis humili loco natus, alto tamen ingenio præditus aſpiravit ad magna, paulatimque virtutum ſuarum meritis obtinuit. In prima adoleſcentia litteris operam dedit Lutetiæ Pariſiorum, magiſtro præcipue ſancto Bonaventura, deinde Oxonii ſacræ Theologiæ ſupremam lauream Doctor, & primam in eadem facultate cathedram Profeſſor accepit. Demum Pariſiis publice Magiſtrum ſententiarum prælegit, utrobique ſacram Scripturam expoſuit, & irrepentes tum quaſdam vocum novitates erudite confutavit, imo penitus exterminavit. Accepiſſe ſe a Margareta Regina Franciæ, aliiſque ejus regionis varia beneficia gratis agnoſcit. Poſthæc Provinciæ Anglicanæ creatus Miniſter ita ſe geſſit, ut multa ad Religionis augmentum, ſalubriterque inſtituerit, & ipſe omnium primus obſervarit. Orationibus, jejuniis, & vigiliis ceteros ſuperabat, in ſeptem quadrageſimas ad exemplum ſancti Franciſci integro anno diſtributo. In alta ſpecula poſitus unde alios videret, & ab iiſdem viciſſim videretur, non ſolum ab omni malo exemplo, ſed & a quavis ſpecie mali ſe cohibebat, & a licitis ſæpe abſtinebat, ne videretur nimium ſibi indulgere. Multas Europæ partes pedes peragravit, & ex Anglia Patavium venit ad Comitia generalia, rediitque abſque ullo vehiculo vel jumento. Tamdem cum jam non ſolum Angliam, & Galliam, ſed & Italiam celebris de eo fama pervagata eſſet, Romam accerſitur, & Lector ſacri Palatii conſtituitur. Moribus gravis, religioſa vita, & doctrina illuſtris in hoc officio valde omnibus placuit, & Curiæ Romanæ proceres ſibi devinxit. Fuit tamen qui aliquando eum traduceret (neque enim virtuti ſua tinea deeſt) apud Bonaventuram Generalem Miniſtrum, & de quibuſdam accuſaret: doluit ille valde ob inuſtam honori maculam, & ſamam denigratam. Dum tamen coram imagine Chriſti crucifixi ſerventius oraret, ſed & lacrymoſe conquereretur injuſte tantas ſe pati calumnias, atque id a Domino permitti, intonuit ex alto Crucifixus, & ſubſequentes verſus, vel ſub hoc ipſo metro, aut ſenſu pronunciavit: qui in hunc uſque diem habentur exſcripti ante ipſam imaginem.

Marian. cit. Piſ. ad an. 1291. Harpsfeeld. ſeculo 11. cap. 8.

Ejus ſtudia.

Vide eumdem Pitſeum ſub nomine Richardus Clapoellus.

Creatur Provincialis Angliæ.

Ejus virtutes.

Fit Lector ſacri Palatii.

In litteris ad Mar. & ad Gervaſ. Card. ut in regeſto Cantuar.

Aliquas patitur calumnias.

Alloquitur eum Crucifixus.

Et ego quid demerui pendens inter latrones?
Oravi, nec obtinui carnis petitiones.
Calicem mortis ſorbui, Patri placere ſtudui, per carnis paſſiones.
Ergo non murmur exeat, ſi non ſit quod oraſti;
Nec oraſſe pœniteat: quamvis non impetraſti,
Dum fraudat deſiderium, ad majus beneficium datorem obligaſti.
Ad me ſi levas oculum, vides argento vendi,
Tradi quoque per oſculum, & dure comprehendi,
Ac alligari funibus, confici verberibus ſine lege parcendi.
Relinquor ab amantibus velut jam deſperatus,
Præſentor Pontificibus, quaſi latro ligatus,
Quos amavi fortius, ab illis citius ſum ſpretus & negatus.
Ibi clamor, deriſio, ſeveritas minarum,
Et capitis velatio, & ictus maxillarum.
Omnes impune feriunt, & quidquid mihi faciunt, videtur eſſe parum.
Saturatus opprobriis ducor ad Pilatum,
Renovatis injuriis ruunt in accuſatum.
Hinc homicidam liberant, & me cruenter verberant ad mortem judicatum.
Ibi nihil habet veritas, ſive jus allegando,

Sed

Sed æmulo clamoſitas prævalet inſultando,
Nec præſes dat præſidia, nec curam gerit curia de juſto liberando.
Quaſi vile mancipium dant in Herodis manus.
Mox producor in medium, deludor ut inſanus,
Tamdem remiſſus Pontio, diræ mortis ſupplicio condemnor ut prophanus.
Extra muros ejicior: & ipſe crucem fero,
Matre vidente; ſpolior veſtimentis quæ gero,
Tamdem clavis confodior, & in Cruce morior, de vita non deſpero,
Tu ergo vermis non turberis, ſi ſtatim non conſequeris, quidquid a patre quæris.

His auditis bonus Pater obſtupuit, & ſpirituali dulcedine repletus patienter deinceps tulit, ſed mox inimicorum calumniæ, & ejus innocentia fuerunt detectæ. Plura de hoc homine ſuperſunt anno ſequenti dicenda.

Floret Richard. de Mediavilla. *Marian. cit. Joan. Chenu & Claudius Robertus de Epiſc. Galliæ.*

An fuerit Archiepiſcopus Remenſis? *Rodul. de ſcript. Minor. Willot. de ſcript. Franciſcan. Gonzag. p. 1. ſuorum Chron. Anno 1283. n. 8.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Sedul. in coment. ad vitam ſancti Franciſci n. 8.*

XXXI. Florent item hoc tempore Richardus de Mediavilla vir doctiſſimus, & in univerſa ſua doctrina, qua multa & varia eſt clariſſimus, ob id *Doctor ſolidus & copioſus* dictus. Vita & litteris præſtantiſſimum aſſumptum ad Archiepiſcopatum Remenſem, ſcribit Marianus; ſed qui de Archiepiſcopis Remenſibus ſcribunt, hunc inter illos non reponunt. Verum eſt, Claudium Roberti referre, ſe inveniſſe circa hæc tempora, Bernardum Minoritam Archiepiſcopum Remenſem ſcripſiſſe ſermones. Erraviſſe tamen in nomine putaverim, & Marianum in perſona, alium enim a Mediavillano Richardum ſcribit Rodulphus, & alii ad annum MCCLXX. ſermones ſcripſiſſe, eumque Archiepiſcopum Remenſem. Certe Mediavillanus hic etiam anno MCCLXXXIII. Baccalaureus adhuc erat Pariſiis, ut ex illius actis monebo „ (Quare haud conſtare poteſt, „ quod Henricus Sedulius ſcribit, eum anno MCCLXXX. obiiſſe; præſer- „ tim cum Poſſevinus ex aliis vixiſſe aſſerat adhuc anno MCCXC. & Sixtus „ Senenſis moneat, eodem ipſo anno ſcripſiſſe in quatuor Evangelia) „ & ſi conſtat illa apud Claudium Roberti chronologica, & continuata quam habet, Pontificum ſucceſſio, illius Eccleſiæ Archiepiſc. Richardus nullus noſter potuit eſſe, ſed ſuffraganeus dumtaxat, vel Propontifex.

Viget Gualterus Brugenſis.

Gualterus etiam Brugenſis, vir ſcientia & pietate illuſtris, quem anno ſequenti referemus, ad Epiſcopatum Pictavienſem in Gallia promotum, de quo etiam alia recurrent dicenda ad annum MCCCVII. quo diem obiit extremum.

Nec non Julianus Theutonicus.

Frater Julianus *Theutonicus*, quem Muſicæ peritiſſimum, in aula Regis Franciæ Magiſtrum creatum alias diximus. Pia quædam opuſcula edidit, & ſancto fine hoc tempore quievit, Pariſiis in Eccleſia tumulatus.

Hugo de Dina. *Anno 1274.*

Prædicit Templariorum exitium.

Hugo de Dina ex provincia Provinciæ, quem prophetiæ ſpiritu claruiſſe alias aſſeruimus, relatis quibuſdam ejus prædictionibus, quibus illa adjungenda, Marſiliæ viſitantem milites Templarios oſtenſum ſibi architriclinium, ſeu refectorium eorumdem, longum & ſpatioſum nimis, curioſius ſemel atque iterum emetiri voluiſſe: deinde interrogatum quid ſibi de ampliſſima & pulcherrima aula videretur? reſpondiſſe: egregium & commodum fore ſtabulum equorum. Ægre tulerunt illi reſponſum, ſed ſuo malo verum probarunt, dum ſub Clemente V. deleto eorum Inſtituto, Robertus Rex Siciliæ Marſiliam veniens, officinam illam in ſtabulum convertit. Illud frequenter repetebat, quod quando mulieres deponerent verecundiam, æſtaſque ab hyeme non diſcerneretur, niſi in arborum frondibus, tunc manifeſtiſſimum ultimæ tribulationis aderit ſignum. In vita, & poſt mortem miraculis claruit. Sepultus honorifice

apud

Gonzag. in Prov. S. Ludov. Con. 2.
Rodul. fol. 286.

apud ſuos Marſiliæ: a Gonzaga dicitur probabiliter in ædem majorem tranalatus. De ejus canonizatione ſerius actum, ſcribit Rodulphus. Bernardus de Beſſa, provinciæ Aquitaniæ Cuſtodiæ Caturcenſis, ſancti Bonaventuræ ſocius & a ſecretis, cujus ſæpius memoriam revocavimus, dabimuſque alias ejus pia opuſcula.

Floret Bernardus a Beſſa.

In eadem Provincia Guillelmus de Falgario Toloſanus, vir in Theologica facultate nominatiſſimus. Succeſſit in lectura ſacri Palatii Matthæo Aquaſpartano, & prædictam Aquitaniæ provinciam prudenter gubernavit; poſt mortem fratris Bonagratiæ Vicarii generalis munus exercuit, promotus tamdem ad Epiſcopatum Vivarienſem in Gallia, uti commodius alias repetemus.

Guillelmus de Falgario.
An. 12.

Ivo Fabri Miniſter quondam Turoniæ, egregius Doctor per univerſam Galliam, & Italiam haud ignobilis litteraturæ.

Ivo Fabri.

Joannes Geneſii Quaye, quem alias *de Parma* ſæpius cognominavimus, in ſuo eremitorio, & ſeceſſu Græcii multa ſalutaria edebat opuſcula, quibus ultra ſanctæ vitæ opinionem, omnibus ſui ingerebat deſiderium. Quanti fiebat probant optimorum auctorum teſtimonia alias a me allata, & confirmabunt multa, quæ ſuperſunt dicenda.

Joannes Geneſii de Parma.
Tom. 4. an. 1256. n. 11.

Bonagratia Ordinis Vicarius, mox Miniſter Generalis, de quo paulo ante ſermonem inſtituimus, cujus ſecundum nomen ita & laus; nam ſingulari gratia præſtabat apud omnes, & doctrina ſuper plurimos eminebat.

Bonagratia de S. Joanne.
Anno 1277.

Arlottus de Prato Provinciæ Tuſciæ, & Cuſtodiæ Florentinæ magnus undique Doctor, clariſſima hæc reddidit tempora ſua commendatiſſima in agendo & ſcribendo ſapientia; qua meruit ad ſupremum Sodalitii verticem aſſumi.

Arlottus de Prato.

Eſt quod hic notaverim ſupremos quoſque, quos hic nominavimus, & ſuperius recenſuimus Ordinis Rectores, doctiſſimos fuiſſe viros, & plerumque ſacræ Theologiæ Magiſtros; atque ita certe conſultius fieri judicaverim, ut doctrinæ habeatur ratio in iis, qui aſſumendi ſunt ad præfecturas: neque enim inaniter Paulus volebat Prælatum eſſe *bonum Miniſtrum Chriſti Jeſu fidei, & bonæ doctrinæ*; & alibi, *Miniſtrum Chriſti, & diſpenſatorem myſteriorum Dei*. Tenuis autem, aut nullius litteraturæ viri quomodo illa diſpenſabunt, quæ ignorant? quomodo docebunt, quæ neſciunt? Neque hic ſolus ſapientiæ fructus in Prælatis ut alios doceant, verumetiam ſibi majorem ſplendorem, & officio ampliorem concilient auctoritatem.

Prælati debent eſſe docti.
1. Cor. 4. 1.
1. ad Tim. 4. 6.

XXXII. Plura etiam ſcripſerunt, & multiplici ſcientia illuſtres evaſerunt Hieronymus Aſculanus, & Matthæus Aquaſpartanus, qui ex ſupremo Ordinis vertice vocati ſunt ad Cardinalatum, necnon Bentivenga de Bentivengis ad eamdem dignitatem purpuream evectus.

Cardinales tres coævi Minoritæ viri docti.

His adnumerandi Jacobus Aſculanus Provinciæ Marchiæ in Theologia peritiſſimus, & Guido Bonatus Florentinus Provinciæ Tuſciæ Matheſeos, & Aſtrologiæ, quarum ea ætate frequens & celebre apud magnos viros exercitium, celeberrimus profeſſor, ad quem undique ex univerſis Europæ partibus confluebant diſcipuli. Multa quæ judiciariæ ſubſunt arti, certo prædixit, ita ut nihil horum, quæ e naturali ſyderum curſu pendent, videretur ignorare. Multa in hac facultate docte ſcripta poſteris commiſit.

Jacobus Aſculanus.
Guido Bonatus.

In tumultibus Florentinis, & factionibus Gibellinorum cum Guelphis exulavit, domiciliumque conſtituit in civitate Forolivii; quare ob indignationem erga Florentinos numquam pati potuit, ut ab illorum urbe, ſed Forolivienſis cognominaretur. Provecte jam ætatis vir, Inſtitutum Minorum in provincia Bononienſi amplexus, humiliter & ſancte reliquam vitam tranſegit.

Quare Forolivienſis cognominatus?

XXXIII. Varias datas hoc anno Minoribus in cauſis graviſſimis proce-

Commiſſiones factæ Minoritis. cedendi facultates ex Pontificiis comperio diplomatibus. Fratri Sinibaldo Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Parrimonio ſancti Petri commiſit
In litter. Curial. Reg. Vatic. ep. 21. Pontifex, ut modis quibuſcumque, brachii etiam ſecularis invocato auxilio, procederet contra quoſdam hæreticos Caſtri Siriani, & fautores eorum, quos Pontifex miſſo Nuncio hortabatur, ut reſipiſcerent, nec tamen volebant: *Cum ſicut noſti* x. Kal. Auguſti. Urſum Urſinum conſanguineum Mareſcallum Eccleſiæ, & Rectorem Patrimonii beati Petri
Ibid. ep. 22. in Tuſcia a ſe conſtitutum, admonuit horum hæreticorum impudentiæ, juſſitque ut hoſtili exercitu ſua proſequeretur jura in dicto caſtro, hæreticorum puniret rebellionem, & auxilium præberet dicto Inquiſitori ut cogeret eos ad pœnitentiam: *Cum ad recuperationem* ix. Kal. Auguſti. Confirmavit litteras Nicolai Inquiſitoris Apoſtolici in adminiſtratione
Reg. Vat. n. 69. ſancti Franciſci, quibus indulſit quibuſdam hæreticorum filiis & nepotibus diœceſis Narnien. omnibus tamen innoxiis, ut ſuccederent in bonis parentum, eaque poſſiderent nomine Eccleſiæ Romanæ, & ad perpetuum ſanctæ Inquiſitionis obſequium: *Petitio veſtra* xii. Kal. Julii. Atque in his litteris habetur, hunc ipſum Pontificem dum Cardinalis eſſet, conſtitutum fuiſſe a Sede Apoſtolica ſuper univerſo negotio Inquiſitionis, quem hac ratione putaverim dicendum primum omnium Inquiſito-
Ibid. ep. 18. rem generalem. Mandavit Priori Prædicatorum Ilerdenſi, Guardiano Dertuſenſi Ordinis Minorum, ac Archidiacono majori Terraconenſi, ut reformarent Monaſterium ſancti Petri Aggerenſis Ordinis ſancti Auguſtini Canonicorum Urgellenſis diœceſis, nimis in moribus diſſolutum. x. Kal. Aprilis. Epiſcopo Olonenſi, Priori Prædicatorum, & Guardiano
Ibid. epiſt. 110. Minorum de Clarentia ejuſdem diœceſis Olonenſis ſcripſit, ut Haymonem Epiſcopum Lacedæmoniæ in Peloponeſo a Græcis occupatæ ad Eccleſiam Coronenſem etiam in Peloponeſo, & Meſſaniæ tractu ſitam, a capitularibus poſtulatum, in eadem auctoritate Apoſtolica admitti, & a prioris Eccleſiæ vinculo abſolvi curarent: *Tranſmiſſa nobis* xv. Kal. Septembris. Archipresbytero Veronen. Petrino de Saviela, Canonico Mantuano, Capellano Pontificio, ac Cuſtodi Minorum Veronenſis Cu-
Ibid. epiſt. 131. ſtodiæ, ut quoſdam Cives Mantuanos, qui Abbatem & Monachos ex Monaſterio ſancti Andreæ Mantuano ejecerunt, neque illud juſſu Urbani IV. Ottobono Fliſco Cardinali ſancti Adriani, mox Adriano V. aſſignare voluerunt, & propterea cum reliqua civitate erant interdicto Eccleſiaſtico ſubjecti, jam tamen pœnitentes, ab omnibus cenſuris abſolverent: *Apoſtolicæ Sedis*. xiv. Kal. Septembris. Abbati ejuſdem Mona-
Ibid. epiſt. 132. Anno 1277. ſterii, Cuſtodi prædicto Veronenſi, ac fratri Philippo alias nominato, Inquiſitori in Marchia Tarviſina, ut abſolverent a cenſuris urbem Veronenſem, quibus innodabatur, quia auxilium, conſilium, & favorem impenderat Conradino Friderici Imperatoris nepoti, Pontificis inimico: adhibitis tamen quibuſdam conditionibus, atque illa præ ceteris ut deponeret in tuto loco quatuor millia librarum, pro conſtruendo Monaſterio Fratribus Minoribus in Sermionis oppido, de quo ſupra locuti
Anno 1277. Ibid. epiſt. 133. ſumus: *Manſuetudinis Apoſtolicæ*. xv. Kal. Septembris. Epiſcopo Alben. Miniſtro Provinciæ Januenſis Ordinis Minorum, ac fratri Nicolao de Monte-calerio ejuſdem Ordinis, ut ſimiliter fieret cum Civitate Aſtenſi cenſuris Eccleſiaſticis ſubjecta, ex occaſione confœderationis cum Papienſibus initæ in contemptum & damnum Eccleſiæ: Idem initium, ac ſcriptionis tempus cum ſuperiori. Epiſcopo, & Abbati ſancti Andreæ Ver-
Ibid. epiſt. 134. cellenſibus, ac Miniſtro Minorum Provinciæ Januenſis, ut abſolverent Guil-

Guillelmum Marchionem Montisferrati innodatum propter eamdem confœderationem, & receptos Hiſpanos tunc in Lombardia exiſtentes, contra inhibitionem Apoſtolicam: *Romana mater Eccleſia*. XIII. Kal. Septemb. Sancti Ambroſii Mediolanen. & Clarevallenſis diœc. Mediolanen. Monaſteriorum Abbatibus, ac Miniſtro Minorum Provinciæ Mediolanenſis, ut abſolverent ipſam Civitatem Papienſem Conradino adhærentem, ejuſdemque milites Hiſpanos receptantem, jam ad cor reverſam; Similiter & eodem tempore cum præcedenti ſcriptum diploma Abbati Monaſterii ſancti Ambroſii, & Archipresbytero Eccleſiæ, ac Miniſtro Minorum Provinciæ Mediolanenſis, ut abſolvant Civitatem Novarienſem, quæ contra inhibitionem Sedis Apoſtolicæ Hiſpanos receptaverat: *Sedes Apoſtolica*. Nonis Septembris. Archipresbytero Eccleſiæ, & prædicto Miniſtro ſimiliter circa Civitatem Vercellenſem. Idem litterarum initium XIII. Kalend. Septembr.

Ibid. epiſt. 135.
Ibid. epiſt. 136.
Ibid. epiſt. 137.

XXXIV. Ad preces Philippi Regis Galliæ conceſſit ut publica fieret inquiſitio virtutum, & miraculorum ſancti Ludovici patris ejuſdem, quæ crebra tunc & glorioſa patrabat. Commiſſarios qui inquirant, aſſignavit Guillelmum Decanum Abrincenſem, & Rodulphum de Strathis Mareſcallum Regium. Eamdem Provinciam olim Gregorius X. Simoni tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinali Legato in Gallia, ut privatim obiret, injunxit.

Jubet Pontifex inquiri miracula S. Ludovici.
Ibid. epiſt. 78.

XXXV. Extructus hoc anno Conventus Plani Caſtanearum in Provincia Hetruriæ, & Cuſtodia Cluſina, Patrum Conventualium, a Comitibus, ut ferunt, Piiliani, quorum inſignia conſpiciuntur in Sacello majori. Temporis decurſu dederunt pro Fratrum ſubſidio molendinum, quod in Oppidanorum dominium tranſivit, pro quo ſolvunt quotannis Monaſterio aliquas frumenti menſuras. Eccleſiæ recentioris jactus primus lapis in honorem ſanctæ Mariæ ſub Joanne XXII. per fratrem Davidem Epiſcopum Suanæ. Floruit ibidem beatus Andreas de plano Magiſter inſignis, & tantæ virtutis, ut Chriſtus ei ſemel apparuerit inter alas Seraphim. Floruit Magiſter alter, avus Magiſtri Antonii Fera, qui præfuit Provinciæ Tuſciæ. Ipſe autem Antonius fuit totius Ordinis Convent. Generalis, Viſitator Apoſtolicus Provinciæ Siciliæ, & a Gregorio XIII. creatus eſt perpetuus adminiſtrator Eccleſiæ Marſicanæ in Baſilicata.

Conv. Plani Caſtanearum.
Rodul. fol. 265.
B. Andreas de Plano.

XXXVI. In Placentiæ Civitate ſub Cuſtodia Parmenſi, ſedem mutarunt Fratres, Guardiano fratre Philippo de Buſchettis, non tamen ſine dura contradictione Philippi Epiſcopi, ut alias referemus. Poſuerunt ſuam crucem die Sabbati XIV. die Maii: die dominico proxime ſequenti celebrarunt primam miſſam; & tunc inchoaverunt Eccleſiam, quam beatæ Virginis Annunciationi ſacrarunt. Poteſtas vel Magiſtratus urbis tunc erat Rinaldus Canzellierius Piſtorienſis. Antea locum poſſediſſe Placentiæ Minoritas denotat bulla, quam ad an. MCCLXXX. dabimus in Regeſto, idque paulo poſt mortem S. P. Franciſci colligitur ex Umberto Locato illius urbis Chronologo, dum ſub illis annis mentionem agit „ fratris Leonis compromiſſarii populi Placentini; & ſub an- „ num MCCLXXXI. fratris Philippi ſupradicti Guardiani Placentini. „ Datus eſt hic locus Sororibus Clariſſis, poſtquam ad novum Fratres abjerunt. Claruit hoc in loco Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus, Magiſter Julius Magnanus Generalis, & Epiſcopus Caluenſis, Magiſter Hieronymus Mediceus, eccleſiaſtes inſignis, Magiſter Lucius Anguiſcio-

Conv. Placentiæ.
Anno 1280.
Locatus in Chron. Placent. ad an. 1210.
Monum. MSS. Placent.
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
Rodul. fol. 268.

ſciola, primarius Philoſophiæ Profeſſor in Bononienſi Academia, Magiſter Franciſcus Baleſtracius Ordinis Scriba, Magiſter Lelius Medicens Inquiſitor Piſarum a Sixto V. Pontifice Maximo ad hoc munus electus, qui præfuerat provinciæ Bononiæ, Magiſter Julius alter Magnanus ſacrarum Scripturarum Lector publicus Placentiæ, Magiſter Franciſcus Maria Pugnetus ingenio clarus, Cæſenæ ſacræ Theologiæ profeſſor. In eodem Conventu obiit Magiſter Franciſcus Maronius, cujus ſepulcrum Mag. Franciſcus Samſon Generalis eleganti opere exornavit. „ Eccle-

Additio Patris Lucæ Waddingi. „ ſiam poſtea conſecravit anno MCCCLXV. Petrus ex Marchionibus de „ Cochonate Epiſcopus Placentinus.

Transfertur Côven. Cæſaraugustanus. XXXVII. Scripſit Pontifex ad Epiſcopum Cæſarsuguſtanum, ut donum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti conferret Minoribus, qui in loco corrupti aeris, ubi antiquitus Sarracenorum corpora ſepeliebantur, habitabant; quippe pauci erant tunc Ordinis Pœnitentiæ in illo Monaſterio, atque illis extinctis, vel ad aliam Religionem approbatam tranſeuntibus, Monaſterium devolvebatur ad Sedem Apoſtolicam. Sortitæ ſunt effectum litteræ Apoſtolicæ, executore Priore ſanctæ Mariæ del Pilar anno MCCLXXXVI., quibus maxima cum ſolemnitate, & numeroſa hominum ſupplicatione veteri derelicto, & Eremitis Auguſtinianis ſub

Monum. MSS. ad me tranſmiſſa. quibuſdam conditionibus conceſſo (quod præſagio quodam viſum eſt aliquando his Patribus dandum, dum ſancti Auguſtini die primo illud noſtri occuparunt) ad prædictum tranſierunt Minoritæ Cœnobium, cujus ſitus optimus in Urbis meditullio, & veneranda Martyrum olim

Tom. 1. an. 1209. n. 17. Tom. 3. an. 1246. n. 9. carnificina. Aſportarunt ſecum oſſa beatorum Agni, olim Marochiorum Epiſcopi, & Bernardi a Viridante (alterius a ſocio illo ſancti Franciſci, quem Aſſiſii ſepultum diximus) de quibus ſuis egimus locis, & quorum meritis coram univerſa multitudine, mulier quædam a quinquagiota annis cæca lumen obtinuit, & altera cocles recte reſpexit. Expletis illo die ſacris ritibus, ſumma devotione Petrus infans, Petri Regis, & Conſtantiæ Manfredo Siculo natæ filius, Hugo Epiſcopus, Petrus

Aragonenſium p. 2.21. Coronel Baro Alſarini, præfectus militiæ ſtationariæ, Stephanus de Roda Balivus generalis Regni, & Beltrana Duerta Mezalochæ Domina, & Reginæ cubicularia, emiſerunt in manibus fratris Romæi Ortiz publica vota de promovenda fabrica novæ ædis, & de ſepeliendis ſe in cucullo Franciſcano. Fideliter vota omnes compleverunt, Infans die ſequenti ad imitationem Conſtantini Magni ex imis ruderibus aliquot cophinos terræ propriis humeris aſportavit, deinde anno proximo, 11. Maii, apertis jam altis foſſis, fundamenta poſuit novæ Eccleſiæ, jacto a ſe primo lapide magna cum ſolemnitate. Alia dabimus inferius ejus affectus erga Minores indicia. Epiſcopus Hugo in ſe aſſumpſit curam providendi univerſam ſacram ſupellectilem, ſed dum facit, Romam mittitur acturus cum Pontifice de concordia circa res Siculas, ubi moritur, & ſepelitur apud Minores Aracœlitanos, unde ejus oſſa tranſtulit in hanc ædem, & depoſuit in aula capitulari prædictus frater Romæus, dum electus Miniſter Provinciæ Aragoniæ abit ad Comitia Aſſiſium; modo jacet prope prædictum Infantem ad altare majus ſub candido marmore, Epiſcopi effigiem ferente. Petrus Coronel extruxit dormitorium capaciſſimum, & ſpecioſiſſimum, quo nullum in Hiſpania celebrius. Obiit anno MCCC. prius repoſitus in capitulo, translatus eſt ad Sacellum ſancti Ludovici, a ſuis poſteris extructum, ubi erectum parvum mauſolæum in pariete. Stephanus Rodenſis illam partem clauſtri fecit, in qua ejus ſtatua lapi-

dea

dea affabre laborata conſpicitur, ſubjecta hac inſcriptione *Sepulcrum Stephani de Roda militis. Obiit Æra* MCCCLXI. hoc eſt, anno MCCCXXIII. Beltrana conſtruxit triclinium amplum ſatis, & quod nunc ſanctæ Annæ ſacrum eſt Sacellum. Sepultam opinantur in illo, quod beatæ Virginis Mariæ dicitur, ſpectatque ad poſteros Barones. Eccleſia ad miraculum ampla unius teſtudinis abſque ulla columna aut fulcimento, longa pedes CCXL. lata LXXV. ex utroque latere habet ſeptem ſacella, completa anno MCCCXCIV. tum ex Sereniſſimæ Principis Tereſiæ, tum ex aliorum facultatibus, cum jam opificum incuria corruerit. Anno MDLXVII. quo Obſervantibus datum Cœnobium, Joanna de Toledo Comitiſſa Arandæ, Florentiæ Duciſſa, Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ genitricis ſoror, officinas quaſque neceſſarias adjunxit, aulam magnam præ triclinii foribus, in qua congregari, & orare pro defunctis benefactoribus aſſueſcunt Fratres reficiendi, illam clauſtri partem, qua ex prædicta aula in dormitorium aſcenditur, & deſuper optimum dormitorium, & oſtium, ac aditum Conventus, ut ejus affixa inſignia gentilitia demonſtrant. Altare etiam majus magnifico opere elaborari curavit, & ſubtus Sacellum beatæ Virginis Conceptioni dicatum, in quo ſub Minoritico habitu voluit ſepeliri. Veſtes ſacras pretioſas, & multas repoſuit in ſacrario, & dies integros, præcipue tempus antemeridianum inſumebat in Eccleſia devote ſacris audiendis intenta, inſtituitque pro ſingulis diebus Jovis miſſam celebrandam de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento. Ad ipſos ſupremi altaris gradus jacet in ſepulcro marmoreo ſupradicta Tereſia Alphonſi IV. Regis uxor, corona inſignita, quantumvis ante Regnum obtentum ſupervivente adhuc quinque dies dumtaxat Jacobo II. Rege, ejus ſocero, obierit anno MCCCXXVII. die XXV. Octobris. In vicino & parvo ſepulcro jacent bina ejuſdem proles Sancius, & Iſabella de Aragonia. Legavit bonam ſummam pecuniæ Eccleſiæ perficiendæ. Ex diplomate a Joanne I. dato die VI. Julii anno MCCCXCI. quo præcœpit ne in plateis huic Cœnobio vicinis proſtitutæ habitarent mulieres, conſtat alias perſonas regias in Eccleſia ſepultas: hæc illius verba: *Ut Monaſterii Fratrum Minorum Civitatis Cæſarauguſtanæ, quod eſt de inſignioribus Monaſteriis in noſtro dominio conſtitutis, & in quo corpora inclytarum Infantiſſarum Dominæ Tereſiæ recordationis eximiæ aviæ, necnon Matthææ Duciſſæ Gerundæ conſortis, & inclyti Infantis Jacobi filii noſtrorum tumulata exiſtunt, &c.* In Sacello ſancti Georgii erectum magnificum & vetuſtum ſepulcrum, haud vero inſcriptum, quod ex inſignibus judicatur eſſe Baronum de Alfoçia. In alio ſanctæ Eulaliæ, mauſolæum alterum, cui hoc inciſum Epitaphium. *Hic jacet Magnificus Philippus Clemens Conſiliarius Protonotarius, & a ſecretis Sereniſſimorum Regum Aragonum Joannis Secundi, & Ferdinandi Catholici, qui hoc Sacellum reædificavit & dotavit, ac nobilis Catarina Velazquez ab Olmedo ejus uxor, quæ fuit ex aulicis puellis Joannæ Reginæ, Joannis Secundi conſortis, qui quidem Philippus obiit anno* MDIV. Habet hæc aliquas confraternitates numeroſas; & qui ſub tertio degunt ſancti Franciſci inſtituto præclare ibi ſub piis inſtructoribus ſuas exercent functiones. Scripſit latine hujus Monaſterii res præcipuas ad ſua uſque tempora frater Thomas Jordanes anno MCCCXCIX. cujus codex MS. ſervatur in Conventus Cartophylacio.

XXXVIII. Aliud conſtructum domicilium Minoritis in Gallia in oppido Caſtillionla, in Burgundia ſuperiori, vulgo *Chaſtillon* expenſis Burgundiæ Ducum, ſed per nobilem Heroem Cameſſonum fuit poſtmodum ampliatum. *Conv. Caſtilionis. Gonza. in Prov. ſancti Bonaven. Conven. 9.*

Monaſt. Norimberg.

Bruſchius de monaſt. German. ...ag. in prov. Argent. mon. 1. Coron. MS. ejuſdem Prov.

XXXIX. Extra civitatem Norimbergenſem, Nortgojæ Metropolim, & mercimonio inſignem, Monaſterium erat Sororum de Pœnitentia ſub ſancti Auguſtini Regula, & beati Guillelmi conſtitutionibus ex conceſſione Gregorii IX. viventium ad D. Mariæ Magdalenæ pervetuſtum ſacellum, quod antiqua monumenta anno Domini MXCII. in nemore conditum, & a Norimbergenſi populo admodum frequentatum eſſe teſtantur. Dum vero illarum Inſtitutum per generale illud decretum Concilii Lugdunenſis de ſupprimendis multis Religionibus, noviter exortis, neque plenam a Sede Romana ſtabilitatem conſecutis, improbari intelligerent, ſtatim poſt celebratum prædictum Concilium, miſſo Romam ſupplici libello, adhibitis etiam Rodulphi Regis Romanorum, ac ejus conjugis interceſſionibus, Prioriſſa, ac totus Conventus rogarunt, ut incorporarentur Clariſſarum Religioni. Interim, dum reſponſum expectatur, translatæ ſunt in urbem, dantibus Monaſterii hujus, & Minoritici fundum Friderico, & Eberhardo Ebneris, qui & ſeipſos Religioni tradiderunt, quorum unus fuit ſacerdos, alter laicus, exædificatis deinde ædibus capaciſſimis, quas omnium, quæ urbs illa intra ſua mœnia habet, dicit Bruſchius, ſpatioſiſſimas, & ampliſſimas. Hoc vero anno, III. Nonas Julii miſit Nicolaus Pontifex ſuas litteras D. Bertholdo Epiſcopo Bambergenſi, ut ſecundum petitionem illarum, ſuo diplomate inſertam, fieri curaret. Ille per Dom. Erichtonem Decanum Eccleſiæ Bambergenſis, & per fratrem Albertum Cuſtodem Fratrum Minorum in Bavaria, & per Andream Lectorem Bambergenſem, quibus vices ſuas hac in cauſa commiſit, promptiſſime executus eſt. Et anno ſequenti circa feſtum Epiphaniæ aliquot Sorores Ordinis ſanctæ Claræ de Seflingen Norimbergam adductæ, ſuam vivendi normam ceteras edocuerunt. Laxiorem vitam temporis decurſu amplexas, reduxit Nicolaus V. ad religioſiorem, & Obſervantiæ Fratribus tradidit gubernandas. Sed cum earum aliquot id ægrius ferrent, beatus Joannes Capiſtranus, qui Norimbergam tunc caſu appulerat, eas ſacris ſuis concionibus, atque privatis exhortationibus in officio continuit, confirmavitque: unde & hoc Monaſterium ad tempus omni ſanctitate, ac copioſo Sororum numero florebat. Tandem Norimberga in hæreſim lapſa, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii, deſtructuſque eſt Minorum Conventus, & parum hic etiam abeſt ab ultima ruina. Facta eſt ibi Sanctimonialis Domina Guta Illuſtris Domini Eberhardi ab Heerttingsberg, equitis aurati conjux, cum tribus filiabus Guta, Leutgrade, & Agnete; quarum pater Eberhardus arcem ſuam Pergenſem una cum toto monte (qui milliare a Norimberga diſtat, frumenti feraciſſimus, & a quibuſdam Hertonis mons, ab aliis vetuſtus Mons appellari ſolet) dedit ad ædificationem hujus Cœnobii, quod aliis etiam annuis proventibus præclare auxit, quemadmodum & Minorum Conventum, cujus ipſe factus eſt Cœnobita, ampliſſime dotavit. Qui catalogum Abbatiſſarum hujus Monaſterii deſideraverit, dabit Bruſchius citatus.

Reg. Vatic. n. 88. Tom. 1. an. 1212. n. 10.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Monaſt. S. Claudii Fulginas.

XL. In ſtatuto Concilii Lugdunenſis declaravit hoc anno Pontifex non comprehendi Ordinem Clariſſarum, quantumvis, ait, inſtitutum poſt Concilium magnum Lateranenſe; quod ſane intelligendum eſt de editione Regulæ, non de inchoato Sodalitio: etenim initium ante Concilium habuiſſe oſtendimus ſuperius: *Mundi ſpernentes illecebras*. XII. Kalend. Junii. „ Erat hoc tempore extra muros Fulginei in Umbria, Mona„ ſterium Clariſſarum ſub invocatione ſancti Claudii, quod Pontifex hoc

anno

„ anno ſequentibus gratiis affecit. Mirum itaque eſt, Gonzagam dixiſſe
„ fuiſſe hoc Monaſterium Benedictinum, uſque ad annum MDII. Inſigne
„ quidem eſt, multarum Sororum capaciſſimum.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſancti Claudii, juxta flumen Topini, extra muros Fulginaten. &c.

„ *Cum a nobis petitur quod juſtum eſt &c. Eapropter, dilectæ in Do-* Ex ipſo originali.
„ *mino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu,*
„ *omnes libertates, & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis*
„ *Pontificibus, ſive privilegia, ſeu alias indulgentias Monaſterio veſtro*
„ *conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a*
„ *Regibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, ſicut*
„ *eas juſte, ac pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio au-*
„ *ctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio commu-*
„ *nimus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii* VI. *Nonas Julii, Pontificatus*
„ *noſtri anno* I.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. PAſtorali ſuo muneri Nicolaus Pontifex ſedulo incumbens, Apoſtolicæ litteræ pro diverſis.
„ Guardiano Alborſtadenſi quamdam executionem commiſit:
„ *Malderburgen. Eccleſiæ &c.* II. Nonas Februarii. Epiſcopo Aginatenſi
„ ut condere poſſet teſtamentum indulſit: *Quia præſentis &c.* IV. No- *Indiculus.*
„ nas Martii. Sinibaldo vero ſcripſit, ut puniret hæreticos Viterbien- *Ex Vatic.*
„ ſes: *Quia cuncta &c.* VIII. Idus Martii. Pro ſcripturis ſervatis in
„ Conventu ſancti Patris Franciſci Aſsiſii: *Cum nonnullis &c.* V. Idus *Ex Vatic.*
„ Martii. Joanni Epiſcopo Cantuarienſi pariter indulſit, ut teſtamen- *Ex Vatic.*
„ tum condere poſſet: *Quia præſentis &c.* VIII. Kal. Aprilis. Pro Fra-
„ tribus Inquiſitoribus Tuſciæ: *Cum ad recuperationem &c.* IX. Kal. Au- *Oder. num.81.*
„ guſti. Regi Angliæ ſcripſit pro Terræ ſanctæ expeditione: *Dilectus*
„ *filius &c.* Kal. Auguſti. Ut Gerardus in ſua legatione poſſet habere
„ Minores: *Magna tuæ &c.* cum aliis Nonis Auguſti. Alias præterea *Gonz. de Prov. Turon. & Conv. Barbezilii.*
„ executoriales diverſis ſcripſit Summus Pontifex, quas Petrus de Alva,
„ & Aſtorga citat in ſuo Indiculo, quæ cum magni ponderis non ſint, Comitia Provincialia Turoniæ majoris.
„ conſulto præterimus. Interea vero cum nobis prætermiſſorum id
„ tantum occurrat, quod Fratres Provinciæ Turoniæ majoris hoc anno
„ in Conventu *Barbezilii* Cuſtodiæ Xantonenſis ſua Comitia Provincia-
„ lia celebraverint, ex quibus ejuſdem Cœnobii antiquitas, de qua
„ ſupra egimus, expendi poteſt (quidquid aſſerat Gonzaga) ne remo-
„ remus inaniter opus noſtrum, ad annum ſequentem tranſimus.

ARGUMENTUM.

Palæologus ſuos Nuntios mittit congratulaturos Nicolai ad ſupremam ſedem aſſumptioni, & relaturos quorumdam Orientis Principum duram renitentiam circa unionem admittendam. Moritur Boleslaus Pudicus Poloniæ Rex, intacta Regina conſorte Cunegunda, quæ dato nomine Clariſſis, ſancte inter eas converſata eſt, ſimul cum Jolenta ſorore conjuge Boleslai Pii Ducis Caliſſienſis. Indictis Aſſiſii comitiis, fit Miniſter Generalis frater Bonagratia. Protectorem Ordinis dedit Pontifex ſumma cum teneritudine Nepotem ſuum Matthæum Rubeum Urſinum Cardinalem, regulæ dubia graviter explicavit, & plures ex Minoritis Epiſcopos creavit. Commiſſa aliis Conſodalibus graviora negotia, & amplius propagatur Inſtitutum.

Miſſi legati a Palæologo & Patriarcha Græcorum.

I. Aᴅᴠᴇɴᴇʀᴜɴᴛ hoc anno miſſi a Palæologo Nuntii, Pontificis Nicolai ad thronum Apoſtolicum exaltationi congratulaturi, & reſponſa daturi ad ea, quæ ſuperiori anno, gravi inſtituta legatione, Pontifex præſcripſit. Suas etiam litteras addidit Joannes Beccus Patriarcha Græcorum, gaudium, & exultationem propter Pontificis aſſumptionem præferentes. Data porro Nuntiis inſtructio, & compendium earum rerum, quas Pontifici deberent enarrare, & per quos fidem facerent eum eſſe inter Græcos ſtatum, ut nullatenus unionem Eccleſiarum a ſuis inchoatam, a ſe acceptatam, & juramento ſtabilitam poſſit pet univerſum ſuum dominium Imperator promovere. Ipſæ litteræ amplius hæc explicabunt, quantumvis obſcuræ ſint, & plenæ Græcis idiotiſmis.

Sanctiſſimo & beatiſſimo primo & ſummo Pontifici Apoſtolicæ Sedis, ſacroſanctæ Eccleſiæ veteris Romæ univerſali Papæ, in Chriſto Deo reverendiſſimo & ſpecialiſſimo Patri noſtri Imperii Domino Nicolao. Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus filialem obedientiam, Apoſtolicæ benedictionis, & orationum poſtulationem.

Reg. Vat. n. 156.

II. *Si mihi, o divinum & ſacrum caput, dignum, & æquale totius angelici chori honore, per omnia exprimere non eſt leve, quanta lætitia corporis, & exultatione animæ fui repletus ex inſinuatione litterarum veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis depromentium ad Apoſtolicam Sedem veſtræ Sanctitatis glorioſum aſcenſum, quem quidem fama volatilis jucunde conſperſerat ad univerſalem notitiam & audientiam devotorum, veſtræ Paternitatis benignitas non miretur. Non enim erat hujuſmodi annunciatio extranea ſpei meæ, immo certiſſima, dum hujuſmodi omnes communiter faterentur & concorditer aſſerebant. Si vero ſecundum Deum eſt ſententia; utique & ſecundum Deum hæc extitit, & non oportet de hac opinione aliquid aliud cogitare, niſi Deum exiſtere attributorem & cauſam. Hujus igitur gratia confidenter habebam, & vos fore omnimode veraciter expectabam, quem ſuperna providentia eligeret, & ut lumen ſplendidum egreſſum de vero lumine oſtenderet orbi terræ, quibus mediantibus meipſum beatificabam in Domino congaudentem. Habeo ſane illum in operibus prævium, de quo ante nullatenus dubitabam. Suſcipiens fines infallibiles ſpei meæ, quibus etiam ante finem, ut jam recepiſſe ultra modum delectabar, nec in aliquo contriſtabar. Sed agnoſcens vos fore in divinis ſapientes, & ſecundam*

dum Chriſtum Dei, & hominum moderatorem; nihilominus in humanis. Et omne quod eſt extra ſpem admiratur, & omne quod ſpe accidit, & ante factum diligitur, & in finem deductum beatificatur, & amplius diligitur, affectum ad ſe attrahens, experientiam dans, & recipiens ad invicem primæ affectionis effectum. Extendimus præterea, beatiſſime Pater, animæ ſpecialem affectum. Nunc autem totum me ipſum Sanctitati veſtræ humiliter recommendo, ac etiam repræſento, & inclino intellectualiter caput meum, & incumbens in ſina veſtræ Apoſtolicæ benedictionis orationes poſtulo, & oſculans manus ſacras Apoſtolicam veſtram ſanctam benedictionem aſſumo. Latores ſiquidem Veſtræ Sanctiſſimæ Paternitatis prout decuit, expediti ad veſtram affectatam præſentiam, utinam proſpere, revertuntur; quibus quædam de plurimis, quæ in meis intimis reſident, de ipſorum probitate confiſus, attenta converſatione, quam hactenus contraxerunt, commiſi fideliter veſtræ Sanctitatis audientiæ referenda cum aliis, quæ viderunt oculis, & auribus audierunt; ſuper quibus benigniter obſecro ipſis a veſtra piiſſima Sanctitate benevolam audientiam impertiri. Et quia Dei noſtri ſunt opera, vos, qui vere in terris, quæ Dei ſunt, Deo redditis, & in cælo, non permittatis hujuſmodi pie pater, ſed cognita veritate mihi devoto filio veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis, quæ ſunt terreni Cæſaris, ut excelſo Cæſari perſolvam cum fænore, aſſiſtatis, ope, benedictionibus, conſilio, & favore, ut reprobantium opera veſtro ſubſidio irritentur. Cæleſtis omnipotens Deus Sanctitatis veſtræ proceſſibus præbeat miſericordiæ largitatem, ut per cuncta quæ agitis æternæ gloriæ ſerviatis.

Sanctiſſimo, beatiſſimo, ſummo Pontifici Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ univerſali Papæ, Domino Nicolao. Joannes miſeratione divina Patriarcha Conſtantinopolitanus novæ Romæ, & quod ſub nobis eſt, Concilium ſanctum: ſalutem in Domino, & debitam inclinationem & orationum poſtulationem.

III. R*Ecepimus litteras veſtras, o diviniſſime Domine, Paſtorum Paſtor, omniumque Præſul ſupereminens Prælatorum, nec eſt dicendum quanta lætitia repleti ſumus. Cognoſcimus namque quod Dominus Deus bonorum omnium largitor non Magnificentiæ veſtræ ſedem, ſed ſedi Sanctitatem veſtram potius condonavit, ut ipſa ſiquidem per vos decoraretur amplius, & honoraretur. Et quamquam prius Sanctitas veſtra omnibus eſſet nota, prævenit enim fama pennas extendens, & volans ubique, quæ non cognoſcentibus ea, quæ ſunt veſtræ maximæ Sanctitati manifeſta, & cognita demonſtravit, magis tamen cognoſcet amodo, ac diligentius quilibet uſus materia ampliori, & melius, quam ante vos benefacientem unicuique ſpecialiter, ac communiter omnibus ex operibus feſtinantem, maximum, & primum Pontificem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum propenſius imitari. Confidit proculdubio noſtra humilitas, quod hoc procedit ad perfectiſſimum complementum, nec minus putamus, quod in hoc concordant quicumque ſapientes, qui ex præcedentibus futura imaginantur. Si enim antequam aſcendiſſetis ad ſuperexcellentem altitudinem omnium dignitatum, in vobis tanta aderat præ omnibus excellentia bonitatis, ut vobis quis non poſſet fere in aliquo comparari, quanto magis decet vos nunc indutos magnitudine tali utiliora operari & meliora? Qui vero nondum ad gradum perfectionis perveniens tanto bonorum operum lumine refulgebat, ut perſuaderet in ipſo videntes patrem gloriari cæleſtem, hic idem ad ſuperlativam* Reg. Vat. epiſt. 158.

aſcen-

aſcendens, quomodo non apparebit lucidus, ac aptius relucebit? Omnes a longe attrahens ad ſe, qaemadmodum candelabrum in altum poſitum iis, qui longe ſant, reſplendet, & ad ſe convocat ex fulgore. Non enim idem candelabrum tantum ex infimis, vel de terra refulget, quantam ſi ſuper
Zach. 4. 2. modium, vel in altiſſimis perducatur; ande & Propheta ſupra candelabrum aureum videns candelam, duo oſtendit, ignem videlicet deſcendere gratiæ a patre luminum, & quod eſt natura ignis ſupra ſtantis nobis ex ſupernis lucidius relucere. Quis ergo ea, quæ diximus in mente habens, non replebitur lætitia ſpirituali, ut promptiſſime ad Deum, tamquam hujuſmodi largitorem gratiarum, referat actiones, ac ſibi poſtulet, ut qui tale bonum condonavit, conſervet ipſum in æternum, & ſicuti ipſum perfecit, ita conſervet illud ad communem utilitatem? Quis non ſuper hujuſmodi jubilet? & quis poterit de iſtis non gaudere? humilitas vero noſtra numquam alias jucundius Deum magnificavit, ſibi aſcribens omnia, & glorificans procurationem ſuam maxime, ac proviſionem, per quam ſemper utile ſuis diſpenſans, in hujuſmodi nuper factis opportunum nullatenus præterire dimiſit..... utique ad totam Eccleſiæ conſtitutionem, ad ea quæ damni eſſent, aliquatenus extenderentur ipſi viri Dei. Quomodo enim viris tam egregiis in unum congregatis, inter quos Deum fuiſſe nullus dubitat, opportunum lateret; non oportuit hoc fieri, & ideo non eſt factum. Et licet veſtra maxima Sanctitas in ſacris litteris ad nos miſſis, nos indignos voluerit nominare, noſqae ad orationem provocaveritis, & ſupplicationem, ut Deus vos tamquam dignos efficiat, nos tamen diligenter cognoſcimus, quod nihil aliud ſunt hujuſmodi niſi verba manſuetudinis, & humilitatis. Imitamini namque omnium Dominum ac Deum Jeſum, a quo vobis tanta gratia eſt largita, & amplectimini modeſtiam & manſuetudinem, & ad commune exemplum humilitatis vos proponitis, cum non ſit alius dignus ad adminiſtrationem gubernationis Eccleſiæ, quam veſtra ſapiens a Deo ſanctitas, qui digni eſtis ad hoc, & vere dicere poſſumus ſupradigni. Quomodo ergo (inquam) orationem talem funderemus pro veſtra Apoſtolica honorabilitate, cum magis ſacris orationibus indigentes affectemus quotidie ipſas habere, tamquam bonum viaticum ad ſalutem? Deus utique per ſuos ſpeciales miniſtros elegit, quem vult, & vincens cum quanta decet virtute, quæ multorum ſunt, omiſſis conſiliis, ſuam perficit voluntatem: ſicque conſtituit in Eccleſia illum, quem elegit, & fuit hoc donum perfectum, & gratiam omnibus donans ac utilitatem. Unde nos veſtras paternas litteras intelligentes de hoc intimantes, filialiter recepimus ipſas tamquam omne bonum annuntiantes. Supplicantes propenſius veſtræ ſanctiſſimæ Paternitati, quatenus de nobis cum aliis, qui inter veſtros filios reputantur, memoriam facere velitis in ſacris ad Deum ſupplicationibus veſtris, ut ipſis adjuvantibas ac foventibus, bene gubernare poſſimus populum nobis a Deo creditum, nec non ipſum conducere in operibus Deo placentibus & ſalutaribus, atque cetera in pace ſecundum Deum & firmam patientiam, ac quietudinem ipſi populo acquiramus, negotiantes ipſam ad manus Paſtoris omnium Domini Dei ſalubriter pervenire, qui dignetur nos recipere, mediantibus orationibus ſublimiſſimæ veſtræ ſuperemiuentiæ, veſtram in multis temporibus conſervans divinitatem.

Litteræ miſſæ ex parte Ogerii Protonotarii Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum Nuntiis ejuſdem Imperatoris.

HOnorabilibus Viris Domino Marcho & Marcheto Latoribus litterarum ſanctiſſimi, & beatiſſimi Summi Pontificis Apoſtolicæ Sedis veteris Romæ, & univerſalis Papæ, in Chiſto Deo ſpecialiſsimi & reverendiſsimi Patris potentis, & ſancti Domini mei Imperatoris. Reg. Pat. n. 159.

Poſtquam locutus eſt Dominus meus ſanctus Imperator vobiſcum, & retulit, quæ oportet, vos tamquam fide dignos habere in memoriam, & denunciare ipſa Apoſtolicæ Magnitudini ſummi Pontificis, fore neceſſarium exiſtimavi hujuſmodi præſentibus litteris exarare, ne forte prout conſuevit accidere hominibus, tum propter ſpatium itineris, tum propter prolixitatem temporis, aliqua occurrat oblivio aliquorum, de quibus vobis commiſſa fuerunt.

Ergo illa, quæ locutus eſt vobiſcum Dominus meus ſanctus Imperator referenda ſanctiſſimo Domino ſummo Pontifici, ſic ſe habent.

Decet omnes Chriſtianos ad Patrem dicere veritatem ſpiritualem, tamquam verum filium ad verum patrem, etſi filius eſt Imperator gratia Chriſti & pater. Sed pater pater patrum ſicut ſanctiſſimus Papa Chriſti Vicarius. Juſtum eſt equidem, ut cognoſcere debeat Dominus ſummus Pontifex illud, quod eſt verum de ſuo filio Imperatore; propter hoc ergo Dominus meus Imperator revelat & enucleat, quæ vere ita ſunt ſanctiſſimo Domino Papæ. Sunt autem quæ vult cognita fore Magnitudini ſummæ Apoſtolicæ ſanctitatis hæc.

Verum eſt, & jam patet, quod non poteſt Dominus meus ſanctus Imperator complere ad præſens negocia ſua, quemadmodum erat in antea conſuetus complere, & cujus cauſa talis eſt. Nam cum vidiſſent illi, qui ſunt in terra ſua, ſcilicet parentes ſui, & alii quod juravit idem Dominus meus Imperator Andronicus ratam tenere ac firmiter obſervare, obedientiam, honorem, devotionem, & filialem affectum, quæ conſtituerunt habere ad ſanctiſſimam Eccleſiam Romanam, & per tempora ad ſanctiſſimos Papas, & certificati quodammodo eſt impoſſibile, ut fiat aliquid aliud in diminutione tantæ obedientiæ ipſius ſanctæ Eccleſiæ, aliqui tamquam non habentes ſcientiam ſufficientem intelligendi magnitudinem operationis hujuſmodi unionis Eccleſiarum; alii vero propter malitiam & infidelitatem reſilierunt, & conturbari cœperunt. Unus quorum eſt filius naturalis Domini Michaelicii, qui a Latinis Dux Patræ vocatur. Similiter & alius filius ejus legitimus Dominus Nichliforus. Qui ut ſubditi, ſervi, & ſubmanuales Imperii ſacramentum Domino meo ſancto Imperatori fidelitatis & ligii homagii multoties præſtiterunt de parendis præceptis & mandatis ſuis, a quo dignitates & officia, quibus nominati ſunt, hactenus acceperunt. Contradicunt multi unioni Eccleſiarum.

Videntes itaque iſti obedientiam Domini mei ſancti Imperatoris ad ſacroſanctam Apoſtolicam Eccleſiam taliter ratam perſiſtere, inſurrexerunt ex adverſo inopinate, at oſtenderunt manifeſte infidelitatem ipſorum, vocantes hæreticos, qui ipſi vere infideles & hæretici ſunt, ſanctiſſimum Dominum Papam, quod perniciofum eſt tantummodo cogitare, ac Dominum meum Imperatorem, & Dominum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & omnes alios, qui ſubditi ſunt ſanctiſſimo Domino Papæ, & Domino meo Imperatori.

Quare Dominus meus Imperator miſit ad eos Nuntios, & monuit, & per-

*perſuaſit ipſos removeri a vana inſtitutione eorum, & ſimul ſapere cum eodem ſancto Imperatore Domino meo, & aliis fidelibus, & exiſtere ad obedientiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Cumque obedire penitus recuſaſſent, & reſilirent omnimode, Idem Dominus meus Imperator miſit expoſitam excommunicationem a Nuntiis ſanctæ Apoſtolicæ Sedis. Similiter & excommunicationem, quam expoſuit ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia contra illos, qui nolunt convenire ad obedientiam Domini ſummi Pontificis. Et cum adhuc convenire penitus recuſaſſent, miſit Dominus meus ſanctus Imperator exercitum contra ipſos, cum Capitaneis de magnatibus Imperii, magnum videlicet Mareſcalcum Orientis, Dominum Andronicum Palæologum conſobrinum Domini mei ſancti Imperatoris, & Pincernam conſanguineum ejuſdem, qui habet in uxorem filiam primi conſanguinei Domini mei Imperatoris ſancti. Fuerunt ſimiliter, & cum eis tranſmiſſi * Comninum Catacutinon, & Palæologum Dominum Joannem ambos nepotes Domini mei ſancti Imperatoris. Qui euntes ad expugnationem dicti Infidelis Ducis Patræ non ſolum ſtuduerunt, non contra ipſum procedere, ſed intimarunt ei, & retulerunt infidelitatem eorum talibus verbis. Nos tales cognoſcentes, quod Imperator unitus eſt cum Papa, habemus & ipſum hæreticum, & ideo a nobis contrarietatem aliquam non habetis, ſed quidquid vultis facere contra terram Imperatoris, nunc habetis tempus.*

Deficiunt multi ab Imperatore propter unionẽ.

* *Ita in MS. aliiſque exemplaribus hujus Epi legitur.*

Ad quorum ſuggeſtionem exivit dictus baſtardus, & occupavit quædam caſtra de Terra Domini mei ſancti Imperatoris. Cum autem cognoviſſet Dominus meus ſanctus Imperator infidelitatem ipſorum Capitaneorum, deſtinavit incontinenti, & removit ipſos de Capitania, & vinculatos deduxerunt ipſos ad Imperium ſuum, & præcepit & fuerunt carceri mancipati. Contra illam quidem conſtituti fuerunt novi Capitanei, & injunctum fuit illis, ut ſolummodo cuſtodirent locum & terram, & non irent ad contrarietatem, ac expugnationem ipſius baſtardi. Illi vero non conſervantes ſe juxta præceptum Domini mei ſancti Imperatoris, ſed aſſumentes vanam virilitatem, ut juvenes æmulati fuerunt, & contra dictum baſtardum impetum fecerunt, & intrarunt quamdam clauſuram, & locum vix acceſſibilem & arctum, & ipſe apoſtata inveniens in ſui adjutorium duritiam loci & difficiles nocuit eis. Equidem ſupradicti Mareſcalcus, Pincerna, Capitanei, & qui cum eis erant, tales apparuerunt, quales erant ad contrarietatem ipſius baſtardi.

Item ad alias terras, & ad alias Capitanias fuerunt commiſſi alii magni viri, & propinqui Domini mei ſancti Imperatoris. Scilicet nepos ſuus, filius ſororis ſuæ Palæologus, Dominus Joannes Trachaniotus, Calo-Joannes Laſcari, primus Conſobrinus Domini mei Imperatoris, & Dominus Iſacbius, Paulus Comninus, Conſobrinus Domini mei Imperatoris.

Unuſquiſque igitur iſtorum commovit, & conturbavit ad quam erat Capitaneus omnes ipſi ad ipſam contrarietatem propter ipſum opus obedientiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Quare detenti fuerunt, & ipſi ſimiliter, & alligati, ac interrogati, cum ſupradictis, inverecunde dixerunt, & egerunt palam erga Dominum meum Imperatorem, quod propter unionem Papæ fecimus quidquid egimus, & debemus adhuc manere ad ipſum noſtrum Conſilium. Eſt autem, & ad partes Orientis Terra, quæ nominatur Trapeſunda, quam Terram, in captione facta de Conſtantinopoli a Latinis, tenuit quidam de Capitaneis, qui vocabatur Comninus Dominus Alexius, & intimarunt prædicti infideles, quod illum, qui nunc eſt Princeps ipſius Terræ Trapeſundæ exiſtentem abnepotem ipſius quondam Alexii, quia Imperator fa-

factus eſt hæreticus, & ſubjectus eſt Papæ, & univit Eccleſias, ſcilicet Græcorum & Latinorum, & ſi vocaberis Imperator, adhærebimus vobis, & conſitaemus quidquid voluerimus. Ille quidem ductus inani conſilio, vocari ſe fecit Imperator, & coronatus eſt, & induit ſe veſtimentis decentibus Imperio, & fecit officiales, & ſe tamquam Imperatorem honorari præcepit.

Creant rebelles alium Imperatorem.

Apparuit autem, quod ſicut diſpenſarunt, & miſerunt ipſi Infideles ad eumdem Principem Trapeſundæ homines, cum ipſis intimationibus, erant & Latini ſimul cum ipſis tranſmiſſis, cooperantes ipſam legationem ipſorum: non ſolum autem ipſi conturbarunt opus Eccleſiaſticæ unionis talem eorum malitiam oſtendentes, veram etiam multæ mulieres Baroniſſæ, & ſpeciales propinquæ Domini mei ſancti Imperatoris, in ipſam malitiam inciderant, ſcilicet ſoror Domini mei Imperatoris, & neptis ſua filia ejuſdem. Similiter & alia ſua neptis filia alterius ſuæ ſororis. Similiter & cognata ſua uxor quondam Deſpotis fratris Domini Imperatoris, & mater ejuſdem uxor Sevaſtocratorum quondam ſoceris Deſpotis: ideo detentæ & ipſæ, ac poſitæ ſunt in carceribus, & bona earum mulierum, & prædictorum Baronum ablata ſunt, & intromiſſa ad Imperiale veſtiarium; ſimiliter & ablatæ ſunt poſſeſsiones, quas habebant & feada.

Mulieres multæ contradicunt Imperatori.

Hi vero omnes ſupradicti Barones, qualia magnalia, & dignitates habebant ab Imperio, & ad quot Capitanias, & caſtra converſabantur, quot etiam poſſeſſiones, & terras habebant, & quantam ſubſtantiam, & bona ipſi, & ſupradictæ mulieres, & his nunc omnibus caruerunt in carceribus poſiti, ab aliis poteſt ſcire ſanctiſſimus ſummus Pontifex.

Iſti vero ſupradicti, qui detenti fuerunt in carcere quantam devaſtationem intulerunt, eo quod habebant parentes multos & magnos viros, & fere omnes, qui ſunt in Palatio quoſdam fratres, quoſdam conſobrinos, quoſdam generos, quoſdam avunculos, & nepotes, & aliam affinitatem, hoc manifeſtum eſt omnibus. Ideo poſtquam inventi ſunt ipſi tot & tanti viri ad infidelitatem, & incredulitatem, ſi voluerit ſecundum conſuetudinem ſuam Dominus meus Imperator mittere exercitam ad debellandum, & contrariandum inimicos ſuos, ſuſpicatur ne forte qui debent tranſmitti Capitanei exercitus magni viri, & nobiles, habeant, & ipſi conſilia, cum prædictis Infidelibus, tamquam propinqui eorum. Et cogitur, ut cum cautela & proviſione diligenter perficiat ſua negotia propter ipſam incredulitatem. Quare revelat ſanctiſſimo Domino ſummo Pontifici conſilium ſuum, & dicit quod non poteſt ad præſens facere ſua negotia, proat extiterat primitus conſuetum. Ad quos autem habebat certitudinem ex Baronibus & fidelibus hominibus ſuis, cogitur mittere ex ipſis Capitaneos ad Terras & Caſtra, quæ habet: manifeſtum autem eſt, quod ſicut ejectus fuiſſet quidam a Domino meo ſancto Imperatore conturbator ubicumque erat, & contrarius voluntati hujuſmodi operis Eccleſiaſticæ unionis, confugientes plurimi tales ad Terram ipſias baſtardi, diligenter recepit eoſdem, & congregavit de ipſis contrariis fere Monachos centum, cum quibuſdam Abbatibus, & Epiſcopis octo, & fecit Concilium, & ſederunt, & locuti fuerunt, quot voluerunt blaſphemias contra ſanctam Romanam Eccleſiam, & contra Dominum meum ſanctum Imperatorem, & ſanctiſsimum Patriarcham, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & anathematizarunt ſanctiſsimum ſummum Pontificem, & Dominum meum Imperatorem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & omnes ſubjectos ſimul ſapientes, & eos tamquam hæreticos reprobarunt.

Congregatur ſynodus contra Imperatorem.

Male afficitur Epiſcopus Tricalenſis, dum favet unioni.

Quidam autem Epiſcopus Tritalenſis vocatus quia reſtitit, & ſurrexit contra eos, & dixit quod male facitis, & non convenit cum eiſdem ad ipſum malignissimam operationem illorum, detinuit ipſum, & poſuit in carcere per menſes decem & octo; poſtea vero vix evuſit de carcere ipſo, & invenit lignum navigans; & intravit in ipſum, & tranfretavit de Gulfo Neopanti, & ſe contulit in Moream ad quoddam Caſtrum Domini mei Imperatoris, & exinde receperunt eum homines Domini mei Imperatoris, & portaverunt, & conduxerunt ipſum in Conſtantinopolim.

Item Epiſcopus Patrenſis.

Item alium Epiſcopum vocatum Putrenſem tenuit, & cogebat eum, ut ſimul ſaperet cum eodem. Et quia non obedivit, ſed dixit, quod ego habeo primum Prælatum Theſſalonicenſem, & ab ipſo ſum ordinatus, & ad Concilium ivi Conſtantiuopolim cum meo Prælato, & dedi meam ſubſcriptionem, quod debeum manere cum aliis in obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & eſt impoſſibile quod hoc debeam prætermittere, & revocare ſubſcriptionem meam, & expoliavit eum, & reliquit eum cum ſola camiſia, & ſtatuit eum ſub cœlo diſcooperto, & ſtabat die noctuque afflictus ab hyeme & glacie in menſe Decembris, & ſit manifeſtum & certum ſanctiſſimo ſummo Pontifici, & poterit ſuper hoc cognoſcere ſuu Sanctitas malitiam ipſius apoſtatæ baſtardi, & quommodo a ſeipſo diviſus eſt, & non timet Dei judicium, & non verecundatur de hominibus.

Aliqui ex Latinis parum propitii Imperatori.

Latini vero, qui ſunt ad partes Thebarum, & Athenarum, & Nigripontis, & Morearum non ceſſarunt adjavare, & ſibi miniſtrare auxilia omni modo contra partem Domini mei Imperatoris, ſcilicet ipſis upoſtatis Nichliſoro, & Baſtardo. Miſit autem Dominus meus Imperator particularia ligna, & particularem gentem in ipſos, & iverunt ad partes Nigripontis, & invenerunt Latinos, & debellarunt eos, & protexit Deus, & vicerunt ipſos. Dominus autem meus Imperator udvocat ſuper hoc Deum teſtem, quia hoc opus non videtur ſibi quod factum fuiſſet de virtute illorum, quos miſit Imperium ſuum ſanctum; ſed quantum videtar ſibi, illi Latini debellati fuerunt a divina virtute, eo quod auxiliabantur talibus excommunicatis, & inobedientibus, & blaſphemautibus ſanctam matrem Eccleſiam: nam & populi quantitas, quæ debellavit ipſos Latiuos, fuit ad compurationem illorum, quaſi modica, & nullo modo erat digna verſus quantitatem & potentiam Latinorum.

Hæc ſunt, quæ locutus eſt vobiſcum Dominus meus ſanctus Imperator, quæ debetis, ſicut tenemini, ſummæ Apoſtolicæ Sanctituti ſignificare. Et ſubſignavi hæc ego Protonotarius Interpretum Latinorum Curiæ Domini mei ſanctiſſimi Imperatoris Romaniæ ad cautelam.

Ego Ogerius Protonotarius, qui ſupra manu propria ſcripſi, & meo ſigno ſiguavi.

Nicephor. lib. 5. hiſtor. Rom. c. 1.

Tom. 4. an. 1274. n. 5. & an. 1277. n. 4.

IV. Vere cum hac relatione ab Ogerio Protonotario Nunciis ſubmiſſa concordant, quæ de his ipſis tumultibus, & Imperatoris conatu ſcribit Nicephorus Gregoras. Poſtquam enim narravit Latinorum, præſertim Caroli Regis Siculorum poteſtatem, & ambiendi Imperii Conſtantinopolitani conſpirationem eo coegiſſe Palæologum, ut Legatos ad Sedem Romanam miſerit de ineunda veteris, & novæ Romæ Eccleſiarum concordia, modo Caroli expeditionem averteret, & ſubjunxit ad eum ſtatum tractatus mutuos perveniſſe, ut in Concilio Lugdunenſi inchoata ſit, & publicata unio utriuſque gentis, Græcæ & Latinæ; mox addit. *At Patriarcha Joſephus (de quo nos ſupra) ea concordia repudiata, ſede*

Digitized by Google

ſede ſua ceſſit: nec multo poſt relicta urbe, ſe in Archiſtrategi Monaſterium ad Boſphorum contulit, ubi reliquum ætatis tranquillo, & religioſo otio exigeret. His rebus ſacerdotum collegium excitatum, haud obſcure ferebat ſe non eſſe quieturum, plebemque ab Imperatoria illa concordia revocabat, Martyrii, & coronarum tempus eſſe clamitans: ita ut magnus inde tumultus excitaretur, atque in atrocem tempeſtatem erumperet: & Imperator externis negotiis relictis, omne ſuum ſtudium ad res domeſticas transferre cogeretur, urbana pericula bellis externis graviora ratus. Erant autem non pauci e magiſtratibus etiam, qui decretis illis acriter adverſarentur. In eas igitur redactas anguſtias, duas ſibi patere vias arbitratus; ſumma neceſſitate nihil tertium admittente in præſentia, ut aut omnes ſibi aſſentirentur, aut hoſtium loco haberentur. Adverſariorum animos principio verborum blanditiis, & comitate morum conciliare ſibi, & obnoxios reddere ſtudebat: cœptam eam eſſe rem, nullo ſtudio novitatis, ſed propter difficultates temporum. Eſſe autem prudentiæ, impendentes præcavere calamitates, & ſi quid ad graviora mala avertenda novandum ſit, non eſſe cunctandum. Si enim hoſtes adventarent, urbe adhuc multis in partibus lacerata, modoque inſtaurata, & velut e multiplici dudum morte reviviſcente, præſentia mala graviora futura ſuperioribus: ac dominos fore hoſtes non tantum ſacrorum, ſed omnium ſimul, liberorum, conjugum; & rerum: quorum Domini vi abrepti, libertate cum ſervitute commutata, non corporibus tantum, ſed animis etiam hoſtium ſequi voluntates cogerentur. Id etiam reliquum fore, ne quis mores patrios, ac vetera inſtituta tueretur: imo & ſacræ leges, & ſanctiores expeditiſſime & depravarentur, & everterentur. Quæ cum ipſe prævideret, neceſſitati parere haud recuſaſſe: exiguumque damnum, quod prudentiæ munus ſit, magno emolumento poſthabuiſſe: minoraque adverſariis, at majoribus potiretur, conceſſiſſe. Hac oratione alios commovit Imperator, alios non item. Unde ſuaſione omiſſa, viam alterum ingreſſus, & vi graſſatus eſt, cujus variæ rationes fuerunt, publicationes bonorum, relegationes, caſtodiæ, excæcationes, flagra, mutilationes, omnia denique quibus virorum fortium & mollium animi explorantur. At quorum ſtudium cognitione regebatur (qui pauci erant) ii magnis & fortibus animis omnia libenter tolerabant, & perpetiebantur, quæ poteſtas Imperatoris inferebat. Magna vero pars veri judicii expers, fæx plebis, & circumforanea turba, ſemper novis rebus gaudens, aſperis velut in ſcena palliis induti, ubique terrarum ſparſim & paſſim vagati ſunt, ubi Chriſtianos eſſe audiverunt, in Peloponneſo, inquam, Achaja, & Theſſallia, & Colchide, ubique denique gentium extra ditionem Imperatoris: neque univerſam pacem conſervare volentes, neque inter ſeſe: ſed alii aliis nominibus aſcitis, partim Arſenii, aut Joſephi Patriarchæ ſectam profitendo, partim alia jactitando, tempus terebant, plerique & decipientes & decepti.

Joſephus Patriarcha abdicatur. Tumultus excitati Conſtantinopoli propter unionem.

Conatur Imperator populum in ſuā trahere ſententiam.

Durius agit contra renitentes.

V. Obiit hoc anno in Polonia Boleslaus Pius, ita dictus a piis operibus, Dux Caliſſienſium, qui Monaſterium Gneznæ, divæ Claræ inſtitutum profeſsis conſtruxit. Conſecutus eſt autem ſub fine ejuſdem anni ad IV. Idus Decembris Boleslaus Pudicus, ſupremus Princeps in Polonia Dux Cracovienſis, & Sandomirienſis, poſtquam regnaſſet annos ferme quinquaginta duos, Cracoviæ apud Divi Franciſci Monaſterium, quod ipſe condiderat, ſepultus: benignus & religioſus Princeps, & in egenos, cultumque Dei, ac miniſtros ejus munificus. Hic Franciſcanis valde addictus, primus eos in Poloniam introduxit, quod alias præmonui-

Cromer. l. 9. rerum Polon. ad fin.

Moritur Boleslaus Pius. Item Boleslaus Pudicus.

Tom. 2. an. 1237. n. 12.
Ejus conjux Cunegunda fit Clarissa.
Nec non Jolenta ſoror.

nuimus. Mortem ejus Cunegunda ſeu Kinga uxor virgo intacta relicta, Belæ Ungariæ Regis filia, moderate tulit, gratias agens Deo, quod ſe conjugii vinculo tamdem liberaſſet. Ac mox una cum ſorore Jolenta, quæ poſt mortem mariti Boleslai ſupradicti Caliſſienſis Ducis ad eam ſe contulerat, diſtractis & in uſus egenorum diſtributis cunctis facultatibus ſuis, Clariſſarum Inſtituto ſeſe addixit: & veterem Sandeciam, nequidquam refragantibus, & renitentibus proceribus, commigravit; ibique reliquum vitæ tempus in Monaſterio a ſe & viro ſuo condito peregit. Claruit ſpiritu prophetiæ, & ejus miracula tot & tanta fuiſſe ſcribit Rodulphus (Kingam tamen a Cunegunda videtur diſtinguere, dum ſeorſim tamquam de duabus agit) ut in Romana Curia de ejus canonizatione ſerius ageretur; interruptum tamen negotium ob variam orbis viciſſitudinem. Vita functa eſt anno MCCXCII. data in uxorem Boleslao prædicto anno MCCXXXIX. cum quo annos quadraginta immaculato thoro in perpetua caſtitate tranſegit.

Rodul. fol. 143.
Intactam matrimonio reliquit.

Capitulum generale 24. Aſſiſii.

VI. Decurſo ab ultimis Comitiis triennio, ſecundum Regulæ ſtatutum, indixit Hieronymus Cardinalis, penes quem adhuc remanebat Ordinis gubernium, Conventum generalem Aſſiſii habendum. Deſideravit Pontifex, ut & ipſe Cardinalis præſidentem in ſancta congregatione ageret, tum ob feliciorem rerum exitum, tum ad majorem ſplendorem, & Fratrum ſolamen. At dum ad hæc, & alia S. R. E. negotia evocaretur e Gallica legatione, incidit in morbum, neque potuit præfixo tempore celebrandorum Comitiorum adeſſe. Monuit moræ Pontifex Patres Capitulares, ſpemque addidit quantocyus jam melius habentem ſuperventurum, & præmiſſis graviſſimis Sodalitii laudibus, certiſque ſui amoris argumentis, eos ad excelſas quaſque virtutes, & res rite peragendas, conceſſis Indulgentiis, adhortatus eſt. Graviores ſunt hæ litteræ, quam ut debeant prætermitti.

Scribit paterne Pontifex ad Patres Capitulares.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Capitulo generali Ordinis Fratrum Minorum.

Reg. Vatic. inter litt. curiales. nu. 17.
Encomia Ordinis Minorum.
Cant. 4. 12.
Pontificis erga eumdem affectus.

VII. *Convenientibus vobis in unum, qui Chriſti pauperis paupertatis ſemitus voluntarii effecti participes delegiſtis, jam non eſt niſi quæ Dei ſunt conſtanter appetere, vias mandatorum ejus dilatato corde percurrere, primum ſequendo pauperem Franciſcum, veſtri Ordinis plantatorem, qui mundi caduca reſpuens, mundum munde pertranſiens, mundo vivendo, moriens vixit Deo, qui vivens præmium ſibi æternæ vitæ promeruit, & vobis vivendi regulam velut adoptionis filiis reliquit, ut vos Chriſto junctus adjungeret, & hæres ejus effectus vos Chriſto redderet cohæredes. Hic eſt Ordo, quem Sponſus in Canticis geminando commemorans bis hortum repetit, binum ejus fructum, contemplativum, & activum patenter inſinuans, bis concluſam ſepem divinæ legis, & cuſtodiæ angelicæ innuens, vel potius vallum prædictæ regulæ, & ſpecialem cuſtodiam ipſius Ordinis, quam de ipſo Romana gerit Eccleſia, manifeſtans. Hic eſt fons ſcientiarum fluenta ſcaturiens, ſignatus paupertatis inſigniis, & in ſui primo Inſtitutore Chriſti ſtigmatibus inſignitus. Propterea Ordinem ipſum, quem ſic in domo Domini præiucere conſpicimus, a noſtris quaſi primordiis ſenſibus noſtris infiximus, in ejus affectione concrevimus, & tenerrime intra præcordia*

dia noſtra portamus, circa eum ſollicitudine vigilantes, ut nullius ibi ſuccreſcentis herbæ contagium famæ ſuæ reprimat odorem, vel ejus decorem obnubilet, ſed, Deo propitio, protegatur a noxiis, ſalubria ſemper incrementa ſuſcipiat, & pacis affluat ubertate. Digne igitur plenis in Domino gaudiis exultamus, dum vos illius ſectatores inſpicimus, qui delitias terreſtres aſpernans, aſperitatis onera ſupportavit, ut inter electos Dei appareret prælucidus in excelſis, cujus vos regulam profitentes, exiſtitis eximii teſtimoniorum Domini ſectatores: nec indigne lætamur, quod in vobis eadem delectatur Eccleſia, & in fragrantia veſtrorum operum odorem ſuavitatis aſſumit. Nam ſuper vos nomen Domini percipimus invocatum, & poſt vocem revocationis æternæ in regione vivorum vos ſibi credimus placituros. O beatæ ſuavitas paupertatis, qua mundi derelictis illecebris, ad felicitatis gloriam pervenitur! O beata terrenarum delitiarum abjectio, qua ſpiritus humilitatis reficitur gratia ſalutari, & tamdem gratia ipſa refecti coronam gloriæ promerentur! Profecto quæ Ordinem ipſum contingunt nobis ipſis aſcribimus, nec circa illa locum vigiliis indulgentes. Quare dum de inſtanti veſtra generali Capitulo celebrando hactenus ageretur, præſentiam dilecti filii noſtri Hieronymi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ibi cognovimus eſſe utilem, & propter hoc ei litteras noſtras ſub certa forma direximus, ut præſentialibus ejus affatibus tam ſanctæ Congregationis reficeretur amœnitas, & in agendis procedendo conſultius, vobis & eidem Ordini grata ſolamina provenirent: ſed eodem Cardinale ſui corporis infirmitate detento, ab aliquibus citra diebus non credidimus ipſum inceptum reditum ea proſecutione poſſe perficere, quod eidem Capitulo, prout deliberatio noſtra conceperat, intereſſet. Nihilominus tamen ſi ſic ſibi propitiaretur Altiſſimus, quod ad dictum Capitulum poſſet decenti tempore pervenire, ſicut nunc ex aliquorum relatione ſentimus, illum ad vos pro conſolatione veſtrarum mentium diſponimus deſtinare. Quod ſi forte aliquo caſu id compleri nequiverit, confidimus quod omnipotens Dominus vobis in iis vias ſuæ miſerationis aperiet, vos ad ſalubria diriget, ac propitiabitur votis veſtris, ita quod ex veſtris actibus in divinis beneplacitis radicatis, fructus vobis, & eidem Ordini utiles, Deo, ac nobis placitas, dante Domino, reſultabunt. Verum paſtoralis officii debitum exequentes, vos ad quæque ſalubria paternis monitis, & benignis exhortationibus invitamus, affectantes ex intimis illa veſtris inſidere præcordiis, in his potiſſime, quæ hoc tempore circa directionem ipſius Ordinis, ac conſervationem inſtitutionum ſalutarium, ex quibus laus, & honor acquiritur, agenda percipimus, ut caritatis & unionis noſtræ funiculus ſic alimento veræ pacis, & inviolabilis concordiæ foveatur, quod nullam ſui partem cujuſvis debilitet adverſitatis, ſeu commotionis impulſus, quin potius illæſus & ſtabilis nullius corrumpentis maculam habiturus, perpetuo ad laudem divini nominis conſervetur. Super qua ſunt vobis in ſpeculum & exemplar illius almi merita Confeſſoris, qui Ordinem prædictum inſtituit, coluit, & cultum claritate beatitudinis illuſtravit. Ceterum ut vobis, qui ſpiritualium operatione proficitis, & ob nomen Domini corporaliter laboratis propter utrumque caritatis ordinatæ præmium rependatur univerſis, & ſingulis de Ordine veſtro, qui ad præfatum Capitulum convenerint, necnon & aliis Chriſti fidelibus, qui congregatis in ipſo Capitulo Fratribus, ipſo durante, pietatis ſuæ manus porrexerint adjutrices: dummodo vere pœnitentes extiterint, & confeſſi, Fratribus ſcilicet, qui circa præmiſſa ſollicite laborarint, & operoſa ſedulitate vacarint, unum annum, & aliis, qui congregatis ibidem pias eleemoſynas erogarint, centum dies de injun-

Monet non poſſe Cardinalem Hieronymum adeſſe Comitiis.

Piæ & ſalutares Pōtificis exhortationes.

Congregandis in Capitulo largitur indulgentias.

injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Cum autem imbecillitatem noſtram oporteat divinæ manus ſuſtentari præſidiis, devotionem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, quatenus pias affectiones veſtras circa nos excitet debitum caritatis, & inſpectis noſtræ mentis affectibus, nos in veſtris orationibus divinæ clementiæ commendetis, ut per interceſſionem veſtram in adminiſtratione commiſſa nobis dignetur ſua miſericordia noſtros ſupportare defectus, & actus noſtros in ſuorum dirigere ſemitam mandatorum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVII. *Kalen. Junii, anno* II.

Commendat ſe Fratrum precibus.

Eligitur Fr. Bonagratia in Generalem Miniſtrum.

Peregrin. in epiſt. ad Gondiſal. General.

Bernard. a Beſſa in Chron. MSS.

VIII. Advenit tandem præſes Cardinalis tardius, quam ſolebant alia celebrari Comitia circa feſtum Pentecoſtes, indicendis Capitulis in Regula conſtitutum, & jam a ſe creatum Vicarium generalem, fratrem Bonagratiam (quem virum Deo plenum vocat Peregrinus de Bononia coævus) communibus ſuffragiis, licet abſentem, expetitum in Generalem Miniſtrum confirmavit, ceteraſque actiones capitulares proſequutus eſt auctoritate Apoſtolica, donec electus ſupervenit. Monuit benigne Pontifex, valde ſibi placere electionem de tanto viro factam, invitavitque præcipuos Patres, ut ad ſuam venirent præſentiam, & ſi quid eſſet, quod ſtatui, aut regimini Ordinis expediret, cum fiducia proponerent. Surianum itaque ubi ea æſtate reſidebat Curia, abiit novus Generalis cum quibuſdam delectis Miniſtris Provincialibus, & diſcretis Sodalitii viris, e quibus unus fuit Philippus Peruſinus Tuſciæ Miniſter, qui præ ceteris, quæ ſequuntur ſcripta reliquit, & coram Pontifice benigne & affabiliter eos recipiente conſtituti rationem reddiderunt in Comitiis actorum. Deinde, juxta Regulæ præceptum, petierunt ſibi dari Protectorem unum ex S. R. E. Cardinalibus, dum tamen ipſe nollet ad exemplum Alexandri IV. hanc ſibi protectionem immediate reſervare. Quibus reſpondit nihil ſe libentius egiſſe, neque ullam in ſe curam majori affectu aſſumpſiſſe, quam quæ ad Ordinis auctoritatem vel utilitatem ſpectabant: attamen propter univerſas Eccleſiæ curas non ſibi amplius licere hæc ea, quæ neceſſaria erat, & quam adhiberi vellet, attentione perficere: proinde conſultius & conformius ad Regulæ præſcriptum ſibi videri ut alium haberent Protectorem, qui vere & libere protectorem ageret; neque alium ſe daturum, quam ipſi expeterent, & mage idoneum judicarent. Diſquiſitis itaque illorum votis, ſecreto ſcrutinio comperit omnes in unum Matthæum Rubeum Urſinum, Urſi, Pontificis fratris filium, a ſe ex Diacono Cardinali ſanctæ Mariæ in Porticu mox Archipresbyterum ſancti Petri, & Præceptorem ſancti Spiritus in Saxia creatum, conſpiraſſe. Dilexit enim hic valde Sodalitatem, neque ſibi loco Pontificis meliorem dari poſſe Protectorem Fratres judicarunt. Ratam habuit illorum electionem Pontifex, & vocatis in medium omnibus, Cardinalem ita tenerrime affatus eſt: *Si dilecte fili Cardinalis noſtra in te beneficia referrentur, magna & multa dicerentur; at ex his nullum iſto, quod modo conferimus, majus, nec quod ſecurius ad regnum perducat cœleſte; arrham tibi damus vitæ æternæ, ſuffragia videlicet & meritoria quæque opera omnium Fratrum Minorum, quorum Ordinem tuæ commendamus tutelæ. Damus tibi omnium, quæ habemus, potiſſimum, tradimus cordis noſtri delicias, pupillam oculorum noſtrorum.* Hic interruptus ſermo ex frequenti ſingultu, & profluente lacryma; atque ex nimia amoris teneritudine, veluti intercluſo anhelitu, tanti viri veneranda majeſtas in

Vocati a Pontifice vadunt præcipui Capitulares Surianum.

Peruſ. in excerptis Ordinis.

Petunt Cardinalem Protectorem.

Datur eis Pontificis nepos.

[illegible]ua teneritudine ei commendat Pontifex Religionem.

in ejulatum prorupit. Tantam amoris vim admirati (inquit meus auctor) flevimus cum flente, ejulavimus cum ejulante, & per aliquale temporis ſpatium cum obmuteſcente, & nos obmutuimus: tamdem ſedato utcumque ſpiritu, voce reaſſumpta, inquit; interior prohibet paſſio longiorem de re omnium cariſſima ſermonem intexere: & extenſa manu, proprium dedit annulum Cardinali dicens: *Committimus tuæ curæ dilectum Ordinem Fratrum Minorum, te, ſecundum eoramdem Regulæ præſcriptum, inſtituimus Protectorem, correctorem, & gubernatorem ſancti hujus Sodalitii. Attamen id te ſcire velim gubernio tuo minime egere, abundat enim prudentiſſimis & doctiſſimis Præſulibus, qui integras poſſent reſpublicas gubernare; neque correctione, dum prudenter ita omnia ſint conſtituta, ut unicuique Fratrum plures præſint, neque uno culpas diſſimulante deſint alii, qui puniant. Ultra Præfectos locales habent Cuſtodes, his præſunt Provinciales, ſuper hos ſunt Generales, atque illos in Ordinem redigunt Comitia generalia. Illud unum eſt, propter quod tuo indigent patrocinio: pauperes ſunt, & imbecilles, adverſarios habent plurimos, & potentes, a quorum moleſtiis nequeunt ſe defendere: hic tua protectione & auxilio opus eſt, ut conterantur, qui eos conturbant, & liberes eos ab omnibus preſſuris.*

IX. Acta ſupradicti Capituli, & Pontificis beneficium mire confundit Rodulphus, dicens: *In hoc Capitulo Nicolaus IV. tunc Cardinalis, & Ordinis Minorum zelator præcipuus, præfuit auctoritate Apoſtolica, & præ nimia dilectione in Fratres, & ingenti pietate in beatum Patrem Franciſcum, voluit Matthæum Rubeum nepotem ſuum univerſi hujus Ordinis eſſe Protectorem.* Nulla ratione hæc poſſunt cohærere, neque defendi ex prætenſo in notis errore, quaſi pro Nicolao III. irrepſerit IV. Etenim Nicolaus III. non erat tunc Cardinalis, ſed Pontifex: neque præfuit auctoritate Pontificia in Comitiis, ſed ejus auctoritate præſidem egit in eiſdem Hieronymus Aſculanus, aliquot poſt annis appellatus in Pontificatu Nicolaus IV. At non hic, ſed Nicolaus III. nepotem ſuum conſtituit Ordinis Protectorem. Unde utriuſque Nicolai actiones confundit; qui Quartus poſtea connumeratus eſt, præſedit in Capitulo, & qui Tertius erat conſanguineum dedit Protectorem.

Rodulph. fol. 184. Corrigitur error Rodulphi.

X. Deinde ab illo die animum adjecit Pontifex ad comprimendos quorumdam inſolentes auſus, & refrænandas æmulorum impudentes detractiones, qui Fratrum vitæ, & Regulæ obloquebantur, illicitam, inobſervabilem, & diſcriminoſam calumniantes, contra quos ſecum decrevit amplam, & claram ejuſdem Inſtituti adhibere declarationem. Ferme integros duos menſes in hac meditatione conſumpſit; adhibitis conſiliariis duobus Cardinalibus Minoritis Hieronymo Præneſtino, & Bentivenga Albanenſi Epiſcopis, aſſiſtentibus eiſdem Generali Miniſtro, & quibuſdam aliis ex Provincialibus; admirantibus vero aulicis, qui cetera ultra morem Curiæ negotia illis diebus ad alios remitti videbant, nec comprehendere poterant, quid in tam arcano conſilio tractaretur. Prodiit tunc ex maturo hoc cœtu graviſſima declaratio illa Regulæ, quæ incipit: *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum*, commiſſaque fuit exactiſſime diſcutienda antequam publicaretur, doctiſſimis viris Petro Peregroſſo S. R. E. Vicecancellario: Comiti Gluſiano de Caſate Auditori ſacri Palatii, Mediolanenſibus, qui poſtmodum ad Cardinalatum aſcenderunt; Angelo celebri Curiæ Advocato, & Benedicto Cajetano Protonotario, mox Cardinali, deinde Pontifici Bonifacio VIII. Demum in

Obloquuntur multi Regulæ S. Franciſci.

Egregie eam explicat Pontifex.

pleno totius Curiæ conſeſſu publice fecit per dictum Benedictum eamdem extravagantem promulgari XIV. Auguſti, licet in variis tranſumptis varios habeat dies deſignatos. Eam inſeruit idem Benedictus, aſſumptus ad Pontificatum ſub nomine Bonifacii VIII. corpori juris inter extravagantes communes in ſexto, ſub titulo: *De verborum ſignificatione*; eamdemque commendavit Clemens V. in Concilio Vienneſi in decretali: *Exivi de Paradiſo*, quæ habetur ſub eadem rubrica inter Clementinas; necnon ipſe Joannes XXII. qui viſus eſt contra eam quædam definiiſſe in conſtitutione, quæ incipit: *Quia quorumdam exigit*, tamquam claram, lucidam, & magna maturitate digeſtam, commendat. Ea ſane claritate & proprietate omnia, quæ ad ſtatum Minorum ponderoſius pertinere poſſunt, explicat, & dubia quæque reſolvit, ut fundamentum præbuerit de Pontifice interprete dubitandi, Roberto Cardinali Bellarmino, Severino Binio, & Jacobo Gualterio, qui explicationem hanc tribuunt Nicolao IV. ex Ordine Minorum aſſumpto, quod & uno atque altero loco confirmare voluit Franciſcus Penna tum in Commentariis ad Directorium Inquiſitorum, tum in argumento decretalis: *Glorioſam Eccleſiam*, ad calcem ejuſdem operis; ex quo etiam error irrepſit in vulgatos codices textus canonici, & præcipue poſt editionem Gregorianam, ubi neſcio quis marginator admonuit extravagantem eſſe Nicolai IV. ut colligitur, inquit, ex extravag. Joannis XXII. incipiente: *Glorioſam Eccleſiam*, quæ extat impreſſa inter Apoſtolicas litteras in Officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis. Ex Pennæ certe officina hæc prodiit admonitio; quam ille primus in argumento ejuſdem, extravag. adhibuit, & alibi docuerat, tum, inquit, quia in aliquibus codicibus MSS. habetur pro Nicolao III. Nicolaus IV. tum quia hic poſterior fuit Ordinis Minorum, unde veroſimilius eſt Regulæ ſui Ordinis dubia declaraſſe.

Dubitant quidam de auctore decretalis: *Exiit qui ſeminat.*

Bellarm. l. 4. de Roman. Pont. c. 14.
Binius in notis ad vitam Nicolai IV. & Joan. XXII.
Gualt. in Chron. ſæc. 14.
Penna in comment. ad 2. par. q. 17. ad objett. 2. in poſter. editione, & in argum. extrav. Glorioſam Eccleſiam.

Probatur eſſe Nicolai III.

XI. Attamen Nicolai III. eam eſſe declarationem indubitanter probant, & evidenter demonſtrant, quæ ſubjicio argumenta. Primum, ex loco datæ decretalis, Suriano, in quo Urſus frater, ejectis quibuſdam hæreticis, vendicavit ſibi aliquas poſſeſſiones, conceſſo jure per Monaſterium ſancti Laurentii extra muros Urbis, uti videre eſt in regeſto hujus tomi ſub anno præcedenti, atque hoc Caſtrum, teſte Ciacono, ſeptimo a Viterbio lapide, cœli clementia, & aquarum amœnitate celebre vitandi caloris gratia æſtivo tempore, quo hæc edita conſtitutio, petere ſolebat Pontifex. Secundum ex ipſa decretali, in cujus procemio ait; poſt Capitulum Generale Patres conſcriptos coram ſe conſtitutos de hac declaratione edenda egiſſe, & ſe Ordinis Protectorem, & amicum commemorat, quæ cohærent omnia cum iis, quæ nos hucuſque retulimus; nequaquam tamen convenire poſſunt Nicolao IV. qui numquam hoc Protectoris munus obivit. Tertium idque inevitabile, quod præterquam habeatur in omnibus noſtris antiquis monumentis, in regeſto Vaticano Pontificio ita inſcribitur, in codicibus Pontificatus Nicolai III. & in Archivo noſtro Aracœlitano exemplar authenticum inſertum litteris Nicolai IV. ſub plumbo pendente inſcripto Nicolai III. nomine diligenter conſervatur. Unde neceſſe eſt in codices illos, quos citat Penna qualeſcumque ii ſunt, mendum illud irrepſiſſe. Rationem vero dubitandi tollit ipſe Pontifex hac narratione in procemio præmiſſa: *Nos autem qui a teneris annis ad Ordinem ipſum affectus noſtros ereximus, in illis ſuccreſcendo cum aliquibus ejuſdem Confeſſoris ſociis, quibus ejus vita & converſatio nota erant, ſuper ipſa Regula, & ſancta ipſius beati Franciſci*

Ciacon. in Nicol. III.

Arch. Vatic. in regeſto hujus anni n. 356.

ciſci

ciſci intentione freqaenti collatione tractavimus: & tamdem Cardinalis, ac poſtmodum ejuſdem Ordinis per dictam Sedem gubernator, & protector effecti: conditiones prædicti Ordinis ex imminenti nobis cura palpavimus: in Apoſtolatus officio tam de pia intentione Confeſſoris prædicti, quam de iis, qui Regulam ipſam, & ejus obſervantiam contingunt, ex prædictis longa experientia informati, noſtros ad præfatum Ordinem convertimus cogitatus: & tam ea, quæ per eoſdem prædeceſſores noſtros approbata & declarata eſſe noſcuntur, quam & ipſam Regulam, & eam contingentia maturitate plena diſcuſſimus: nonnulla in præſenti ſerie ſtatuimas, declaravimus, certius approbavimus &c. Qui a teneris annis Ordinem dilexit, cum ſancti Franciſci ſociis egit, conditiones & converſationes interiores Ordinis palpavit, & Protectoris munus tot annis ſuſtinuit, nihil mirum ſi res Minorum perfecte ſciret, atque eorum Regulam poſſet interpretari. Habetur hæc explicatio Regulæ, uti dixi, in VI. decretalium, & paſſim occurrit in omnibus noſtri Inſtituti vetuſtis Monumentis, quare non eſt cur eam aliquanto longiorem hic, aut in regeſto hujus tomi exſcribamus. Sub eodem etiam tempore XII. Kalend. Septembris ibidem in Caſtro Suriani authenticam reddidit, & ſuis litteris inſeruit bullam Honorii III. qua Regulam Minorum confirmavit, necnon aliam Gregorii IX. de ſtigmatibus ſancti Franciſci teſtimonium perhibentem. Ibidem VIII. Kalend. Septembris. „ Porro Regulæ graviſſimam illam
„ explicationem ſibi traditam Miniſter Generalis Bonagratia miſit con- ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
„ feſtim per univerſas Provincias, addita hac Epiſtola paſtorali.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri N. Miniſtro N. ac ejuſdem Provinciæ Fratribus univerſis. Frater Bonagratia Ordinis Minorum Generalis Miniſter, & ſervus inutilis, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

„ *A Domino Jeſu Chriſto normam rectitudinis perfectionis Evangeli-*
„ *cæ, formam ſcilicet, & Regulam beatiſſimo Patri noſtro Franciſco* Bonagratia Miniſter mittit per univerſum Ordinem explicationem Regulæ a Nicolao III. factam.
„ *cælitas inſpiratam, ſibique confirmatam & exhibitam cum benedictio-*
„ *ne Apoſtolica per Vicarium Chriſti: necnon, & per plures ſummos Ponti-*
„ *fices dudum proceſſu temporis approbatam, ſanctiſſimus Pater noſter, Do-*
„ *minus Nicolaus ſummas Pontifex illuſtratus divinitus his diebus, ſicut lu-*
„ *cernam ad perpetuam firmitatem ipſius, & ut in obſervando eam magis*
„ *ejuſdem redderet ſollicitos profeſſores, ſaper candelabram in propatulo*
„ *ſtatuit toti mundo. Propter quod circa obſervantiam illius oportet magis*
„ *ſolito invigilare ſollicite, nec ſolum ſaluti propriæ conſulendo, verum*
„ *etiam ne aliis nos judicandi tranſgreſſores aliqaatenus occaſio præbea-*
„ *tur: proinde non puto ſuperfluum ob hujus Obſervantiæ vigilantiam*
„ *vos commonere præſentibus, præſertim cum præfatus ſanctiſſimus Pater*
„ *ſic dixerit viva voce pluribus aliis Miniſtris mecum in ejus præſentia con-*
„ *ſtitutis; uſque ad cincinnos noſtri capitis tarbaremur, niſi Fratres tam*
„ *verbis, quam factis in prædicta regulari obſervantia fiant in poſterum cau-*
„ *tiores. Nec mirum dum tam duro fræno excommunicationis ſententiæ de-*
„ *trahentium ora ligaverit zelo Dei ductus, & noſtræ Religionis amore, ſi de*
„ *negligentia Obſervantium redderet quamplurimam ſe turbatum. Ideoque*
„ *moneo, & exhortor vos efficacius in Domino ſicut poſſum, obſecrans per* Hortatur ad obſervantiam ejuſdem.
„ *aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, quatenus ad petram, de qaa exciſi*
„ *ſumus, Patrem videlicet beatum Frantiſcum; imo potius Dominum Je-*

,, ſum Chriſtum, ſedala converſatione dirigentes aſpectum, intentioni ejuſ-
,, dem Patris in præmiſſa vos concurrere, & in promiſſa obſervantia coa-
,, ptare, volens & mandans nihilominus, ut in ædificiis, & veſtimentis,
,, ac cibis, & aliis in quibus ſancta debet relucere paupertas, abſque ſamptuo-
,, ſitate, curialitate, ac ſuperfluitate, quæ ipſi paupertati derogant, ſic ſollici-
,, te caveatis de cetero, ne ab obſervatoribus noſtris nobis poſſit impingi, quod
,, paupertatis ejuſdem ignorantes virtutem, in ipſius inveniamur tantum-
,, modo nomine gloriari; nec non a litigiis Clericorum, & novoram locorum
,, mutatione, quæ pacem, & quietem perturbant, & multis ſcandalis
,, viam præbent, Fratres pro poſſe abſtineant; & nallum de cetero locum
,, ſine licentia mea ſpeciali commutent. Aliud quoque eſt non mediocri at-

De modo loquẽdi & agendi circa pecunias.

,, tentione penſandum, qaod cum diſciplina quælibet propriis utatur voca-
,, bulis, nos, qai Evangelicæ diſciplinæ magiſterio didicimus, propter
,, Deum non ſolum proprietatem temporalem omnium, verum etiam pecu-
,, niæ quodam-peculiari diſciplinatn contrectationem, & uſum quemlibet
,, abdicare, decet ut ſuperioritas cordium elareat puritate ſermonam. Vi-
,, tanda ſiquidem eſt omnis locatio circa pecuniam, in qua actus dandi, ac-
,, cipiendi, habendi, emendi pariter, & vendendi Fratribus videatur
,, attribui; ſed ſi aliquando de ipſa pecunia ſit loquendum eo modo, perſona-
,, liter, vel in tertia perſona dicatur, qaod oſtendatur omnino per perſonas
,, extraneas exerceri. Et ſicut in verbis eſt ſervanda cautela, ſic & in ſcri-
,, ptis, quæ a Fratribus, vel pro Fratribus mercatorum, ſeu aliorum
,, quorumcumque libris, vel memorialibus commendantur. His enim qua de-
,, cet puritate ſervatis, nullus locus videtur relinqui Fratrum detractoribus,
,, ſed magis circa hæc calumniandi materia tollitur univerſis, Fratram
,, cavetur famæ, & paci conſcientiæ providetur. Præterea, quia ſpiritus
,, orationis, & devotionis nobis ſpecialiter commendatur in Regula, rogo,

De oratione & divino officio.

,, & volo quod Fratres orationi, & devotioni inſtantes divinum officium,
,, ad quod faciendum, ſecundum Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex pro-
,, feſſione propria obligamur, faciant, & dicant diſtincte pariter; & devo-

De diſcurſibus.

,, te; Diſcurſus inutiles, pernoctationes ſuperfluas, & occaſiones damnoſas,
,, quæ exterminant ſpiritum, omnino damnamas, quare ab hujuſmodi
,, omni qua decet, ſollicitudine Fratres compeſcantur, & cogantur in

De equitatione.

,, lectionis ſtudio, ac aliis utilibus exercitiis occupari. Caveant etiam Fra-
,, tres ipſi ab æquitationibus, ad quas nimium in multorum ſcandalum laxa-
,, verunt habenas; & tranſgreſſores acrius ſolito puniantur.

De promotione indignorum ad officia.

,, Sane indignorum promotionem deteſtans omnino, quia ad multa mala
,, materiam ſubminiſtrat: mando diſtricte in virtute Spiritus ſancti per
,, obedientiam, ſicut poſſum, qnod nullus notatus in Ordine de aliqua macu-
,, la criminis maxime de lapſu carnis ad ſtudia generalia, ſeu Lectoris offi-
,, ciam debeat modo aliquo promoveri. Et quicumque de tali mittendo con-
,, ſuluerit, vel elegerit ipſum, per Miniſtrum, vel Viſitatorem Ordinis
,, privetur libris omnibus; nec reddantur eidem ſine Provincialis & Capitu-
,, li licentia ſpeciali.

De obſervantia ſtatutorum.

,, Volo inſuper, atque mando Miniſtris, Cuſtodibas, & Guardianis
,, omnibus, ut ad Obſervantiam regularium ſtatutorum in qua Fratres no-
,, tabiliter videntur tepeſcere, ſicut experientia certa docet, ſeipſos ani-
,, ment attentius, invigilent, & Fratres ſuæ curæ commiſſos, ne ſanguis
,, ipſorum de ſuis manibus requiratur, cogant tam Regulam, quam ſtatuta
,, Ordinis diſtricte, ſollicitius obſervare; non permittendo ulterius quod
,, culparum capitula fiant de ſero, ſed poſt matutinum, vel ante tertiam te-
,, neantur.

Ad

„ *Ad hæc nolens ea, quæ ad rigorem diſciplinæ pertinent ſolvere; ſed firmare, edita, & ordinata tam in communi, quam in particulari, per reverendum Patrem Hieronymum Cardinalem, dum gerebat officium Miniſterii generalis, duxi præſentibus confirmanda. Demum ne ignorantia materia ſit aliquibus delinquendi, Regulæ declaratio, ſeu conſtitutio Domini Nicolai, ſtatuta Capitali Generalis, & præſentis litteræ copia, quam ſimiliter aliis provinciis tranſmitto, in loco Fratrum quolibet habeantur; ad quod faciendum Miniſtri, & Cuſtodes teneantur præſentium juſſione, quod quolibet menſe ſemel legantur in quolibet loco, cum opportunitas ſe obtulerit faciendi, proculdubio attendentes tam ipſi quam alii, qui præſident: quod ſi in horum obſervantia diligenti; tam in ſe quam in aliis fuerint negligentes, arctante conſcientia, hoc non potero clauſis oculis pertranſire. Valete, & orate pro me. Datum Viterbii* VIII. *Idus Octobris, anno Domini* MCCLXXIX.

XII. Erat tunc inter Miniſtros, qui huic explicationi condendæ aſſiſtebant frater Gualterus Brugenſis ſacræ Theologiæ Doctor, cujus ſuperius meminimus, Miniſter Provinciæ Turoniæ. Expertus Pontifex ejus ſingularem eruditionem, & vitæ integritatem, paulo poſt hoc ipſo anno eum aſſumpſit ad Epiſcopatum Pictavienſem in Aquitania dudum vacantem, contendentibus de jure ſuo duobus ad eamdem ſedem a Capitularibus electis. Reſtitit hic quantum potuit, & ultra quam debuit, Pontificis voluntati, nonniſi ſecundo & tertio juſſus, dignitatem admittens. Generalis etiam Bonagratia ſuas preces interpoſuit, ne tanto Prælato Provincia Turonenſis, & univerſum privaretur Sodalitium; neque tamen obtinere potuit, reſpondente Pontifice, multos eſſe in Religione Gualtero ſimiles, iiſque ſe indigere, ut in regimine Eccleſiarum partem ſubeant inſupportabilis oneris Pontificii. Vir erat omnis virtutis ſplendore illuſtris, in regimine prudens, in converſatione gravis, in convictu gratus, & in moribus exemplaris. Prudentiſſime ſe geſſit in Epiſcopatu, ſuæ Eccleſiæ jura conſtantiſſime defendens, circa quæ diuturnum ei diſſidium cum Bernardo Gotho, vulgo de *Gouth*, Archiepiſcopo Burdegalenſi, mox Clemente V. qui contentionis memor, & paſſioni ſuccumbens, eum ab Epiſcopatu ad monaſticum clauſtrum deturbavit. Pacato animo pertulit opprobrium, ſed ſub mortem ad Deum qui vindictam retribuit, appellans, manu tenuit ſchedam quamdam, qua Pontificem oppreſſorem ad Dei Tribunal ſub ſtatuto tempore, & die citavit. Hanc extrahere nullus potuit, donec, altero decurrente anno, ipſe Pontifex illac tranſiens res compoſiturus inter Galliæ, & Angliæ Reges valde inter ſe diſſidentes, aperiri curavit ſepulcrum, & inventam in integra manu, corpore item illæſo, ſchedam ſibi porrigi, qua pollebat auctoritate præcepit, eam ſe redditurum promittens. Accepit, legit, reddidit, quam vidiſſe ſe doluit, & extimuit, neque id inaniter, quippe ipſo eodem tempore, quo citatus eſt, ut ſe ſiſteret divino judicio, oportuit obedire, ut nos alias opportunius referemus. Emit hic Gualterus aliquando pannorum ſarcinas pro induendis plurimis pauperibus, ſed pretium in aliud tempus ſolvere diſtulit, quia tunc non ſuppetebat. Bonum habuit œconomum, & fidejuſſorem Deum, qui creditori merces ſolvit per Angelum, dum Epiſcopus pecunias, quas daret, non haberet. Sacrum faciebat devotiſſime, & frequenter ſuper caput celebrantis candidiſſima apparebat columba, ſtupentibus, qui ſacro aſſiſtebant. Eum inter beatos viros enumerat Molanus, Rodulphus, & alii, & mira-

Anno 1278.

Gualterus Brugen. electus Epiſcop. Pictavien.

Marian. l. 3. *c.* 4. *Rodul. f.* 105. *Molan. in natalib. Belgicis ad* 22. *Jannar. Anto. tit.* 24. *c.* 9. §. 8. *Joan. Rioche in compend. temp. lib.* 4. *c.* 77.

Ejus laus.

Injurioſum Pontificem citat ad divinum judiciū.

Deus contractum ab eo debitum ſolvit.

Super celebrantem apparet columba.

raculis tradunt effulſiſſe, cœcos illuminaſſe, a variis languoribus curaſſe, atque ſpecialem ſemper habuiſſe poteſtatem ſuper febrem quartanam. Alias commodius referentur monumenta, quæ poſteris reliquit. Aſſumptionis ad Epiſcopatum diploma incipit: *Militanti Eccleſiæ*. II. Non. Decembris. Synodum celebravit Ruffiaci in ſua diœceſi anno MCCCIV.

Joannes Peccham. Archiepiſcopus Cantuarienſis.

An. 1278. Ciacon. in Nicol. III. Goduin. de Præſulis Angliæ.

XIII. Aſſumptus etiam hoc anno ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, in Anglia primum beatus Joannes Pecchanius, de quo ſupra quædam præmiſimus. Præceſſit in eadem ſede Robertus Kilwarbius Ordinis Prædicatorum (cujus etiam Inſtituti noſtrum hunc Joannem ex plano errore facit Ciaconus, ſed & noſtrum etiam ex errore facit Kilwarbium Franciſcus Goduinus corruptæ fidei auctor) ad Cardinalatum, & Epiſcopatum Portuenſem tranſlatus: cui communibus ſuffragiis ſubrogare voluerunt Monachi Cantuarienſes Robertum Bathonienſem Epiſcopum, quem tamen Nicolaus Pontifex rejecit. Exprimuntur hæc in litteris aſſumptionis ejuſdem, quas nos damus in Regeſto. Paucos aut nullos in ſede hac ſui ſimiles ſucceſſores ſortitum eſſe ſcribit Harpſfeeld. Invitum ad hanc dignitatem evocatum, ipſe fatetur in quibuſdam litteris exſcriptis in Regeſto Cantuarienſi, graviterque queſtus eſt poſtea, quod eam unquam ſuſcepiſſet Provinciam, eamque ſe libenter excutere velle, & malle ſe, ſi voluntas Dei foret, a ſacris eſſe Cardinali Benedicto, cui aliquando inſervivit, quam ſub honoris tanti ſpecie, tantis curarum fluctibus objici; aut potius obrui. Roma reverſus cum litteris Pontificis ad Edvardum Regem, quibus ſe illum Cantuarienſem Archiepiſcopum deſignaſſe ſignificabat, incidit in Edvardum in Gallia circa Pentecoſten, ubi verſabatur pacis cum Gallo conſtituendæ gratia; quam pater ipſius valde iniquis conditionibus cum Gallo inconſulte inierat. Juramento enim ſe illi Henricus obſtrinxit, ſe curaturum ut Principes viri, qui ſibi in illis regionibus parebant, religione ſe Gallo aſtringerent, & Anglum, ſi quando bellum Gallo inferret, deſerturos, & Gallo adhæſuros. Id quod Joannes in ſuis ad Pontificem litteris ſignificat, ſimulque quanta animi promptitudine Pontificis factum Rex ratum habuerat, quantaque ſe alacritate & benevolentia complexus fuerat, & in earum terrarum, quæ ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem pertinebant, mox poſſeſſionem ſingulari benignitate miſerat. Licet litteræ Pontificis, neſcio quo errore, clauſulam illam conſuetam de temporalibus, ut appellant, reſtituendis, non fuiſſent complexæ, atque ideo Rex potuiſſet eam reſtitutionem uſque ad novas Pontificis litteras diſtuliſſe. Menſe Octobri in magna Epiſcoporum, atque procerum aliorum frequentia, quibus magnificum epulum præbuit, in ſede & throno Archiepiſcopali de more locatus eſt; & Junio qui præceſſit, Gilbertus Clarius Comes Gloceſtriæ & Herfordiæ recognovit ſe ipſius, & Cantuarienſis Eccleſiæ, & nullius præterea hominis clientem eſſe, pro honore, ut appellant, Tunebrigenſi, & poſſeſſionibus illi oppido attributis. Ob quam prærogativam ſucceſſoribus ejus multas aliquot Reges moleſtias faceſſere, ſibique eam intercipere conati ſunt. Cumque Joannes Reigratus & alii Juſtitiæ Præfecti, Comiti negotium poſtea faceſſerent, ob quaſdam controverſias, quæ in commemoratis poſſeſſionibus acciderant; ſcribit ad eos Joannes, ut cauſæ cognitioni ſuperſedeant, quippe quæ ad ſe, & ſuam Eccleſiam ſolummodo pertineret.

Harpſfeeld. ſæc. 13. c. 8.

Sed invitus dignitatem ſuſcipit

Libenter eum admittit Eduardus RexAngliæ.

Solemniter inthronizatur.

Synodos convocat.

XIV. Duas præ ceteris Joannes celeberrimas ſynodos habuit; alteram Lambethi, alteram apud Redingiam. In quibus multa egregie, ad di-

diſciplinam Eccleſiaſticam tuendam, commoda & opportuna conſtituit. Cum ſynodum Lambethanam indiceret, aliquid negotii habuit cum multis Abbatibus, qui ad illius edictum in ſynodo ſe ſiſtere, aut procuratores mittere detrectarunt: aſſerentes, ſe ab omni, illi & Epiſcopis debita obſervantia, eſſe ſummorum Pontificum privilegiis ſolutos & liberos: Contra quos miſſis ad Richardum Epiſcopum Londinenſem litteris, quas queribundus exſcripſit Matthæus Weſtmonaſterienſis, graviter conqueſtus eſt. Dicebatque eos, quantumvis aliter exemptos, non debuiſſe ſuam præſentiam tam venerando Patrum conſeſſui, conſiliaque ſua communibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſubtrahere; cumque haberent multas Eccleſias Cœnobiis ſuis attributas, quas impropriatas appellant (& quas ille a ſua juriſdictione & poteſtate exemptas negabat) mandavit Londinenſi Epiſcopo, ut annuos hujuſmodi in ſua diœceſi Eccleſiarum proventus Cœnobiis ſubtraheret, donec ad officium redirent. A quo decreto Præfecti Cœnobiorum Weſtmonaſterienſis, D. Albani, & ſancti Edmundi, & alii ad ſummum Pontificem provocarunt; inter quos & Joannem pacificatio poſtea inita eſt. Quin & poteſtatem de cauſis matrimonii cognoſcendi, teſtamenta inſinuandi (quam, licet ex privilegio & antiqua conſuetudine ſibi vendicaſſent, Bonifacius Archiepiſcopus quibuſvis Monaſteriis in Cantuarienſi diœceſi abſtulerat) Joannes rurſus reſtituit. Et ut aliis ſuum jus non detraxit, ita in privilegiis, prærogativiſque non modo Eccleſiæ ſuæ (quæ in Anglia id temporis erant ampliſſimæ) ſed & reliquæ Anglicanæ Eccleſiæ vindicandis, & conſervandis, diligentem & acrem ſe defenſorem præſtitit. Inter quæ fuit, ut integrum eſſet, ex more per manus deducto Cantuarienſi Archiepiſcopo unam in quovis Monialium Angliæ Cœnobio, ſacram Virginem præficere: quo privilegio ipſe, & ſucceſſor ejus uſus eſt.

Magna ei controverſia cum Monachis circa juriſdictionem.

Weſtmonaſt. ſub an. 1281.

Vult tamen illæſa illorum privilegia.

XV. Paſſus non eſt Eboracenſes Archiepiſcopos eruce in ſua Provincia uti, quod dignitatem ſedis ſuæ ex ea re imminui crederet; quæ illi controverſia, cum multis prædeceſſoribus, adverſus Eboracenſes, ita communis fuit, ut Nicolaus Pontifex Willelmum Wicwanum a ſe Archiepiſcopum Eboracenſem creatum, & conſecratum in Angliam hoc anno proficiſcentem his ſuis litteris munire judicaverit.

Eboracenſem nō permittit crucem præferre in ſua Provincia.

Archiepiſcopo Cantuarien.

Reg. Vatic. epiſt. 153.

C*Um inter Cantuarien. & Eboracen. Archiepiſcopos, qui fuerunt pro tempore, ſuper bajulatione Crucis fuerit, ſicut te ignorare non credimus, diutius litigatum, nec adhuc hujuſmodi cauſa litigii ſit ſopita, cupimus ſic circa negotium ipſum efficaciter ſollicitudinis noſtræ partes apponere, quod eidem cauſæ finis proſperitatis adveniat, obvietur jurgiorum anfractibus, & exinde tam Eccleſiis, quam populis illarum partium, quos caritativa dilectione proſequimur, ſpiritualis gaudii, & optatæ quietis commoda ſubſequantur, prout per alias noſtras litteras in brevi, dante Domino, evidentius apparebit. Ut igitur ceſſantibus hinc inde turbinibus, via lucidior noſtris conceptibus præparetur, ex qua negotium hujuſmodi facilius dirigat gratia ſalutaris, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus quod in hac parte ſcribimus debita maturitate præmeditans, in jucundo adventu Venerabilis fratris Guillelmi Eboracen. Archiepiſcopi, nuper cum gratia noſtræ benedictionis ad Eboracen. Eccleſiam accedentis, ſuper hoc ſalvis tuis, & Eccleſiæ tuæ juribus, ſic te provide gerere ſtudeas, ſic præde-*

ceſ-

ceſſorum tuorum rigorem tua modeſtia temperare procures, quod negotium ipſum, juxta conceptus eoſdem efficacius ad laudem Altiſsimi, ſalutem animarum, quietem prædictarum Eccleſiarum, & populi valeat terminari, tuque poſsis exinde merito commendari. Datum Viterbii XII. *Kal. Octobris, anno* II.

Viſitat ipſe majorem Angliæ partem.

XVI. Magnam Angliæ partem per ſe obivit, ut de ſtatu cathedralium Eccleſiarum, Cœnobiorum, & aliarum Eccleſiarum, cleri, & reliqui populi certius intelligeret. Cambriam etiam inviſit. Quam tamen ne ex animi propoſito in Eccleſiaſtica illa ſua diſquiſitione peragrarer, & temporis anguſtia, & alia, quæ objiciebantur impedimenta, obſtabant; ut ipſe in litteris ad Leolinum Cambriæ Principem ſignificat.

Cambriæ Principes pacificare ſtudet.

Adhibuit ille certe diligentem operam in Snodoniam profectus, ut Principem Cambriæ & fratrem ad pacis & quietis ſtudia traduceret: ſed, cum nihil proficeret, reverſus anathema in eos jaculatus eſt.

Cœnobiorũ mores reformat.

Dum peragraret, per ſe, & ſuos Cœnobia multa emendatione digna reformavit, certaque ne res oblivione deperiret, in ſcriptis mandata dedit. Quæ Sanctimonialibus apud Goſtojum prope Oxoniam præcepit, Gallice tradita habentur. Inter cetera mandata, & illud erat, ne, quod alicubi apud ſacras Virgines fiebat, eo die, qui Innocentibus dicatus eſt, ſacra officia preceſque perparvulas obirentur. Qui & illud opportune præcepit, ut ſi forte a Veſpertinis illis precibus (quas quia ceteras totius diei complent & abſolvunt, Completorium appellamus) Præfecta ob hoſpitum aliquorum adventum abeſſet; abſolutis illis precibus, matrona, quæ choro præfuit, duabus aliis ſibi delectis, cubiculum Præfectæ mox adiret, nunciaretque Completorii preces abſolutas: utque mox hoſpites, cujuſcumque generis, aut conditionis, admitterentur, & Præfecta deinde ſtatas illas preces Deo redderet, & nocturnis, matutiniſque poſtea vigiliis, cum reliquis in choro intereſſet.

Dedicari facit Eccleſias ritu ſolemni.

Multæ erant his temporibus in Anglia Eccleſiæ, in quibus divina ſacra peragebantur, quæ ſolemni, ut moris Eccleſiaſtici eſt, dedicationis ritu Deo adhuc non erant initiatæ. De qua re diligenter quæſivit, opportunaque remedia, ut infinitis aliis rebus, quæ opem & auxilium deſiderabant (quas perſequi non eſt neceſſe) adhibuit.

Nulla admittit munera.

XVII. Magna ſane integritate, & ab omni ſorde abſtinentia, in iſta Eccleſiarum luſtratione, uſus eſt; nec ſuas ſolum, ſed & ſuorum manus cohibuit. De quibus cum alicubi, neſcio quid ſiniſtri rumoris ortum eſſet, parochianis illius loci ſub anathemate mandavit, ut ſi quis eorum, cui illam luſtrationem, & inſpectionem mandaverat, aut quiſquam ex iis, quos a ſacris habebat, pecuniam, aut munus accepiſſet, palam dicerent.

Sacella regia nõ vult exempta a juriſdictione Archiepiſcopali.

In qua luſtratione multum illi moleſtiæ exhibuerunt ſacella quædam, quæ Regia appellant, apud Derbeiam, Salopiam, Staffordiam, Voluerhamptonum, Totenballum & alibi. Quorum Præfecti illius imperio, neſcio qua ex immunitate, parere recuſabant. Quam, cum ille nulla Romani Pontificis, nulla Archiepiſcopali, aut Pontificia auctoritate nixam, & munitam videret; iniquo animo hujuſmodi auctoritatis ſuæ rejectionem ferebat, & Eccleſiaſtica adverſus eos ſeveritate, ut ad officium redigeret, utebatur.

Agit cum Rege ut idonei præficiantur beneficiis Eccleſiaſticis.

Qua de re, tres illius litteræ ad Regem Eduardum Gallice ſcriptæ, quibus ſe apud eum purgat, hodie extant. Apud quem etiam diligenter egit, ut neminem niſi idoneum & accommodatum, beneficiis Eccleſiaſticis præficeret, nec ſineret ſuos ſacellanos, alioſque ſacros homines, contra Eccleſiaſticas ſanctiones, plu-

plura beneficia animarum cura implicita, ſine Pontificia indulgentia occupare, aut cum animarum, de quibus rationem redderent, jactura abeſſe a functione ſua, functionibus civilibus, & profanis Regis mandato diſtrictos: magnaque fuit illis temporibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ labes (de qua Joannes conqueritur) quod cum Epiſcopales ſedes paſtore deſtituerentur, Reges hujuſmodi beneficia, cum interim vacarent, in homines ineptos, & inidoneos conferrent; nec poſtea eos, licet juſtæ abdicationis cauſæ ſuppeterent, per paſtores removeri paterentur.

Monet Regem ut ſalvam velit Eccleſiæ auctoritatem.

XVIII. Multa Eduardus in detrimentum, & damnum Eccleſiæ tentarat, eamque & Weſtmonaſterienſe, & alia Cœnobia veteribus immunitatibus, & privilegiis ſpoliarat. Accurate itaque ad eum Joannes ſcripſit, hortatuſque eſt, ne leges ederet, quæ ſummorum Pontificum, quæ Œcumenicorum Conciliorum, quæ ſanctorum Patrum decreta, & ſanctiones everterent. Qua in re clariſſima illi propoſuit Conſtantini Magni Auguſti, Wigredi, Canuti, & Divi Eduardi Regis, & Confeſſoris, aliorumque Angliæ Regum exempla. Quorum æmulationem illi ſpecioſam, animæque illius, regnoque ſalutarem futuram dictitabat. Conſpiciuntur, & aliæ ejus ad Eduardum litteræ, quibus conſulenti reſpondet, utrum, & qua demum ex cauſa, atque ratione, obnoxius ſit damnis reſarciendis, ex Eccleſiarum, & Cœnobiorum incendiis, aliiſque eleri & populi expilationibus, quæ in graviſſimis ſuis bellis contra Wallos acciderunt. In quibus, dum verſatur, venit ad eum Joannes ex mandato ſummi Pontificis, expoſtulaturus cum eo, quod pecuniam ex decreto Lugdunenſi ad Terræ ſanctæ ſubſidium collectam, & in ſacro loco depoſitam Eduardus intercepiſſet. Cui id dedit reſponſi, ut diceret, ſe eam ſuo loco jam ante duos menſes reſtituiſſe. Qua de re, & ad Batbonienſem Regis Cancellarium Joannes ſcripſerat, rogavitque ſimul, ut Regem admoneret, quam inconſulte cuidam Jacobo puero, eidemque parum probatis natalibus orto, Eccleſiam Crundaliæ contuliſſet. Joannem vero Eduardus, ante poſtremum cum Leolino bellum in Walliam, ut cum eo de pace ineunda ageret, eumque in officio retineret, amandavit. Quo ille profecturus Provinciæ interim ſuæ procurandæ, & adminiſtrandæ curam commemorato Bathonienſi delegavit. Ante quam profectionem, Walli ſolemni ceremonia ſententia anathematis, in Concilio Oxonienſi contra pacis perturbatores lata, per Epiſcopos irretiti ſunt.

Conqueruntur de eo Epiſcopi.

XIX. Controverſias aliquot ob varias, ut fit, cauſas cum ſingulis fere Epiſcopis Joannes habuit, quarum aliquot ſuo attingemus alibi loco, imo & cum univerſis. Exiſtimabant enim Epiſcopi Joannem multa ſibi in cauſarum cognitionibus, præter juris rationem, & in legitimæ poteſtatis ipſorum detrimentum, atque imminutionem arrogaſſe. Cujus generis illi viginti ſupra unum gravamina, ob quæ ſe nimium ab illo premi, juriſdictionem ſuam Eccleſiaſticam perturbari, detrahique querebantur, collegere. Quibus ille ſingulis ſpeciatim reſpondit, reſponſique totius ſumma in hoc voluebatur, ut diceret, ſe nihil ulla in re tentaſſe, quod non cum Eccleſiaſtici juris, cum majorum ſuorum inſtitutis & exemplis, cum poteſtatis ſuæ amplitudine, quam non ſolum ut Metropolitanus, ſed ut ſummi Pontificis Legatus exercebat, cohæreret atque congrueret. Ceterum ne videretur nimis ſevere, & ſummo jure agere, conſenſit, ne Officialis, ut appellant, Cantuarienſis avocaret ad ſe cauſas a Suffraganeis, niſi appellationibus gradatim factis, & cum

Quibus ille ſatisfactum cupit.

conſtaret Epiſcopum negligenter, & remiſſe verſatum; inque teſtamentariis cauſis, cum defuncti bona in diverſis diœceſibus poſſiderent. Neque voluit ſequeſtrationes, ut appellamus, Eccleſiarum per Suffraganeos factas reſcindi: hac tamen hæc omnia cautione, ne hoc indultum Eccleſiæ ſuæ, aut ſucceſſoribus ſuis eſſet damnoſum.

Falſa de eo querelæ delatæ ad Pontificem.

XX. Sed neque leves, neque paucæ fuere moleſtiæ, quas adverſarii illius Romæ illi faceſſebant. Alii enim, ſed falſo, Pontifici ſuggerebant, habuiſſe eum a ſacris plurimos, qui varia beneficia, quibus animarum cura & procuratio implicita erat, citra Pontificiam ullam indulgentiam, contra Lugdunenſis Synodi præceptum, occuparent, & quod hujuſmodi vitiis implicitos, & Epiſcopos deſignatos confirmaret.

Eas facile diſſipat.

Quam ille, miſſis Romam ad Matthæum Rubeum Minorum Protectorem, & alios Cardinales litteris, calumniam facile diſſipavit. Imo, cum hujuſmodi homines vitio creatos, aut ab Epiſcopatu, aut alios ab eis beneficiis, quibus perperam incubuerant, removere diligenter conaretur, non defuere Romæ, qui frivolas & frigidas, injuſtaſque id genus hominum provocationes, ſummis apud Pontificem Romanum ſtudiis proveherent.

Faceſſit ei negotium quidam Tediſius.

E quibus Tediſins de Camilla, multum illi inter alios negotii exhibebat, qui ſibi multa in Anglia beneficia, ſiniſtris rationibus Romano Pontifice circumvento, homo omnium illis indigniſſimus, accumularat. Quem Joannes, cum ab Eccleſiæ de Wengham, & decanatu Voluerhamtonenſi contra juris præſcripta abeſſet, & evocatus, ut ſe judicio ſiſteret, contumaciter, & proterve præſentiam ſuam ſubtraheret; primum anathemate involuit. In quo cum biennio hæſiſſet, exuit illum Joannes, & abdicavit ab illis beneficiis. Sed Benedictus Cardinalis, qui in ſumma erat apud Pontificem gratia, cuique Tediſius ſanguine conjunctus erat, ab eo impetravit, ut Giffredus quidam homo indoctus, quique palam ex profeſſo erat Joannis adverſarius (nt Joannes in ſuis ad ſummum Pontificem litteris teſtatur) cauſæ illius cognitionem inter Joannem & Tediſium haberet. Qua ex re magnam, longamque moleſtiam ſenſit Joannes. *Unde* tam apud ipſum Benedictum, quam apud Jordanum, Matthæum, & Gervaſium Cardinales multum conqueritur. Et palam apud Benedictum conteſtatur, quem neceſſitudo ſanguinis ad Tediſinm fovendum movere videbatur (quamquam & ſordium, munerumque acceptorum in eum nonnulla ſuſpicio cecidit) ſe in hac ſua actione ad nihil aliud reſpexiſſe, quam ad ſanguinem, quem pro grege ſuo Chriſtus effudit; & ad animarum ſalutem, quam pro dignitatis ſuæ ratione, procurare debebat.

Nec non Joannes Monachus Fiſcanenſis.

XXI. Multa illi alia per importunas, & iniquas provocationes, præſertim Joannis Monachi Fiſcanenſis, quem anathemate devoverat (quas non eſt neceſſe jam perſequi) impedimenta, cum ſuum ſtrenue officium exequitur, allata ſunt, de quibus ille paſſim conqueritur. Et licet Romanæ & Pontificiæ auctoritatis, amplitudiniſque, ſi quiſquam alius, fuerit obſervantiſſimus, ingenue tamen, illam multum imminui, & contaminari per callidos quoſdam homines, qui circumvento Pontifice illa abutebantur; injuſtaſque appellationes contra Prælatos, qui diligenter & ſollicite ſuo officio fungebantur, fovebant, conteſtabatur.

Eph. 2. 14.

Eccleſiæ malorum, quæ ſunt cauſæ præcipuæ

Imo ex hac potiſſimum cauſa Græcam Eccleſiam a Romana deſciviſſe: quin & defectionem illam, cujus meminit Apoſtolus, ex hac inter alias cauſas, olim manaturam. Quas ille ſex, hac remota, recenſet; nimiam videlicet imperandi ſeveritatem, violentas, & immodicas exactiones, in-

infinitam, & immoderatam litium & altercationum forenſium multitudinem, neglectum in Prælatis concionandi officium, vitæque in eiſdem depravationem, cum paſſim carni magis, & ſanguini, quam ſpiritui ſerviretur. Aperte tamen fatetur, non poſſe eam ſedem, propter Chriſti promiſſionem in cauſis fidei expediendis, ſententiaque hujuſmodi errare.

XXII. Suos olim conſodales Franciſcanos magno, ut par erat, amore, & quibuſcumque poterat beneficiis, & contra adverſarios (ex quibus inter alios fuit præſes Cœnobii Divi Albani) auxiliis proſequebatur. Quibus eorumque orationibus, cum ad Synodum, ſive ut vocant, capitulum coibant, ſe totamque ſuam in Cantuarienſi Eccleſia (cui ſe invitum præeſſe palam fatebatur) procurationem anxie ſolebat commendare; fuit vero totius illius ſectæ, & privilegiorum ipſius in Anglia, conſervator a ſummo Pontifice deſignatus. Et, quoniam non deerant, qui illam illis temporibus acriter impugnabant, magna conſtantia profeſſus eſt Divi Franciſci Inſtitutum ad eam interpretationem & declarationem accommodatum, quam ſummus Antiſtes Gregorius adhibuit; non modo omni vitio, & reprehenſione vacare, ſed eſſe oppido, quam ſanctum, & ad æternæ vitæ adeptionem valde aptum & idoneum, & vehementer cum vitæ Chriſti exemplo congruere. Ad cujus diſciplinam, & Ordinem, cum multi ex Benedictinis & Auguſtinianis Fratribus, atque adeo Carthuſianis confluerent, eamque ob rem quidam, præſertim ex Fratribus Auguſtinianis in publicis Oxoniæ concionibus palam contra Minores inveherentur; ſcripſit Joannes ad Cancellarium Oxonienſem, ut hujuſmodi oblatratoribus os obſtrueret, oſtenditque nihil ea in re a Minoribus factum, quod non ex ſummorum Pontificum privilegio, facere illis eſſet integrum. Cumque quidam ex Clero ſe opponerent, nec ſinerent, aut Dominicanos concionari, aut Franciſcanos per ſacram exomologeſim alienos parochianos expiare: Joannes id eis ſummorum Pontificum privilegio licere docuit, & ne impedirentur, diligenter curavit.

Suorum conſodalium verus amator & defenſor.

Vide hanc explicationem. Tom. 2. an. 1230. n. 14.

XXIII. Fuit vero Joannes Catholicæ doctrinæ, & totius diſciplinæ Eccleſiaſticæ acerrimus aſſertor. Cumque cujuſdam religioſi inſtituti vir Richardus Knapwellus quædam e ſuggeſto aſſereret non ſatis Catholicæ fidei congrua, evocavit eum ad ſuum Joannes tribunal. Dum vero ille ſe non ſiſteret, octo illius errores, re cum doctis communicata, damnavit. Sed Hugo Manceſtriæ, Knapwelli, & illius Inſtituti conſodalium Provincialis interpoſuit ſe, & juriſdictionem Joannis declinare cupiens, aſſeruit cognitionem contra ſuæ religionis profeſſores ſoli Romano Pontifici reſervatam. Fuere tamen, præſertim illius Sodalitatis quidam Oxoniæ præſes, qui opinionem de formarum multiplicitate tamquam errorem Joanni impingerent, quodque ea de re mortuum (Thomam Aquinatem intelligentes, qui unicam formam tuebatur) minus candide perſtringeret, & roderet. Quorum injuſtam accuſationem juſtis rationibus ille retundit. Nec diffitetur inter illius Inſtituti ſectatores, & Minores multa & gravia eſſe opinionum diſſidia, ob quæ ægro & dolenti erat animo; quæ ſummi Pontificis auctoritate interpoſita, componi primo quoque tempore cupiebat. Sed tamen ea amice tolleranda dicebat, quæ cum nulla fidei jactura ſunt conjuncta, nequaquam vero in his hærendum, quæ illam læderent; & fuiſſe etiam magnam, ſalva tamen & integra amicitia, inter Philoſophos ſententiarum varietatem & diſ-

In doctrinis etiã ſcholaſticis alias tulit moleſtias.

Vide de his Harpsfeld. cit. & Pitſeum de ſcriptor. Angl. ad annum 1290.

& diſſonantiam. Neque ſe quidem invidia, aut contentione huc productum, aut cum Thomæ, aut cujuſquam mortui cineribus pugnare: imo mordicus aliquandiu Thomam, ejuſque hac in re ſententiam, tueri ſolitum, donec vidiſſet eam a Theologis Pariſienſibus impugnatam, præſentemque Thomam audiſſet (qua erat ille animi demiſſione) Pariſienſis Epiſcopi, & Theologorum Lutetiæ judicio, & cenſuræ ſe, & totum illud ſuum dogma, ſubjeciſſe. Quam & prædeceſſorem ſuum Robertum, licet inſtituti eſſet Dominicani, Oxoniæ tamen damnaſſe, ait. Neque recens ſe, ut adverſarius criminabatur, hanc de varietate formarum ſententiam ſequutum, ſed ante multos annos eamdem conſtanter Lutetiæ in Anglia, atque adeo Romæ palam, poſt Alexandrum & Bonaventuram ſuæ diſciplinæ homines, defendiſſe. Luculentam ſane & illuſtrem hominis doctrinam, præclara quæ poſt ſe reliquit monumenta, ex quibus aliquot hodie extant, abunde teſtantur. Ex his, præter alia, impreſſum eſt unum, licet difficile inveniatur: *Collectanea Bibliorum* inſcriptum, prædicatoribus verbi Dei, iis, qui examinata & caſta eloquia ex ſcripturarum veritate auditoribus quærunt proponere, utiliſſimum, in quo ſub certis quibuſdam locis ſacrorum Bibliorum ſententias, novo artificio, & mira dexteritate, ita apto digeſſit ordine, ut facile ad quamlibet materiam ex Scripturis ſanctis multa poſſit, requirens minimo negotio, quodcumque tandem propoſuerit, ſibi quilibet expromere. In quo vel ſolo hoc opere facile eſt proſpicere, quam ſibi familiares habuerit, & quam intime perſpectas Scripturæ ſacræ paginas, quas ita potuit miro compendio in tam ordinatam compoſitionem redigere. Perſimile eſt operi Concordantiarum ſancti Antonii Patavini a nobis editarum, ſed methodus & materiæ omnino diverſæ.

Opuſculum ejus inſcriptum Collectanea Bibliorū.

Collegium, & quædam loca pia ædificavit.

XXIV. Collegium in Cantia Wengamenſe, ejus potiſſimum opera conſtitutum eſt, ſed ſeminarium ejus beneficii, a Roberto prædeceſſore ejus profectum eſt, qui a Gregorio Pontifice impetrabat, ut liceret Eccleſiam Parochialem Wengamienſem in eum uſum convertere. Sacellum etiam illud lapideum apud villam Archiepiſcopalem Otſordiam ædificavit. Illa vero ejus ſingularis ad pauperes ſovendos propenſio non eſt prætereunda, quod in magna quadam annonæ penuria, non ſolum de ſuo illis liberaliter proſpexit; ſed curavit etiam, ut qui beneficia in ſua diœceſi poſſidebant, illorum inopiæ ſubvenirent. Pauperum etiam adverſus Comitem Warennium defenſionem ſuſcepit, ex cujus ſilvis damæ & cervi longius evagati, tenuiorum ſegetem miſere vaſtabant, nec eas feras, præ Comitis metu, exagitare audebant. Ad quem accurate ſcripſit Joannes, ut huic malo remedium adhiberet. Multam Joannes cum ceteris Epiſcopis operam poſuit, ut Almericum Montefortenſem, filium Simonis Comitis Leiceſtriæ e carcere liberaret. Hanc enim illis curam ſummus Pontiſex ſollicite mandarat. Almerici ſoror, Aleonora virgo pulcherrima, Leolino Cambriæ Principi deſponſata, patre mortuo, tranſmiſſa eſt e Gallia per mare ad Leolinum. Cujus deducendæ curam Almericus habuit. Sed is cum ſorore incidit in manus Briſtolienſium. Conjecit Eduardus Almericum in carcerem, timens novas ab eo & Leolino, gravioreſque ſolito excitandas turbas. Intercedente tandem ſummo Pontifice & Joanne, atque ceteris Epiſcopis diligenter ad eam cauſam incumbentibus, & Regem ſecurum reddentibus, propter eas conditiones, quas Almerico impoſuerant, tandem dimiſſus eſt.

In pauperes liberalis.

XXV. Singulari poſt Chriſtum, ut par erat, honore & cultu beatam

tam Virginem Mariam Joannes proſequebatur: ad quem & alios ſedulo provocabat. Ad cujus honorem multi id temporis quadraginta dies, qui Aſſumptionem ejus antecedunt, jejunare ſolebant. Quod ille jejunium Anglis accurate commendabat, neminem vero illi aſtrinxit. Alia, quæ dum in clauſtris vivebat, jejunia ſolebat obſervare, etiam factus Archiepiſcopus non relaxabat: & cum fere ex omni genere eſcarum apparatibus Pontificalis menſa frequenter abundaret, ipſe ſibi ad ampliorem carnis cohibitionem, & perfectæ vitæ arctiora exempla ſubditis demonſtranda, Inter epulas eſurire docebat, & inter plenas carnium delicias, cibos manducare inſipidos, ſeipſum ſui ſeverus pædagogus cogebat. Cetera etiam virtutum exercitia nequaquam remittebat, imo vero diligentius divinæ ſervituti ſe totum mancipabat, dicens, ſe ſubditis propoſitum in exemplum. Cum Regio Propheta diligebat unice decorem domus Dei, & loca habitationis gloriæ ejus. Sacrata Templa omni decenti apparatu per univerſam ſui Epiſcopatus ditionem, ſollicitiſſime decorabat; fugiebatque otium, ſciens ab otio dari vitia, & doceri malitiam multam. Caſtæ, illibatæque erat converſationis, mulierum colloquia, vel a longe abhorrens; mediocri, communique veſtitu uſus, vigilando & orando omnes, quos a ſacris habebat, ſuperabat; adeoque ſe dimittebat, ut ſæpe cereos, candelaſque in Eccleſia ipſe accenderet, & cetera infirmorum munia obire ſoleret. Vixit in Archiepiſcopatu annis XIII. vita functus anno MCCXCII. Craſſus eſt error Typographi apud Rodulphum, dum ait mortuum anno MCCIX. Eum hic auctor reponit inter beatos viros Ordinis Franciſcani, & poſt mortem claruiſſe miraculis affirmat.

Ejus erga beatã Virginem cultus.

Ejus abſtinentia.

Ceteræ virtutes.

Pſal. 25. 8.

Eccl. 33. 29.

XXVI. Illud communiter de eo referunt Scriptores, quod cum ſeculi ſui eruditiſſimus eſſet, & Romæ in ſacro Palatio publice Theologiam doceret, tanta erat ejus doctrinæ opinio, ut ad eum audiendum, tum alii ex omnibus gradibus plurimi ventitarent, tum vero Epiſcopi, & Cardinales non pauci, qui etiam, quoties per mediam ſcholam ad ſuggeſtum adiret, omnes honoris cauſa conſurgere, & detecto capite ſtare conſueverant. Verum cum ita accidiſſet, ut hoc iſto anno (non vero anno præcedenti uti ſcribit Bzovius) ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum proveheretur, ac nihilominus docere pergeret, nemo deinceps ex Cardinalibus ſe movit, quod antea, ut ajebant, honorem illum virtuti tribuerent, cui ſe inferiores cognoſcebant: tunc vero dignitati tribuere viſi eſſent, qua erant ſuperiores.

Rodul. fol. 117. Willot. de ſcriptor. Minorum.

In humili ſtatu ei aſſurgebant Cardinales.

Bzov. ann. 1278.

XXVII. Alios hoc ipſo anno ex Minoritis diverſis in locis Pontifex creavit Epiſcopos: fratrem Ægidium Leodienſem præfecit Eccleſiæ Valvenſi, olim a Sulmonenſi diviſæ, modo cum eadem unitæ in Samnitibus in Regno Neapolitano. Vacaverat per aliquot annos propter ſchiſma duorum ad eamdem electorum Ordinis ſancti Benedicti Abbatum. Conſecrationis munus Electo Pontifex ſuis manibus impendit: *In ſupremæ dignitatis*. V. Kal. Martii. „ Ægidius hic ſimul cum œconomo Capituli „ ineunt concordiam cum Abbate ſancti Vincentii de Vulturnio., & „ ſyndico ſancti Petri ad Oratorium circa juriſdictionem quarumdam „ Eccleſiarum „ Tancredum de Monteſuſculo ad Eccleſiam Neocaſtrenſem in Calabria, ſeptimo a mari lapide, nobilem, ſub Archiep. Rhegienſi. Vacabat per renunciationem Roberti Epiſcopi, quem alias vel invitum a ſede ob multa ſua demerita pellere Pontifex decrevit. Hunc præceſſit in eadem ſede alius Minorita, uti diximus ſuperius: *Militanti Eccleſiæ*. Idibus Maii. Eamdem Eccleſiam Archiepiſcopalem Rhegii

Frater Ægidius Leodien. Epiſcopus Valven.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Frater Tancredus Epiſc. Neocaſtrenſis.

Tom. 3. an. 1252. n. 23.

Plin. lib. 3. c. 5.

Frater Gentilis Archiepiſc. Rhegien.

Act. 28. 13.

gii Julii in Italiæ humero ſitam, ut ſcribit Plinius, totius Calabriæ Metropolim, nobiliſſimam & antiquiſſimam ab Apoſtolo Paulo Religionem Chriſtianam edoctam, ut in Apoſtolorum Actis habetur, conceſſit fratri Gentili viro probo & docto, & conſecrationis munus ipſe impendit. Vacabat Eccleſia per mortem Jacobi, & ad eamdem electus erat Robertus de Caſtellione decanus ejuſdem, quem tamen ob defectum ſcientiæ confirmare noluit Pontifex: *Recte tunc Eccleſiarum*. VII. Id. Octobris.

Frater Conradus Epiſcop. Tullen.

Vide quæ hic diximus an. 1278.

Fratrem Conradum a Tubinga Miniſtrum ſuperioris Alemanniæ, aliquanto prius Nuncium Imperatoris ad Pontificem laudabiliter in Eccleſiæ obſequium, & emolumentum ſuo munere functum, creavit Epiſcopum Tullenſem in Lotharingia. Vacabat ſedes per mortem Gilonis: atque ad eamdem electi duo, quorum primus obiit, alter ſuum jus reſignavit. Alium etiam Provincialem Alemanniæ *Probum* nomine, hujus Eccleſiæ Epiſcopum, ad annum MCCLXXXVII. conſtituit Claudius Roberti, ex teſtimonio Nicolai Coeffetau.

Coeffet. l. con. Myſter. iniquitatis p. 992.

Chron. MS. Saxon. ad an. 1280.

Comperi in Chronicis MSS. Saxonicis errorem eſſe, atque ex uno Minorita Provinciali duos fieri, neque *Probum* tam nomen eſſe proprium ſecundi Epiſcopi, quam cognomen ſeu elogium Conradi: *In ſupremæ dignitatis*. IV. Non. Octobris anno MCCLXXXVII. Herbipoli interfuit Patrum cœtui, in quem Joannes Buccamantius Cardinalis Tuſculanus advocavit plures Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos,

Cedit Epiſcopatu, & quare?

Bzov. an. 1287. n. 4.

Nauc. vol. 2. gener. 44.

& auctoritate Legati Apoſtolici qua fungebatur, quartam partem reddituum annuorum in quatuor annos futuros Rodulpho Cæſari poſtulavit. Trementibus & tacentibus ceteris, ſolus Probus hic, ſeu Conradus animoſe nimis reſtitit. Unde Romam vocatus, cum læſæ majeſtatis inſimularetur, ſponte Epiſcopatu ſe abdicavit. Bzovius gradu motum, & in Ordinem redactum ex Nauclero commemorat.

Stemma Lothar. tom. 5. c. 77.

Priorem narrationem habent ſtemmata Lotharingiæ, in qua ſitus ille Tullenſis Epiſcopatus; adduntque redeuntem, anno MCCXCVI. in itinere obiiſſe.

Frater Nicolaus Epiſc. Daren.

Fratrem Nicolaum de Cuſoach aſſumpſit ad Eccleſiam Darenſem, vel Derienſem in Hibernia in Comitatu Tyr-Corneliæ ſub Archiepiſc. Armacano. Vacavit per mortem Simonis Epiſcopi, atque Electi ad eamdem Theſaurarius, & Decanus ſuum jus reſignarunt: *Rationis oculis*. V. Kal. Decembris.

Frater Philippus Archiep. Raguſinus.

Anno 1277.

Fratrem Philippum Bonaccorſo alias *de Mantua*, in Marchia Tarviſina, ut diximus Inquiſitorem, ad Eccleſiam Raguſii, ſeu Epidauri Metropolitanam in Parthinis, Dalmatiæ populis, per mortem Salvii Archiepiſcopi vacantem, quam tamen hic noluit acceptare. Elegerunt Capitulares Minoritam alium *Marcum de Venetiis*, qui naturæ debitum ante electionis confirmationem perſolvit: *Militanti Eccleſiæ*. V. Idus Decembris.

Anno 1278.

Joanni Martini ab Epiſcopatu Gadicenſi ad Egitanienſem, ut diximus, tranſlato indulſit, ut dum res Luſitaniæ in tanta perturbatione, Rege Alphonſo Eccleſiaſticos vexante, verſarentur, redditibus, & regimine gauderet Eccleſiæ Gadicenſis: *Vacante dudum*. Kalend. Junii.

Quædam committuntur Minoritis negotia.

XXVIII. Fratri Sinibaldo de Lacu Inquiſitori in Provincia Romana commiſit, ut diſtrictam exerceret inquiſitionem contra hæreticos in civitate Viterbienſi latentes: *Qui cuncta ſolus*. VIII. Idus Maii. Duobus Capellanis Matthæi Rubei Urſini Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, & Guardiano Halberſtadenſi, ut cognoſcerent in cauſa quorumdam, qui inſolenter ambiebant Archiepiſcopatum Magdeburgenſem: *Magdeburgenſis Eccleſia*. II. Nonas Februarii. Sancti Andreæ, & Haberdoniæ, ſive Abredoniæ Epiſcopis, & Miniſtro Minorum in Scotia (non quod ibi proprius fuerit Provincialis, quippe per diuturnum annorum ſpatium

fuit

ſuit vel Cuſtodia, vel Vicariæ ſub provincia Anglicana, & ſuam interpoſuerunt operam Reges Scotiæ, ut fieret in ſuo Regno Provincialis, nec tamen facile obtinuerunt ob Monaſteriorum paucitatem, ut ſuis locis dicemus, ſed quod Angliæ Miniſter fuerit etiam in Scotia, eaque ratione dicebatur Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter in Regno Portugalliæ, cum tamen proprium non habuerit per aliquot annos Luſitania Miniſtrum) ut inquirerent veritatem circa graves defectus imputatos Decano Carthaneſiæ in Epiſcopum ejuſdem ſedis electo, & curarent ut de alio idoneo provideretur paſtore: *Commiſſa nobis*. VII. Idus Martii. Abbati ſancti Petri extra portam Viennenſem, Priori Prædicatorum Lugdunenſi, & Guardiano Minorum Viennenſi, ut ſimiliter circa qualitatem duorum ad Eccleſiam Viennenſem electorum, & jura eorumdem qui elegerunt, & inter ſe de auctoritate eligendi contendebant, diligenter inquirerent: *Ex incumbenti nobis*. X. Kal. Octobris. Ad Cuſtodem Fratrum ſancti Franciſci Aſſiſiatis ſcripſit, ut fratri Benevenuto Minoritæ Epiſcopo Eugubino collectori decimarum pro ſubſidio Terræ ſanctæ, traderet quædam ſcripta & inſtrumenta relicta in ſacriſtia ejuſdem Monaſterii, ſub obitu Archidiaconi Spoletani, qui earumdem decimarum collectorem agebat: *Cum nonnulli*. V. Idus Maii. Similiter ut Fratres Prædicatores, & Minores per Daciæ & Svetiæ Regna conſtituti, ſibi tradita in ſubſidium ejuſdem Terræ ſanctæ aſſignent Bertrando Almaria Capellano Pontificio, Canonico Remenſi, collectori decimarum in illis partibus: *Intelleximus quod pia devotio* &c. Idib. Junii.

XXIX. Quorumdam Conventuum ad Patres Conventuales ſpectantium incertæ origines circa hoc tempus ſtatuuntur. *Rodul. fol. 272.* Utinæ nobilis in Foro-Julii urbis extruxit Monaſterium Raymundus Turrianus Epiſcopus Comenſis; *Con Utinæ, & Auſtriæ.* qui & aliud in eadem regione in urbe Auſtriæ extruxit quinto ab hoc anno. Locum hunc plurimum exornavit beatus Odoricus de Portu Naono, cujus vitam ſuo tempore recenſebimus. *Anno 1331.* Conventum ſanctæ Victoriæ in Cuſtodia Aſculana Marchiæ Anconitanæ hoc ipſo anno, *Con. ſanctæ Victoriæ.* vel circa eumdem, die XIII. Februarii acceperunt Fratres a Monachis Abbatiæ Farfenſis, ut habetur in ipſo conceſſionis inſtrumento ibidem aſſervato. Ejuſdem Cuſtodiæ Conventibus tribus Aquævivæ, Appiniani, & Podii Canoſæ *Con. Aquævivæ, Appin. & Podii Canoſæ.* conſtat miſſas tres cruces argenteas a Nicolao IV. nono vel decimo ab hoc anno in Pontificem electo; atque ex hoc donario aliqui vetuſtatem expiſcantur cum aliunde certa non inveniatur *Monum. MS.* origo. Ex Villa Franca Confluentis Elnenſis diœceſis, in principatu Cataloniæ, inter montes Pireneos ſcripſerunt optimates ad Patres in Comitiis Provincialibus congregatos, *Conv. Villæ-Francæ Confluctis.* quod in præfata Villa in montanis ſita, & a populoſis civitatibus remota, nulli alii Religioſi exiſtebant, quorum miniſterio conſuli poſſet ſaluti animarum, & propterea ſe devote petere, *Gonzag. in Prov. Catal. con. 19.* ut tranſmitterentur aliqui ex illorum Sodalitio, quibus ædes & neceſſaria quæque miniſtrarent. Miſſi ad eos tredecim Religioſi, quibus locum contiguum Monaſterio Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti, in quo tres tantum morabantur, & mox ipſum illud de Pœnitentia Monaſterium, annuente Pontifice, non longe ab Oppidi porta aſſignarunt. Duas de hac re bullas Pontificias damus in Regeſto; & alias duas de donatione *Anno 1277.* Comenſi quam ſuperius enarravimus. Tranſiit Monaſterium hoc ad Obſervantes anno MDLXVII.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litter. Pon.

Indic. ex Vat. Ex Oder. n. 13.

I. GUardiano de Monteleone quamdam executionem commiſit: *Nuper dilecto &c.* Idibus Januarii: Archiepiſcopo vero Turonenſi pro Terra ſancta ſcribens, etiam eamdem fratri Hieronymo Minoritæ commendat: *Salutaria & ſollicite &c.* x. Kalend. Martii: plura itidem expedivit fratri Bartholomæo a ſancto Gemino, quæ a Petro de Alva, & Aſtorga in ſuo Indiculo adnotata videre potes. Non pigebit nihilominus referre, Nicolaum ſummum Pontificem per ſuum ſpeciale diploma, teſtimonium ſacrorum ſtigmatum Seraphici P. Franciſci, quod univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ fecerat, confirmatum, validum & perenne voluiſſe, ut ex ſequenti ejuſdem tenore apparet.

NICOLAUS EPISCOPUS &c.

Univerſis Chriſtifidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Bulla de reſt. ſac. ſtigm. ſancti P. noſtri Franc.

LItteras felic. record. Gregorii Papæ IX. prædeceſſoris noſtri non abolitas, non cancellatas, non vitiatas, vera Bulla bullatas, inſpeximus diligenter, quarum tenorem de verbo ad verbum ex certa ſcientia præſentibus fecimus annotari: decernentes ac ſtatuentes, ut idem tenor eamdem vim, eumdemque vigorem, ac idem robur per omnia obtineat ſic inſertus, quo ipſæ litteræ bulla ipſa munitæ noſcuntur, etiamſi dictæ litteræ numquam impoſterum apparerent, & eadem ſibi fides in judicio, & extra judicium adhibeatur omnino quæ prædictis originalibus litteris perhiberetur: prædictus vero tenor earumdem litterarum talis eſt. Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Confeſſor Domini glorioſus beatus Franciſcus, qualis vitæ meritis proceſſerit ad patriam perpetuæ claritatis, explicare litteris, arbitramur fore ſuperfluum: cum id fere pervenerit ad fidelium notitiam ſingulorum. Veruntamen grande, ac ſingulare miraculum, quo ipſe Sanctorum ſplendor, & gloria, Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, univerſitati veſtræ tenori præſentium non indigne duximus exprimendum: Videlicet, quod idem Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret; & poſtquam illud feliciter conſummavit, manibus, ac latere, ac pedibus, ſpecie ſtigmatum divinitus extitit inſignitus. Quo ad noſtram, & Fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum ceteris ejuſdem miraculis, per teſtes fide digniſſimos, probato, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quod Confeſſorem eumdem de dictorum Fratrum, & omnium Prælatorum conſilio, qui tunc apud ſanctam Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Igitur cum ab univerſis fidelibus credi firmiter cupiamus, devotionem veſtram rogamus, & exhortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungendo: quatenus ab aſſertione contrarii, aures de cetero penitus avertentes, Confeſſorem eumdem apud Deum pia vobis reddatis veneratione propitium: ut ejus meritis, & precibus, & in præſenti a Domino proſperitatis gaudium, & in futuro æternæ felicitatis percepiſſe ſola-

tium

,, *tium exultetis. Datum Viterbii Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri an-*
,, *no* XI.
,, *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ annotationis,*
,, *& conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis au-*
,, *tem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, &*
,, *beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Da-*
,, *tum Suriani* VIII. *Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno* II.

,, II. Ex his apparet granditatem miraculi ſacrorum ſtigmatum Jeſu
,, Chriſti pro nobis crucifixi plagarum in corpore ſancti P. Franciſci
,, adeo cogitatus humanos exceſſiſſe, ut pene incredibilis, etiam poſt
,, Sedis Apoſtolicæ, de illorum veritate non ambigenda, multiplicata
,, vel replicata teſtimonia, videretur: cum etiam Nicolaus III. dignum
,, duxerit hoc anno adductum diploma promulgare: & quidem ſaten-
,, dum eſt ita eſſe: etenim Altiſſimus, & omnipotens Deus, cujus
,, opus fuerat, tam exceſſivi miraculi excellentiam, & magnitudinem
,, ut veram confirmaret: ad omnipotentiam ſuam oſtendendam, & ma-
,, gnificandam ſuam gloriam, in ſervo ſuo Franciſco plura miracula
,, edidit, ut Chronica noſtra referunt.

Argumentū verit. ſtigmatum.

Caſimir. Biern. cit. ar. 19. n. 6.

,, III. Sed interea Aſſiſii in Comitiis Ordinis generalibus a *Bona-*
,, *gratia* Miniſtro, & primicerio iterum confirmata fuit inſtitutio fratris
,, Nicolai in Miniſtrum Provinciæ Poloniæ, & Boemiæ, qui hoc eodem
,, anno Opolii in feſto ſancti Michaelis ſuæ Provinciæ Comitia celebra-
,, vit: quo etiam tempore Boleslaus ab operibus nuncupatus Pius, Dux
,, Caliſſienſis, relictis tribus filiabus, tutelæ nepotis ſui Premislai com-
,, mendatis, Sacramentis Eccleſiaſticis munitus, VII. Idus Aprilis
,, obiit. Plura fundavit pro Fratribus Cœnobia hic Dux piiſſimus, vi-
,, delicet Eccleſiam, & Conventum Caliſſienſem, Monaſterium quoque
,, in loco Bernaſſiæ anno MCCLIX. ac tertium Gneſnæ Monaſterium pro
,, Sanctimonialibus Clariſſis. Præfatum vero Boleslaum Pium, IV. Idus
,, Decembris hujuſdem anni ſequitur beatus Boleslaus pudicus Dux
,, Poloniæ, beatæ Grimislavæ filius, beatæ Cunegundæ Maritus, &
,, beatæ Salomeæ uterinus tertii Ordinis Seraphici Patris alumnus: qui
,, Conventum, & Eccleſiam Cracoviæ pro Fratribus conſtruxit, ac ibi-
,, dem pro ſacris Virginibus Ordinis ſanctæ Claræ Monaſterium ſub in-
,, vocatione ſancti Andreæ: alia quoque tam intra, quam extra Craco-
,, viam munificentiſſime erexit: de cujus obitu Martinus Jaroſlavienſis
,, ita ſcribit: *Munificus, felix obdormivit in Domino, Cracoviæ in Eccleſia*
,, *ſancti Franciſci Conventualium, a dextris Altaris majoris ſepultus, an-*
,, *no Domini* MCCLXXVIII. *die* IV. *Decembris: apud ejus ſepulcrum cœleſtes*
,, *radii noctu viſebantur*. Ita ille: ſed Hiſtoriographi, quos idem Mar-
,, tinus citat, cum aſſignent annum mortis MCCLXXIX. reliquum eſt
,, aſſerere in notis numerorum errorem contigiſſe: hujus Boleslai pudi-
,, ci meminit Waddingus, ad quem remitto lectorem.

Comitia generalia Aſſiſii, & Provin. Opolii.

Caſimir. Biern. cit. n. 6.

Boleslaus Pius, & Pud. Duc. decedunt.

Martin. Bar. in l. Vita §. 4. Fratr. Polon. f. 39.

Cracoviæ Monaſter. erexerunt.

Wadd. ad hunc annum.

Martin. Bar. in catal. §. Pol. fol. 111.

,, IV. In hunc eumdem annum idem Martinus Baronius Jaroſla-
,, vienſis obitum beatæ Julentæ, ſeu Helenæ rejicit, dicens: *Beata Ju-*
,, *lenta, ſeu Helena Bele, Regis Ungariæ ex matre Maria Alexii Impera-*
,, *toris Græcorum filia, uxor Boleslai Ducis Caliſii, Soror vero germana*
,, *ſanctæ Cunegundis Reginæ Poloniæ, & beatæ Conſtantiæ Duciſſæ Ruſſiæ,*
,, *Matrona nobiliſſima, ac omni genere virtutum ornata, cultuſque divini*
,, *maxima, & aſſidua promotrix, ad cujus inſtantiam, & petitionem Bo-*

Teſt. Martini Baronii de beata Julenta.

Vide ſupra ad an. 1257. n. 7.

,, leslaus Pius Dux Caliſii Monaſterium Sororum Gneſnæ maximis ſumpti-
Velum ſanctæ Claræ accipit a Joanne Prandota Epiſc.
,, bus ædificavit, plurimiſque pagis, ac prædiis dotavit: quo Boleslao Duce
,, mortuo, totam ſe tradere cupiens Chriſto, a beato Joanne Prandota Epi-
,, ſcopo Cracovienſe Regulam S. Fr. Conventualium, una cum beata Cune-
,, gunde Sorore ſua, & Salomea Regina Haliciæ Ordinis ſanctæ Claræ ſu-
,, ſcepit, & ſacro velamine veſtita eſt. Spretis igitur ſeculi hujus blandi-
,, mentis, totum vitæ ſuæ tempus, poſt pie & ſancte defunctum maritum
,, ſuum, in eodem Monaſterio Gneſnenſi, in jejuniis, orationibus, & regu-
,, laribus exercitiis, in vigilando, ac piis operibus in ægenos, pauperes,
Arca. div. & viſiones ſupernæ ei panduntur.
,, debileſque (quibus cum ſumma humilitate ſæpiſſime famulari ſolebat)
,, dedita: multa arcana cœleſtia, viſioneſque mirabiles Paſſionis Domini no-
,, ſtri Jeſu Chriſti, cujus miræ devotionis recolendæ tenebatur affectu, vi-
,, dere promeruit. Uno etenim tempore, paulo ante mortem ſuam, acerbam
,, Paſſionem Chriſti devote recolenti, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum
Obitum ſuum præſcit.
,, beatiſſima Virgine Matre ſua, & ſancta Salomea, nudus, flagellatus,
,, uberrimoque ſanguine conſperſus, eidem in maxima caritate apparuit,
,, eamdemque conſolans, & præmia vitæ æternæ pro contemptu mundi, &
,, amore ſui promittens: qua viſione in animo conſolata, ſummo cum deſide-
,, rio diſſolvi cupiens, Sororibus mortem ſuam prædixit, in profeſſioneque
,, Religionis eaſdem confortans, & futura prædicens præmia laborum, &
,, bonorum ſuorum a ſponſo Jeſu recepturas, vivificiſque Sacramentis mu-
,, nita, beatam animam in manu Creatoris ſui commendavit, ſicque placide
,, expiravit. Poſt ſuam vero mortem brevi Abbatiſſa loci illius in ago-
,, ne exiſtenti, magna claritate refulgens, cum ſancto Stanislao Cracovienſi
,, Epiſcopo apparuit, in infirmitateque eam conſolans, priſtinam ſanitatem
,, a Deo impetravit. Sepulta eſt per Sorores Gneſnæ, an. Domini MCCLXXIX.
,, die XXVIII. Aprilis: Ita Baronius citatus.

,, V. Rodulphus vero ſic refert: *Beata Julenta Polona, Duciſſa Cal-*
Beata Julenta fundat Monaſt. Gneſ.
,, *liſſienſis, fundavit Monaſterium Monialium Gneſnæ, quæ eſt Metropolis*
,, *Poloniæ majoris: defuncto viro conſtruxit Monaſterium, in quo ſancte vi-*
,, *xit, ibique ſepulta*: de anno nihil commemorando. Verumtamen
Rodul. l. 1. fol. 140. 6.
,, apud Bielſium invenio beatam Julentam ulterius ſupervixiſſe, ad an-
,, num ſcilicet MCCLXXXVI. & juxta Miechovium MCCLXXXVII. cum
,, Tartarorum ferociſsima gens, Ducibus Nogaii, & Thelbuga, Polo-
Polonia vaſtatur a Tartaris.
,, niam vaſtaret, ferro, igneque abſumeret, & uſque ad alpes Pannoni-
Caſim. Biern. cit. ſupra n. 8.
,, cas graſſaretur: eo tempore beata Cunegunda Boleslai Pudici, beata
,, Julenta Boleslai Pii Ducis Calliſienſis, beata Conſtantia Danielis Ruſ-
,, ſiæ Regis, omnes relictæ, & Sorores germanæ, cum ſeptuaginta San-
Julenta & duæ ſoror. cum ſeptuaginta Monialibus confugiunt in mont.
,, ctimonialibus, multiſque ſacerdotibus, & militibus, in Caſtrum Pie-
,, nini, quod ſupra *Donalec* fluvium, prope Oppidum *Oroſczenko* ſitum
,, habet natura & arte munitiſsimum, uno tantum anguſto tranſitu
,, adibile, ſe contulerunt: & illic toto tempore vaſtationis Tartaricæ
Wadd. ad an. 1287. n. 5.
,, permanſerunt: Monaſterio Sadecenſi, quod dereliquerunt a barbaris
,, illæſo permanente; Idem dicit Waddingus: Verum ſi ambo Boleslai
Idem ait Wadd.
,, Calliſienſis, & Polonus fato functi fuere hoc anno MCCLXXIX. eorum
,, relictæ Julenta, & Cunegunda Sorores germanæ a Joanne Prandota
Miechou. lib. 3. c. 55.
,, *Bialaczevio* Epiſcopo Cracovienſe Religionis velum haud ſumere va-
Kanki in vitis Arch. & Epiſcop. Cracoviæ.
,, luerunt: cum Prandota anno MCCLXVI. eceſſerit e vita, ut aſſerit
,, Miechovius, & Kanki: ſed ab alio, vel a fratre Nicolao tunc Miniſtro
Bielſcius l. 2. fol. 192.
,, Provinciæ, ut dicebamus ſupra. Iterum aliam difficultatem ingerit
,, Bielſcius dicens, utramque ſororem Cunegundam, & Julentam ab
obi-

,, obitu ſuorum virorum ſimul, & in eodem loco conveniſſe, quod etiam
,, ſcribit Waddingus in hæc verba: *Ac mox Cunegundis*, de qua ſermo
,, illi eſt, *una cum ſorore Julenta, quæ poſt mortem mariti Boleslai ſupra-*
,, *dicti Caliſtienſis Ducis, ad eam ſe contulerat: diſtractis, & in uſum ege-*
,, *norum diſtributis cunctis facultatibus ſuis, Clariſſarum inſtituto ſeſe*
,, *addixit, & veterem Sandeciam, ne quidquam refragantibus, & reni-*
,, *tentibus proceribus, commigravit; Ibique reliquum vitæ tempus in Mo-*
,, *naſterio a ſe & viro ſuo condito, peregit.* Ex his enim locus conventio-
,, nis in quo ſe Deo dicaverint, quis fuerit, Gneſna ne, vel alius? non
,, apparet: videtur vero probabilius, Julentam veterem Sandeciam ſe
,, contuliſſe a morte ſui viri, ſequuta VII. Kal. Aprilis, ibidemque cum
,, Cunegunda ſua ſorore germana moras traxiſſe, cum eaque poſtea,
,, defuncto ejus viro Boleslao Pudico, eodem anno MCCLXXIX. die IV.
,, Decembris, Religionis habitum ſumpſiſſe ibidem; deinde ad ſuæ fun-
,, dationis Monaſterium Gneſnam rediiſſe; tamdem ob metum incurſus
,, Tartarorum a beata Cunegunda in montana ſecuriora loca evocatam
,, fuiſſe, & periculo tranſacto, Gneſnam reverſam ultimam diem clau-
,, ſiſſe, ut refert Belſcius, anno MCCLXXXVI. vel ut Miechovius, an-
,, no MCCLXXXVII. ſepulturamque ibidem habuiſſe, ut ejus mauſoleum
,, teſtatur. His igitur de beata Julenta ut potui enucleatis, ad ſequen-
,, tem annum tranſeo.

Julēta redit Gneſnæ ad Monaſt.

Ob metum Tartarorum revertitur ad Cuneg.

Ibique obit, & ſepelit.

Wadd. ad hunc ann.

Vide Caſimir. Bier. cit. n. 10.

ARGUMENTUM.

Legatos ad res graviores obeundas ex Minoritis inſtituit Pontifex, ex quibus etiam aliquot creavit Epiſcopos. Moriuntur Benedictus Aretinus, & Maſſæus ſancti Franciſci diſcipuli, necnon & ipſe Pontifex Nicolaus in brevi Pontificatu rebus magnis expletis. In plures Civitates introducuntur Minoritæ.

I. EXORTAS inter Rodulphum Imperatorem, & Carolum Siciliæ Regem, necnon Margaretam ſancti Ludovici relictam, graves controverſias ſopire volens Nicolaus, hoc anno Cardinalem Hieronymum Aſculanum, olim Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum, ad Rodulphum deſtinavit, ut præſens quæ pacis erant, ſuaderet, & auctoritate Apoſtolica ſtabiliret. Fecit ille feliciter, & pacem inter Reges conſtituit. Varia hujus tractandæ pacis diplomata tum Pontificia, tum Imperatoria habentur in regeſto Vaticano: nos unum legationis hujus inſtrumentum damus ad calcem hujus voluminis: *Ad perſonam tuam* &c. II. Nonas Julii. Ad Cardinalem Latinum in Æmilia legatum, Bertoldum Urſinum Provinciæ Romaniolæ, Bononiæ, & aliorum locorum Rectorem, & Giffridum de Anagnia Cameræ Apoſtolicæ Auditorem miſit alium Minoritam Bartholomæum de ſancto Gemino, ut quid pro tollenda miſerabiliſſima ſeditione, & compeſcendis atrociſſimis bellis civilibus, quorum infelices proceſſus refert Cherubinus Ghirardaccius, ipſe fieri vellet, ore ad os intimaret. Ex eiſdem etiam Minoritis tres creavit Epiſcopos Raynerium capellanum, & familiarem Caroli Regis, Trojanæ in Regno Neapolitano Eccleſiæ per translationem Hugonis ad Epiſcopatum Bethleemiticum vacanti præfecit, licet electores fratrem Benevenutum Epiſcopum Eugubinum etiam Minoritam, ut ſupra diximus, poſtularint.

Hieronymus Cardinalis legatus ad Imperatorem.

Alia fungitur legatione Fr. Bartholomæus a S. Gemino.

Ghirard. lib. 8. hiſtor. Bononien. ad an. 1279.

Fr. Raynerius Epiſcopus Trojæ.

An. 1278. n. 14.

Fr. Fernandus Epiſcopus Burgenſis.

Fr. Sinibaldus Epiſcopus Melphien.

rint: *Licet continuata*. v. Nonas Maii. Fratrem Fernandum, ſibi familiarem, Burgenſi in Hiſpania Eccleſiæ ob promotum ad Eccleſiam Toletanam Gondiſalvum, Paſtore orbatæ: *Conſulte tunc Utilitati*. xii. Kal. Junii. Sinibaldum de Lacu Inquiſitorem, ut alias diximus, in Marchia Tarviſina Eccleſiæ Melphienſi in Lucania, & Regno Neapolitano: *In ſupremæ dignitatis ſpecula*. Nonis Junii. „ Quartum adjungo ex cata-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Maurus Epiſcopus Amerin.

„ logo MS. Epiſcoporum Ameliæ fratrem Maurum, quem illius Urbis „ Epiſcopum hoc anno fuiſſe mihi conſtat ex diplomate, quo teſtificatur, „ ſe cum aliis quatuordecim Epiſcopis multas indulgentias conceſſiſſe „ pro conſtructione Eccleſiæ Fratrum Minorum, ſub invocatione ſan- „ ctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi. Campanam ingentem ad „ depellendas aereas tempeſtates, quæ adhuc extat, conflari curavit; „ ſuæ Eccleſiæ jura conſtantiſſime adverſus Robertum de Juriaco, La- „ velll Dominum, defendit.

Moritur B. Benedictus Aretinus.

II. Hoc anno vel circiter ii. Kal. Septembris feria vi. obiit ſancti Franciſci diſcipulus Benedictus Aretinus, vir ſanctus olim in Græcia Fratrum Præfectus, in regimine prudens, & in ſubeundis quibuſcumque laboribus, vel in Eccleſiæ, vel in ſui Sodalitii obſequium, animi conſtantis. Alias admonui, nimis acceleraſſe ejus mortem Petrum Rodulphum, & ex eo Abrahamum Bzovium, dum ſub anno MCCXXIV. mortuum ſcribunt. Uno atque altero argumento probavi, id minime conſtare potuiſſe, atque tertium idque efficaciſſimum nobis ſuppetit ex ipſo ejus teſtimonio, quod authenticum ſub Notarii fide præbuit anno MCCLXXVII. Tumulatus eſt Aretii in æde ſancti Franciſci, in ſacello a familia Sinigardorum in ejus honorem exædificata. Caput cuſtoditur in ſacrario in eleganti capſula. De eo hæc leguntur carmina.

Tom. 4. an. 1259.

Anno 1277.

Sepultus Aretii.

Aretii Benedictus ego, Sinigardia proles,
Vates, & ſacra religione Minor.
Aſſirii Patres mihi jam paruere Miniſtro,
Hinc digitum, Daniel quem dedit, ipſe tuli.
Nunc vivo in Cælis, patria & mea membra reſervat,
Inque meis aris thurea dona fero.

Obit B. Maſſæus.

III. Obiit etiam hoc anno alius ſancti Franciſci diſcipulus beatus Maſſæus, cujus frequenter in ſuperioribus annis meminimus, qui in Gallia multa ſuo Sodalitio acquiſivit domicilia; quorum aliqua ſuis locis recenſuimus. Hæſit multis diebus, & ſæpe prædicavit apud Bituriges, tranſiit poſtea Salmurum, Ducatus Andegavenſis oppidum, ubi diem ſuum obiit, ſepultus in ſacriſtia. Refert Gonzaga, etiam in ſacello ſancti Bernardini apud Vindocinum dici ſepultum, ut alias monui: fortaſſis ille alter ab iſto, vel magna pars corporis cuſtoditur utrobique.

Tom. 2. an. 1227. n. 22.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ IV. Hoc anno in Urbe vitam terminavit frater Joannes de Man- „ dalago vir doctus & pius, cui conſodales ad ſanctum Franciſcum „ Trans-Tyberim marmoreum poſuerunt ſepulcralem lapidem hoc in- „ ciſo epitaphio: *Hic jacet frater Joannes de Mandalago Gard. de Seſſyaco, Altiſsiodoren. diœc. qui obiit An. Dom.* M.CC.LXXX. *Kal. Februarii.*

Item Nicolaus Pontifex.

Ejus laus & virtutes.

V. Pontificatui & vitæ finem etiam poſuit ex apoplexia hoc anno Nicolaus III. in octava Aſſumptionis Virgineæ apud Surianum, quo ad fugiendos æſtivos calores receſſit. Ejus mortem Tyberis in immenſum auctus, & Urbem inundans prædixiſſe ferunt, qui ſimiles caſus præſagire ſolet. Corpus Romam delatum, in ſacello ſancti Nicolai ædis Vaticanæ ab ipſo Pontifice eidem dicato, tumulo marmoreo emblematibus orna-

ornaio, ſepelitur. Virginitatem perpetuo coluit, ſummamque modeſtiam in omnibus actionibus ita monſtravit, ut communi elogio, *Pater compoſitus*, diceretur. In arduis rebus tentandis magnanimitate, in tractandis experientia, atque in perficiendis dexteritate, magnam conſequutus eſt laudem, atque ut uno verbo dicam: Vir fuit Summo Pontificatu dignus. In ædibus & templo Vaticano multa præſtitit magnifice, & diſpoſuit prudenter, quæ largius referunt auctores: & præ ceteris id obſervavit Ptolomæus Lucenſis illius temporis auctor, quod domos intra palatium pro omnibus Pœnitentiariis conſtruxerit, qui ſub uno, inquit, claudebantur cancello.

Lucen. in hiſtor. ſcholaſt. MS. lib. 23. c. 28.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Floret Thomas Briſinghamus.

,, VI. Tres Doctores Anglos hoc anno floruiſſe ſcribit his ipſis ver-
,, bis Joannes Pitſeus in appendice ad illud ſuum opus de Scriptoribus
,, Anglicis: *Heuricus Briſingbamus Ordinis ſancti Franciſci Doctor An-*
,, *glus, Oxouienſis Academiæ alumnus, iu juvenilibus annis maguum oſten-*
,, *dit acumen; acceſſit ætate maturiore ſoliditas judicii, quibus dotibus*
,, *poſtquam adjunxiſſet ſtrenuam in bonis ſcieutiis operam, & diligen-*
,, *tiam, nibil fere reliquum fecit ad ſummam in omni melioris doctrinæ*
,, *genere perfectionem. Tamdem, ut ex Leandro colligi poteſt, Oxonii Theo-*
,, *logiam ex prima cathedra publice docuit, proximus poſt Thomam Dockin-*
,, *gum ejuſdem Ordinis virum doctiſsimum, & fuit octavus eorum, qui*
,, *ex Familia ſaucti Frauciſci cathedram illam obtinuiſſe dicuutur. Eum*
,, *certe multa ſcripſiſſe probabile eſt, ſed quænam illa fuerint, neſcio.*

Joannes Londinenſis.

,, VII. *Joannes Loudiuenſis ſancti Franciſci Religioſus Auglus; ado-*
,, *leſcens diſcendi ſtudio ſuam urbem notalem reliquit, & Oxonium tunc*
,, *inſignem muſarum arcem petiit. Ubi liberales artes, & linguarum ſcien-*
,, *tiam ubertim imbibit, inopia tamen rerum neceſſariarum duram inte-*
,, *rea parcamque vitam egit. Innotuit tamdem, neſcio quo caſu, Rogero*
,, *Baccono ejuſdem Ordiuis fratri, juvenis optimi fortunæ tenuitas, & in-*
,, *genil ſimul fœlicitas, cujus frequenti congreſſu, & colloquio multum*
,, *ædificatus, cæpit Regulam ſaucti Franciſci affectare. Quo patefacto con-*
,, *ſilio, eum iu bono propoſito corroboravit, & ſucceſſu temporis in Ordiuem*
,, *admitti curavit, eumque iu ſcientiis Mathematicis accurate inſtitui.*
,, *Poſtea cum Bacconus Pariſios peteret, Joannes iſte præceptorem ſequutus,*
,, *illuc etiam perrexit; ubi tantus evaſit Philoſophus, ut pro ejus ætate, &*
,, *tempore, quo ibi ſtuduerat, illa Academia parem non babuerit. Unde Bac-*
,, *couus cum Romam ad Innocentium Papam IV. per bunc Joauuem libellos,*
,, *& inſtrumenta quædam Mathematica a ſe compoſita mitteret, ſcripſit*
,, *in Epiſtola ad dictum Poutificem inter cetera ſic:* Non remanſit unus
,, Pariſiis, qui plus novit in Philoſophiæ radicibus: quamvis & fructus
,, nondum produxerit, propter juvenilem ætatem. *Innoceutius juvenem*
,, *apud ſe retinuit, propter acrimoniam ingenii, & linguarum atque Phi-*
,, *loſophiæ cognitiouem, quam babuit valde exactam. Ætate maturiore*
,, *multas egregias lucubrationes edidiſſe fertur. Sed externorum apud ex-*
,, *ternos ſcripta plerumque vileſcuut, negliguutur, & pereunt facile.*

Robertus Turnehamus.

,, VIII. *Robertus Turnebamus, Ordinis ſancti Franciſci Theologus An-*
,, *glus in Conventu Londinenſi, ubi inter ſuos profeſſor ſacras literas do-*
,, *cuit, vir pius, eruditus, & iu primis tum eloquens, tum vebemens con-*
,, *cionator. Unde cum Eduardus Princeps, Regis Henrici III. filius, contra*
,, *Sarracenos in Syriam expeditionem pararet, & conſultaretur de inſigni*
,, *aliquo Oratore, qui militem in hoſtes animare, & in quamcumque par-*
,, *tem dicendi vi flectere poſſet, & pro arbitrio ducere, Turnebamus ad boc*

omnium

by Google

„ *omnium aptiſſimus repertus eſt. Itaque cum exercitu profectus, adeo ſtre-* „ *nue munus injunctum præſtitit, ut de ſe conceptam expectationem longe* „ *ſuperaverit. Diu vixiſſe, multa egregia ſcripta concinnaſſe dicitur, ſed* „ *ex iis modo nihil comparet.*

Reg. Vatic. ep. 6.

IX. Hoc anno ſcripſit Pontifex Nicolaus ad Epiſcopum Neucaſtrenſem, & Guardianum de Monte-Leone, ut inquirerent de criminibus enormibus, quibus irretiri publice dicebatur Epiſcopus Troppenſis: *Nuper dilecto filio*. Idibus Januarii. Unde conſtat jam in oppido Montis-Leonis obtinuiſſe Fratres domicilium, cujus tamen originem refert Rodulphus ad annum MCCLXXXII. Fortaſſis prius in aliquo humili tugurio-lo, vel conductitiis habitabant ædibus, & ſub illo anno, quem aſſignat Rodulphus, novum ex religioſo more domicilium eis conſtrui cœpit ex communibus oppidi facultatibus, in loco dicto Caſalino ſub invocatione ſanctæ Mariæ. Univerſitas, quam vocant, oppidanorum obligavit ſe ad ſolvendum pro ſubſidio annuo viginti libras, promiſitque cetera, quæ ad victum erant neceſſaria ſe adjecturam juxta vires ſuas. Anno MCCCLXXVII. ſub Roberto Hieroſolymorum, & Siciliæ Rege mutaverunt ſedem, abieruntque ad locum Camberlini. Pertinet ad Provinciam ſancti Nicolai, & Cuſtodiam Regii. In Provincia, & Cuſtodia Genuæ eorumdem Patrum alii duo erecti hoc anno Conventus, unus Chiapettæ, conceſſo a Domino Conſtantino filio quondam Guillelmi Larcharii nobilis Genuenſis, fundo capaci in valle Pulcevera ad honorem Dei, & beati Franciſci. Alter Sextri vel Sexti. Bonifacius, Jacobus, Joannes, Alinenius, filii Guillelmi Panzani cives Genuenſes conſtruxerunt Eccleſiam, dederuntque fundum pro conſtructione loci.

Rodul. fol. 279.

Conv. Montis Leonis.

Conv. Chiapettæ.

Idem fol. 274.

Conv. Sextri.

Conv. Alben. & Poſonien.

X. Duo hoc anno Monaſteria Ladiſlaus III. Hungarorum Rex Fratribus conſtituit; Albenſe unum, Poſonienſe alterum, idque cum de cæde Ottocari Boemorum Regis reverteretur. Oſcæ Ilergeti in Tarraconenſi Hiſpania, erectum aliud ſub hoc tempore, abſolutum tamen anno MCCCIV. ait Gozaga: ſed altius ejus petendam originem docent ad me tranſmiſſa monumenta, & Franciſcus Diego de Aynſa quippe in archivo Eccleſiæ Cathedralis ſervatur inſtrumentum, in quo dicitur fuiſſe donatas Petro de Les quaſdam ædes, in vico vel regione Fratrum Minorum. Stipulatum eſt anno MCCXXXV. ex quo conſtat jam ibi præextitiſſe Monaſterium. Atque id probabile ut quamprimum curaverint Fratres ibi ſedem conſtituere, ubi Academia florebat litteraria. Fundum ferunt dediſſe illuſtrem familiam de Figueroa. Tranſivit ad Obſervantes anno MDLXVII. illuſtratus poſtea & auctus a fratre Berengelio de Bardeoxi Epiſcopo, alias nominato. Laborabat dira peſte civitas anno MCCCCL. & voto emiſſo a Magiſtratibus de non permittendo deinceps, ut in vigilia Conceptionis Virgineæ venderentur carnes aut altilia, ſtatim aeris corruptio receſſit. Inter tabularii monumenta ſervatur diploma Martini, & Joannis Regum Aragoniæ, datum XVII. Januarii MCCCXCVIII. quo jubent (intellige in quantum laica poteſtas ſe extendit) ſub graviſſimis pœnis, ut dies Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis multis in locis celebrari ſolitus, eſſet feſtivus in univerſo illo dominio; atque aliud Caroli V. in quo concedit omnibus ædibus Minorum Aragoniæ, ut quæcumque victualia intra clauſtra libere conducant. In eodem tractu Hiſpaniæ, & Aragoniæ Provincia domus altera ex piorum eleemoſynis ante hunc annum ædificata triginta paſſibus a Montione oppido (in quo ſolent Reges Hiſpaniæ Comitia Regnorum Valentiæ, Aragoniæ,

Gonzag. in Prov. Hungar. S. Mariæ Conv. 4. & 5.

Conv. Oſcenſis.

Idem in Provinc. Arag. Conv. 5. Aynſa de rebus Oſcenſib. lib. 4. c. 15.

Tom. 3. an. 1254. n. 46.

goniæ, & Cataloniæ celebrare) ut conſtat ex Bernardi Tarraconenſium Epiſcopi litteris datis XIX. Septembris anno hoc. Deiparæ Virgini Mariæ Templum prius dicatum eſt; mox titulus adhæſit ſancti Franciſci.

Idem in Prov. Argentina Con.3. Metropol. Salisburgen. Chron. MS. Saxon.

Conv. Landsbuten.

XI. Landshutæ in Bavaria urbis, Henricus Bavariæ inferioris Dux, & frater Ludovici Ducis Bavariæ ſuperioris, qui Ingolſtadienſem Conventum fundaverat; cum conſorte ſua Domina Eliſabetha filia Belæ IV. Regis Hungariæ, & fratris ſanctæ Eliſabethæ, dedit Fratribus aream in Landishuto cum fonte, & aliis attinentiis: ubi tamdem Fratres auxilio ejuſdem Principis divinitus admoniti, egregium Monaſterium conſtruxerunt. Tranſivit a Conventualibus ad Obſervantes, applicatis redditibus Academiæ ibidem extructæ anno MCCCCLXVI. die XXIV. menſis Januarii, eodem Principe Ludovico reformationem procurante, qui & eamdem induxit ipſo illo anno in die ſancti Valentini in Conventum Ingolſtadienſem, uti diximus ſuperius. Jacet ibidem religioſiſſimus & doctiſſimus Pater Conradus Nocylkaimus, quondam Bavariæ Cuſtos, qui poſteris aliqua ſui ingenii monumenta reliquit.

Conventus Rapiſtani.

Idem in Provin. Aquitan. antiq. Con.7. Reg. Vat. ep.13.

XII. Rapiſtani, quod Aquitaniæ oppidum eſt, ædificarunt aliud domicilium Minorum inclyti Vicecomites Paulini (contradicente tamen & durius agente Abbate Moyſiacenſe diœceſis Caturcenſis, de quo dabimus Pontificium diploma in regeſto) in quod introducendos Patres Obſervantiæ regularis curavit anno MDXCI. Ludovicus Amboiſia Epiſcopus Albienſis, de quo nos egimus ſuperius. Sed inde exturbati anno MDLX. per hæreticos, pace cum Catholicis compoſita reſtituti ſunt: perierunt tamen ibidem immani hæreticorum crudelitate Antonius de Turno minoris Conventus Toloſani Guardianus, ac Gerardus Bonetus ejus ſocius. Salmuri, de quo ſupra, hoc tempore acquiſitum item alterum Cœnobium induſtria beati Maſſæi, cujus proxime meminimus; quod minime potuit fieri poſt expulſionem Templariorum, uti habet Gonzaga, qui ſub Clemente V. fuerunt extincti.

Idem in Provin. Turon. Con.7.

Conventus Salmuri.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conve. Sarinienæ.

Gonz. in Provin Aragon. Con.19.

„ XIII. Hujus temporis partus judicatur eſſe Conventus oppidi
„ Sarinienæ in Regno Aragoniæ, diœceſis Oſcenſis, quippe contempo-
„ raneum dicit Gonzaga Cœnobio Montionenſi, quod nos alibi ad hunc
„ annum reduximus. Tranſivit a Patribus Conventualibus ad Obſer-
„ vantes anno MDLXVII. ſub Pio V. ita deprecante Philippo II. Rege
„ Hiſpaniarum. Vetuſtum & deforme ædificium, pulchrum & commo-
„ dum fecerunt hi poſteriores Patres; ſupereſt tamen inſigne ſacellum
„ beatæ Mariæ Lauretanæ, a prioribus præſertim a Patre Magiſtro Do-
„ minico Pico extructum anno MDL. quod in magna habetur veneratio-
„ ne. Locus eſt amænus, ampliſſimis hortis, & aquarum gaudet abun-
„ dantia. Hic diem feliciter obiit Michael Moronus Laicus, ſive
„ Converſus, qui mira ſimplicitate, humilitate, obedientia, & caritate
„ eluxit, & ingens ſui deſiderium, magnamque ſanctitatis opinionem
„ convicinis populis reliquit. Caput erat hic Conventus Cuſtodiæ Sa-
„ rinienſis; quare miror ejus non meminiſſe Piſanum.

Ann. 1278.

Epiſcopus & Vicarius Placentini Fratribus contrarii.

XIV. In urbe Placentina, dum ſedem mutare vellent Fratres, ut diximus alias, & novam ſibi conſtruere domum in meditullio civitatis in ædibus, quæ fuerunt nobilis viri Ubertini de Andito, vel de Lando; duros ſenſerunt contradictores, & diros perſecutores Epiſcopum urbis, & ejus Vicarium, quorum inhumanum modum agendi contra pauperes Chriſti, ut Pontifex reprimeret, juſſit eos coram in Curia apparere, commiſſa facultate eos citandi Epiſcopo Parmenſi, & Archipresbyteris Cremo-

Ibid. epiſt. 50. & 111.

Item Prior Cluniacen. Ordinis.

monen. & ſancti Auxiani de Frangano diœceſis Mutinenſis: *Fragilitatis humanæ*. Nonis Januarii. Magnus hujus rei proceſſus in rotulo pergamineo ſervatur in archivo Placentino Fratrum Minorum Conventualium. Similiter actum cum Priore Cluniacenſis Ordinis contradicente, & temerariis modis prohibente, ne Minores domum extruerent in villa Cariloci, quantumvis ad hoc facultatem obtinuerint ab Alexandro IV. Per aliquot annos duravit controverſia, Priore contumaciter nimis reſiſtente decretis Apoſtolicis. Duas in hac cauſa ſcripſit Pontifex epiſtolas, unam ad perpetuam rei memoriam: *Olim ex revelatione*: Idibus Februarii, alteram ſimiliter incipientem, & datam ad Archiepiſcopum Biſuntinum, & Matiſconenſem, & Bellicenſem Epiſcopos. Scripſit grave diploma ad Gualterum Epiſcopum Pictavienſem, ut de ſuis redditibus neceſſitati, & indigentiis ſuccurreret Pariſienſis gymnaſii: *Circa ea, quæ ſummo Patri*. II. Non. Jul.

In ep. cur. n. 47.

Gonzag. in Prov. S. Ludov. Mon. 2.

Monaſter. Biterrenſe.

XV. Bitterris in Gallia Narbonenſi extra urbis muros extructum hoc anno Monaſterium Clariſſarum, ſed cum crebro Civitas laceſſeretur bello Anglico, anno MCCCLXIV. facta primum fundi commutatione cum Canonicis Eccleſiæ ſancti Euphrodiſii, aliud commodius erectum. Diſſoluta regulari diſciplina, reformatæ ſunt Moniales, evocatis aliis ex Monaſterio Lezigniani, multorum Patrum eximiæ ſanctitatis, auxilio quorum corpora ibidem requieſcunt. Bis expertæ ſunt Moniales hujus loci in tumultibus Galliæ aſſuetas miſerias & clades; nulla tamen, Deo protegente, periit in fuga. Sublatis bellis ad priſtinum redierunt locum Deo in magna paupertate patienter famulaturæ.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Eximuntur Fratres a juriſdictione Ordinarior.

Indic. ex Roder. fol. 45.

Decedit Pontifex.

„ I. PAuca admodum ſunt, quibus huic anno ſupplendum ſit: niſi
„ quod ſummus Pontifex Fratres noſtros a juriſdictione Ordi-
„ nariorum exemerit: *Etſi cunctorum &c.* XVII. Kal. Febr.: ut ex Ro-
„ derico Petrus de Alva, & Aſtorga notavit. Apoplexia tamdem Su-
„ riani correptus Nicolaus III. die XXII. Auguſti obiit, communi om-
„ nium voce laudatus: cujus corpus Romam delatum, in Templi Vati-
„ cani Sacello, quod vivens ſancto Nicolao Epiſcopo conſtruxerat,
„ conditum fuit.

Maſſæus de Bella Valle obit.

Mon. Prov. Turmaſ. cit. ſup. vide ſup. ad ann. 1268. n. 9. & infra ad an. 1287. n. 2.

„ II. Inſignem Conventus Andegavenſis benefactorem Dominum
„ Maſſæum de *Bella Valle* non prætaribo: adeo ſiquidem in religioſa
„ caritate flagrabat, ut plura illis beneficia contulerit: & electa ſibi ſe-
„ pultura apud eoſdem, in medio Chori Eccleſiæ ſepulcrum concamera-
„ tum ædificari curaverit, in quo tamdem hoc anno obiens depoſitum
„ extitit; Ludovicus vero de Bella Valle, Maſſæi familiæ oriundus,
„ triginta ſex frugum ſextarios, & centum ſolidos pro quinque ceræ li-
„ bris, pro neceſſitatibus Fratrum illius domus dono dedit.

ARGUMENTUM.

Poſt longum Cardinalium diſſidium electus Martinus IV. jubet examinari miracula ſancti Ludovici Regis, inter ſanctos adnumerandi. Moritur beata Agnes Abbatiſſa Barcinonenſis, ejuſque neptis Clara. Fit Lector ſacri Palatii Matthæus Aquaſpartanus, & Epiſcopi aliquot creantur Minoritæ. Referuntur aliquot pietatis monumenta, & inſtituuntur plura Cœnobia.

I. MORTUO, ut diximus, Nicolao III. Pontifice, in duas factiones diſtracti ſunt Cardinales; quidam partes Urſinorum ſequebantur, alii Caroli Regis, qui etiam in ſupremo Collegio ſui ſtudioſos curavit habere: illi Italum, hi Gallum creare expetebant. Ad ſex menſes eum inter ſe diſſiderent, Viterbienſes Urſino Senatori ex ſuperiori dominatu infenſi, eum, auctore Richardo Hannibaldenſi nobili Romano, qui præerat Conclavi titulo Cuſtodis, & Urſinam oderat gentem, armorum ſtrepitu Viterbii Magiſtratu dejecerunt. Accenſi ejuſmodi contumelia duo Cardinales Urſini, Matthæus Rubeus Urſinus, & Jordanus Urſinus, palam fremere cœperunt, teſtarique ſe non paſſuros novum creari Pontificem, niſi honor per injuriam Urſo ademptus prius reſtitueretur. Hanc ſeditionis anſam Viterbienſes adepti, Richardi prædicti impulſu in Conclave irruperunt, & prænominatos Cardinales per vim abſtractos in vincula conjecerunt. His ergo in cuſtodiam datis, reliqui Patres facile Caroli Regis rogatu VIII. Kalend. Martii in die Cathedræ ſancti Petri deſignarunt Simonem de Bria Gallum titul. ſanctæ Cæciliæ Cardinalem, alias tanto muneri haud imparem, quippe nobili genere natum, doctrina, animi magnitudine, morum & vitæ ſanctitate inſignem, multis annis legatione functum in Gallia, ubi multis habitis provincialibus Conciliis, corruptos Clericorum mores reformavit, & multa graviſſima Eccleſiæ, & illius Regni negotia cum laude peregir. Electus Viterbio ſtatim diſceſſit, neque ibi conſecrari voluit, judicans eam urbem ſacris interdictam ob injectas manus, & impetum factum Cardinalibus, quare apud Urbem veterem (quia Romæ non poterat ob excitatos inter Hannibaldenſes & Urſinos, atque utriuſque gentis fautores ſeditioſos tumultus) conſecrationis & coronationis inſignia ſuſcepit x. Kal. Aprilis per manus Jacobi Sabelli Romani Cardinalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi. Martinus vocari voluit ob memoriam ſancti Martini Turonenſis, cum Eccleſiæ ejuſdem nomini ſacræ olim fuerit Canonicus & Theſaurarius. Eſt vero quod admirer cur Martinus dicatur *quartus*, cum hujus nominis unus tantum præceſſerit? & proinde docti quique Scriptores communiter monent *ſecundum* debere recenſeri.

Ann. 1280.

Diſſidia & rumores Conclavis Viterbienſis.

Creatur Pontifex Martinus IV.

II. Hoc anno miſſi ab Archiepiſcopis Remenſi, Rothomagenſi, & Senonenſi, eorumque ſuffraganeis, Guillelmus de Matiſcone Ambianenſis, & Simon de Perrucheo Carnotenſis Epiſcopi, qui a Pontifice peterent, ut ſanctum Ludovicum Regem Galliarum ex tertio Inſtituto Franciſcano noſtrum, uti alias oſtendimus, multis miraculis in dies magis coruſcantem, dignaretur catalogo Sanctorum adſcribere. Quibus ille reſpondit, quamumvis ſæpius de hoc actum, non tamen ad exitum deductum, & ad majorem rei commendationem, ulteriorem de miraculorum veritate indagationem requiri. Ipſe dum Legatum ageret in Fran-

Tom. 3. an. 1254. n. 28.

Jubet amplius examinari miracula ſancti Ludovici. *Ann.1278.*

Francia, non ſemel rem examinavit ex Pontificis Gregorii X. auctoritate, & alii, ut ſupra diximus, ex Nicolai III. commiſſione. Remiſſoriales hic damus litteras ſcriptas Archiepiſcopo Rothomagen. & Antiſiodorenſi, atque Spoletano Epiſcopis, quos hujus inquiſitionis Commiſſarios inſtituit, atque in hunc modum Prælatis ſupradictis reſpondit.

Venerabilibus Fratribus Remen. Rothomagen. Senonen. & Turonen. Archiepiſcopis, & Beluacen. Lingonen. Cathalaunen. Laudunen. Noviomen. Silvanecten. Ebroicen. Pariſien. Trecen. & Melden. Epiſcopis.

Reg. Vat. ep. 85.

Cõmendat Prælatorum in hoc negotio promovendo pietatem.

III. *Cordi vobis eſſe perpendimus, pium claræ memoriæ Ludovici Francorum Regis negotium, veſtris patentibus litteris nobis per venerabiles Fratres noſtros S. Carnoten. & G. Ambianen. Epiſcopos, quos nuper ad Apoſtolicam Sedem pro ejuſdem promotione negotii deſtinaſtis, exhibitis, diligentius intellectis. Revera tam piæ ſollicitudinis ſtudium, quod nobis de hujuſmodi promovendo negotio indidiſtis, & zelum digniſſimæ caritatis, qua ſuper hoc mens veſtra fervere dignoſcitur, plenis in Domino laudibus commendamus. Porro in noſtra conſtituti præſentia Epiſcopi memorati, nobis ex parte veſtra inter cetera, quæ illorum diſcretio circumſpecta propoſuit, cum inſtantia ſupplicarunt, ut cum omnipotens Deus jam multis, magniſque miraculis prædictum Ludovicum Regem cœleſtibus aſſociatum Principibus revelarit, eumdem Ludovicum tamquam emeritum Sanctorum aſcribi catalogo mandaremus. Nos autem gerentes cordi negotium, & ejus promotionem felicem & celerem cupientes, prædictos Epiſcopos benigne audivimus, & quæ proponere voluerunt intelleximus diligenter. Sane veſtram nolumus latere notitiam, quod etſi Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta in agendis quibuslibet, quæ mundi qualitas ingerit, diligenter, ſollicite, ac mature procedat, cum ab ipſa, utpote univerſorum magiſtra fidelium, nil reprehenſibile, nil ambiguam, nil obſcurum, ſed cuncta potius recta, certa, & lucida debeant emanare, in hujuſmodi tamen negotiis, in quibus de canonizationibus agitur aliquorum, exactiſſimam deliberationem, ſummamque gravitatem, ac maturitatem omnimodam noſcitur obſervare. Unde nos hujuſmodi laudabilem obſervantiam proſequentes, ac ſtudiis attendentes ſollicitis, quod quanto ſolemnius, quanto gravius, quantoque maturius, & curioſius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipſius Ludovici Regis laudis cumulum potioris, ac etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francorum Illuſtris, & domus, regnique ſuorum honoris & exaltationis accedit augmentum, tibi frater Archiepiſcope Rothomagen. & Venerabilibus Fratribus noſtris Antiſiodoren. & Spoletan. Epiſcopis inquiſitionem ſuper vita, converſatione, ac miraculis ipſius Ludovici Regis ſolemniter faciendam per noſtras committimus litteras ſpeciales, ſicut in eis plenius continetur. Non intendentes in iis, quæ auctoritate litterarum felicis recordationis Nicolai Papæ prædeceſſoris noſtri per nos ſuper eodem ſunt acta negotio, per inquiſitionem hujuſmodi, in aliquod derogare, quinimo illa rata eſſe volumus, atque firma. Fraternitatem itaque veſtram rogandam attente duximus, atque hortandam, quatenus hujuſmodi Apoſtolicæ Sedis proceſſus, licet ad tempus effectum negotii differre videatur, veſtris moleſtus, aut gravis affectibus non accedat: nam auctore illo, qui poteſt, omnia, ſicut ſperamus, & credimus, cooperabuntur ad bonum; & exinde id ad quod tam veſtra, quam noſtra ſuper hoc tendit intentio, facilius*

Quam adhibeat Eccleſia diligentiam in canonizationibus.

lius & efficacius producetur, ad Dei dictique Ludovici Regis laudis & gloriæ, ac præfati Philippi Regis, & domus Regnique ſuorum honoris multiplicis incrementum. Datum apud Urbem veterem x. Kalend. Januarii, anno 1.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Rothomagen. & Antiſiodoren. & Spoletan. Epiſcopis.

IV. *INtellecto dudum felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter, quod omnipotens Dominus, qui facit mirabilia magna ſolus, grandia & aperta miracula pro claræ memoriæ Ludovico Rege Franciæ faciebat, voluit præſupponens vitæ ipſius Ludovici notam ſibi exiſtere ſanctitatem, ut de hujuſmodi miraculis per cujaſdam ſecretæ indagationis modum, nos tunc in minori officio conſtituti, & legationis fungentes officio in partibus Gallicanis, noſtrum informaremus animum, ſibi poſtmodum informationem hujuſmodi tranſmiſſuri. Quare nos de prædictis miraculis indagantes, ac de ipſis plenius informati, præfato prædeceſſori noſtram ſuper hoc informationem duximus deſtinandam, quæ ad ipſum, cum fuiſſet morte præventus, non potuit pervenire. Succedente autem piæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro Gregorio prælibato, nos eidem Innocentio prædictam informationem curavimus intimare. Quo, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, hujuſmodi proceſſus negotii extitit retardatus, piæ quoque memoriæ Joanni Papæ prædeceſſori noſtro informationem direximus ſupradictum, qui priuſquam ſuper hoc aliquid ordinaret, diem clauſit extremum. Cumque poſtmodum felicis recordationis Nicolao Papæ prædeceſſori noſtro informationem miſiſſemus eamdem, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum Illuſtris ab ipſo Nicolao prædeceſſore ſolemnibus, propter hoc ad eum Nuntiis deſtinatis, cum inſtantia poſtulaſſet, ut faceret ad miraculorum, & meritorum ipſius Ludovici Regis publicam inquiſitionem procedi, præfatus Nicolaus prædeceſſor ſcire volens ſuper hoc plenius veritatem, nobis adhuc in partibus exiſtentibus ſupradictis, per ſuas ſub certa forma dedit litteras in mandatis, ut quidquid de præmiſſis & circumſtantiis eorumdem ac aliis, quæ pro jam dicto Ludovico Rege virtutum Dominus miraculoſe fuerat operatus, nos in plena contingerent percipere veritate, clare & diſtincte per omnia ei ſerioſius ſcribere curaremus, ut relationibus noſtris evidenter ac ſerioſe perceptis, lucidius appareat, quid in iis providendum exiſteret, ac in poſterum reſpondendum. Unde nos hujuſmodi receptis litteris, diligenter proceſſimus ſuper iis, & quæ invenimus eidem Nicolao prædeceſſori plenius & apertius duximus intimanda. Qui hujuſmodi proceſſu noſtro recepto, illum Venerabili Fratri G. Epiſcopo Sabinen. tunc XII. Apoſtolorum Presbytero, & dilecto filio noſtro I. ſancti Euſtachii Diacono Cardinalibus diſcutiendum commiſit. Sed eodem Nicolao prædeceſſore naturæ debitum perſolvente, ulterius proceſſum non extitit in negotio ſupradicto. Porro venerabiles Fratres noſtri S. Carnoten. & G. Ambianen. Epiſcopi nuper ad noſtram præſentiam accedentes, ex Venerabilium fratrum noſtrorum Remen. Senonen. & Turonen. Archiepiſcoporum, ac quamplurium ſuffraganeorum ſuorum, & etiam aliorum quorumdam Regni Franciæ Prælatorum parte, nobis humiliter ſupplicarunt, ut præfatum Ludovicum Regem, quem prout eorumdem Archiepiſcoporum, ſuffraganeorum, ac Prælatorum miſſæ nobis litteræ continebant, jam inter cæleſtis Aulæ Principes collocatum, pro ipſo facta miracula profitentur, Sanctorum*

Reg. Vat. ep. 84.

Gregor. X. juſſit examinari miracula S. Ludov.

Nicol. III. committit idem negotiū legato Gallicano, qui creatus eſt Martinus IV.

aſcribi catalogo mandaremus. Nos autem, etſi geramus ſpecialiter cordi negotium, ac ejus votivum, & celebrem exitum propenſius cupiamus; attendentes tamen, quod quanto ſolemnius, quantoque maturius, & ſollicitius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipſius Ludovici Regis accedet laudis cumulum potioris, ac de veſtra multiplici probitate in multis & arduis probata multotiens, ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes: fraternitati veſtræ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad Monaſterium ſancti Dionyſii in Francia Pariſien. Diœceſis, ubi oſſa ejuſdem Ludovici Regis requieſcere dignoſcuntur, & ubi Dominus pro ipſo miracula ſpecialius fuiſſe proponitur operatus, aut alium, ſeu alia loca, ſeu quibus expedire putabitis, vos perſonaliter conferentes, de jam dictis, & aliis quibuſcumque etiam novis miraculis, ac vita, & converſatione ipſius Ludovici Regis, ſecundum articulos, quos vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus interclusos, cum omni diligentia, & ſollicitudine inquiratis, & quæ ſuper iis inveniri contigerit, in ſcriptis redacta fideliter ad Sedem Apoſtolicam, ſub ſigillis veſtris incluſa quantocius tranſmiſſuri. Si vero teſtes aliqui recipiendi ſuper præmiſſis occurrerint, qui propter loci diſtantiam, & infirmitatis impedimentum vos commode adire nequiverint, vel vos accedere abſque incommodo non poteritis ad eoſdem, committendi diſcretis aliquibus in caſu hujuſmodi vices veſtras, præſentium vobis auctoritate concedimus poteſtatem. Per commiſſionem autem inquiſitionis hujuſmodi vobis factam, nequaquam intendimus iis, quæ auctoritate prædictarum litterarum ipſius Nicolai prædeceſſoris per nos ſuper hujuſmodi negotio acta ſunt, in aliquo derogare, quinimo illa rata eſſe volumus, atque firma. Quod ſi non omnes bis exequendis potueritis, vel volueritis intereſſe, duo veſtrum, ea nihilominus exequantur. Datum apud Urbem veterem x. Kal. Januarii, anno 1.

Tom. 2. an. 1233. n. 36.

Obiit B. Agnes & neptis Clara.

Anto. Vinc. Domenec. de ſanct. Cataloniæ fol. 68. Vita MS. harum ſanctarum.

V. Obiit hoc anno XVII. Septembris beata Agnes Abbatiſſa ſanctæ Claræ Barcinonenſis, de qua egimus alias, ejuſque ſanctitatem Deus multis comprobavit miraculis. Clara ejuſdem neptis brevi ſequuta eſt ad præmia cœleſtia. Utraque ſepulcrum accepit ſub dio in cœmeterio, quod poſtea hortus evaſit, ubi detectæ beneficio magni ſplendoris ſuper ſepulcra cœlitus noctu coruſcantis, tranſlatæ ſunt ad ſacellum ſancti Joannis, & repoſitæ honorifice in duabus arculis ligneis byſſo & auro coopertis. Agnes inſigne præferebat Abbatiſſæ, & integro erat corpore, magnæque ſtaturæ, ſed temere quidam ob devotionem brachium abſcidit, & oculos effodit: Clara ex parte læſa ſanum geſtabat habitum Franciſcanum. Illic per aliquot ſecula devote colebantur, donec Moniales dolentes ſua pignora aliis, non ſibi patere, decreverunt eiſdem erigere honorificum Mauſoleum in ipſo chori muro, ex quo interius a Monialibus, & exterius a ſecularibus venerationem haberent. Facta eſt tranſlatio ſolemniter ſub Abbatiſſa Maria Anna Gilbert die XXVIII. Februarii anno MDCI. gravi inſtituta ſupplicatione, præſentibus ſex Abbatibus Benedictinis, & Alphonſo Colona Epiſcopo Barcinonenſi (qui egregiam habuit ad populum de earumdem ſanctitate concionem) atque immenſa populi multitudine. Ritus omnes & minutias quaſque hujus tranſlationis excepit rogatus Paulus Caſtellar Apoſtolicus & Regius Notarius, cujus acta ſervantur in prædicto Monaſterio. Præcipuum hujus Cœnobii feſtum fit die ſanctæ Claræ duodecimo die menſis Auguſti, quantumvis Moniales, quæ modo ibi commorantur ſint Benedictinæ, & ab immemorabili tempore Conſiliarii urbis, cum ſuis uxoribus clau-

ſtra interiora illo die ingrediuntur, & univerſi Magiſtratuum ordines ſolemni comitatu viſitant Eccleſiam. ,, In priori tumulo ſacelli ſancti ,, Joannis adhuc conſpicitur lapidi marmoreo inſculptum hoc Agnetis ,, Epitaphium, circa diem & annum, quo deceſſit, aliquantulum diſcrepans. *Hic eſt ſepulta ſancta Virgo Agnes, quæ hujus Monaſterii per ,, quadraginta & ſeptem annos, & amplius prima Abbatiſſa exiſtens, tanto ,, in morte, & poſt glorioſa coruſcavit miraculis, quanto dum viveret ſanctitate vitæ, & claritate famæ præfulſit. Obiit autem anno Domini ,,* MCCLXXX. *Kal. Octobr. feria* IV.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

B. Agnetis Epitaphium.

,, VI. Franciſcus Diagus in ſua de Comitibus Barcinonenſibus hi- ,, ſtoria, ait ædem hanc ſubſuiſſe Clariſſis, & Franciſcanis, ſaltem uſque ,, ad annum MCCCXXVII. quo tempore hinc prodierunt aliquot Clariſſæ ,, inchoaturæ aliud ejuſdem inſtituti Monaſterium. Affert etiam patrio ,, idiomate Epitaphium Agnetis Abbatiſſæ, quod reddimus hic Lati- ,, num. *Hic ſepulta eſt ſancta Virgo Agnes, quæ cum prima eſſet Abbatiſſa ,, ultra annos* XLVII. *tantum in obitu, & poſt mortem miraculis glorioſe ,, reſplenduit, quantum dum vixit ſanctitate vitæ, & claritate famæ reluxit; obiit anno Domini* MCCLXXXI. XV. *Kal. Octobr. in feria* IV.

Diag. lib. 3. c. 8.

VII. Subſtituit hoc anno Pontifex Joanni Pecchamo ad Cantuarienſem Eccleſiam aſſumpto, fratrem Matthæum Aquaſpartanum in Lectorem ſacri Palatii, qui cum die quodam cum Pontifice loqueretur, ſupervenit præfectus cubiculi dicens, eo anno gentem innumeram confluere ad Indulgentiam Portiunculæ lucrandam Aſſiſium, & Pontificios plurimos illuc velle cum ceteris ire, ſi ſanctiſsimo Domino placeret. Interrogavit ille, uti alias diximus, quid fratri Matthæo videretur de illius Indulgentiæ veritate? Reſpondit, veriſsimam ſibi videri, quippe quam ſanctus Franciſcus homo minime fallax, aut qui aliis imponere nollet præſertim in re tanti ponderis, & quam peculiari inſtinctu in periculoſo, & ardenti ſole, media æſtate undique concurrentes populi ſummo ſtudio conantur lucrari. Ita etiam ſibi viſum dixit Pontifex, adjunxitque quod Apoſtolica auctoritate eamdem confirmabat, & ſi ibidem non eſſet, ſe illam inſtituere; permiſitque, ut quotquot ex ſua familia vellent, Aſſiſium abirent. Cum vero multa & pretioſa eo anno offerrentur in Eccleſia donaria, ſtatuit Miniſter Generalis frater Bonagratia, ut nullatenus reciperentur, ne ſacra læderetur paupertas, aut ipſa Indulgentia Fratrum cupiditate viſeret.

Frater Matth. Aquaſpartanus lector ſacri Palatii.

Tom. 2. an. 1221. n. 3.

Pontifex confirmat Indulgentiã Portiunculæ.

VIII. Tres obſervo hoc anno creatos a Pontifice Epiſcopos Minoritas. Bonaventuram Parmenſem electum Raguſinum Archiepiſcopum, ante quem alii tres Minoritæ conſecutive ad eamdem ſedem promoti, frater Marcus de Venetiis a Capitularibus communi conſenſu poſtulatus, qui obiit ante acceptam a Pontifice confirmationem; frater Philippus de Mantua, quem ſuperius diximus Inquiſitorem in Marchia Tarviſina, nec electioni de ſe per Pontificem factæ, annuiſſe, ſed libere collato honori reſignaſſe; frater Lucas de Padua, qui ſimiliter noluit acceptare: *Militanti Eccleſiæ*. X. Kalend. Januarii. Fratrem Simonem, qui fratri Illuminato Epiſcopo Aſſiſinati, de quo nos ſuperius, defuncto, abrogatia aliis duobus in diſcordia electis, ſubſtituitur, & ab ipſo Pontifice conſecratur: *Militanti Eccleſiæ*. VI. Idus Martii. Fratrem Henricum Brem generis nobilitate præclarum, quem Pontifex ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, præcipuum in regno Poloniæ, per mortem fratris Martini Poloni Ordinis (ut communior habet opinio) Prædicatorum, vacantem,

Frater Bonaven. Parmenſis Archiep. Raguſinus.

Frater Simon Epiſc. Aſſiſias.

Tom. 4. an. 1271. n. 15.

Frater Henricus Brem Archiepiſ. Gneſnen.

tem, aſſumpſit, poſtquam Wloſtiberius ejuſdem Eccleſiæ Canonicus a Capitularibus electus, in manibus Epiſcopi Firmani Apoſtolicæ Sedis legati, juri quod ſibi ex hujuſmodi electione competebat, ſponte renunciavit. Brevis & vera hæc conſtat narratio ex ipſis litteris aſſumptionis ejuſdem incipientibus: *Oneroſa paſtoralis*. Datis x. Kal. Januarii. Atque has ipſas etiam citat Abrahamus Bzovius, tamen valde aliter rem narrat, atque fratrem Henricum, Canonicum Wloſtiburienſem facit, & proprium Canonici nomen imaginariæ affigit Eccleſiæ: *Per obitum*, inquit, *Martini electus fuerat Henricus Brem ex Canonico Wloſtiburien.* Unde tantæ confuſionis tenebræ provenire potuerint, nec poſſim certe imaginari. Ut vere frater Henricus his benigne admitteretur, & favorabilius adjuvaretur, ſuas litteras dedit Pontifex ad Duces Cracoviæ, Poloniæ, & Wratislaviæ.

Reg. Vatic. epiſt. 126.
Bzov. hoc anno n. 16.

IX. Aliqua hujus temporis, Dei providentiæ circa Minores indicia, & præmia, quæ benefactoribus largitur, hic libet annectere. Guardianus quidam Peſuſinus durioris naturæ vir, rogatus a quodam Domino caſtri per aliquot milliaria diſtantis, ut in vigilia Nativitatis Dominicæ binos ſibi mitteret Fratres qui ſolatio eſſent & pietati, deſtinavit ſub veſpere duos, qui tunc revertebantur e locis campeſtribus jejuni. Vicit in eis obedientiæ præceptum famis aculeos, & corporum laſſitudinem, ſubmiſſoque collo ſuperioris præcepto ſtatim abjerunt: ſed nondum confecerant iter medium, quando nox obſcura ſupervenit. Afflicti nimis in ſolitudine, & in noctis tenebris errantes, pulſum audierunt campanæ. Accedunt quo ſonitus deducit, vident egregium Monaſterium, experiuntur oſtiarii, & ceterorum Monachorum multam, & magnam nimis in accenſo igne, parata menſa, ſtrato lecto caritatem. Poſt cœnam rogantur, ut cui magis placeat ex duobus, abſoluto matutino, in aula Capitulari Monachis Dei Verbum proponat. Annuit ſenior; quo ſtatuto tempore egregie ratiocinante, propoſito illo themate: *Parvulus natus eſt nobis*; & Chriſti humillimam dignationem in myſterio incarnationis tenerrime explicante, exierunt Monachi, uno poſt alium ſingulatim recedente, ſolo Abbate relicto. Turbato Fratri quod auditores receſſerint, dixit Abbas, eam tangis materiam Frater, quæ noſtra tangit, & angit corda; nihil tam nos torquet, quam Chriſti humilitas & incarnatio. Qui ergo eſtis vos, interrogavit Frater, qui hæc non poteſtis audire? heu me! dæmones fortaſſe eſtis, quibus ego hucuſque prædicavi? Ita, inquit Abbas, ſpiritus ſumus ignibus æternis adjudicati, ſed huc miſſi omnes, ut tibi & ſocio ex obedientia commendabilibus in hoc nemore ſerviremus. Quibus dictis Monaſterium, & quidquid antea videbatur ſplendidi ædificii, tamquam fumus, evanuit.

Marian. l. 3. c. 4.

Dæmones recipiſſe hoſpitio Minores.

Cruciantur Chriſti humilitate, & incarnatione.

X. Duo Fratres Pariſienſes cum alio proficiſcerentur, media hyeme, ſub prima noctis hora acceſſerunt fatigati ex itinere, luto conſperſi, & pluvia madefacti, ad oſtium cujuſdam Equitis Fratribus infenſi, qui a viginti annis ſuos reatus non curavit confiteri; Alloquentibus matrem familias, illa reſpondit: Neſcio, boni Patres, quid agam: ſi vos ſub tecto admiſero, timeo mariti mei vobis haud amici, offenſam: ſi crudeliter tempeſtuoſa hac nocte dimiſero, eſt quod verear Dei indignationem. Ingredimini, & latebitis, donec vir meus e venatione regreſſurus, cœnaverit, deinde vobis faciam occulte de rebus quibuſque neceſſariis provideri. Dum advenit maritus, & hilariter cœnat, uxor vero cogitabunda triſtatur ob Fratrum inediam, interrogat ille cauſam mœſtitiæ? Re-

Indid. Marc. 2. par. lib. 4. c. 36.

Reſpondit ſe timere cauſam revelare, ſecure ſpondet ſe mali nibil illaturum. Rem omnem illa narrat, & ſe timere Dei judicium ſubjungit, quod illius ſervi fame & frigore pereant, ipſi autem in deliciis luxurientur. Mitior factus, juſſit e latibulis evocari, & caritative tractari. Dum vero illi accedunt ad ignem, videtque hoſpes facies macilentas, veſtes madidas, pedes ſanguine decurrente perſuſos, facta manu Domini ſuper eum, compunctus dolore cordis intrinſecus, ex leone mitis agnus evaſit, propriis manibus eorum lavit pedes, menſam appoſuit, lectos præparavit, advectis recentibus paleis. Adhibitis caritatis officiis, Fratrem ſeniorem ſeorſim vocatum interrogavit: An effrons peccator, qui tot annis rite non fuit confeſſus, veniam auſit a Domino ſperare? Reſpondit ille: Spera in Domino, & fac bonitatem, quia ipſe faciet tecum, ſecundum magnam miſericordiam ſuam. Ipſe eſt, qui promiſit: *In quacumque bora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. At ille; Nolim itaque ego confeſſionis ſacramentum differre, qusre ſi licet, hsc nocte conſcientiam velim exonerare, ne contingat citius qusm velim a me repeti animam meam. Nullum ſubeſſe mortis periculum cogitans Frater, rogavit ut in craſtinum confeſſionem differret. Abierunt omnes cubitum, ſed aliqusntulum ſomno reſocillatus ſacerdos, ſecum cogitsns de dilats propter ſuam culpsm confeſſione, & de periculo, quod homo dixit potuiſſe imminere ſubitaneæ, vel improviſæ mortis, totus tremens exurrexit, & in pavimento in faciem proſtratus, cum lacrymis orabat, ne ſus culpa miſer ille periret, ſed ſaltim in diem ſequentem valeret. At facta viſione, conſpexit jsm hoſpitem defunctum, altercantes bonos, & mslos Angelos circa ejus animam, & in ſtatera librandorum operum præponderaſſe ſatis plurima mala paucis bonis, ſtatim tamen defuncti Angelum cuſtodem dixiſſe: Afferantur & apponantur paleæ illæ, quas ſternendis lectis pauperum Minoritarum ipſe jam compunctus hsc nocte propriis manibus & humeris aſportavit, addaturque ſacræ Confeſſionis fervens deſiderium. Additis his ſuperarunt bona, condonatis propter ſalutaris Sacramenti votum cunctis reatibus, deduxeruntque Angeli tremulam animam in locum ſperandæ ſalutis. Expergefscto ſocio, & domeſticis vir pius prænunciavit hoſpitis mortem, & quæ vidit ex ordine narravit. Illi accurrentes ad heri cubiculum ex morte, & compoſito corpore vera vidiſſe, & narraſſe judicarunt, doloremque minuentes, convocatis vicinis rem retulerunt, & bominem honorifice ſepelierunt. Msjor & liberalior hinc piæ mulieris, & circumſtantium deinceps evaſit erga Fratres hoſpitalitas.

Amplum præmiū reddit Deus Fratrum hoſpiti.

Ezech. 18. 22.

XI. Aliis duobus Fratribus Pariſienſibus per Burgundiam tranſeuntibus, occurrit homo devotus, rogans ut in domum ſuam vellent deſcendere. Annuentes, introduxit in præparstum hoſpitii cubiculum: Hæc, inquit, eſt csmera Minorum. Sciſcitantibus appellationis originem narravit; ſe duobus Fratribus tota veſte madefactis ignem accendiſſe, habitus aqua defluentes expreſſiſſe, & cetera caritatis obſequia addidiſſe; mox ægrotantem valde timuiſſe, ne in æternum periret. Inter has anguſtias, immiſſa viſione in ponte quodam anguſtiſsimo ſe putabat hærere, neque pedem movere auſum, ne decideret in ardentes rogos ſubtus extructos. Compellebatur tamen a malis Angelis, ut progrederetur, at, a bonis ſibi viſum aquæ guttis illis, quas ex madidis Fratrum veſtibus aliquando expreſsit, ſubjectos ignes extingui, & in amæna loca Paradiſi a ſanctis Angelis ſe perduci. Tanta conſolatione, inquit, repletus

Chron. antiq. March. cit. c. 37.

Aliud item præmium.

tus dum evigilavi conſtanter mecum decrevi perpetuum parare Minoribus hoſpitium, quibus cubiculum hoc, lectis, & ceteris rebus neceſſariis inſtructum applicui; eorumque meritis & precibus me ſalvandum iri in Domino confido.

Conv. Leoneſſæ

Blond. in Ital. illuſtr. regio. 4. Corius in hiſt. Mediol. par. 5. Sabell. EnnMade 10. lib. 5.

XII. Leoneſſæ, quod in Umbria oppidum eſt, ortu inclytum Gentilis cognomine Leoneſſæ, militari gloria celebris, ut a Blondo, Corio, Sabellicoque monumentis proditum eſt, circa hæc tempora conſtructus Minoribus Conventus. De illius fundatione ſolum reperitur; quod anno MCCLXXXV. Dominus Petrus Epiſcopus Reatinus concedit pœnitenbus, & confeſsis, qui ad perficiendum opus Eccleſiæ Fratrum Minorum operam ponent, in cujus operis fundamento primarium lapidem injecit, 40. dies de injuncta pœnitentia ſub Honorio IV. Pontifice. Conſecrata Eccleſia ſub Eugenio IV. anno MCCCCXLVI. ab Epiſcopo Spoletano. Anno MCCCCXX. die XIX. Decembris ſub Martino V. Capitulum ſancti Joannis Lateranenſis concedit ſupradicto Conventui Eccleſiam ſanctæ Annæ. Anno MCCCCLXX. die XXVII. Octobris, conceſſum fuit Monaſterium ſanctæ Luciæ ſub Sixto IV. erat enim Monaſterium Monialium ab eis deſtitutum, confirmatumque ab Innocentio VIII. an. MCCCCLXXXV. XVIII. Kalend. Julii. Anno MDXX. Chriſtophorus Gittius conſtruxit Eccleſiam, & locum ad fores. Et anno MDXXXIV. die VIII. Martii, ſub Clemente VII. Joannes Franciſcus, & Joannes Angelus hæredes Chriſtophori dotarunt hanc Eccleſiam ſub titulo ſanctæ Mariæ de Laureto, concedentes Fratribus: rogatuſque fuit Ser Nicolaus Falconius de Leoneſſa. Spectat ad Patres Conventuales Provinciæ ſancti Franciſci Tudertini, & Cuſtodiæ Regni. Similiter de Conventu Caſtignani alias

Conv. Coſignani.

Coſignani provinciæ Marchiæ, & Cuſtodiæ Aſculanæ nihil aliud inveniri dicit Rodulphus, niſi quod in campana quadam extet temporis nota, quæ fuſa fuit anno MCCLXXXVI. At ex ſervatis ibidem quibuſdam bullis

Rodul. fol. 272.

Conv. Portus Gruarii.

Alexandri IV. conſtat antiquiorem eſſe originem, & oppidani eam referunt ad ipſum ſanctum Franciſcum. In Provincia ſancti Antonii, & Cuſtodia Foro-Julii extructus hoc anno Conventus Portuſgruarii per Fulcherium Inculthum e Spilimberga familia Epiſcopum Concordienſem, quem ampliſsimis prædiis honeſtavit. Ibidem conditus eſt ad lævam majoris aræ. Conceſsit hoc anno Pontifex auctoritatem Miniſtro Generali, ut per ſe ſolum; & Miniſtris Provincialibus, ut in Capitulo ſimul cum definitoribus idoneos quoſque inſtituerent divini verbi prædicatores: *Ad uberes fructus*. Idibus Decembris.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ Conceſsionem hanc multas
„ excitaſſe turbas in Francia, contradicentibus Eccleſiarum Prælatis
„ & univerſo Clero huic privilegio, teſtantur Annales Ebehardi apud
„ Caniſium tom. I. antiquarum lectionum ad annum MCCLXXXVII.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Rogatu Caroli Siciliæ Regis, poſt ſemeſtre diſsidium, Viter-
„ bii VIII. Kal. Martii ad Petri ſolium Cardinales evexerunt
„ Simonem *de Bria* nobili loco in Galllia natum, qui ob violentiam duo-
„ bus Cardinalibus illatam, Viterbio ſuppoſito interdicto, Urbem Ve-
„ terem ſe tranſtulit, ubi x. Kal. Aprilis coronatus, dictus eſt Marti-

Simon de Bria eligitur Pont.

„ nus IV. cum tamen revera II. nuncupari debuiſſet: duo etenim inter
„ medii non Martini, ſed Marini nomen habuerunt. Hic ſummus Pon-
„ tifex in ſui Pontificatus limine expeditionem Hieroſolymitanam,

datis

,, datia litteria ...... Nonis Octobris, promovere ſatagebat: ſed Ec- [Invigilat pro Terra ſancta.]
,, cleſiæ negotia maximi ponderis faceſſebat Michael Palæologus Græ-
,, corum Imperator, qui licet Concilii Lugdunenſis tempore ad obe-
,, dientiam Gregorii X. rediiſſet, nihilominus Schiſmatis antiqui fau-
,, tor adeo proceſſerat, ut victa patientia Sedis Apoſtolicæ, ejus merito [Deturbat. a Palæologo.]
,, indignationem incurrerit: damnatus enim, conſtitutione promulgata
,, die XVIII. Novembris, in platea majoris Eccleſiæ Urbis veteris pu-
,, blicatus fuit excommunicatus: conſtit. incipit: *Michaelem Palæolo-* [Publice excommunicatur.]
,, *gum &c.* actum apud Urbem veterem &c. in feſto dedicationis Baſilicæ
,, Principis Apoſtolorum Pontificatus ſui anno 1. Expedivit pariter
,, quaſdam executoriales, videlicet Guardiano Cameracenſi: *Ex parte* [*Bullar. Cherub. fol. 144.*]
,, *dilecti &c.* Idus Novembris: & Cuſtodi de Cuſentia: *Dudum Eccle-* [Aliæ litteræ executor. pro Fratribus.]
,, *ſia &c.* V. Idibus Decembris; Sed notabilis ea eſt, qua Religioſos
,, Ordinum Mendicantium præſumentes ad non Mendicantes tranſire,
,, cohibet; Eam tamen, licet communem, ex ſexto decretalium huc [*Indic. ex Vatic.*]
,, transferimus.

MARTINUS EPISCOPUS &c.

,, 1. V*Iam ambitioſæ cupiditatis Religioſis potiſſime Mendicantibus* [Bulla prohibens receptionem Mendic.]
,, *præcludere cupientes, ad alios Ordines præſertim Monaſticos*
,, *(fucatis tamen coloribus aſſerentibus ob frugem melioris vitæ, aut ar-*
,, *ctioris Obſervantiæ) tam ſancti Benedicti, quam Ciſtercienſis, Camal-*
,, *dulenſis, Vallis Umbroſæ, Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini,* [*Lib. 3. extrav. com. de regular. &c. c. 1. Viam ambit.*]
,, *vel aliorum Monaſticorum Ordinum convolare nitentibus, licentiam a*
,, *Sede Apoſtolica, ſeu Legatis, aut Nuntiis ejuſdem Sedis ad transferen-*
,, *dum ſe de Mendicantium Ordinibus ad alios Ordines, præſertim ea ratione*
,, *(ut veriſimile eſt, prout facti evidentia docet) ut liberius degant, di-*
,, *gnitateſque, & beneficia Monaſtica conſequi valeant, & ex certis aliis*
,, *cauſis honeſtati non conſonis obtinentibus. At volentes etiam conſervationi*
,, *Ordinum Mendicantium providere: Auctoritate Apoſtolica, ex certa*
,, *ſcientia, tenore præſentium declaramus, & etiam decernimus ſtatuentes,*
,, *quod de cetero nullus Religioſus Ordinum Mendicantium quorumcumque,*
,, *cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſtat, quan-*
,, *tumcumque, & qualitercumque poſſit, & debeat, virtute cujuſcumque*
,, *licentiæ, etiam Indulti Apoſtolici, ſeu Pœnitentiarii noſtri curam geren-*
,, *tis, vel alia quavis auctoritate hactenus, etiam per litteras Apoſtolicas*
,, *facultatum quorumvis tam Legatorum, vel Nuntiorum Sedis Apoſtolicæ,*
,, *quam alia auctoritate, maxime de transferendis Fratribus, aut aliqui-*
,, *bus, præſertim Ordinum Mendicantium profeſſoribus in genere, vel in*
,, *ſpecie ab Ordinibus hujuſmodi Mendicantium, ſub quacumque verborum*
,, *forma appareant, admitti, aut recipi, per aliquos etiam Superiores Or-*
,, *dinis, ſeu Monaſterii, aut loci Monaſtici, ſeu alias in Monachum, vel*
,, *in Fratrem alicujus ex Ordinibus Monaſticis ſupradictis, vel aliis expreſ-*
,, *ſis (Ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) ſub pœna excommunica-* [Excipit Ord. Carthuſian.]
,, *tionis, quam tam recipientes, quam recepti ipſo facto incurrent: &*
,, *quam ex nunc pro ut ex tunc contra quemlibet tranſgreſſorem quomodoli-*
,, *bet in præmiſſis, ſcientia, & auctoritate antefatis proferimus in his*
,, *ſcriptis. Et a nemine, niſi dumtaxat a Romano Pontifice (præter quam*
,, *in mortis articulo) excommunicati hujuſmodi poſſint abſolutionis benefi-* [Abolet receptiones jam fact.]
,, *cium quomodolibet obtinere. Et nihilominus ſecus factu non teneant, &*

„ *nullius exiſtant efficaciæ vel momenti. Decernentes etiam, & volentes*
„ *quod ſi quis hactenus virtute cujuſvis licentiæ, ſeu mandati hujuſmodi*
„ *fuiſſet receptus ad aliquem Monaſticum Ordinem, & habitam conſuetum*
„ *geſtari per Monachos talis Ordinis ſuſcepiſſet, ſive profeſſionem emiſerit,*
„ *ſive non, ſub dicta pœna teneatur in Monaſterio, in quo receptus fuerit*
„ *(etiamſi beneficia Eccleſiaſtica, ſeu Rectorias Eccleſiarum quarumvis ob-*
„ *tineat) ſtare in ejus totali ordinatione, & in hujuſmodi Ordine Mona-*
„ *ſtico Altiſſimo deſervire.*

Mandat receptos regredi in ſuum Ordin.

„ 2. *Si quis autem prætextu hujuſmodi licentiæ, vel ſine habitu, vel*
„ *cum habitu vagando incederet, monitione prævia, teneatur, & debeat*
„ *intra terminum quindecim dierum a die monitionis hujuſmodi computan-*
„ *dorum ad ejus Religionem, vel Ordinem, unde cum licentia, vel ſine li-*
„ *centia receſſerat, remeare. Quod ſi efficere neglexerit poſt ipſum termi-*
„ *num, tamquam notorius Apoſtata excommunicatus in omnibus, & per*
„ *omnia debeat per quemlibet reputari, & ab omnibus retractari: etiam*
„ *per invocationem auxilii brachii ſecularis, quoties fuerit opportunum.*

Declarat contumac. Apoſtatas.

„ 3. *In futuris autem nullus ex Profeſſoribus alicujus ex Ordinibus*
„ *Mendicantium hujuſmodi in aliquem Monaſticum Ordinem (Carthuſia-*
„ *nenſium dumtaxat excepto) poſſit aut debeat per quemcumque recipi, aut*
„ *admitti virtute alicujus licentiæ, vel Indulti, abſque Sedis hujuſmodi*
„ *licentia ſpeciali, ſub dictis pœnis: & nihilominus ſecus facta non teneant*
„ *ipſo jure: hujuſmodi licentiis, & Indultis, nec non conſtitutionibus Apo-*
„ *ſtolicis, & Mendicantium Ordinum prædictorum, etiamſi de illis ſpecia-*
„ *lis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum in noſtris litteris mentio habenda*
„ *foret, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omni-*
„ *no &c. Datum Sebennis* III. *Kal. Auguſti Pontificatus noſtri anno* I.

Congreg. capitular. Glog. Prov. Polon.
Joan. Fur. in MSS.
Caſi. Biern. cit. ſup. n. 11.

„ II. Præter allata commemorabimus Nicolaum Miniſtrum Provin-
„ ciæ Boemiæ, & Poloniæ congregationem habuiſſe in inferiori Glogo-
„ via: quo tempore eas peragrabat oras Generalis Miniſter, ut notavit
„ Joannes Furſtenius: indeque putat non incongrue Caſimirus ortam
„ traditionem antiquam ſanctum Bonaventuram eas viſitaſſe Provincias,
„ ex deceptione ſcilicet cauſata in acceptione nominis Bonagratia pro
„ Bonaventura; Quod tamem nimiam craſſitiem priſcorum redarguere
„ videtur.

Henricus Brem eligitur Archiep. Gneſnæ.
Wadd. ad hunc ann. 1281. n. 7. epiſt. 26. ex Reg. Vatic.
Bzovius fallitur.

„ III. Waddingus commemorat fratrem Henricnm *Brem* Minoritam
„ ad Archiepiſcopales inſulas Gneſnæ a Martino IV. evectum fuiſſe; Et
„ quidem vere, ut ex epiſtola proviſionali ad eumdem clare elicitur,
„ contra Bzovium hac in re delirantem, dum ex iiſdem litteris aliter
„ rem quam ſit, enarrat, dicens: *Per obitum Martini electus fuerat*
„ *Henricus Brem ex Canonico Wloſtiburienſi*, quo in negotio cum Anna-
„ liſta fateatur ſe non poſſe imaginari unde tantæ tenebræ confuſionis
„ ortum habuerint, operæ prætium duxi ex Caſimiro rem enucleatam
„ exhibere; quod erit oſtendere mendi Bzoviani radices.

Caſ. Biern. cit.

„ IV. Henricus hic *Brem* a Martino IV. præfectus Eccleſiæ Gneſ-
„ nenſi, fuit filius Theodorici Bremenſis Ducis, ex Polonia Eudoxia filia
„ Conradi Mazoviæ Ducis, e vetuſta Piaſteorum ſtirpe, quæ in Caſimi-
„ ro Magno, Ludovici Pannoniæ Regis avunculo extincta eſt: fuit au-
„ tem Minorita, ut habet bulla proviſionis: *Oneroſa*: in illis verbis præ-
„ ciſe: *Ac te fratrem Minorum Ordinis profeſſorem, de Fratrum noſtroram*
„ *conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, prædictæ Eccleſiæ in Archiepi-*
„ *ſcopam præficimus.*

V. Hic

„ V. Hic Henricus *Brem* cognationis gradu tertio beatam Hedui- „ gem contingens, inſtitutum ſancti Franciſci in Monaſterio Opolienſi „ amplexus eſt, ut teſtatur Stephanus Damalevicius in ſerie Archiepi- „ ſcoporum Gneſnenſium, & vita Archiepiſcopi vigeſimi quarti: qui „ etiam recte advertit, duos Henricos fuiſſe de Ducibus Bremenſibus „ Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnenſis primitiali Purpura præfulgentes: „ prior nempe, Zdislao ſucceſſit, quem Simon *Okolski* in ſamilia Kiet- „ liciorum cum hoc ſecundo Henrico confundit, & valde aliter rem mi- „ ſcendo narrat: in origine enim Kietliciorum anno MCC. ab Innocen- „ tio III. confirmatum dicit Henricum: mox ſui oblitus, in familia „ Kietliciorum ſic inquit: *Kietlic Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis* „ *anno* MCC. *&c. & infra: Henricus Religionem ſancti Franciſci comple-* „ *xus fuit: ſed per diſpenſationem Canonicus Magdeburgenſis factus, poſt-* „ *modum a Martino IV. ob ſanctitatem, & inſtantiam Principum conſan-* „ *guineorum Archiepiſcopus Gneſnenſis denunciatus fuit*. Quæ relatio „ Okolſcii octuaginta annis & uno a veritate diſtat: Nam Martinus IV. „ creatus fuit hoc anno MCCLXXXI. VIII. Kalend. Martii: & ob id an- „ no MCC. a Martino IV. cum probabiliter Henricus hic tunc non eſſet „ natus, confirmari non potuit: nec is idem, de quo loquitur Okol- „ ſcius Ordini Franciſcano adſcribi, ut qui in Epiſcopatu Gneſnenſi jam „ IX. annos vixiſſet, antequam Ordo Franciſcanus confirmatus ab Inno- „ centio III. fuiſſet, anno ſcilicet MCCIX. imo ipſam converſionem ſancti „ Franciſci in Archiepiſcopatu præceſſiſſet anno VI. poſita converſione „ ad annum MCCVI. Quamobrem non Henricus *Kietlic*, ſed Henricus „ *Brem* Franciſcano Ordini eſt adſcribendus, quamquam uterque de „ familia Kietliciorum, & Ducum Bremenſium ſanguine fuerit: pro gen- „ tilitiis armis triplicem catenam de uno circulo pendentem gerentium: „ non vero zonam, ſeu funiculum cinctorium Ordinis ſancti Franciſci „ ex devotione pro armis aſſumentium, ut Okolski, levi conjectura ex „ Archiepiſcopo Franciſcano deſumpta, nulliter interpretatur: cum „ familia Ducum Bremenſium cum ſuis gentilitiis inſigniis, Franciſcanæ „ familiæ ortum longe ante præceſſerit.

Duo ſunt Henr. Brem Gneſnen. ambo Epiſcopi.

Damalev.

Sim. Okol. in Orbis Pol. Tom. 1.

Secundus vero Min. hoc temp.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia generalia Argentinenſia. Accuſatur Petrus Joannes Olivi. Moriuntur BB. Torellus de Puppio, Raſtagnus, & Benevenuta Anconitana tertii Inſtituti. Sancta Eliſabetha Aragonenſis nubit Dionyſio Luſitaniæ Principi. Pia quædam virtutum exempla referuntur, & conſtruuntur aliquot Monaſteria.

I. Indixit hoc anno Bonagratia Generalis Miniſter, totius Ordinis Comitia in civitate Argentinæ, Provinciæ Germaniæ ſuperioris, quibus catalogus Epiſcoporum Argentinenſium ait interfuiſſe Provinciales tres & triginta, Fratres ſeptingentos, Rodulphum Ducem Auſtriæ Rodulphi Cæſaris filium, & Epiſcopos quatuor, Conradum Argentinenſem, Probum Tullenſem, qui antea fuerat Alemanniæ Provincialis, Henricum de Iſena Epiſcopum Baſileenſem, & poſtea Archiepiſcopum Moguntinum, Albertum Epiſcopum de Inſula. Probat numerus Provincialium diſtributionem Provinciarum totidem a ſancto Bona-

Capitulum Argentinenſe 25.

Franc. Guillima. de Epiſc. Argent. in Conrado 2. Tom. 4. an. 1260. n. 14.

Ann. 1279. n. 33.

Ann. 1274. n. Chron. antiq. Marian. l. 3. c. 5. Marc. cita. c. 25. & 26.

ventura, uti alias diximus, factam. Tullenſis & Baſileenſis erant Minoritæ, uti alias admonuimus. In his comitiis commiſſum fuit a Generali Miniſtro, fratri Philippo Peruſino, tunc in Etruria Miniſtro, ut diligenter & exacte examinaret quemdam fratrem Laicum ſibi ſubditum, cui revelatum communiter ferebant conſodales tempus, & circumſtantias inflictarum ſancto Franciſco cicatricum. Fecit ille, & in ſcriptum redegit authenticum vt. Nonas Octobris, quæ vir pius & humilis obedientia conſtrictus, propalavit. Matthæum de Caſtilione Aretino, puritatis magnæ, & vitæ probatiſſimæ hominem vocat Miniſter, atque hæc quæ ſub compendio damus longiori refert ille ſcriptura. Rogatum ſe dixit a fratre Joanne Caſtilionenſi Cuſtode, ut cum Deo ageret, quatenus dubium omne circa tempus inflictorum vulnerum ſancto Franciſco tolleret, & ſub menſe Majo anni præteriti perrexiſſe ad Montem Alvernæ, ubi in cella, quam ſtigmatum vocant, orans inſtanter, multa luce ter ſuperfuſus, & a Deo confortatus, vidit ſanctum Franciſcum, qui rem omnem illi per ordinem narravit, eo modo quo ſuperius opportunius retulimus ſub illo anno, quo ſancto Patriarchæ fuerunt inflicta. Hæc vero tacenti duplex facta eſt viſio, ut myſterium aliis aperiret. * Eſt quod hic moneamus, craſſum errorem irrepſiſſe in narratione hiſtoriæ ſtigmatum in ſecundo Tomo ex vitio Typographiæ; omiſſi ſunt enim in anno MCCXXIV. omnes numeri a nono uſque ad decimum quintum, & præpoſtero loco poſiti, poſt vigeſimum quartum. Quare tota illa narratio, quæ incipit ab illis verbis: *Et licet Franciſcus* in principio pag. 100. uſque ad numerum XXXV. excluſive, ponenda eſt poſt numerum IX.

Revelatur pio viro tempus, quo inflicta ſunt vulnera ſancto Franciſco.

Tom. 2. an. 1224. n. 34.

* Hic error irrepſit in prima editione, ex vitio Typographiæ Lugdunenſis, nõ Romanæ, cui nõ adeo facile fuit mendũ alioquin craſſum detegere.

II. Accuſatus fuit in his Comitiis frater Petrus Joannes Olivi, quod plurima libere nimis contra communitatem Ordinis frequenter proferret, & gravius adhuc dixerunt æmuli, quædam ejus ſcripta circumferri a multis, hæreſi & erroribus plena. Prodiit hæc accuſatio ab iis, quorum vitam laxam in mollem nimis ille ſecreto, & publice carpebat, nulli parcens reprehenſione digno: tam ſuperioris, quam inferioris ordinis. Fratres, qui diſciplinam excutiebant regularem, magno zelo corrigebat, aliquoties clamans hos corrigendos, vel omnino tollendos, ne ceteros inficerent, & univerſum Sodalitii corpus ſibi aſſimilarent. Scriptis etiam eos lacerabat, laceſſebatque, & contra ipſos Prælatos Eccleſiæ delicatulos, ſeu molliter viventes ſæpius, ſed fortaſſis minus prudenter prædicabat. Hinc exortus contra eum tumultus, & concitata conſpiratio, nec ceſſatum ab accuſatione, donec decretum eſt, ut Miniſter Generalis omnino viſitaret Provinciam Franciæ, hominem examinaret, ſcripta diſcuteret, & doctrinæ, dummodo malæ, ſectatores cobiberet. Quid vero ille hac in re præſtiterit, ſequens annus miniſtrabit.

Accuſatur Petrus Joannes Olivi, & quare?

III. Obiit hoc anno die XVI. Martii beatus Torellus de Caſtro Puppii in Tuſcia & regione Caſſentini. Adoleſcens patre orbatus, laſcivam vitam duxit; ſed cum gallus gallinaceus ex feneſtra in humeros ejus evolaſſet, terque decantaſſet, ad bonam frugem converſus eſt, non indigne judicans, trino galli cantu ſe velut alterum Petrum vocari ad pœnitentiam. Retulit omnia Abbati ſancti Fidelis, qui bona quæque ſuaſit, ſed perſuadere non potuit, ut illius Sodalitii leges ſubiret. Propoſuit enim firmiter ad primam ejuſdem Abbatis cohortationem de pœnitentia facienda, eam exercere in Religione Minorum, vel ſub habitu Fratrum Pœnitentum. Hunc tamdem ſuſcepit, & perrexit anno trigeſimo ſuæ ætatis, ſed converſionis quarto, ad ſolitudinem. Divagatus hinc inde per

B. Torellus de Puppio.

Marian. cit. c. 5. Ferrar. ad 16. Martii. Vita Joannis Gualb. Chro. Vallis Umbr.

Mire convertitur ad pœnitentiam. Suſcipit habitum tertii Ordinis.

per nemora, & ſaxorum crepidines, diebus octo crudis herbis & tribus panibus minutulis dumtaxat contentus, tamdem requievit ſub quodam antro in loco, qui Avellanatum ab avellanarum copia dicitur, ad M. P. a Puppio, rediensque ad ſuos, facultates diſtribuit pauperibus, reſervatis ſibi, quæ ad tugurioli conſtructionem videbantur neceſſaria. Rejectis parentum precibus, quibus eum ab eremicolatu retrahere, atque ut in aliqua ex approbatis religione animæ excolendæ intenderet, perſuadere conabantur, rediit ad ſpeluncam, in qua conſtructa exigua cella, quæ vix eum capere poſſet, adjunxit data pecunia terræ portionem contiguam ad hortuli miniſterium. Ex hac manſiuncula aliam ſibi conſtruere volens ampliorem in cœlo, jacto primo fundamento ſuper ſolidam petram humilitatis, & paupertatis, muros cœpit erigere arctæ pœnitentiæ, ſecundum doctrinam Apoſtoli, caſtigans carnem ſuam, ut in ſervitutem ſpiritus redigeret, & ſale auſteræ diſciplinæ reſpergens, ne quæ incorrupta erat, putreſieret. Una itaque ad ſancti Franciſci exemplum contentus tunica, ſetoſum porci corium ſuper nudam portabat carnem, idque adeo aſperum, ut multas corporis partes excoriaret. Pro cingulo funem ſumebat nodoſum, & in capite caliendrum cuſpidum ſecundum antiquum morem quorumdam tertii Ordinis ſectatorum, geſtabat. In pane arcto, & aqua brevi vitam tranſigebat, quatuor dumtaxat uncias panis, & aquæ parvulam menſuram, cum herbis crudis abſque oleo, aut condimento ullo admittens per integrum diem, atque hæc ipſa imminuebat in diebus jejunio ſacrandis, ſolum uncias illas panis laſſo corpori miniſtrans. Lectus anguſtus ex tabulis ad juſtam corporis menſuram, cui ſuperpoſitæ ſpinæ & ſarmenta; lapis cervical, qua ratione non tam ad requiem, quam ad dolorem attenuatum corpus jacebat. Addebat his quotidie flagra, & verbera, pro ferula ferreis utens catenis.

Antrum ſuæ pœ-ſtruit pœnitentiæ.

1. Cor. 9. 27.

Ejus habitus & victus.

IV. Invidit ſervo Dei malignus hoſtis tantam virtutem, atque ut ab adeptæ perfectionis culmine dejiceret, plura objiciebat phantaſmata, & turpes proponebat laſcivarum mulierum figuras. Ille ne conſentiret, carnem variis modis cruciabat, biduo ab omni victu abſtinebat, capillos capitis, aut menti evellebat, aliquando in vepribus ſe volutabat, aliquando in foveam frigidæ, aut congelatæ aquæ deſcendebat, cruciari malens, quam uri. Durum hoc certamen per triginta annos ſuſtinuit, donec incidit in varias ægritudines, atque ita extenuatum corpus evaſit, ut deſiccata carne, ſola cutis oſſibus adhæreret. Remiſit tunc aliquantulum abſtinentiæ rigorem oleo herbas reſpergens, atque aliquando leguminibus veſcens, & ſi infirmitas expoſcebat, modicam carnem coactus adjiciens. Somnus ei brevis trium dumtaxat horarum, ceteris noctis in contemplatione & oratione conſumptis. Videbatur quaſi carbo ignitus in Dei amore totus abſorptus, & divinis conſolationibus, atque angelicis collocutionibus aſſuetus, terrena omnia, tamquam lutum exiſtimabat.

Tentatur a dæmone.

V. Voluit Deus hominis ſanctitatem multis manifeſtare miraculis, atque illud omnium primum, quo lupo infantulum Puppienſis fœminæ abripienti, atque per ſuum tuguriolum fugienti clamoroſo populo inſequente, præcepit, ut prædam dimitteret; neque amplius ulli hominum neque eorum pecudibus noceret, qui dimiſſo blande puero, præceptum impoſitum deinceps obſervavit. Simile per omnia ferme miraculum evenit, dum Torellus ad caſtrum Bibienæ progrederetur, occurreret-

Lupis imperat, eoſque cicurat.

que

que lupus alter rapiens filium cujuſdam mulieris Aretinæ, quem ille a lupinis morſibus ſputo curavit: acceptum in ulnis puerum vir Dei duxit in antrum, & facta oratione, cruentatum atque ſemimortuum, vegetum reſtituit parentibus. Carolus de Comitibus Puppii ultimo Bacchanalium, ſeu debacchantium die tranſmiſit ad Dei ſervum amplam cœnam, cui devote quædam matronæ plura adjecerunt; admiſit ille, & gratias agens, inquit, mihi iſta haud neceſſaria, veniet tamen qui avide devoret, quæ ſupererunt. Voluit nuncius ſcire, quis ille hoſpes devorator? & dum ſe exploraturus abſcondit, vidit ad tugurioli oſtium ferum lupum accurriſſe cauda blandientem, & Torellum humaniter excipientem, cibumque miniſtrantem. Quod dum hero, & Puppienſibus nuncius enarrat, mittunt lupo eſcas, qui ad præceptum viri Dei non audebat cuiquam amplius nocere. Matrona quædam Bononienſis Victoriana nomine, ſuſcepta peregrinatione ad Montem Alvernæ, duos eduxit ſecum filios, quos acuta febris invaſit: ſollicita mater de illorum ſalute monetur magnam eſſe Torelli ſuper quoslibet languores virtutem. Regrediens itaque e monte, pergit ad eremum Torelli, ubi piis precibus obtinuit, epota ex ejus fonte aqua, repentinam utrique puerulo ſanitatem. Decidit e tecto non tam caſu, quam a dæmone ob invidiam Torelli dejectus faber lignarius, qui domunculam reſarciebat, & ex gravi colliſione præcipua corporis oſſa confracta. Inſidias inimici probe novit Torellus, & facta oratione hominem vocans ex nomine, juſſit ut ſanus & vegetus inceptum opus proſequeretur; quod mirabiliter ex tempore perfecit. Juvenis quidam inſane puellam adamavit, cujus conſortium dum illa refugeret, auxilio uſus eſt cujuſdam pharmaceutriæ, ſeu veneficæ, ut vel invita ejus appetitui effræni conſentiret: Illa ſuis incantationibus in puellæ corpus malum feſſorem Diabolum induxit, qui miſellam ita exagitavit, ut nihil tam cupere videretur, quam adoleſcentis, quem ubique & paſſim invocabat, commercium. Volens pater filiæ mederi, eam ad Dei ſervum Torellum adduxit; ille autem prolatis his verbis: *maligne ſpiritus ex parte omnipotentis Dei tibi præcipio, ut ab hac ejus creatura recedas*; & facto crucis ſigno immundum ſpiritum abegit.

Multa patrat miracula. *Confractum ſanat.* *Dæmoniaci curat.*

VI. Appropinquante jam vitæ termino, & ætatis anno octuageſimo, cum ſerventius oraret, apparuit ei Angelus Domini, & admonuit poſt dies triginta e vita migraturum. Ille gaudens & exultans, quia cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, qui ſupererant dies in gratiarum actione, & divinis inſumebat contemplationibus. Poſt dies decem abiit Puppium, qui poſt generalem reatuum confeſſionem Dominico Abbati Puppienſi, viro grandevo & pio, ea quæ ab Angelo acceperat, patefecit; acceptoque ſacro Euchariſtiæ viatico, rediit ad eremitorium, in quo reliquos dies in ſumma mentis recollectione, & aſperrima pœnitentia tranſegit. Tertio quolibet die duas tantum uncias panis in cibum admittebat, plus refectus mente quam corpore; de quo brevi corrumpendo non amplius curandum dicebat, ſed animæ in æternum victuræ cauſam agendam. Vocato deinde diſcipulo Petro, etiam erimicola, atque ſalutaribus documentis inſtructo, tranſitum prædixit, mox nudis poſitis genibus, atque oculis & manibus in cœlum erectis, animam Deo commendavit, & abſque agone ullo placide reſtituit. Ipſa illa hora omnes vicinæ regionis campanæ nullo trahente, ſono ſuo mortem ſervi Dei annunciarunt; quo miraculo excitati accurrerunt omnes vicini populi, & Deum in ſervo ſuo glorificantes, cœperunt de ejus corpore inter ſe diffide-

Admonetur ſui obitus. *Ad mortem ſe præparat.* *Contendunt plures de corpore.*

dere, contendentibus variis Eccleſiarum præfectis illud ſibi deberi. Acceſſit cum univerſis ſuis Monachis præfatus Dominicus Abbas, & cœlitus monitus, dixit ut unuſquiſque experiretur, an ipſe ſolus ſufficeret ad elevandum, & feretro imponendum cadaver; illud etenim evidens fore ſignum voluntatis defuncti aſſerebat, atque ita conſtituturum ea ſe Eccleſia velle ſepeliri, cujus Præfecti manibus ſe permitteret, vel potius adjuvaret, elevari. Exerit quiſque vires ſuas, nec loco removere poteſt corpus ſolus Dominicus Abbas abſque ulla difficultate, aut molis pondere ſibi ſacrum pignus aſſumit. Sequuntur omnes funus Puppium verſus ut Monachorum deponeretur Templo, quorum feretro ſe voluit imponi. Sed dum prope accedunt, lupus rabidus concito fugiens motu, dum videt in conſpectu Torelli cadaver, curſum mutat, atque coram feretro caput reverenter inclinans, animal quod rapiebat blande dimittit. Sepultus eſt eminenti loco, ita ut ſubtus ſepulcrum languidi ſe ejus meritis commendarent. Inde translatum, & humi reconditum corpus, relicto capite in ſacrario a quodam Abbate, qui temerariæ translationis luit pœnas, animam agens diris cruciatibus. Ob varias belli, peſtis, & diuturni temporis viciſſitudines ignorabatur, ubi conditæ hæ ſacræ reliquiæ, donec anno MDVII. ex revelatione facta cuidam Monacho, repertæ ſunt in altari, quod ſancti Torelli nuncupatur, arca & ſericis involucris incluſæ. Translatæ ſunt in honorificum locum decentius repoſitæ, ex licentia Coſmæ Pazzi Aretini Epiſcopi, Generale præfecto, & gravioribus quibuſque Patribus illius Inſtituti viris, Generale Camaldulenſium, aliiſque præſentibus; de quo publicum confecit inſtrumentum, rogatus Laurentius Bonilli Notarius Puppienſis.

Cedit Abbati Puppienſi.

Transferuntur ejus reliquiæ.

VII. Multa ad ejus commendationem Deus miracula voluit patrata. Mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur annis ſex, artes omnes medicinæ fruſtra experta, tactis ſancti Viri veſtimentis, dum in Eccleſia ſancti Fidelis ſepeliretur, ſtatim incolumis evaſit. Septem annis contractus ad ſolius feretri contactum protinus convaluit. Alii item plurimi ex diverſis infirmitatibus ejus interceſſione repente convaluerunt. Ex quatuor meſſoribus Puppienſibus, qui in ſegete quadam Lucigniani cum aliis metebant, ferus lupus inopinate irruens, nullum momordit, ceteris male affectis. Dum ſaucii id expenderent, & cauſam interrogarent, reſponderunt Puppienſes, peculiarem hanc eſſe gratiam Torelli pro ſuis oppidanis obtentam, ne lupi hominibus, aut eorum animalibus poſſint nocere. Similiter accidit in agro cujuſdam Aretini; ſed dum lupus raperet infantulum cujuſdam metentis Aretinæ Puppienſis, altera a tergo fugientis exclamavit: *Tibi*, inquit, *lupe præcipio*, *ut in nomine beati Torelli filiolum dimittas*; quod & ille ſtatim, tamquam ſi eſſet rationis particeps, effecit. Recentius ſcribit miraculum Silvanus Razzi, ſanatam videlicet Franciſcam uxorem Petri Mariani Puppienſis, dum, deſperata a medico ſalute, expectaretur infra aliquot horas ejus tranſitus. Vidit, inquit, glorioſum Torellum altæ ſcalæ innixum ſibi dicentem, ſe pro illa exauditum, neque tunc morituram. Ita factum eſt (inquit auctor) anno MDXLIX. & dum vitam ejus ſcriberet ait, mulierem ſupervixiſſe & plenam miraculi fidem feciſſe.

Miracula poſt mortem.

Razzi de vitis Sanctorum Etruriæ.

VIII. Civis quidam Senenſis Aſtaſius nomine, propter crimen exulare juſſus a nativo ſolo, Puppium venit commoraturus, ubi dum Torelli ſanctitatem magnificari audiret, rogavit ut ejus meritis ſibi in patriam redire liceret, jurejurando promittens voti compotem ſe quotan-

nis

nis in ejus natali ſerias acturum, atque intimo cubiculo effigiem coram appenſurum. Paulo poſt obtinuit, quod concupivit, voluitque reddere, quod promiſit. Sed dum Puppium mittit pro ejus effigie, unde peritus pictor exemplar poſſit exprimere, apparuit ei ſanctus Vir in hujuſmodi figura & proportione. Tunica aſpera, ſuper nudam indutus, chlamydatus, caliendrum in capite, funem pro cingulo portans, excalceatus inter brachia lupum portabat. Capilli cani, haud criſpi, frons lata parumper rugoſa, oculi mediocres & glauci, naſus haud nimium exilis, ſupercilia rara, dentes albi, minuti & denſi, aures parvæ, exiles, aliquanto piloſæ, mentum parvum & recurvum, facies aliquanto rubicunda, ſed extenuata, manus longæ, digiti exiles, humeri lati, brachia adeo extenſa, ut in pedes erectus digitis genua præteriret. Ita diſtincte vir Senenſis omnia in viſione notavit, ut ſequenti die perſecte explicarit pictori, & ille ita adæquate figuram expreſſerit, ut figurato per omnia aſſimilari dixerint, qui vivum cognoverunt. Hujus Servi Dei dies natalis ibidem feſtive celebratur, licet eccleſiaſtico non colatur Officio.

Qualiter pingendum ſe oſtentat.

Dubitatur cujus fuerit Inſtituti.

IX. Novi, Patres Vallis Umbroſæ, qui modo Puppienſe illud Cœnobium, in quo Torelli corpus ſervatur, inhabitant, eum inter ſuos Divos connumerare. Ita ſuum ſcribunt in Sodalitii Chronicis, & vita ſancti Joannis Gualberti; quibus acceſſerunt Raphael Volaterranus, Silvanus Razzi, Philippus Ferrarius, & Abrahamus Bzovius ſupracitati. At ſummo conatu eum tertio Franciſcano inſtituto adjudicat Marianus noſter; idque probat ex vetuſta ejus legenda, quam nos ſub compendio hic exſcripſimus, & ex picturis antiquis. Quod ſi ex ſepulturæ loco, vel ex prima cum Monachis illius Monaſterii familiaritate jus aliquod obtendatur, leve eſt, & inſufficiens. Neque propter electam miraculoſe in illa domo ſepulturam incolarum Sodalitio adſcribendus, ſi non etiam velimus Martyres quinque ſancti Franciſci diſcipulos Marrochii paſſos, Canonicos regulares dicere ſancti Auguſtini, propterea quod inter hos magno miraculo, quod alias narravi, elegerint ſepulturam. Alii etiam tam tertii, quam primi Inſtituti ſectatores ſub illo tempore in alienis ſepeliebantur Eccleſiis, tum quia aliquando proprias non habebant, tum quia vel inviti ducebantur ad alienas, Parochis, & Eccleſiarum Prælatis violenter cadavera rapientibus, ut ex bullis Pontificiis ſupra relatis apparet. Teſtes externi ſequuti ſunt aſſerta Monachorum, illorum libros dumtaxat citat Ferrarius, hunc verbatim Bzovius exſcripſit; & Volaterranus convictus a Mariano citato, ipſo teſte, ſaſſus eſt ſe a Monachis hac in re circumventum. „ Et quidem ego hic in Urbe eum ipſius Sodalitii viris præcipuis, & Abbate graviſſimi Monaſterii ſanctæ Praxedis in Monte Quirinali * diligenter egi, ut ſi quid proferre poterant, quo dubium iſtud excuterem, amice monſtrarent, & tamdem obtinui Chronica MS. ipſius Ordinis per Hieronymum monachum Vallis Umbroſæ compoſita, & Laurentio Mediceo dedicata; in quibus lib. 4. cap. 18. ſub iſto titulo: *Beatus Torellus Puppienſis Eremita ſanctiſſimus habetur*, compendioſe illius vita refertur. Nihil tamen in tota hiſtoria quod ad inſtitutum Vallis Umbroſæ ſpectet, habetur præter hæc ſola verba, quæ poſt illum trinum galli cantum, a quo converſio inceperat, recitantur: *Rem ſuam*, inquit, *ex ſententia pauperibus, & affinibus dividi curavit. Inde ad ſancti Fidelis Monaſterium, Dominicum Abbatem, virum religioſiſſimum conſulturus abiit, eique ordine omnia*

Tom. 1. an. 1220. num. 45. & ſeq.

Tom. 3. an. 1245. n. 38. & in regeſto tomi 3. bulla 21. & 24. ſub Innoc. IV.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

* *Melius dixiſſet* Exquilino.

De beati Torelli Puppienſis inſtituto.

„ *omnia narrat, ſeque omnibus poſthabitis, religionem mire optare, & ſecum eſſe, ſecumque, ut dicitur, vivere. Laudat Abbas fortitudinem animi, & magnitudinem, eumque inſtruit, ut mandata* Dei Omnipotentis *teneat obſervetque. Deinde ipſi ſua peccata, & commiſſa humiliter, ut Catholicis Chriſtianis mos eſt, per confeſsiones patefaciens, & ab ipſo ſacratiſsimum corpus, & ſanguinem Chriſti Jeſu accipiens, devote cum ſua benedictione & miſsione, inde vere eremiticam duxit vitam. Per quem Deus multa egregia facinora, egregiaque miracula, & mira, dum ipſe beatiſsimus vitam hanc vixit, operatus eſt, ut in hiſtoria ſua manifeſte declaratur &c.* Deinde ſubjicit illud lupi miraculum, & qualiter tractum Caſentinum a lupis liberaverit, mox mortem ſubjungit, & modum quo ſe permiſit Abbati Puppienſi, ut collocaretur in feretro. Sola iſta apud prædictos Patres reperi, quæ illorum comprobare poſſent intentum. Sed pauca & levia ſunt argumenta, poſt tres annorum centurias rei vetuſtæ, atque inter duo Sodalitia controverſæ probandæ.

B. Roſtagnus.

Chron. 24. Gener. Marian. cit. Rodul. fol. 206. Piſan. conf. 8.

X. Alium tertii Ordinis virum ſanctum & nobilem Roſtagnum nomine circa hoc tempus obiiſſe, ſuſcepto ſub vitæ finem habitu ſancti Franciſci, noſtri ſcribunt auctores. Jacet in chori medio in Conventu Aquenſi in Provincia Provinciæ, & Cuſtodia Maſſiliæ. Magnæ perfectionis virum fuiſſe, & poſt mortem crebris fulſiſſe miraculis habent Chronica, quæ viginti quatuor Generalium appellantur.

Auctores proxime citati. An. 1278. n. 12.

B. Dulcina.

XI. Claruit etiam ſub illo tempore ejuſdem Inſtituti fœmina præclara, Dulcina ſoror fratris Hugonis de Dina, de quo nos alias diximus, multis virtutum meritis illuſtris, & in corpore macerando perquam admiranda. Ad exemplum & cohortationem Religioſi fratris Hugonis mundum, & quæ in mundo erant, contemnens, ſub habitu Pœnitentum gratum ſe obtulit Deo holocauſtum. Currebant in odorem ſanctitatis ejus adoleſcentulæ plurimæ, graveſque matronæ, ad ejus exemplum vitam componentes, juxta quamdam methodum & conſtitutiones ab Hugone præſcriptas; quarum vitæ ratio adhuc Maſſiliæ perſeverat. Frequentes hæc patiebatur mentis exceſſus, & familiares habebat cœleſtis aulæ miniſtros viſionibus aſſueta divinis. In die Pentecoſtes vidit deſcendiſſe Spiritum ſanctum in linguis igneis ſuper Fratres pſallentes in choro, atque alias diverſimode eos effulſiſſe conſpexit juxta plures vel pauciores, quos recipiebant gradus caritatis. Requieſcit honorifico ſepulcro in Conventu Maſſilienſi prope fratrem ſepulta.

B. Benevenuta Anconitana.

Marian. in append. l. 1. Vita ejus MS. per Conrad. Offid.

XII. Ejuſdem Inſtituti tunc floruit Benevenuta Anconitana, hoc vitæ genus amplexa, & facta ſibi viſione de mira Virginis Mariæ dignatione erga Minoritas. Viro tradita prudenter ſe geſſit, ita ut quæ matrem familias decebant, non prætermitteret, nec animæ curam in quibuſvis rerum turbis vel minimum negligeret. Eum attigit perfectionis gradum ut ad arcana Chriſti Domini colloquia ſæpius adſciſceretur. Summo in pretio babebat, & ardentiſſimo amore inſequebatur Fratres Minores, quorum præſentia ſumme delectabatur, & adventum opportune ſatis præſentiebat, tot apponens cum domeſticorum admiratione panes in menſa, quot Fratres poſt aliquas horas erant ſuperventuri. Maritus optimi & conditi vini ſibi paravit dolium, illa Fratribus advenientibus, & infirmis liberaliter miniſtrabat, donec omnino defecit: commotus maritus turbas excitat, rerum domeſticarum prodigam vocat, neque placari potuit donec illa, effuſis precibus ad ſanctum Franciſcum, cujus

cujus Sectatoribus propinavit, tinam plenam oſtendit vino optimo, & ſumme ſalutari; quippe epotum, maritum a longa infirmitate, & Minoritam quemdam a gravi languore repente curavit. Ex duplici miraculo ſe ſuaque majori fiducia vir credidit ſancto Franciſco, quare nave conſcenſa, alio tranſvecturus aliquot olei cados, dum ſæva exoritur tempeſtas, merces omnes projiciuntur in mare, neque huic ſuis parcere permiſſum: dum tamen abjecit, ſingula vaſa ſancto Franciſco commendavit, quod haud inaniter comperit ſe feciſſe, dum in ipſo portus arenario videt poſitos cados illæſos, ceteraſque merces intactas. Obiit tamdem pia ejus uxor poſt multos meritorum cumulos non ſine magna opinione ſanctitatis. Quo in loco jacet, non omnino compertum.

Tom. 4. an. 1271. Vaſconc. in ejus vita. Joan. Marian. de rebus Hiſpan. lib. 14. c. 5. Marc. 2. par. l. 8. c. 26.

XIII. Primordia virtutum & ſanctitatis alterius bujus viæ, & vitæ mulieris præclariſſimæ Eliſabethæ Luſitanorum Reginæ, retulimus ſuperius, nunc ejus nuptias hoc anno ſub menſe Auguſti apud Trancoſii oppidum celebratas ex Luſitano auctore commemoramus. Non poterat tam eximiæ ſanctimoniæ ſplendor in virguncula obtegi, quin transluceret, clariſſimique gratiæ & naturæ dotum radii orbem pervaderent. Multi illam magno ex Latio, totaque petebant Europa in uxorem; Neapolitanus videlicet Princeps, & Britannus, miſſis in eam rem eodem tempore Oratoribus. Hæ tamen preces, etſi bonorificæ, Aragonio graves admodum apparebant, ne amantiſſimam a ſe filiam ablegare cogeretur: Eliſabethæ graviores, utpote humana præ divinis pili facienti, regioſque thalamos puriſſimis Divini Agni nuptiis poſthabenti. Mortuo paulo ante in Luſitania Alphonſo III. Regni clavum moderabatur ejus filius Dionyſius: qui ubi primum rerum potitus eſt, nibil habuit antiquius, quam tres nobiliſſimos aulicos Joannem Velho, Joannem Martinium, & Vaſcum Pirezium ad Aragoniæ Regem Barcinone tum temporis commorantem, Oratores deſtinare, qui Eliſabetham in Luſitaniæ Reginam enixe peterent. Hæſit valde dubius Aragonius, quem potius e tribus petitoribus ſibi generum eligeret: tamdem re melius conſiderata, Dionyſium Principibus Salernitano, ac Britanno non temere prætulit. Hi enim Regnum adhuc ſperabant, ille vero poſſidebat: nec enim tam arcto ſanguinis vinculo, ſicut duo priores, junctus erat, ut nonniſi interpoſita Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Eliſabetham duceret. Feliciter adjudicata lite dubia Luſitanis, Joannes Velbo legationis Princeps, ex tradita ſibi ad abſolvendum negotium poteſtate, ne victor victoria uti neſciret, Eliſabetham nomine Dionyſii in uxorem accepit: decreto ſtatim die & ordine, quo viæ ſe expediret, Aragoniamque deſereret. Res tam bene tranſacta Regem univerſamque Luſitaniam mirifice exhilaravit, excellentiſſimam Reginam, veluti de cœlo lapſam, expectantem. Ut primum profectionis tempus advenit, magno, ut par erat, comitatu cariſſimum pignus Pater ad Caſtellæ uſque fines ſecutus, vix præ lacrymis ab ejus colloquio avulſus eſt; illam ibi amitinus Sancius perhonorifice excepit, bellique negotiis diſtentus, fratrem ſuum Jacobum viæ comitem dedit, & Caſtellæ proceres nobiliſſimos. Brigantii in confinibus Luſitaniæ conſtiterat Alphonſus Regis Dionyſii frater, Epiſcopis, Dynaſtis, & nobilibus ſtipatus. Huic tradita Eliſabetha Trancoſium, quo ſe Rex contulerat, deducta eſt; ubi tam felices nuptiæ incredibili omnium lætitia & applauſu celebratæ. Aſſignantur illi a Rege peculiares redditus ex certis oppidis (ut mos eſt in Luſitania) ampliſſimi: peculiares aulici & miniſtri.

Eliſabetha Aragonia traditur Dionyſio Luſitano.

XIV. Non

XIV. Non mutarunt novi honores priſtinos Eliſabethæ mores; imo ab illis nec tranſverſum digitum, latumve unguem diſcedens, Divino adſpirante Numine duodecim annorum ætate diſparia numeroſe temperans, delicias temperantia, gaudia lacrymis, holoſericas & aureas veſtes voluntaria maceratione, diviniſque precibus ingenioſe commiſcebat; & animo in Deum translato, Regis obſequio non deerat. Hujus rei gratia diurnum tempus diſtincte & ordinate diſpoſuerat. Ab ſtrato ſurgens, Matutinas preces, & Primam recitabat; paratis mox in ſacello ad rem divinam Sacerdotibus ſymphoniaciſque, ſacro flexis genibus religioſe aderat: oſculataque facientis manu, pro diei ratione munus, ne vacua appareret, offerebat; ad reliquas deinde horas canonicas abſolvendas (quem morem perpetuo ſervavit) revertebatur: quibus pro corollario virgineas precationes ac funebres addebat. A prandio adibat ſacellum ad veſpertinas preces audiendas, & quod ſuis deerat, recitabat: remotiſque arbitris cœlitum colloquio vacabat, & libros ad pietatem inſtitutos evolvebat, fluentibus ubertim lacrymis, mira liquefacti animi teneritudine. Ad muliebres deinde artes, ne ipſa domeſticæque famulæ otio diffluerent, ſe conferebat; quibus exemplo prælucens propriis manibus ſacram aræ ſupellectilem operoſa conficiebat. Expiatis pia deteſtatione maculis, frequenter ad auguſtiſſimam Euchariſtiam accedebat. Hæc divæ Eliſabethæ fuerunt ſtudia: his occupationibus ex Apoſtoli conſilio tempus redimebat, quin aulæ curam omitteret, cui bene inſtituendæ induſtriæ nervos ſedulo intendebat. Quemadmodum orandi ſtudio nimio opere dedita erat, ſic orationis aſſeclam abſtinentiam diligenter obſervabat, ne diſtentum lautis epulis corpus mentem ad ſuperos evolantem deorſum traheret. Nam præter ſtatos ab Eccleſia per annum eſuriales dies, tres ſingulis hebdomadis jejunio tranſigebat; integrum Chriſti Domini adventum; a die etiam divo Joanni Baptiſtæ ſacro, uſque ad Virginis aſſumptæ ferias; huic ſubinde Angelorum (ut appellant) quadrageſimam adjungebat, divi Michaelis feſto claudendam. Et quaſi per hæc indulgentius ſecum ageretur, diebus Veneris & Saturni per annum in Deiparæ & Apoſtolorum honorem, ſolo pane & aqua vires utcumque reficiebat. Longius hac in re progrederetur, niſi progreſſuræ aureum mediocritatis frænum Dionyſius injiceret: norat prudentiſſima Regina inter opiparas ac ſaliares menſas vermes ſcaturire, & mollibus ſericis veſtibus vitia libentius cubare. Illud ejus abſtinentiam non leviter commendat: Alanquerii ob perditam valetudinem medici Reginæ præſcripſerunt, morbo id poſtulante, ut vini modicum deguſtaret: illa tum quod unice abſtemia, tum quod ob valetudinem ſupervacaneum reputaret, renuit (in more enim poſitum Luſitaniæ Regibus nedum Reginis a vino eſſe penitus alienos) mirum ſane: priſtina Canæ Galilææ metamorphoſi renovata, bis clientæ urceolum frigidæ attulerunt, bis divinitus in generoſum vinum frigida verſa eſt.

Qualis ejus in regia majeſtate converſatio. Aſſiduitas in precibus divinis.

Epheſ. 5. 16.

Ejus abſtinentia

XV. In levanda pauperum miſeria, quos vel durior egeſtas oppreſſerat, vel atrocior afflixerat morbus, aut immitis fortuna jactaverat, adeo frequens extitit & munifica, ut crebræ largitiones opes excedere viderentur; nullus Reginæ liberalitatem non ſentiebat; hoc enim eleemoſynarum diſpenſatori edixerat. Non pauci ſub ſpecie egeſtatis illam adibant; non tam ob lucrum, quam ut ejus conſpectu ſtipem pia munificentia largientis recrearentur. Peregrinos præſertim exteros, non ſolum hoſpitio perhumaniter excipiebat, ſed novis indutos veſtibus viati-

Erga pauperes liberalitas.

co juvabat. Omnibus tam virorum, quam fœminarum cœnobiis, juxta illorum copiam, vel inopiam, annonam dividebat. Nec intra Regni limites regia liberalitas circumſcribebatur; fines prætergreſſa, externos bene merendo ſui memores faciebat. Nobilibus præcipue prudenter invigilabat, qui reflante fortuna, ex magnis opibus in miſeriarum anguſtias exciderant. Facta certior plurimas eſſe in Regno honeſtas fœminas, vulgique non paucas inopia laborantes, ob idque fortaſſe non procul a Charybdi, multam illis veſtem per fide dignos diſtribuit, multaſque honeſtis nuptiis collocavit. Et quamvis omni tempore, eſurialibus tamen feriis ejus pia liberalitas triumphabat. Illam ſacroſancta hebdomada videres vili amictam veſte, ſolemnibus Eccleſiæ ſacrificiis ac

Pauperum pedes lavat.

precationibus religioſe adeſſe. Quadrageſimæ diebus Veneris, tredecim egenis pedum ſordes obſequioſa abluebat, infixo plantis oſculo, noviſque operiebat indumentis. Id ipſum ex Chriſtiano ritu ſacri Jovis die totidem fœminis præſtabat.

XVI. Illud tunc accidit mirabile: alterum pedem quædam obtulerat lavandum, alterum verecunda abſcondebat enormi cancro exulceratum, putrique fœtore pene exeſum; pervicit Reginæ pietas, & fœtidum ulcus

Oſculo ulceratū curat pedem.

digitis leniter contrectans lavat, abſtergit, fovet, oſculatur, ſanitatique reſtituit: quod ægra ubi primum domum rediit, doloris expers admirabunda conſideravit. Scalabi feria ſexta majoris hebdomadæ ſolitum hoc miniſterium peregerat: ceteriſque abeuntibus, in aula unus remanſit debilis, alienæque opis indigus; offendit eum janitor, iraque effer-

Alium ſanat languidum.

veſcens: *Quid tu pergis*, ait, *tam gravi morbo nobis moleſtus eſſe?* & miniſtrante ſubito furore arma, baculo miſerum dedolavit. Factum monita Regina a domeſtica fœmina tulit permoleſte: adduci coram ſe jubet, ſuis ipſa manibus icto adhibet medicamenta, & peculiarem illius curam deinceps haberi imperat: qui tamen die poſtero Eliſabethæ ob recuperatam valetudinem gratias ſanus retulit. Quam grata Deo fuerit hæc in egenos benignitas, gratioſum miraculum declaravit, vel a pueris alpha-

Pecunias in roſas convertit.

beticis in Luſitaniæ ſolitum invicem referri. Magnam aliquando pecuniæ copiam pauperibus dividendam, collecto veſtis ſinu, Ipſa gerebat. Accurrit Dionyſius Rex, quid rei, ſciſcitatur? Roſas, inquit Eliſabetha; roſæque explicato ſinu, per hyemem alienis menſibus pulcherrimo colore divinitus efformatæ, apparuerunt: ob cujus memoriam roſas ſinu explicans ſolita depingi, & in Cœnobio divæ Claræ ex portis quædam a roſis nomen habet, ob crebras illic factas egenis largitiones. Similem

Tom. 2. an. 1235. n. 13.
Tom. 3. an. 1252. n. 7.

metamorphoſim divinam retulimus factam meritis ſanctæ Eliſabethæ Hungariæ, Roſæ Viterbienſis, & aliarum.

Marian. cit. Chron. antiq.

Conſtantia regina amplius diligit S. Franciſcū ex patrato miraculo.

XVII. Hujus Eliſabethæ genitrix Conſtantia Aragonum Regina, Friderici Imperatoris neptis, & Manfredi Siculorum Regis filia ſumme Minoribus addicta, majorem erga eos concepit affectum ex illuſtri miraculo hoc anno a ſancto Franciſco patrato. In civitate Valentiæ, quæ Aragonii erat dominii, mulier viro orbata, valde languebat ex puerperio, neque per integrum annum melius habebat: apparens ei ſanctus Franciſcus, juſſit ut in Ilerdenſi Minorum Templo excubias ageret, & ſe Deo commendaret. Fecit illa protinus illuc vehi, & quinta vigiliarum nocte, dum Fratres in choro nocturnas pſallerent preces, atque illa profundiori ſterteret ſomno, a ſancto Franciſco excitata, audivit ſibi dicentem: *ſurge & gratias redde Deo, quia dimiſſa es ab infirmitate tua*. Repentino attonita beneficio, atque exclamante, Fratres accurre-

rerunt, & ſalvam invenerunt præ gaudio exilientem. Miraculum hoc longe, lateque publicatum, & mulier deducta ad Reginam, dum rem narrat, majorem imprimit Franciſci reverentiam.

Aliam languentem ſanant SS. Franciſcus & Antonius.

XVIII. Girundæ in Catalonia, tunc temporis contractis membris dolebat adoleſcentula, quæ dum dolores evadere, & a tædio diuturni, & quotidiani obſequii matrem liberare ſummopere cupierat, rogavit ſanctum Franciſcum, cujus crebra tunc narrabantur miracula, ut ſanam efficeret. Apparuernnt ei ſancti Patres Franciſcus Aſſiſias, & Antonius Patavinus, & ab omni liberarunt infirmitate. Convolarunt multi, ut incolumem viderent, quam prius contractam cognoverunt, atque inter hos Epiſcopus, qui rem diligenter examinavit. Multis demum annis ſupervixit, & filios genuit, quorum primum Ordini Minorum conſecravit.

Virtus aquæ benedictæ.

XIX. Pariſiis pro pio Sodalitii more, frater adoleſcens cellas omnium Conſodalium aqua benedicta aſperſit, una ex incuria prætermiſſa. Sub hora Matutini vidit pius vir dæmunculum arcu extenſo hinc inde diſcurrentem, ut in quem ſagittam emitteret, inveniret. Accurrit alter dæmon major, interrogavitque, ut quid non feriebat? Reſpondit ille ſe non poſſe, dum Fratres omnes aqua benedicta erant præmuniti. Invenerunt tamdem illum, quem aſpergens præteriit, cui projecta in ejus lectum ſagitta multas & turpes immiſerunt illuſiones, & fœde polluerunt; ſicut huic ipſi Fratri qui vidit, faſſus eſt; ille autem docuit ut luſtrali ſe aqua, dum iret cubitum intingeret, & illa verba proferret: *A ſagitta volante, & a negotio perambulante in tenebris libera me Domine.*

Quædam cōmiſſa Minoribus.

XX. Magna exorta erat inter Academicos, & Cives Bononienſes controverſia, contendentibus illis, ut hi ſua privilegia vellent indemnia. Periculum imminebat de transferenda Academia, quod ſtudioſi ſe facturos quotidie minabantur. Scripſit itaque Pontifex ad Priorem Prædicatorum, & Guardianum Minorum Bononienſes, ut diſcordias prudenter ſedarent: *Nuper ad noſtrum*. III. Idus Septembris. Miſit etiam fratrem Monaldum de Anatolia Minoritam in Luſitaniam, ut rationem exigeret a collectoribus decimarum pro Terra ſancta, data plena inſtructione quid in re hac foret agendum: *Illa te credimus*. III. Idus Novembris.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI

Frater Euſthatius Epiſcop. Ebroicenſis.

Frat. Alexander fugiens Epiſcopatum fit Minorita.

„ Erat hoc anno (teſte auctore Galliæ Chriſtianæ) Epiſcopus Ebroi-
„ cenſis in Normannia ſub Archiepiſcopo Rothomagenſi frater Euſtha-
„ tius, de quo nihil amplius enarrat. Canonici Eccleſiæ Aprutinæ, ſeu
„ Theramenſis in Regno Neapolitano hoc anno elegerunt in ſuum Epi-
„ ſcopum Alexandrum de Verulis Canonicum Eccleſiæ ſancti Eraſmi,
„ qui dignitatem hanc ut fugeret, factus eſt Minorita.

Conventus Senonenſis.

Gonzag. in Prov Franc. Con. 1.

XXI. In vetuſtiſſima Galliarum civitate Senonenſi extructum ante hunc annum extra, ſed prope fores quas communes vocant, Conventum Minorum, conſtat ex litteris Philippi Regis ibi aſſervatis. Tranſlatus eſt propter metum Anglorum, bella minantium, ad ſecuriorem locum intra urbis mœnia ſub anno MCCCLX. Conſtructum novum ædificium liberalitate generoſi viri Joannis de Diciaco Civis Senonenſis, ejuſque conjugis. Eccleſiam ſancto Joanni Baptiſtæ ſacram, ſacellis & picturis elegantem conſecravit anno MDLXXIX. frater Chriſtophorus a Capitefontium Archiepiſcopus Cæſarienſis, Nicolai de Pelue Cardinalis & Archiepiſcopi Senonenſis ſuffraganei, prius Ordinis Minorum Miniſtri generalis. Vixit hic multis annis frater Simon Fontanus vir doctus

& pius,

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Joannes de Medina Epiſcopus Sunen.

Fr. Joann. Vincentius.

Fr. Jacobus de Almante.

& pius, acerrimus contra Lutheranos prædicator, & ſcriptor. „ Jacent
„ ſepulti in Eccleſia frater Joannes de Medina Epiſcopus Sunenſis Ordi-
„ nis Minorum, hujus Conventus Alumni, Archiepiſcopi Senonenſis,
„ Triſtandi de Salazar Suffraganeus. Obiit anno MDXXIV. die VI. Ja-
„ nuarii. Frater Joannes Vincentius Linguæ Græcæ & Hebraicæ peritiſſi-
„ mus, hæreticorum profligator acerrimus, Romam vocatus ad refor-
„ mationem Kalendarii, & decem dierum reciſionem; obiit anno
„ MDXCIII. die I. Januarii. Conſpicitur in eodem Templo lapis ſepul-
„ cralis tumuli R. P. Jacobi de Almante, qui in primæva æde deceſſit
„ anno MCCLXII. III. Nonas Novembris magna opinione virtutis, & ſan-
„ cti Franciſci diſcipulatus. In tranſmigratione Fratrum, lapis etiam
„ tranſportatus eſt, cui hoc nomen inciſum: *Frater Stephanus Fidelis*.
„ Ejus tumulus in medio chori hæc præfert encomia.

„ *Hic jacet arte Plato, Cato vita, Tullius ore.*
„ *Corpus alit vermes, ſpiritus aſtra colit.*

Conv. Engoliſmenſ.

Idem in Provin. Turon. Con. 28.

XXII. Cœpit hoc anno pro Minoribus ædificari Monaſterium intra muros Engoliſmæ, urbis Aquitanicæ prope Carentonam fluvium in montis cacumine ſitæ, vivente Hugone a Leſigniaco Comite tunc Engoliſmenſi. Primus Conventus fuit hic Cuſtodiæ Xantonicæ ſub Provincia Turoniæ, quæ coaleſcebat olim ex aliis ſeptem Minoritarum, atque uno Clariſſarum. Sancto Clementi ſacrum auxit Guido Comes a Rupeſucaldi, Gallice *la Rochefocault*, (ob inde præcipuus dictus fundator) propter beneficium a ſancto Franciſco acceptum, dato ſibi hærede, quo per aliquot annos carebat, quem ſi acciperet, antea voverat eum, reliquoſque ſucceſſores, familiæ capita, a ſancti Franciſci nomine vocandos. Moriens ſe curavit ſepeliri prope altare majus, quod eo tunc loci erat, quo nunc Eccleſiæ valvæ, mutata & amplificata ante annum MCCCXXVIII. Eccleſiæ forma per Beatricem de Britannia Engoliſmæ Comitiſſam, ſancto Franciſco addictiſſimam. Toto decennio rexit hanc ædem Jacobus Magnelotus vir prudens & doctus, Cuſtos alias Xantonenſis, qui obdormivit in Domino anno MDLVII. menſe Septembri, cujus cineres & oſſa poſtea exhumata inhumaniſſime tractarunt hæretici. Hunc aliquandiu poſt ſequutus eſt in præfectura Cuſtodiæ & Conventus Michael Grelet, ab hæreticis anno MDLXVIII. ad furcas actus. Hunc præceſſit frater Joannes Thenaudi Doctor Theologus; poſtea ex diſpenſatione Apoſtolica Mellinenſis apud Cenomanos Abbas. Paſſi ſunt etiam ibidem frater Petrus Boneau prædicator, Joannes Virolault, & Joannes Aprilis Lectores, quorum martyria ſuo tempore largius referemus.

Conv. Dundalci.

Monn. MS. Prov. Hibern.

XXIII. Ex Comitiis Provincialibus celebratis in Conventu Minorum oppidi Dundalci vulgo *Sradbhaile laoiſe* Provinciæ Hiberniæ, diœceſis Armachanæ, & comitatu de Luth, in quibus electus eſt in Miniſtrum Provincialem quidam frater Matthæus, conſtat antiquius fuiſſe ipſum Monaſterium. Diruto tamen ab hæreticis, & ſublatis monumentis, non eſt reliquum, unde perquiri liceat ejus origo. Scoti-Hiberni deprædandi aviditate incenſo ipſo oppido, Conventum ſpoliarunt libris, univerſaque ſupellectile, & multos ex Fratribus trucidarunt anno MCCCXV. Oppidanus quidam nomine Jacobus Brandonus nunc poſſidet locum, habita etiam Fratrum & ſyndici Apoſtolici licentia, ſub æquis & piis quibuſdam conditionibus. „ In regiſtro Innocentii IV. anno IV. Pontifi-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ catus Epiſtola CLI. inveni nuper hujus Conventus mentionem, quare in-

„ inter antiquiores Provinciæ domos recenſendus eſt; quippe ante „ annum MCCXLVI. extructus.

XXIV. Creſcente quotidie beati Franciſci Fabrianenſis, de quo nos alias, opinione & reverentia, oppidani inito conſilio, & rem promovente Domino Mazzocchio nobili Piſano, tunc oppidi Poteſtate, ſtatuerunt jam ſecundo transferre ædem Minorum in capaciorem & commodiorem locum juxta forum & palatium publicum, ſeu urbis Curiam, & ex publico ærario ſolverunt hoc anno die XXII. Maii Turſello quondam Bonaccurſi de Rembaldo filio „ mille quinquaginta libras, uti in „ ipſo venditionis inſtrumento mihi Fabriano miſſo conſpexi. „ Vetuſtæ monetæ Ravennatis pro quadam domo, turre, & horto contiguis; remittente eodem Turſello pro ſancti Franciſci, ac Fratrum ejuſdem, inquit, amore, alias mille liras, ad quas pretium aſcendiſſe æſtimabatur. Poſſeſſionem accepit Jacobus Bartoli Syndicus Fratrum, teſtibus rogatis Alberghetto, Morico, Zelino, Vagnino, Chiavelli, cum aliis plerisque, Notario Ser Todino Tiati. Dominica proxima ſequenti numeroſa inſtituta proceſſione ad illas ædes deducti ſunt Fratres, ſolemnibuſque ſacris in contiguo ſacello decantatis, prædicavit circumſtanti populo beatus Franciſcus, gratiaſque reddidit pro tanto beneficio. Completum eſt tamdem ædificium vigeſimo poſt anno, videlicet MCCXCII. ut dictum eſt ſuperius, quo loco corrigendus error chronologiæ, qui vitio Typographiæ illic irrepſit circa translationem primam: nam pro anno MCCLXVII. omiſſo verbo, *Sexageſimo*, excuſus eſt numerus MCCVII. Adjunctæ primis ædibus infra ſpatium illorum viginti annorum aliæ viginti quinque emptæ ex variis piorum eleemoſynis, contribuente Communitate oppidanorum quotannis certam ſummam in fabrica, & Fratrum veſtitu expendendam. Mazzocchius vero ſupradictus expleto ſuo regimine, in patriam rediit, ubi ſancti Franciſci habitum ſuſcepit, & ſanctiſſime vitæ reliquum exegit. Refert Andreas Eborenſis, eum adeo carnis paſſiones depoſuiſſe, ut filii ſui trucidatori ſtatim ignoverit, & in publica platea in remiſſionis ſignum oſculum infixerit. Prædicti vero Cœnobii Eccleſia aliquot poſt annis inchoata eſt, cujus lapidem angularem benedixit Rambortus Epiſcopus Camerini, dum Fabriani incolas ſibi ſubjectos viſitaret. Frequentatur ab univerſo populo Eccleſia, & ſepulcra, atque ſacella habet quorumdam virorum illuſtrium; illud quod S. Marthæ ſacrum eſt, conſtruxit familia Chiavellorum, aliud S. Joannis Baptiſtæ fieri curavit Cardinalis Gentilis de Monteflorum ex Minoribus aſſumptus. Donavit Calixtus III. huic Monaſterio ſpatioſum & amplum ædificium, atque inſigne deambulatorium Eccleſiæ vicinum, quod Nicol. V. Fabriani aliquanto tempore hærens conſtruere cœpit ad urbis ſplendorem an. MCCCCXLIX. Donationis executor an. MCCCCLVII. menſis Maii XII. fuit Cardinalis Rodericus Borgia in Marchia Legatus, nepos Calixti, poſt Alexander VI.

Tom. 4. an. 1267. n. 4.
Ex vita B. Franciſci Fabrian. c. 11.
Transfertur ſecundo Conventus Fabrianenſis.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Tom. 1. an. 1215. n. 19.
Mendum ab Auctore indicatum jam fuit laudato loco in hac editione correctum.

XXV. Circa hunc annum fundatum Monaſterium Clariſſarum civitatis Iſerniæ, de qua nos alias, conſtat ex monumentis ejuſdem ædis, inter quæ habetur inſtrumentum donationis cujuſdam factæ a Philippo de Neuſtaſio, cujus tamen partem ſibi deberi allegabat Robertus Epiſcopus. Ceſſit tamdem ſuo qualicumque juri per ſcripturam publicam anno MCCLXXXVII. die IX. Aprilis, in qua dicitur Monaſterium hoc noviter exſtructum. Adfuit teſtis rogatus Andreas de Iſernia Juris Civilis, ut illic ſcribitur, profeſſor & fiſcalis patronus; cujus docta circumferuntur opera, & ortu illuſtratam Iſerniam ſcribit Leander Albertus, ſummum vocans Juriſconſultum.

Tom. 4. an. 1267. n. 19.
Monu. MS. Iſer.
Monaſt. Iſernien.

Leand. in regione Samnitum.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litter. Apoſt.
Indicul.
Ex Vatic.

,, I. HOc anno ſummus Pontifex Archiepiſcopo Bracarenſi facul-
,, tatem teſtandi fecit: *Quia præſentis &c.* Idibus Januarii:
,, Guardiano Bononienſi executorialem expedivit: *Nuper ad noſtrum &c.*
,, III. Idus Septembris: & Inquiſitoribus florentinis ſcripſit circa hære-
,, ticos: *Ex parte dilectorum &c.* x. Kal. Decembris.

Comitia gener. Arg.
Caſim. cit. ſupra n. 11.
Dionyſius Rex ducit ſanctam Eliſab.
* *Error in computo.*
Biern. Juſt. in hiſt.
Mena. hiſ. lib. 1. fol. 116. & 117.
Vide infra ad ann. 1316.
Thom. III. de Sabaud. legat pro Minoribus.
Guicen. in hiſt. Sab. To. 1. f. 100.

,, II. Interea generalia Comitia Argentinæ celebrat Bonagratia
,, Primicerius Ordinis, in quibus Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ in Mi-
,, niſtrum datus fuit frater Ceslaus, qui eodem anno poſtea provincia-
,, lem cœtum congregavit Glacii in feſto Nativitatis beatiſſimæ Virginis
,, Mariæ. Sed hoc eodem anno, quod referre non tædet, Dionyſius,
,, Alphonſi III. & Beatricis Guſmaniæ ejus ſecundæ uxoris, Portugalliæ
,, Regum filius, natus Ulyſſipone anno MCCLXI. die IX. Octobris, cum
,, eſſet ætatis annorum * ſexdecim cum dimidio, die XXIV. Julii in Eccle-
,, ſia ſancti Bartholomæi loci de Trancoſio duxit Eliſabetham Petri III.
,, Aragoniæ, & Conſtantiæ Manfredi Neapolis, & Siciliæ Regum filiam,
,, quæ in Divorum numerum poſtea ab Urbano VIII. anno MDCXXV.
,, relata, Tertii Ordinis Seraphici ſanctimoniam egregie illuſtravit.
,, Sed nec Thomæ III. de Sabaudia, Comitis Mauritaniæ, & Pedemon-
,, tis Principis egregiam pietatem, & in Ordinem Minoriticum ſingula-
,, rem devotionem reticebo, qui morti proximus eam liberaliſſime pu-
,, blicavit: Hic Thomæ II. & Beatricis Fliſcæ digniſſimus filius in prio-
,, ratu ſancti Geneſii Auguſtæ Prætoriæ, in ſuis tabulis ſepremis hujus
,, anni MCCLXXXII. indictione x. die Jovis. XIV. Maii confectis, in-
,, ter alia plura ſuæ munificentiæ, legavit ſub his verbis, ut ſequitur:
,, *Item lego pro anima mea, & uno anniverſario celebrando ſingulis annis in*
,, *Eccleſia Fratrum Minorum Chamberiaci, ad opus & auxilium unius Ca-*
,, *pellæ ibi conſtruendæ centum libras viennenſes annuatim: & per hæredes*
,, *meos dari volo centum ſolidos viennenſes annuatim Fratribus Minoribus*
,, *ejuſdem loci: & inſuper eidem Capellæ dari volo unum calicem de argen-*
,, *to, & pro uno Altari decentia ornamenta: Item volo & jubeo, quod*
,, *frater Petrus de Lauſanna Lector Fratrum Minorum Chamberiaci de bo-*
,, *nis meis eleemosynas faciat, & diſponat pauperibus Eccleſiis, prout ſibi*
,, *dixi, & animæ meæ videbitur expedire: & ad hoc ipſum fratrem Petrum*
,, *executorem meum facio & relinquo.* Ex his Lector poteſt arguere
,, quantæ benevolentiæ fuerit in Fratres Minores, & quam in ipſis con-
,, fideret. Inter alios teſtamentarios teſtes, iis tabulis ſubſcriptis, le-
,, guntur frater Petrus Lector Fratrum Minorum Chamberiaci, & frater
,, Petrus de Tarantaſia de Conventu illius loci.

Bajona admittit Minor.
Wadd. ad ann. 1350. n. 18.
Monaſter. Clar. ibi antiquum.

,, III. Bajona, alias Aquæſextiæ nuncupata, urbs Aquitaniæ muni-
,, tiſſima ad mare occiduum in ſinu aquitanico, ſub latitudine grad. 43. 30.
,, longitudine vero a Canariis grad. 18. 12. quam fluvius *Adur*, Fratres
,, Minores admiſit, ut Waddingus ex Gonzaga refert; ſed quo tempo-
,, re ab eis non refertur, nam & ipſi nonnullis tantum conjecturis moti,
,, in annum MCCCL. Cœnobii Fratrum memoriam retulerunt: longe ve-
,, ro ante Bajonæ domum regularem noſtros habuiſſe dignoſcitur, ſi
,, Bertrandus, ſive Strabo de Bajona, vir ſuo ævo nominatiſſimus ex
,, ejuſdem Civitatis Minorum Cœnobio prodierit; Sed hoc idem con-
,, vincitur ex noviſſimis relationibus Provinciæ Aquitaniæ antiquioris,

a qui-

„ a quibus præter Minoritas, etiam & Clariſſas eam Urbem amplexam „ fuiſſe, eiſque Monaſterium conſtruxiſſe cognovimus: quod a Waddin- „ go babere non licuit: ex quodam etenim teſtamento eujuſdam Sacer- „ dotis hoc anno MCCLXXXII. confecto habemus de Virginibus Mene- „ duariis illa in Urbe degentibus, quo nomine, lingua Vaſconica, „ Minoriſſæ intelliguntur: eæ vero erant ab initio quædam piæ Virgi- „ nes, vel mulieres in ſocietate quadam viventes prope ab ædibus Pa- „ trum Franciſcanorum, a quibus cum regerentur, nomen quoque ſorti- „ titæ fuerant: certis autem legibus vel regulis, aut votis adſtrictæ „ non erant, ut præcitatæ relationes enarrant: quamobrem ſimplicium „ Tertiariarum, ſive pœnitentium ritu vivebant: proceſſu vero tempo- „ ris clauſuram admittentes, Regulam quoque D. Claræ voverunt, un- „ de earum ædes in publicum & regulare Monaſterium, in quo etiam- „ num religioſiſſime vivunt, evaſere; Ex his ergo colligitur, etiam Fra- „ tres noſtros ante hæc tempora Bajonæ Cœnobium habuiſſe.

Chr. noviſ. Prov. Aqu. ant. in eo Monaſter.

Prim. Ter. inde Clar. vitam prof.

ARGUMENTUM.

Animadvertitur in doctrinam Petri Joannis Olivi. Moritur beata Agnes Boemiæ Regis filia Clariſſa, necnon Agnes altera Salamantina. Multa referuntur pietatis monumenta, & extruuntur aliqua Minorum domicilia.

I. DUM ex Comitiis Argentinenſibus Bonagratia Miniſter Generalis in Galliam veniret, juxta decretum in eiſdem circa doctrinam Petri Joannis Olivi, uti ſuperius narravimus, præcepit ut omnia ejus ſcripta quibuſcumque tradita, ad ſe perferrentur. Collecta omnia ſubjecit Pariſiis examini Fratrum Draconis Franciæ Miniſtri, Joannis Garau, Simonis de Lenſio, Arlotti de Prato provinciæ Tuſciæ, ſacræ Theologiæ Magiſtrorum, necnon Richardi de Mediavilla, Ægidii de Beſſa, & Joannis de Muro provinciæ Marchiæ Pariſienſium Baccalaureorum. Illi, cunctis mature perpenſis, propoſitiones quaſdam tamquam periculoſas, alias tamquam male ſonantes concorditer reprobarunt; cenſuramque a ſe latam ſigillis ſeptem munierunt. Scriptura hac (quæ litteræ ſeptem ſigillorum vocabatur a Fratribus) accepta, perrexit Primicerius Avenionem, ubi plures habebat auctor ſequaces, eos ab erroribus, ſi quos ex ſcriptis hauſerant, revocaturus. Dum his intenderet, ſupervenit Petrus Joannes, nulla petita aut obtenta Miniſtri Generalis, aut Provincialis licentia, ut e remoto loco in quo habitabat, Avenionem veniret. Commotus Miniſter ad ejus inopinatum adventum, voluit redarguere ſevere ejus præſumptionem, convocavitque ad Capitulum Fratres omnes, ipſo Petro Joanne ita expetente, in quorum conſpectu, habita venia Bonagratiæ, ita peroravit, aſſumpto themate: *Spiritu oris ſui interficiet impium*, ut omnes obſtupuerint, neque ullus auſus ſit ei contradicere, illo partim excuſante ſuos errores propter humani ingenii imbecillitatem, partim adverſariorum conatus explicante, & ardorem in ſe perſequendo demonſtrante. Placatus tamdem ei Generalis culpam remiſit, atque ut cautius in poſterum ſcriberet, admonuit; quæ vero eouſque minus ſane ſcripſerat, humiliter revocaret. Dum ulterius in his procederet infirmatus lethaliter, commendavit ſocio fratri

Anno 1282. n. 2. Marian. lib. 3. cap. 6. Rodul. fol. 184

Examinatur doctrina Petri Joan. Olivi.

Iſa. 11. 4.

Ægrotat Miniſter Generalis ad mortem.

Gerardo de Prato, ut juxta ſanctionem Argentinenſem ſerius in his ageret, & Petrus Joannes ad palinodiam a Magiſtris Pariſienſibus condemnatorum compelleretur. Attendentibus vero Fratribus ad rerum eventus, & expectantibus quid de Miniſtro fieret, non proceſſerunt ultra, donec poſt aliquot menſes expirante anno ſequenti, uti tunc dicemus, cauſam hanc reaſſumpſerunt. Facile, uti erat vir humilis, Petrus Joannes conſenſit in Patrum voluntatem, atque ad eorumdem perſuaſionem cecinit hanc palinodiam: *Ego frater Petrus Joannes conſentio in verba Magiſtrorum noſtrorum, quæ continentur in litteris ſigillorum ſeptem, qui Patres ad præceptum venerabilis Patris fratris Bonagratiæ tunc Generalis Miniſtri requiſiti per obedientiam reſponderunt: & credo ipſos habuiſſe ſanum intellectum, & ſecundum ſanum ſenſum, quem credo illos habuiſſe in verbis illis, ea accepto, & recipio, & quidquid illis contrarium dixi, vel ſcripſi, vel docui, revoco omnino.* Subſtitit hic pro illo tempore illa controverſia, ſed iterum revixit, quod ſuo narrabimus loco.

Moritur beata Agnes Boema.

Georgius Bartholi.

Pontanus in Boemia pia. lib. 4.

Impenſe coluit paupertatem.

II. Obiit hoc anno die VI. menſis Martii, eadem hora, qua Chriſtus expiravit, beata Agnes Boema, Regia Virgo Clariſſa, de qua nos ſæpius ſub annis ſuperioribus. Impenſum ejus ſtudium colendæ paupertatis alias commendavimus, de qua ita ſcribit auctor Boemiæ piæ: *Cum moneretur a Cardinale Joanne Legato Gregorii X. ut ſibi de propriis quid ſervaret pro neceſſitatibus contingentibus, reſpondit, ſe omnia reliquiſſe ſeculo, tamen Eccleſiis unam partem, alteram Sororibus, tertiam donavit infirmis. Indigenti pro Sororibus quadam feria ſexta panem Deus mirabiliter ſubminiſtravit, ſicut & alia vice fundulos, alias ipſa multum jejunio, & carnis macerationi dedita, flagelliſque, item indumentis aſperioribus, & precibus frequentioribus, quam ſolebant Sorores. Filiam fratris Regis a morte precibus ſuis revocavit, quæ tamen tædio vitæ mundanæ paulatim rediit, unde vocata fuit. Hinc paſſionem Chriſti mire meditata & venerata eſt, & communionem ſacram ſeorſim accepit, viſitavit infirmas Sorores, neceſſaria ſubminiſtravit. Primislao contra Rodulphum Cæſarem obtinuit precibus victoriam. Vidit & divinitus Angelos, & thuris flammam circum Brigittam ſanctæ Claræ Ordinis, cum vellet emori, & in Chriſto dormire.*

Dubia quæ occurrunt in prætexta narratione.

III. Quis ille Joannes Cardinalis Grægorii X. Legatus, de quo hic ſcribit auctor, prorſus neſcierim: licet enim tres fuerint ſub illo Pontifice hujus nominis Cardinales Joannes Franciogia de Abbatisvilla Burgundus Ordinis Ciſtercienſis, qui in Concilio Lugdunenſi obiit, & Joannes Caetanus Urſinus Romanus ab Innocentio IV. creati, atque Joannes Petrus Juliani Uliſſypponenſis ab ipſo Gregorio factus anno MCCLXXIII. tamen ex his neminem lego apud Boemos Legatione perfunctum. Quod item de victoria a Primislao Ottogaro contra Rodulphum Cæſarem obtenta narrat; inde mihi magis dubium eſt, quod præterquam alii Scriptores referant a Rodulpho victum, neque aliquando victorem, ipſe mihi auctor, recenſens ſeriem, & geſta Regum Boemorum, victoriam dicat miraculoſam de Bela Hungariæ Rege, non de Rodulpho Cæſare obtinuiſſe, imo ſubjungat Rodulphum, & Provincias multas, & vitam ei in bello eripuiſſe: *Belam*, inquit, *Hungariæ Regem ob violationem fœderis, & irruptionem expugnat, ubi ſexdecim millia hoſtium interfecta eſſe narrantur, paulo videlicet minor numerus, quam univerſus fuit Ottogari exercitus. Huic tam inſperatæ & inſigni victoriæ pro argumento miraculum adjicitur, tunc cum acerrime præliaretur, viſam*

Pontan. cit. lib. 2.

Vide Bonfin. dec. 2. lib. 8. an. 1260.

Æneam Silvium in hiſt. Boe. c. 17.

Dubravius lib. 16. & 17.

Aqui-

Aquilam nive candidiorem, quæ ſupra vexillum Divo Wenceslao conſecratum, in cujus nomine lætum Pæana Boemi cecinerunt (quale ad hoc tempus ante pugnam canere aſſolent) placide volitabat, ſenſimque per incrementa alas extendebat, donec totum Boemorum exercitum amplecteretur, quaſi illum protegens, ne ei ab hoſtibus male Chriſtianis noceri poſſet. Ipſe tamen Rex ſine ulla oſtentorum commemoratione, in Epiſtola, quam ad Urbanum Romanum Pontificem de hac victoria dedit, ſimpliciter vereque Deo Optimo Maximo acceptam illam retulit. Et quibuſdam interpoſitis: *Rodulphus*, inquit, *Regi Ottogaro propter inobedientiam multas Provincias detraxit, & in die ſancti Rufi per ſuos debellatores vitam*. Quare quod de obtenta ait victoria precibus Agnetis, referendum dixerim ad illam habitam de Bela Rege Hungariæ; niſi fortaſſis aliquo levi prælio fuderit prius Ottogarus Rodulphum, poſtea a Rodulpho victus & penitus deletus.

IV. Porro pientiſſima Agnes vitæ finem poſuit die ſupra numerato cum magna claritate, ſuaviſſimo odore, & omnium lacrymis, atque in templo Pragenſi beatæ Mariæ Virginis, in quo frequens orabat, ſepulta eſt, præclara circa infirmos, & mortuos exhibens miracula. Propter ejus famam per Germaniam divulgatam quamplurimæ Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum filiæ Monaſteriis, & ſanctæ Claræ Inſtituto ſe tradiderunt. Carolus IV. Romanorum Imperator, & Boemiæ Rex, propter ingens acceptum a ſanctiſſima fœmina beneficium, quippe quæ bis eum a mortis faucibus liberaverit, apud Romanum Pontificem agebat de eadem inter cœlites connumeranda, eamdemque curam moriens commendavit Winceslao filio, qui multis Regni curis ad alia diſtractus, rem ad exitum non potuit perducere. Eo tempore quo ſanctiſſima Virgo deceſſit, exorta eſt tanta penuria, & ſæva peſtilentia in Boemia, ut tertiam partem Boemorum penitus abſumpſerit.

Beata Agnes claret miraculis,

Marian. lib. 1. cap. 9.
Rodul. fol. 136.

V. Alia item Agnes hoc eodem anno obiit Salmanticæ in Hiſpania, idem Clariſſarum inſtitutum profeſſa, cujus pietatem, vel ex hoc ejus Epitaphio licet colligere: *Anno Domini* MCCLXXXIII. *menſe Julii in feſto ſanctorum Proceſſi, & Martiniani quædam religioſa fœmina nomine Agnes mortem perdidit, & vitam invenit. Hæc religioſa nobilis Agnes dicebatur, quæ Agnum Chriſtum in omnibus ſequebatur: Unde Agnes Agnum ſequitur, & in bonis operibus ejus filia invenitur. Fuit enim hæc religioſa in oratione fervida, in vigiliis ſedula, & in ſervitio devota, ab omnibus dilecta, & omnibus cara.*

Obiit beata Agnes Salamantina.

Gonza. in Prov. S. Jacobi mon. 1.

VI. Pretioſam eſſe in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus, demonſtrant obitus quorumdam piorum Fratrum Pariſienſium hujus temporis. Novitius Frater ad mortem languens factus eſt in extaſi, ſtatimque clamavit: *me miſerum ut quid natus ſum?* paulo poſt; *ſaltim juſte ponderate; adjungite quidquam meritorum Chriſti, & Dominicæ paſſionis*; tertio, *bene ſe habet*. Fratres qui aderant, dum languidulus in ſe rediit, interrogarunt, quid ſibi vellent illa verba prolata? Declaravit ille dicens: ſibi viſum ſe vocari ad judicium, atque in ſtatera appenſa bona opera & mala; hæc vero propter crebra verba otioſa, & inanes riſus illis præponderaſſe; *propterea*, inquit, *primum emiſi verbum*; *At recordatus valoris meritorum Chriſti rogavi, ut ex his quidquam meis qualibuſcumque adjungeretur operibus: deinde de his additis evici, & ſententiam reportavi favorabilem, atque hinc tertiæ vocis occaſio*. Tiro alius ibidem morti propinquus, accepta cœleſti viſione, conſpexit ingentem ſcalam, cœlorum ſummum attingentem, atque per hanc ſibi viſus aſcendere, re-

Marian. l. 3. cap. 4.
Chron. antiq.

Valor meritorũ Chriſti.

Infirmarii pietas remuneratur.

repulſus eſt ab ingreſſu, donec infirmarius, qui ei ſerviebat, vir pius & humilis, erga infirmos valde officioſus, introeuntem præiret. Ad ſe reverſus viſionem narravit lecto adſtanti, qui gratias agens Deo, ſtatim cœpit languere, & poſt paucos dies placide obdormivit in Domino, quem ſtatim ſequutus eſt adoleſcentulus.

Quam pium, & neceſſarium pro defunctis orare.

VII. In eodem Conventu deceſſit frater Angelicus, ita dictus ex Angelica converſatione. Debebant ſinguli ex conſtitutione Sodalitii, & præſertim illius Cœnobii ſua offerre ſuffragia pro refrigerio defuncti, ſed qui Presbyteri erant, ter oportebat pro eodem ſacrificare. Inter hos erat actu regens vir bonus, qui tantam conceperat de homine opinionem, ut ſuffragio nullo indigere exiſtimaret; & proinde neglexit ſacra offerre. At meditanti poſt paucos dies apparuit mortuus rogans, ut ſui miſereretur: *Quid*, inquit, *Froter cariſſime, eſt quo indigeas? Tuis*, reſpondit, *precibus & ſacrificiis; acerbas namque patior pœnas in purgatorio, a quibus jam liberarer, ſi tuæ illæ Miſſæ non defuiſſent; quare obnixius oraverim, ut quantocyus his ſacris me illis ſubtrahas tormentis. Itane*, ait Magiſter, *dure tecum actum, quem nos ob manifeſtam pietatem judicavimus eſſe in loco refrigerii & quietis? Ah! me miſerum*, dixit defunctus, *nemo mortalium intelligit, quam rigoroſum ſubeunt judicium, qui ex corporibus abeunt; ſtricte punit Deus errores, neque beatorum ſedes ulli licet ingredi, niſi pure defæcato, & perfecte purgato.* Præſtitit ſtatim Magiſter cum lacrymis, quod bona fide prius neglexit, neque pro defunctis offerre, quæ debebat, amplius omiſit.

Strictum Dei judicium.

Mundum relinquentes Deus remunerat.

Matth. 19. 19.

VIII. Per illud tempus Clericus ſecularis, relicto annuo cenſu opimo, Religionem hanc ingreſſus, paulo poſt morti propinquus, viſus eſt expiraſſe. Sed repente veluti a morte reſurgens, ut potuit ad pedes illius, cujus conſilio mundo valedixit, ſe proſtravit plurimas reddens gratias, quod ſibi cauſa fuerit ſalutis æternæ, quam ſe proxime conſecuturum dicebat, eoque plures gradus gloriæ, quo majora pro Chriſto in mundo reliquit, juxta illud Evangelicum: *Qui reliquerit domum, aut fratres, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*; neque ad aliud remiſſam in corpus animam, quæ vere jam erat ſeparata, quam ut hæc Fratribus innoteſcerent, & tanti beneficii auctori grates debitas exſolveret.

Quam acerba tormenta purgatorii.

IX. Alio loco languens ex fluxu ſanguinis alter ex Fratribus, attenuatis viribus, & creſcentibus doloribus, petivit animæ ſuæ ut moreretur. Apparens ei Angelus Domini dixit, propterea inflicta hæc mala, ut peccatis ſatisfieret; illi autem optionem dari, ut integro illo anno patiatur, vel per diem unum crucietur ignibus purgatoriis. Optavit ille hoc ſecundum, breve tempus potius conferens diuturno, quam tolerabiles pœnas rigidiſſimis tormentis. Monitus ab Angelo, ſacra quæque mortis præludia præmiſit, & paulo poſt expirans ad locum pœnarum deſcendit, inter quas dum per unam duntaxat horam cruciaretur, ex intolerabili acerbitate dolorum ultra annum ſe retentum in flammis querebatur. Cui cum fideliter aſtrueret Angelus, neque unam adhuc elapſam horam, atque adhuc in Monaſterio corpus jacere inſepultum, ſtatim rogavit, ut pactum reſcindi liceret, atque in corpore annum, imo & plures, ſi oporteret, in pœnis tranſigere, quam diem unum pati tormenta gehennæ. Exauditus eſt miſericorditer, & redeunte anima, ſubito erectum in pedes corpus, ſed ex tremente ſpiritu tremulum, narravitque, qui prius obierat, quos ab obitu brevi illo tempore paſſus eſt crucia-

cia-

ciſtus, optime ſecum agi teſtificans, ſi propter multorum annorum dolores minimos unius diei purgatorios liceat evadere.

Sacrificium miſſæ quam proſit defunctis.

X. Defuncto in die Jovis majoris hebdomadæ quodam Fratre, Monaſterii Præſes inter ſacra ſolemnia illius diei oravit cum lacrymis, ut virtute ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ illo die inſtitutæ, Chriſtus Dominus vellet miſereri conſodalis emortui, atque ejus animam ſimul cum reliquis Fratrum Minorum, quæ cruciabantur purgandæ, ex ſuperabundanti gratia in cœlum transferre. Ita ex divina miſeratione factum ſequenti die narravit vir pius, cui Frater defunctus apparuit, rogans eum ut Guardiano diceret, quod *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, ſed non omnes*. Cum ille objiceret ſe hæc non intelligere, ſpiritus reſpondit, ea ſufficere verba Guardiano, *qui ex præcedentis diei oratione a ſe facta intelliget*, inquit, *hæc a me verba prolata*.

Conv. Guingampien.

Gonzag. in Prov. Turon. Con. 20.

Beatus Carolus Bleſenſis.

XI. Guido II. filius Arthuri II. Britannorum Ducis, hoc anno conſtruxit Minoribus prope mœnia urbis Guingampienſis inferioris Britanniæ, in parochia & prioratu ſancti Salvatoris diœceſis Trecorenſis ampliſſimum domicilium. Requieſcunt ibi multi Britannorum Duces, inter quos Carolus Bleſenſis ob plura merita, vitæ ſanctimoniam, & auſteritatem colitur ut ſanctus, & relatus creditur in numerum Sanctorum ab Urbano VI. Id confirmat delegata commiſſio fratri Rodulpho Procuratori ejuſdem Conventus Guingampienſis, & Romam iter impetraturus ab Urbano V. præfati Ducis canonizationem. Ejuſdem etiam Urbani extat bulla data XVI. Kalend. Septembris Pontificatus anno VII. qua affirmat, ſe vehementer ſollicitatum a Proceribus cum ſecularibus tum Eccleſiaſticis, maxime vero a Carolo VI. Francorum Rege (quod item teſtantur litteræ ipſius commendatitæ prænominato Rodulpho conceſſæ) quatenus vellet præfatum Carolum Sanctis adſcribere. Commiſit etiam Urbanus Epiſcopo Bajocenſi, & Abbatibus majoris Monaſterii, juxta Turones, & ſancti Albini diœceſis Andegavenſis, ut de ejus vita, & miraculis Apoſtolica inquirerent auctoritate. Adjunxit his Gregorius XI. Urbani ſucceſſor Archiepiſcopum Rothomagenſem. Multi ſunt Scriptores, qui ſuis teſtimoniis confirmant opinionem de canonizato Carolo, nec tamen opinionem excedit; neque omnino conſtat, an ad ipſam Apotheoſim ſit perventum, quantumvis illa canonizationis præludia præmiſerint Pontifices. Alius tamen Brito vere canonizatus, ſanctus Ivo qui in hac Eccleſia ſuſcepit habitum tertii Ordinis, ut in actis canonizationis ejuſdem commemoratur aperte. Henricus Ducis Britanniæ filius ædem hanc multis exornavit reliquiis Sanctorum anno MCCCLXXXVIII. quas ea donavit conditione, ut nequaquam alienari poſſent abſque licentia Sereniſſ. Principis Mariæ, Hieruſalem & Siciliæ Reginæ ſuæ ſororis, Joannis Comitis de Ponteuurre fratris, & ſua vel hæredum ſuorum.

Vide Guagun. l. 9. Polyd. Verg. lib. 9. hiſtor. Angl. Æmilium in Philipp. VI. Belleforeſt. in Coſmograph.

Conv. Mirandæ.

Gonzag. in Prov. Aquitan. recent. Conv. 9.

XII. In Aquitania, & oppido Mirandæ alterum Cœnobium hoc anno ædificari curavit eiſdem Minoritis Bernardus Aſteriacenſium Comes, ſed anno MDLXXVII. hæretici curarunt illud comburi. Hujus loci incolæ fuerunt fratres Dominicus Beraldus, & Joannes Gozerius, quorum iſte dum in civitate Faverenſi quadrageſimali tempore, ille vero in urbe Tarraubia per Adventum, ſacras ad populum conciones haberent, martyrii palmam obtinuerunt. In oppido Gualdi Nuceriæ in Umbria prius habitabant Fratres in quodam Oratorio ſanctæ Mariæ de Miſericordia, eiſdem conceſſo a Domino Bartholomæo Priore Canonicæ Nuceriæ, cum aſſen-

Conv. Gualdi.

Rodul. fol. 254.

aſſenſu Domini Joannis Epiſcopi Nucerini, ſolvente tamen fratre Accurſio Guardiano Canonicis libras tercentum. Ait Rodulphus conceſſionem hanc hoc anno factam Indict. vi. die viii. menſis Auguſti; ſed addit tunc fuiſſe ſedem vacantem, quod me ſuſpicari facit errorem in numerorum notis irrepſiſſe. Rogatus Notarius Ser Philippus Colmarius. Theſeus Rodulphus civis Peruſinus reliquit collem Mintium prope oppidum cuidam fratri Joanni de partibus Galliæ, eoque vita functo, Fratribus ſancti Franciſci de Gualdo pro eorum uſu perpetuo & habitatione. Spectat ad Provinciam ſancti Franciſci, & Cuſtodiam Eugubinam Patrum Conventualium. „ Fertur, ſocios ſancti Franciſci obtinuiſſe primum

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Jacobill. de Sanctis Gualden.

„ eremitorium ſub anno MCCXIX. & invocatione ſanctorum Stephani, &
„ Laurentii, in quadam valle ad rupis radices, in eoque ſanctum Fran-
„ ciſcum aliquot diebus anno MCCXXIV. moram traxiſſe, translato por-
„ ro oppido Gualdi ad alium locum, translatus eſt & Conventus anno
„ MCCXLI. locum & ſitum concedente Oddone Equite Gualdenſi. Titu-
„ lum accepit Eccleſia ſancti Franciſci, in eoque jacet præter alios bea-
„ tus Majus Gualdenſis.

Monaſt. Alensbachenſe.

Chron. MS. Saxon.

Gonzag. in Prov. Argent. Monaſt. 6.

XIII. Hoc anno xv. Kalend. Auguſti procurante civium Senatu, & concedente Martino Pontifice, conceſſum fuit Clariſſis Monaſterium Alensbachæ, alias Halsbachæ (quæ civitas eſt ſuperioris Germaniæ prope Keyſerſperg) in quo ab origine ejuſdem habitaverunt Moniales Ordinis ſancti Benedicti, quarum levitate & prodigalitate, dum ab Ordinis regulæque ſuæ rigore declinaſſent, & bona Monaſterii ex integro dilapidaſſent, tamdem traditum eſt Sororibus ſanctæ Claræ, quæ antea in oppido Kunshaim juxta Eccleſiam parochialem aſſeruntur moram traxiſſe, prout inibi adhuc Ordinum tam Minorum, quam ſanctæ Claræ imagines parietibus depictæ teſtantur. Prima igitur die ingreſſus ad dictum Monaſterium XL. perſonæ nobiles & honeſtæ ſeculum relinquentes, Ordinem ſanctæ Claræ aſſumpſerunt, & in præſentia Dominorum Terræ, & Primatum utriuſque ſexus innumerabili multitudine, de circumadjacentibus civitatibus, oppidis, & villis, terriſque cum maxima ſolemnitate habitum Ordinis aſſumentes, Monaſterium intraverunt, in quo, & in ſancta Regula viventes, valde profecerunt. Tranſivit hoc Monaſterium a Patribus Conventualibus ad Obſervantes Provinciæ Argentinæ ſub Concilii Baſileenſis celebratione, ex Patrum ibidem congregatorum decreto ad ipſarum Sororum inſtantem petitionem. In Eccleſia jacet beatus Pater Joannes Contingerus prophetico ſpiritu afflatus, & miraculorum gloria inſignis, de quo beatus Joannes Capiſtranenſis pientiſſimo Jacobo Badenſium Marchioni ſe roganti, ut Badam concederet, hujuſmodi reddidit teſtimonium; haberet ſe excuſatum, quod gravioribus implicaretur negotiis, contentuſque eſſet præſentia Patris Joannis Contingeri, cum is ſe multo ſanctior eſſet, & religioſior.

B. Joan. Contingerus.

XIV. Commiſit hoc anno Pontifex Epiſcopo Tiburtino, & Guardiano Fratrum Minorum Conventus Aracœlitani reformationem quorumdam abuſuum, qui graſſabantur in Eccleſia ſanctæ Mariæ Rotundæ in Urbe: *Ad audientiam*. IV. Idus Aprilis; & Epiſcopo Caſtellano ſcripſit, ut defenderet Fratres Provinciæ ſancti Franciſci a quibuſdam moleſtatoribus, & privilegiorum ſuorum contradictoribus: *Inundans malitia*. x. Kal. Auguſti. Auctoritatem etiam dedit Miniſtris Generalibus, & Provincialibus Syndicos conſtituendi, qui nomine Eccleſiæ Fratribus legata reciperent, & in eorumdem uſum converterent: *Exultantes in*

in Domino. xv. Kalend. Februarii hujus anni, licet fuerit ſecundus Pontificius.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. Suis Apoſtolicis litteris Summus Pontifex Viterbienſes urge-
,, bat, ut fratrem Auguſtinum Inquiſitorem hæreticæ pravita-
,, tis adjuvarent: *Inter alias &c.* v. Kal. Martii: Guardiano de Urbe
,, executorialem remiſit: *Ad audientiam &c.* iv. Idus Aprilis: & fratri
,, Deoterlevi de Peruſio commiſſionem impoſuit: *Dudum in poteſtate &c.*
,, ſecundo nonas Februarii. Præter autem hæc pauca Pontificia, comme-
,, morabimus fratrem Ceslaum Miniſtrum Provinciæ Boemiæ, & Polo-
,, niæ ſecunda provincialia Comitia tenuiſſe Znoimæ in feſto Penteco-
,, ſtes: quo etiam tempore beata Agnes Boema Pragæ depoſito pondere
,, terræ, properavit in Cœlum, in Templo Pragenſi beatæ Mariæ Virgi-
,, nis die vi. Martii ſepulta, de qua Rodulphus, & ex eo Waddingus
,, ſcripſit. Hanc poſt quæ ſequebatur æmula Beatrix Fliſca, Thomæ II.
,, Sabaud. relicta filia Theodoſii Fliſci, Comitis Palatini, & Lavaniæ,
,, necnon neptis Innocentii IV. ſororque Adriani VI. Summorum Pon-
,, tificum, pietatis operibus maxime intenta, in Caſtro Baugeti commo-
,, rabatur, & avitam pietatem erga pauperes in pectore fovens, &
,, opere exercens, præſertim erga Minoritas Chamberiaci Monaſterii,
,, quibus magnifice liberalis dignoſcebatur, etiam memoranda venit.

Apoſtolicæ litteræ pro Inquiſit.
Indiculus ex Archiv. SS. Apoſt.
Ex Vatic.
Comitia capitularia.
Rodul. fol. 136.
Agnes Boema obit.
*Wad. ad hunc ann. n.*4.
Beatrix uxor Thomæ II. Sabaud. &c.
Guicen. Tom. 1. *cap.* 14. *in vita Thom. II.*

ARGUMENTUM.

Moritur frater Bonagratia Miniſter Generalis, cui ſubſtituitur frater Guillelmus de Falgario Vicarius. In Oriente patiuntur plurimi pro Chriſto Minoritæ, & in Lombardia alii duo. Refertur vita & mors beatæ Margaritæ Columnenſis. Obit Rogerius Baccon. Capitur Carolus Claudus pater ſancti Ludovici Epiſcopi Toloſatis. Sacramentorum virtus in quibuſdam Minoritis miraculoſe probatur. Varia conſtruuntur Monaſteria.

I. Obiit hoc anno, magna ſui opinione & deſiderio relictis, Ordinis Primicerius Bonagratia in urbe Avenionenſi, ubi ſuperiori anno diximus ægrotaſſe. In ejus obitu majorem Cœnobii campanam nullo trahente perſonuiſſe refertur ab antiquis noſtrarum rerum Scriptoribus, neque id omnino mirabile, quippe ſecundum nomen ſuum, ita & laudem obtinuiſſe optimi viri & Deo grati, iidem boni ſcribunt auctores. Nonnullis litigioſum viſum eſſe, ſcribit Rodulphus, quod quavis de cauſa lites moveret; at paucas in univerſo quinquennio vel ſexennio, quo Ordinem rexit, invenio hominis lites, præter illam unicam, quam dixi contra Petrum Joannem Olivi, ejuſque ſectatores. Ne vero Religio fluctuaret abſque rectore, factus eſt Ordinis Vicarius Generalis, uti alias diximus, frater Guillelmus de Falgario Toloſanus Provinciæ Aquitaniæ Miniſter, cujus prædeceſſor in Miniſteriatu fuit Vitalis de Podio vir celebris & pius, qui obiit ſub Generalatu fratris Bonagratiæ poſt celebrata Comitia provincialia in urbe Albienſi. Ad hujus

Obiit Miniſter generalis frater Bonagratia.
An. 1283. *n.* 1. *Chron.* 24. *Gener. Marian. lib.* 3. *cap.* 6.
Rodul. fol. 184.
Fr. Guillelmus de Falgario Vicarius generalis.
An. 1278. *n.* 31.

hujus Miniſtri Generalis tempus deduxit frater Bernardus de Beſſa ſuam, quam de rebus Ordinis Minorum contexuit, hiſtoriam.

In Aſiam & Armeniam amandati Fratres.

II. Miſerat frater Bonagratia plurimos Fratres ad partes Aquilonares, in Aſiam & Armeniam fidem Catholicam diſſeminaturos. Impigre fecerunt, & magno incremento Fidem, ſuumque Sodalitium dilatarunt; at non ubique eadem facilitate: nam multis in partibus afflicti, anguſtiati, in periculis ſemper, in carceribus ſæpius veſcebantur pane doloris, & aqua tribulationis, donec ipſam vitam pro Domino, cujus cauſam agebant, ſummo gaudio obtulerunt. Princeps quidam Tartarus, nomine Tangodomor germanus frater Abaghæ Regis Tartarorum in Aſia majori, ſeu in Tauriſio, quem ſuperius diximus, ſuos Nuncios miſiſſe ad Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. occiſo ante biennium fratre prædicto, rejecta fide Chriſtianorum, quam ſimul cum baptiſmo in juventute ſuſceperat, aſſumpto Chriſtiano nomine Nicolai; hoc anno dilatato dominio, ſimul cum nomine pietatem exuit, perfidiam amplexus Sarracenorum, & nomen Mahometi. Duobus quibus ſupervixit annis crudeliter perſecutus eſt Chriſtianos, præſertim eorumdem Magiſtros, Clericos & Religioſos, quos variis tormentis affecit. Ex Minoribus quidam frater Antonius glorioſum ſubiit martyrium in Salamaſtro Perſidis, qui ſuam prædixit mortem, & multis coruſcavit miraculis. Paſſi ſunt etiam in illis partibus frater Aldobrandinus de Ammonatis, ſeu de Infangatis Florentinus; quidam frater Conradus, & frater Voiſellus, necnon alii duo, unus ſenex & alter adoleſcens, quorum capita decoriarunt Sarraceni, varios addentes cruciatus. In Ormetia, juxta montes Caſpios, hoc eodem anno occubuerunt frater Conradus Saxo, & frater Stephanus Hungarus, dum contra adulteratos ritus Græcorum prædicarent, & ſchiſmaticorum ab unione & obedientia Romanæ Eccleſiæ receſſum condemnarent; nam cum publicis inſtitutis diſputationibus cauſam ſuam firmis rationibus tueri non valerent ſchiſmatici, gladio animadvertendum judicarunt in ſuæ perfidiæ hoſtes: erumpentes itaque ex inſidiis Fratres alio pergentes, ut die ſequenti feſtivo prædicarent, crudeliter adoriuntur, vulnerant & ferali modo diſcerpunt; quorum animas celerrimo volatu in Cœlum abiiſſe pia quædam fœmina in viſione conſpexit. Miſeratus tandem Dominus afflictionis populi ſui, & placatus Martyrum ſacrificio, Mahometum, ſeu Tangodomorum prædictum, permiſit poſt biennium occidi a nepote ſuo Argone, filio Regis Abaghæ Chami, Chriſtiano (ut quidam ſcribunt) & Chriſtianorum amico, qui ſtatim præcepit refici eorum Eccleſias a patruo deſtructas, & deſtrui Sarracenorum templa ab eodem conſtructa, necnon exulare Mahometanos ab univerſo ſuo dominio, qua ratione Chriſtianis factus eſt in pace locus iſte, ſeu univerſum Argonis dominium.

Mariam. cit. Sanut. de ſecret. crucis lib. 3. p. 13. cap. 8. Tom. 4. an. 1274. num. 6.

Plures Minoritæ martyrio afficiuntur. Fr. Antonius in Salamaſtro. Fr. Aldobrandinus, & alii.

Gonzag. in Prov. Saxon. S. Crucis. F. Conradus Saxo, & Fr. Stephanus Hungarus.

Occiſo patruo nepos regnat inter Tartaros Argo Chriſtianorum amicus.

Fr. Petrus, & Fr. Catalanus martyres. Rodul. fol. 126. & 287. Gonzag. 1. p. in Catal. Beatorum. Parama l. 1. tit. 1. c. 30.

III. Circa hoc tempus paſſi ſunt etiam in Lombardia in loco, qui Umbraida Guercii dicitur, frater Petrus de Arcanano cum ſocio fratre Catalano. Cauſam martyrii referunt Rodulphus, Gonzaga, & Ludovicus a Paramo, quod ſtrenue in tractu Mediolanenſi Inquiſitoris officium frater Petrus perageret, & hæreticos quoſque perpetuo inſectaretur ardore, in illorum incideret inſidias, nec tamen induci potuerit, ut eorum nomina ex libris inquiſitionis expungeret, ipſum ſimul cum ſocio crudeliter interfecerunt. Tranſlata ſunt illorum corpora Valentiam Viennenſem, non Hiſpanicam, ut aliqui ex errore ſcripſerunt. Pe-

Petrum Inquiſitorem fuiſſe Mediolani ab anno MCCLII. uſque ad aonum MCCLVIII. & ſanctum & ſtrenuum fuiſſe operarium ſcribit Paramus citatus.

IV. Penultimo hnjus anni die, III. Kalendas Januarias obiit nobiliſſima & ſanctiſſima virgo Romana Margarita Columnenſis, familiæ ioter Romanos illuſtriſſimæ, & primariæ generoſa propago. Parentibus orbata vixit ſub Fratrum diſciplina, Jacobi præſertim junioris, cujus pietas magna, & in ſororem ingens amoris affectus. Varia eraot Fratrum ſtudia circa vitæ ſtatum ſorori præfigendum, natu majnr, & qui eam domi teoebat, heroi onbili urbis Proconſuli eam tradere coojugem decrevit, neque quidquam jam defuit gravi & ſerio præmiſſo tractatui niſi puellæ voluntas, quam illa conſtantiſſime denegavit, dicens potiores ſe velle inire nuptias, cum ſponſo numquam morituro. Fratrum alter Jacobus nihil tam cupiebat, quam ſororem, virginem caſtam exhibere Chriſto. Quare e ſtudio Bononienſi regreſſus carnis delicias omnino fugiendas, caſtitatem vero ſummo ſtudio cooſervandam, qua potuit orationis efficacia monſtravit. Alto repoſuit corde ſalutaria frattis monita, & conſtanter reſtitit contrariis perſuaſionibus, minas & dura patienter ferens verba illorum, qui nuptias detrectaotem perſequebantur. Harum moleſtias, ut æquiori ferre poſſet animo, quotidie orabat: cui beata Virgo Maria dormienti in lucidiſſimo apparuit curru, dicens: *Exaudita eſt oratio tua: eſto conſtans, me ſemper babebis auxiliatricem.* Ad viſionem hanc totaliter immutata eſt indicibili conſolatione repleta, neque per biduum quidquam cibi admiſit, oeque deinceps res mundanas audire, videre, ſentire poterat abſque nauſea & faſtidio. Sordeſcunt ſane terrena iis, qui cœleſtia delibant. Nihil bæc niſi Deum, & quæ Dei erant, poſtquam guſtavit, & vidit quam ſuavis eſt Domious, cogitabat, divinis meditationibus, crebris vigiliis, & continuis abſtinentiis ſullicite inſiſtens, expolire & dolare cupiens terream corporis molem, ut purgata omni fœce, divinas conſolationes digne ſuſcipiat, & cœleſti amori ſponſi zelotis ſemet adaptet. Ita mentem excitavit viſio illa Dei Genitricis, ut dum vixit, ſemper illa noctis hora ſomnum deponeret, extra lectulum per noctem quæreret, quem ex animo diligebat, crebra ſuſpiria, ferventes emittens orationes, donec audito ſacro, & elapſo jam toto tempore aotemeridiano evocabatnr ab ancillis, quaſi a gravi ſomoo, vel ut pio more pſalleret, vel modicum quid ſumeret refectionis. Cubabat humi ſuper nudam mattam, ſeu ſtoream; ut vero pia fictione eluderet ancillas, mollem & nobilem, quem pro dignitate ſternebant lectum, iocompoſitum reddebat, ut in eo videretur jacuiſſe. Lacrymarum fundebat rivulos, curſim decurrentes in terram, quibus veſtes, & pavimentum, ultra quam facile credi poſſit, irrigabantur. Altaris ſacrificio devotiſſime adſtabat, depoſito amictorio ſeu pallio, quod ante ſacrificium conſummatum noo reſumebat, quare ob tantam exhibitam rei omnium ſacratiſſimæ reverentiam, meruit videre ſuper ſalutarem hoſtiam candidiſſimam columbam.

B. Margarita Columnentis.

Anonym. in vita MS. Rodul. fol. 140. Marian. in append. lib. 1. Gallon. de Virg. Romanis.

Non vult nubere.

Apparens B. Virgo ſuadet virginitatem conſervare.

Totam ſe Deo conſecrat.

Continua in oratione.

Cubat humi.

Abuude lacrymatur.

Sacroſanctam Euchariſtiam digne veneratur.

V. Novas addere vires tenellæ Virgini voluit Dei Genitrix Maria, ſecundo eidem apparens, ſucceſſiviſque gradibus claritatem vultus oſtendeos. Advenieotem ſumma excepit lætitia Margarita, illa appoſite canens verba: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol?* Novoſque deinde, apparitione facta, concepit ignes, atque adhuc majores, dum tertio eamdem inviſit Virgo

Apparet ei ſecundo B. Virgo.

Cant. 6. 9.

Item tertio. Maria, & larga benedictione ſacravit. Cogitavit itaque non eſſe amplius hærendum inter conſanguineos, ſed exeundum potius de cognatione ſua, & de domo fratris ſui, & aſcendendum in ſolitarias ædes Montis Præneſtini, cum duabus ancillis, quæ tantæ magiſtræ ſectabantur virtutes. *Exit e domo fraterna.* Animoſe tamdem ita fecit, valedicens ſeniori fratri valde reluctanti, in illis ædibus, tamquam columba gemebunda in nidulo commoratura, donec frater Jacobus commodiorem locum pararet, vel Monaſterium extrueret. *Frater ejus videt eam efferri uſque ad cœlos.* Aberat tunc Jacobus frater, vidit tamen die ſanctæ Margaritæ, dum in quodam Minorum Cœnobio pro ſorore preces effunderet, ſacrum ſolemne fieri curaret, & cum Fratribus reficeretur, efferri inter Angelorum choros Margaritam ad ſummum uſque cœlorum. Quid ex viſione judicaret, an tranſitum ex hoc mundo ſororis, vel divinum quidpiam, quod circa eamdem fiebat, penitus neſcivit, donec paulo poſt acceptis litteris, intellexit vere tranſiiſſe ex hoc mundo ad Patrem, & ab egreſſu a domo fraterna cœlorum iter incepiſſe. Illa vero dum alti montis jugum hilari greſſu ſuperaret, obviam Eccleſiam ingreſſa, inter miſſarum ſolemnia recitari audivit illud Evangelicum: *Qui miſit me Pater, non reliquit me ſolum*; *Joan. 8. 29.* & tamquam ſibi hæc dicerentur, repleta gaudio, firmiter credidit Dei ſibi non defuturum auxilium. *Novæ vitæ primordia.* Fortiter igitur Dei aggreditur ſervitutem, diebus ſingulis hebdomadæ præter Dominicam, & diem Jovis, quibus tamen parciſſime veſcebatur, ſtricte jejunans, feria ſexta panem dumtaxat admittens & aquam. Singularitatem omnem vitabat, in publicis actibus, & in aliena menſa, quando ad eam oportebat accedere, omnibus conformis. Atque hac utique ratione ex religioſa parcimonia majores carpebat fructus, dum ſollicitius quotidianum jejunium ab humanis laudibus abſcondebat. In ſecreto orationis latibulo jugiter hærebat, neque ab ipſis domeſticis ſe permittebat videri, niſi quando capiendi cibi, vel alia quævis urgebat neceſſitas. Sermones permiſceri nullos volebat, niſi quos ad Dei, vel ad beatæ Virginis Mariæ laudes conducere videbat; & tacere magis volebat quam loqui, illud repetens Propheticum: *Threni. 3. 26.* *Bonum eſſe præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*

VI. Non diu ſtetit in monte quin veſtem etiam mutarit externam; *Habitum ſibi induit S. Claræ, Capillos tondet.* depoſitis namque pretioſis quibuſque indumentis, ad carnem cilicium, aſperius quam ante portavit, & ſuper humilem tunicam rudem habitum ſanctæ Claræ nodoſo fune præcinxit. Ipſa ſibi flavos præſcidit capillos genibus flexis ante imaginem beatæ Virginis Mariæ, præmiſſo hymno: *Ave maris ſtella*, & ad illam ſtropham: *Monſtra te eſſe matrem*, comas quas prius diligenter curabat, abſcidit, & in ſacrificium prius oblatas, mox projecit in ſterquilinium. Non ſine cœleſti inſtinctu habitum aſſumpſit; viſus eſt namque ſanctus Franciſcus in concione aſſumpto themate: *Matth. 16. 24.* *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, Chriſti ſequelam in illo habitu ſibi perſuaſiſſe; *Apparet ei ſanctus Franciſcus, & crucem porrigit rubeam.* & rubeam mox crucem poſtulanti porrexiſſe, quam illa non in humero, ſed in pectore repoſuit, ut præſentem haberet ſemper memoriam Crucifixi. Crux autem ita pectori adhæſit, ut carnem penetrarit; quaſi velit ad ipſa cordis penetralia, ubi jugis erat Crucis memoria, pervenire. De cetero vitam æmulabatur ſancti Franciſci, & ejus diſcipulæ Claræ, vere mundo crucifixa; nec diffidebat in opere, quæ ſancto conformabatur in habitu. Male habuit conſanguineos hujuſmodi mutatio, dum expectabant viro collocandam, atque ex ejus matrimonio magnum acceſſurum domui Columnenſi

ex

ex illuſtri affinitate ſplendorem. Quare ſecum conſtituit quidam ex patruelibus illuc ire, quo illa ſeceſſit, atque inde, vel invitam in aulam fraternam reducere. At nocte ſequenti horribili viſione, & dira comminatione, ne Margaritam offenderet, conterritus, plus omnibus deinceps ejus probavit inſtitutum.

VII. Chriſtus Dominus tenellæ ſponſæ animum quibuſdam favoribus ad majora excitabat, & præludia offerebat amoris; ſemel enim orantem liliorum ſerto coronavit: alias pretioſo ſubarravit annulo, qui carnem penetrans ad ipſa oſſa pertigerat, excreſcente mox deſuper carne, relicto tamen annuli veſtigio. In die ſancti Joannis Baptiſtæ, dum pauperes plurimos ob ſancti Præcurſoris affectum magna caritate reficeret, meruit inter hos ipſum Divum, necnon Chriſtum Dominum ſub tecto in peregrinorum ſpecie recipere. Dotem a Fratribus acceptam pauperibus erogavit, famelicis victum, nudis veſtitum, peregrinis hoſpitium adminiſtrans, & languentibus, atque egenis neceſſaria quæque propria manu ſuppeditans. Ægrotabat aliquando Præneſte Jacobus frater quem illa ultra omnes diligebat mortales, & aſſiduo fovebat obſequio; at dum audit in Monaſterio Fratrum Minorum arcis Zagaroli aliquot milliaribus diſtantis media æſtate omnes præter ſolos Guardianum & Lectorem ægrotare, neque eſſe, qui præter illos duos infirmis miniſtraret, aut eleemoſynas colligeret, magno caritatis ardore voluit ſeipſam vincere, & carnis defæcare affectum, præponendo ſpiritualium Fratrum obſequium germani fratris ſervituti. Quare dulci alloquio, & piis adductis rationibus impetrata venia illic ſerviendi, ubi major erat neceſſitas, & meriti majoris occaſio, abiit pedes cum ancillis, portans ſecum varia pharmaca, & quæcumque judicabat infirmis opportuna. Admirati ſunt Fratres ad tantam caritatis perfectionem, quibus illa continuo inſervivit, donec omnes ferme convaluerunt, infirmis & ſanis, quæ neceſſaria erant quotidie ſubminiſtrans. Dum vero Præneſte rediit, obviam habuit pauperculam, fœda lepra reſperſam, quam incolæ caſtri Poli a ſe abegerunt: & recordata Margarita illius, qui propter nos tamquam leproſus reputatus eſt: *cujus non erat aſpectus, neque decor vultus*, ſecum eam adduxit, curavit ulcera, propriis manibus ſaniem abſterſit, medicamen adhibuit, in eodem diſco & poculo cum eadem manducans & bibens, donec melius habitam donata veſte, & neceſſariis expenſis in hierocomium Campaniæ tranſmiſit.

Crux intimum penetrat pectus.

Chriſtus eam ſibi ſubarrat annulo.

Eum cum Joanne Baptiſta recipit hoſpitio.

Facultates erogat pauperibus. Ægrotum fratrē relinquit, ut infirmis inſerviat Minoritis.

Curam agit paupercula leproſæ.

Iſai. 53. 2.

VIII. Magno ardebat deſiderio ſub clauſura & diſciplina regulari vivendi ſimul cum quibuſdam puellis, quæ illi adhæſerunt tantæ virtutis ſectatrices; expectabatque quotidie, germanos fratres ſibi extructuros Monaſterium. Sed dum ſpes nimium differebatur, obtinuit a Bonagratia Miniſtro Generali patentes litteras, ut in Parthenone Aſſiſiate, ſimul cum ſuis diſcipulis poſſit admitti. Dum vero ſe parat itineri, prolixa correpta infirmitate, non potuit pium ſuum deſiderium adimplere. Abiit deinde ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Voltoilla ſacratiſſimæ Virginis apparitione, & multis miraculis percelebrem, ut prope eamdem ſibi domum ædificaret regularem. Sed inhumane & ruſtice ſatis erga piam Virginem ſe geſſit patronus Eccleſiæ, omnem negans aditum, & multas inferens moleſtias, ut quantocius recederet. Romam etiam cum fratre ſuo Jacobo Cardinale abiit Apoſtolorum limina viſitatura, ubi dum percepit, ſanctam vixiſſe fœminam ſub habitu ſanctæ Claræ, Deo in propriis ædibus perfectiſſime ſervientem Aldrudem nomine, eam inviſit, &

Cupit vivere ſub clauſura.

Pia fœmina Aldrudis.

cum eadem per aliquotum tempus remanſit, illi humillime ſervieos, & virtutes admirans. Intenſius poſt hæc meditanti Chriſti paſſionem, ejuſque cruciatus in ſemetipſa volenti experiri, apparuit corani in lecto

Apparet ei Chriſtus infirmus.

poſitus Rex quidam infirmus. Hunc dum illa agnoſcere, & pedes cupit palpare, impingit digitis io loca clavorum, per quæ Chriſtum eſſe recognoſcens, ſic animo doluit, ac ſi cor medium ipſis clavis eſſet transfixum; neque per triduum corpus movere, oec in alterutram partem vertere potuit, tamquam ſi telo terræ eſſet affixum. Supervenit etiam ſubito in latere dextro ulcus, quod cutem rupit & carnem, multam emittens ſaniem & ſaoguinem. Dolores hos illa ſumma tulit patieotia uſque ad vitæ termioum, oihil remittens auſteritatis, ſed in oratione proficiens experimento probans, quod eo promptior eſt ſpiritus, quo debilior eſt caro. Quando acriorea eraot dolorum aculei, tunc alacrius illa Jobi

Patientia in infirmitate.

verba repetebat: *Qui fecit, ipſe perficiat, & dolorem addens mibi non parcat*; & ad Sorores, vel diſcipulas verſa dicebat: *Rogate Dominum ne ægritudinem hanc a me tollat, aut dolores imminuat, ſed orate, ut hic ſecet hic urat, ut in æterna vita non confundat*.

Triennio languet.

IX. Septem annos io duro hoc vitæ genere tranſegit, ſed integrum triennium in perpetuo languore. Remanſit in extenuato & emortuo corpuſculo ſolus ſpiritus vivus; quo proponebat ſecum magna peragere & præſtaotiora præſtare ſemper obſequia. Aliunde tædebat vitam haoe vivere mortalem, & incolatum prolongari terrenum, cupiebatque diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Tamdem edocta ſuæ migrationis diem duplici febre cœpit pejus habere, gratiaſque reddidit Domino, quod dignatus ſit eam ita miſericorditer viſitare; mox ad diſcipulas ait: *Ego jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Per quinque dies aote Domini Natale, in multa fuit afflictione & tribulatione, ſed mira æquanimitate omnia portavit. Demum ne quid mali deeſſet, tentator hoſtis advenit; ſed dum in Virgine non inveniret quidpiam, intolerabilem reliquit in cubiculo fœtorem, qui per nulla odoramenta, oeque per aromata, aut

Videt ante mortem Chriſtum & ejus genitricem.

pretioſos quoſque ſuffitus potuit extingui. In nocte vero Nativitatis ingentem accepit conſolationem, viſis Domino Jeſu, & ſacratiſſima ejus Genitrice. Delato ad eamdem ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, dum

Devote recipit ſacramenta.

ſonum tintinnabuli præeuntis audiret, proſiliens e lecto abſque ullo adminiculo, quæ prius omnibus viribus deſtituta, oec ſe vertere poterat in lecto, nudis genibus io terra flexis excepit Salvatorem; ad cujus conſpectum cum lacrymis hæc verba profudit: *Ave ſalvator mundi; Ave redemptio noſtra; Ave ſancta caro Chriſti, quæ pro me in Cruce es perpeſſa. Adoro te panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ*. Accepto deinde ſacro Viatico, petiit ſtatim ſibi ferri Extremæ unctionis Sacramentum, quod ſumma percepit reverentia. Appropinquante vero tranſitus hora, accepta e manibus fratris ſui Jacobi ſanctiſſima Cruce, ad contemptum rerum terrenarum diſcipulas hortata eſt; deinde ad Chriſtum crucifixum converſa, inquit: *Gratias tibi ago Domine, quia ſecundum meum deſiderium corpus attenuare, & conſumere voluiſti, ut liberiorem tibi redderem ſpiritum: nunc autem Domine, ne reſpicias ad humilitatem meam; ſed memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo*. Et paulo poſt ſubjungens, ait: *Credo quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die videbo Deum ſalvatorem meum; & in carne mea videbo eum, & oculi iſti conſpecturi ſunt eum*. Mox crucem amplexa magno affectu, inquit. *In manus tuas Domine commendo*

mendo ſpiritum meum . Poſt hæc juſſit candelas accendi , & ſanctiſſimæ Trinitati in ſpecie viſibili advenienti obviam procedere , ſtatimque proſiliens e lecto, ſumma cum reverentia genibus flexis in adorantis modum ſub auroræ crepuſculo migravit ad Dominum , nullis in ea apparentibus mortis indiciis ; nam recto corpore genuflexa , erectis in cœlum & apertis oculis , cum omnium ſtupore remanſit .

Obiit ſanctiſſime .

X. Diem quo ſacra hæc virguncula ex hoc mundo tranſivit , conſentiunt omnes vitæ ſcriptores fuiſſe Decembris trigeſimum ; circa annum vero non omnino cohærent . Petrus Rodulphus ſextum ait ſupra milleſimum ducenteſimum , & octuageſimum : Marianus Florentinus , eumque ſequutus Antonius Gallonius non hunc determinate ſtatuunt , ſed circa hunc obiiſſe deſcribunt . Hunc ipſum , quem nos aſſignamus , præfigendum ex eo deducimus aperte , quod anno ſequenti diſcipulæ acceperint auctoritate Honorii IV. ab Hieronymo Cardinale Præneſtino Minorita regulam Clariſſarum & Abbatiſſam ; deinde translatæ ſunt in Monaſterium ſancti Silveſtri Romam , Margarita jam defuncta , uti diploma Pontificium , quod ego ex Vaticano exſcripſi , & originarium vidi in archivo prædicti Monaſterii datum anno ſequenti VIII. Kalendas Octobris habet expreſſe . Quare in eo decipitur Marianus , quod aſſerat, Clariſſarum Inſtitutum profeſſam , eique traditam regulam a Jacobo fratre Cardinale Præneſtino , cum non niſi a Nicolao IV. Minorita poſt aliquot annos ex Diacono Cardinali Archipresbyter factus fuerit ſanctæ Mariæ majoris , neque aliquando fuerit Epiſcopus Præneſtinus .

Quo anno .

XI. Delato vero funere ad Eccleſiam ſancti Petri , & ſacrum faciente fratre Nicolao de Canino Ordinis Minorum Eremi Civitellæ incola, viro utique ſancto , adſtabat ſacrificanti anima beatæ Virginis ipſo ſacerdote conſpiciente , donec conſummata hoſtia rectaglorioſe aſcendit in cœlum . Similiter apparuit Jacobo Cardinali germano fratri , pro eadem defunctorum officium recitanti , ſimul cum aliis quinque Virginibus Agnete , Cæcilia , Agatha , Lucia , & Catarina ; neque abſceſſere donec totum complevit officium . Frater Bartholomæus de Gallicano vir religioſus , ac timens Deum , dum Aſſiſii in vigilia , & Eccleſia ſanctæ Claræ meditabundus ſecum cogitaret quale thema deberet aſſumere pro ſequentis diei prædicatione , ſupra ſe raptus vidit magnam virginum turbam in veſtimentis albis , ſtellis ſcintillantibus intermicantes , coronis aureis , & margaritis variis capita redimitas . Inter has Margaritam hanc conſpexit in agmine Clariſſarum fulgentiſſime radiantem prope Claram , ſed pone gradientem , cui inter cetera dixit : ipſa ſui tranſitus hora , propter eam Deum liberaſſe ipſius patrem a pœnis purgatorii . Alia multa voluit Dominus gloriæ ejus indicia adhibere , & ſanctitatem miraculis plurimis comprobare . Aridis & claudis greſſum , ulceratis & hydropicis ſanitatem , aliiſque diverſis infirmitatibus oppreſſis deſideratam ſoſpitatem ejus meritis Dominus conceſſit , quorum nomina , & miraculorum qualitatem ſerius & largius refert citatus Gallonius . Dum ejus corpus a diſcipulis Romam ferretur , & prope Eccleſiam ſancti Silveſtri accederent , omnes campanæ nullo trahente perſonuerunt; quo commotus miraculo univerſus Populus Romanus ad ſanctum corpus videndum , & tractandum confluxit . Vitam Illuſtriſſimæ hujus Virginis ſcripſerunt Anonymus quidam Minorita ejus familiaris , quam MS. apud ſe ſervant Sanctimoniales prædicti Monaſterii , Marianus Florentinus ad appendicem primi libri ſui faſciculi chronicorum idiomate Latino , ſed

Apparet quibuſdam poſt mortem .

Plurima patravit miracula .

In ejus tranſlatione miraculoſe perſonant campanæ .

Qui ejus vitam ſcripſerunt .

& Ita-

Italico ſcripſerat antea inter vitas præclaras Clariſſarum. Petrus Rodulphus utroque etiam idiomate eamdem exaravit. Latiſſime omnium Antonius Gallonius Presbyter Congregationis Oratorii inter vitas Virginum Romanarum.

Obit Rogerius Baccon.

Gordon. ad hunc annum.

Piſ. de ſcriptor. Angliæ ad ann. 1284.

Gonz. Conv. Pariſien.

Tom. 4. an. 1266. n. 13.

Anno 1278. n. 26

XII. Obiit etiam hoc anno in civitate Oxonii Rogerius Baccon, regnante tunc in Anglia Edwardo I. Semel & iterum de hoc homine egimus ſuperius, & tribulationes quas paſſus eſt, retulimus; an ſub his, vel ab his liberatus, vita perfunctus ſit, haud referunt Auctores.

Frater Joannes Stamfordius Archiepiſcopus Dublinienſis.

Piſ. cit. ad hunc annum.

Annales Hiberniæ apud Camdenum.

XIII. Hoc anno creatum fratrem Joannem Stamfordium Minoritam Archiepiſcopum Dublinienſem referunt monumenta provinciæ Hiberniæ mihi tranſmiſſa. Succeſſit hic fratri Joanni de Derlingtona Ordinis Prædicatorum a Nicolao III. anno II. ſui Pontificatus, cujus diplomatis apud me tranſumptum eſt, ad illam dignitatem aſſumpto, & vita perfuncto hoc anno Londini, teſte Piſeo. Factus eſt Stamfordius hic Juſtitiarius Hiberniæ poſt mortem Stephani Fulbornii Archiepiſcopi Tuamenſis, de quo nos ſtatim; & eum Civitas Burdegalenſis cum adjacente terra Vaſconiæ occuparetur a miniſtris Regis Galliæ anno MCCXCIV. miſſus eſt hic Joannes, cum aliis magnatibus a Rege Angliæ, ut agerent cum Cæſare de reſtituendis, quæ Gallus eripuit. Accepto reſponſo in Tordran, reverſus Archiepiſcopus in Angliam, vitæ finem poſuit die ſancti Leodegarii: cujus oſſa translata ſunt Dublinium, & in Eccleſia ſancti Patritii ſepulta X. Kalendas Martii anni ſequentis. Habentur hæc in Annalibus Hiberniæ ad calcem Britanniæ Camdenianæ, ſecundæ impreſſionis, excuſis; in quibus etiam fit mentio Stephani, aliis Roberti, Fulbornii, quem monumenta Minorum ejuſdem regni ſuo vindicant inſtituto, jure ne an injuria, neſcierim, licet in eam potius abeam ſententiam, regularem non fuiſſe; habeo enim monumentum translationis ejuſdem ad ſedem Tuamenſem, in quibus nulla regularis Inſtituti, ut in talibus fieri ſolet, habetur memoria. Fuit hic Epiſcopus Waterfordienſis, ter Juſtitiarius Hiberniæ, ſubſtitutus Roberto de Ufford, eo munere fungenti, dum abiret, vel evocaretur ſemel & iterum in Angliam, ſub cujus prima inſtitutione mutata eſt in Hibernia moneta. Dum tertio hæc obiret munia, ad Archiepiſcopatum Tuamenſem promotus obiit anno MCCLXXXVII. ſive VIII.

Stephanus Fulbornius Archiepiſcop. Tuamen. an fuerit Minorita.

Frat. Leonardus Epiſc. Tricaricenſis.

XIV. Archiepiſcopus Acherontinus, ſeu Materanus, diſcordantibus valde electoribus, & in eumdem Archiepiſcopum ſuum Metropolitanum compromittentibus, elegit hoc anno in Epiſcopum Tricaricenſem in Regno Neapolitano fratrem Leonardum Minoritam Provinciæ Januenſis Gerardi Blanci Cardinalis Sabinenſis Legati Sedis Apoſtolicæ in regno Siciliæ Pœnitentiarium, & a conſiliis. Dum autem difficilis erat recurſus ad ſuum Provincialem pro obtinenda licentia, ut collatam ſibi dignitatem poſſet admittere (præceperunt enim alias Pontifices, ne quiſquam ex Minoribus, aut Prædicatoribus auderet ad Pontificias infulas, quantumvis electi & rogati, aſcendere, niſi prius ſui conſentirent Prælati) indulſit Pontifex prædicto Cardinali, ut hujuſmodi licentiam ei poſſet impertiri: *Ex parte tua*. Nonis Junii.

Carolus Andegavenſis perdit regnum Siciliæ.

Zurita l. 4. c. 17. & ſeqq.

Æmil. in Philip. III.

XV. Perdiderat jam regnum Siciliæ Carolus Andegavenſis, cæſis omnibus Francis in veſperis Siculis an. MCCLXXXII. die penultimo Martii, Petro Aragonio Rege eodem etiam anno, penultimo item die Auguſti prædictum Regnum cum inſtructa claſſe invadente. Iniquo Marte ſæpius pugnavit Carolus, ut perdita recuperaret; quare ſingulari certami-

mini totius rei diſcrimen committere voluit: ſed cum neque hoc ex voto ſuccederet, & cogendo militi in Gallia incumberet, Carolus II. cognomento Claudus ejus filius contra patris abeuntis præceptum, & Legati Apoſtolici ſupra nominati conſilium, hoc anno die XXIII. Junii adoritur claſſem Siculam, præfecto Rogerio de Lauria ſuæ ætatis peritiſſimo, ſub oculis, & in ipſo littore Neapolitanis inſultantem. Dum autem fugam ſimulantem inſequitur Carolus, converſis roſtris triremes Siculæ, de quarum numero non conſtat inter auctores, tanto impetu eum adoriuntur, ut triremium, & militum numero ſuperiorem vicerint, & in ſuam poteſtatem redegerint cum lectiſſimis quibuſque heroibus Italis & Gallis, qui nobili, ſed cœco animo Principem Regni gubernatorem, hoſtium injurias propatulas non ferentem, ad bellum ſunt ſequuti. Suo malo probavit majorum monita non eſſe ſpernenda, neque iram abſque viribus, & prudentia prodeſſe, ſed potius obeſſe; atque, ut ait Martinus Polonus, vel ejus continuator, nobiles Galli, qui eum temere ad pugnam ſequuti ſunt, experientia viderunt, quod non ſuit ludus in undis, dum captivi in Siciliam primum, deinde in Aragoniam cum Carolo adducuntur. Hæc pluſculis verbis præmonenda duxi, ut clarius cauſam ſuo loco aperiam cur ſanctus Ludovicus Minorita datus eſt obſes Hiſpanis.

Fazel. dec. 2. lib. 9. c. 1. Ciacon. in Mart. IV.

Capitur Carolus Claudus ejus filius.

Mart. Polon. in Mart. IV.

XVI. Quanta ſit virtus Baptiſmi, &: *quam felix Sacramentum aquæ noſtræ, qua ablutis delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur*: duobus hic opportune comprobabimus argumentis, quæ rerum eventus ſub hoc tempore in Minorum miniſtrarunt Sodalitio. In provincia Tuſciæ adoleſcens quidam hujus Inſtituti probatæ vitæ, & regularis diſciplinæ ſtudioſiſſimus, unum idque magnum patiebatur malum, quod dum Chriſti corpus elevabatur in ſacrificio minime illud poſſet cominus aſpicere. Re collata cum probis viris, ſcrutati ſunt undique myſterioſi mali originem, ſed fruſtra, donec ſenior & peritior in eludendis dæmonis artibus interrogavit cujas eſſet? & an ſacro baptiſmate fuerit intinctus? ex oris Africanis ſe eſſe, reſpondit, & licet parentes habuerit Chriſtianos, ſe neſcire an licuerit inter Sarracenos intingi? Superiores inito conſilio, ad cautelam, juxta formam canonicam ſacro abluerunt lavacro, quo accepto, protinus ablatum velamentum ab oculis ejus, & vidit clare, quod ante non poterat, auguſtiſſimum Sacramentum. Janua Sacramentorum eſt baptiſmus; nulli eſt Chriſtus ad vitam ſub pane, quem prius non ſanctificavit ſpiritus in aqua: *numquam ſine aqua Chriſtus*.

Tertul. l. de bapti. c. 1.

Non baptizatus non potuit recte aſpicere Euchariſtiam.

C. de quibus de baptiſmo cū itaque de conſec. d. 4. & c. Placuit ibid.

Tertul. c. 9.

XVII. In eadem Provincia Frater alter utique probus, in ceteris obſequioſus, recitando officio divino, & orationi dominicæ omnino erat ineptus, quippe alias expeditæ linguæ, oraturus impeditam experiebatur. Miſſum ad Miniſtrum generalem, ut reatum ſi quem haberet occultum, explicaret, benigne excepit, & pie benedixit conſodalis quidam ſanctus in obvio Cœnobio. Occultam benedictionis vim, qui fidelibus non erat adſcriptus ſufferre non valens, tamquam amens volutabatur in terra, & colliſo ſæpius ad parietem capite, copioſum ſanguinem emiſit. Interrogatus tamdem ab eodem pio viro ubi natus? & an baptizatus? reſpondit, pudica fœmina, ſed irreligioſo thoro natum, ſtatim ab utero expoſitum, dubiumque ſupereſſe an nutricii ſacris aquis intinxerint. Decretum eſt inter Fratres ut baptizaretur, dure tamen & difficile ad myſterioſum fontem potuit accedere. Ut myſterioſæ ablutionis be-

Alius hujuſmodi non poterat recitare divinum officium.

beneficium accepit, ſtatim ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & perfecte deinceps in precibus horariis Deum benedixit. Non hoc prorſus incredibile: *Si* etenim *Spiritus Dei in aurigæ modum a principio ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundum in figura baptiſmi parturiebat: ſi* etiam *primis aquis præceptum eſt animas proferre, ne mirum ſit in baptiſmo, ſi aquæ ſanare, & animare noverunt.*

Hiero. lib. adver. Vigil. Gen. 1. 20. Tertul. c. 3.

Sacramentum Euchariſtiæ liberat a dæmonis poteſtate.

XVIII. Euchariſtiæ potentiam adverſus malignos ſpiritus aliud exemplum, ſuperioribus coævum ita demonſtrat. In civitate Senarum adoleſcentulus in tirocinii limine magiſtro in arcana confeſſione aperuit, aliquot ante ingreſſum menſibus ſe cum diabolo pepigiſſe, & per chirographum proprio ſanguine, & manu ſcriptum, ſui poteſtatem feciſſe, dummodo ſub ſua haberet mulierem, quam effuſe dilexit. Rogavit pro diſcipulo magiſter, & ſæpius ſalvificum obtulit ſacrificium, donec, ſumma Dei miſericordia ſub ſacris ſpeciebus contenti, dum ſalutarem adoraret hoſtiam, quod Satanæ credidit, chirographum recepit. Profecto libertati aſſerit auguſtiſſimum Sacramentum, in quo liberator ipſe tenetur; nec audet dæmon ſuum dicere ſervum, quem hujus Sacramenti ſincerum conſpicit veneratorem.

Alium liberat Sacramentum Pœnitentiæ.

XIX. Pœnitentiam etiam ſauciæ animæ ſalutarem eſſe medelam hic eventus oſtendit. Invidebat quidam alteri divitias & potentiam, ortaque rixa exarſit perpetuo odio, & iniquo deſiderio æmulum e ſuo gradu dejiciendi. Viam omnem tentavit, ſuperos inferoſque convocavit, ut unde nocere poſſet, aperirent. Malis ſtruendis præſentiores Diaboli, qui impio hominis voto adfuerunt, neque tamen ſine mercede: ea fuit, ut dæmonum ſervum deinceps ſe diceret, idque impreſſo in brachio ſtigmate, ſeu charactere, perpetuo profiteretur. Miſer conſenſit, deinde Dominum ſuum veneraturus præcipuum ex dæmonibus unum, quotidie ad ſecretum quoddam accedebat latibulum, a quo divitiarum reportabat incrementum, ita ut jam poſſet cum inimico contendere. Venit illuc quidam ex Minoritis prædicaturus, qui dum de virtute, & efficacia pœnitentiæ diſerte diſſereret, nullumque eſſe peccati genus, quod per illam non poſſit deleri; mancipium illud diaboli, corde compunctum, Dei gratia cœpit pœnitere. Detecta lacrymabunde conſcientia Prædicatori, qui plene remiſſionis donum conceſſit, & fiduciam impreſſit, ampliusoſtendit ei brachium ſtigmate ſignatum, quod niſi deleretur, ſe in illo verſaturum dixit timore, dominium aliquale dæmoni ſupereſſe. Exemplis Sanctorum Patrum, & aliis ſimilibus eventibus, quos ſacræ narrant hiſtoriæ perrexit Prædicator hominem confortare, abiitque cum eo ad locum ſolitæ apparitionis, ubi flexis genibus cum ſocio ſub gemitu profundo, & lacrymis multis Dominum rogabat, ut deleto charactere, miſello pœnitenti plenæ remiſſionis ſpem certam tribueret. Dum ita orarent, magno turbine, & procellarum tempeſtate obvia quæque concutiens, & arbores radicitus evellens dæmon acceſſit, dire querens ſibi proſcriptum & ſignatum ſervum ereptum. Magna conſtantia homo ſcelus ſuum confeſſus, abjurata priori apoſtaſia, vidit manifeſte characterem ex brachio deleri, & interna ſe ſenſit conſolatione repleri. Mirum eſt ſane quo livoris ardor homines compellit, ut nihil in ſe non admittant, dum cœcam vindictam ex hoſte reportent: *Pluſquam miſeri certe ſunt, quos lucra alienæ felicitatis exagitant, & iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. Bene iſtos ſua tela puniant, ut videatur mihi ipſa invidia aliquid habere diſcretionis, cum auctoris ſui*

Valer. homil. 13. poſt med. habetur in Biblioth. vet. Pat.

cor

ANNO CHRISTI 1284.	MARTINI IV. ANNO 4.	RODULPHI IMP. ANNO 12.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 77.

cor repercutit, & male conſcium pectus cruento jugiter livore conſumit.

XX. Qui ſequuntur Conventus, hoc anno Fratribus donati, quos Patres adhuc retinent Conventuales. In Provincia & Cuſtodia Bononiæ, locus Argellatæ conſtructus a Domino Bonincontro, & Guillelmo de Vaſtavillanis, aſſignatis etiam quibuſdam agris, & libris octuaginta quinque monetæ Bononienſis. Locus Auſtriæ in provincia ſancti Antonii, & cuſtodia Foro-Julii, quem Raymundus Turrianus Epiſcopus Comenſis die IX. Decembris inchoavit, Marco de Malatravenſi Patavino Præfecto Cuſtodiæ Paduanæ, coram dicto Domino Raymundo comparente, & petente locum hunc ædificari, rogato Joanne de Lupico Notario publico. Partem loci collabentis reſtituit Magiſter Bonaventura Vivarucius, homo rerum gerendarum prudens, ad Marſionem amnem, qui tanta aquarum copia fluit, quantam requirunt decem molæ pulſu perpetuo agitandæ; amnis non ſine ſuavi murmure ſaliens aqua cryſtallina ad fundum uſque perſpicua, tructas producit, & marſiones, ſic dictos a nomine fluminis. Obiit ille Venetiis a ſecretis Provinciæ anno MDLXXXIV. Locus Bitonti in Provincia ſancti Nicolai, & Cuſtodia Barolitana (urbs eſt in Apulia Peucetia a mari Adriatico, vel Jonio P. M. VII. diſſita, nobilis & frequens, Cornelio Muſſo Epiſcopo Bitontino diſerto, eruditoque concionatore Minorita celebrior) quem Carolus Andegavenſis Fratribus conceſſit; prius vocabatur ſanctus Petrus de Caſtello. „His „ adde Conventum Deidoni hoc anno, teſte Dempſtero ex ſuo Scoti- „ chronico a Devorgilla Alani de Galweja fundatum, & alterum Sto- „ kolniæ in Svecia a Magno Ladelos Rege conſtructum, cui etiam tri- „ buunt originem Cœnobii Arborgiæ, & Lincopiæ in Gothia.

Conv. Argellatæ. *Rodul. fol.* 267. Conv. Auſtriæ. *Idem fol.* 272. Con. Bitonti. *Idem fol.* 278. ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Dempſter. in appar. lib.* 1. Conv. Deidoni. Conv. Svetiæ.

XXI. Sub hoc tempore ex magno Pontificis in Ordinem Clariſſarum affectu, ait Marianus, ab eo conſtructa duo Monaſteria, in Monte-Lucido, vel Monte-Lucius prope Peruſium unum, juxta Tudertum alterum: ſed altius petenda eſt origo Peruſini, quod a Gregorio IX. alias diximus ædificatum, ab hoc Pontifice Martino fortaſſis ſuit completum, vel in meliorem formam redactum. Tudertinum vero quod a monte ſancto cognominatur, ab eo credimus extructum, in quo habitarunt Sanctimoniales uſque ad tempus Innocentii VIII. ſub quo anno MCCCCLXXXVIII. translatæ ſunt in urbem, dato earum domicilio Fratribus regularis Obſervantiæ Provinciæ ſancti Franciſci.

Marian. l. 3. *cap.* 4. *Tom.* 1. *an.* 1218. *n.* 13. *Gonzag. in Prov. Fran. Conv.* 6. Conv. Tuderti.

XXII. Ex vita beatæ Margaritæ Columnenſis ſuperius deſcripta conſtat, Minores habitaculum, ſeu eremitorium habuiſſe ad oppidum Civitellæ: quod tamen ſub hoſpitii nomine dicit Gonzaga conceſſum Fratribus Conventualibus a Calixto III. ſub Pio II. anno MCCCCLVIII. (Gonzaga habet errorem in notis, & pro quinquageſimo trigeſimum) Pontificatus anno I. translatum eſt ad Patres Obſervantes, qui oppidanorum adjuti munificentia, hoſpitiolum in commodum ſatis commutarunt Conventum. Duo habent ibidem capita ſancti Franciſci, uti eſt traditio, Sociorum, quæ magna habent in veneratione tum Fratres, tum univerſi oppidani.

Anno hoc n. 4. Conv. Civitellæ. *Idem in Prov. Rom. Con.* 14.

XXIII. In Bavaria ad Monachium urbem Bojariorum Principum ſedem, habitaculum aliud obtinuerunt Sorores aliquot, quæ ex Seſſlingenſi Monaſterio, de quo nos alias egimus, hoc anno in urbem illam venerunt una de Chunzelſau, alia de Saltperg, duæ Sentlingerin, Patriciæ Monacenſes. Extruxerat frater Caſtinus vir pius, ex illis, quos cum fratre Cæſario Spirenſi in Germaniam deſtinaſſe diximus ſanctum Fran-

Monaſter. Monachii. *Chron. MSS. Saxon. Metropol. Saliſburgen. Gonzag. in Prov. Argent. Monaſ.* 1.

Tom. 2. an. 1221. n. 5.

ciſcum, unus, prope ſacellum D. Jacobi in Anger a Monacenſibus ſibi conceſſum humilem ædem, in qua per aliquot annos cum conſodalibus ſat commode habitavit. Ludovicus vero Bavarorum Dux advenis virginibus providere volens; Fratrum eis Cœnobium conceſſit, & Fratribus aliud, juxta proprium caſtrum, ſive munitionem ſumptuoſius elegantiuſque conſtruxit; & infra quinquennium abſolvit, uti nos ſub anno MCCLXXXIX. repetemus. Reformatum eſt ſub Alberto utriuſque Bavariæ Duce Friderici III. genero, juſſu Sixti IV. an. MCCCCLXXXI. in profeſto undecim millium Virginum, adductis ex Norimberga Sororibus aliquot de Obſervantia. Ex hoc Parthenone quatuor religioſas Sorores ſe tranſtuliſſe ſcribit Gonzaga, dum toti Ordini præeſſet, ad Conventum Viennæ ab Eliſabetha olim Franciæ Regina conſtructum, ut juniores Virgines religioſis moribus, ritibuſque imbuerent. Religioſiſſimum profecto Monaſterium optimas creavit ſanctæ Claræ diſcipulas, & laudabiles aliarum inſtructrices; de quo illud habet præclarum teſtimonium Metropolis Salisburgenſis:

Metrop. Salisb. p. 187.

Habet, inquit, *hoc Monaſterium devotiſſimas ac piiſſimas Moniales, Regulam ſancti Franciſci orando, cantando, ac jejunando ſtricte ſervantes. Clauſæ intra cancellos Monaſterii nullorum neque virorum, neque mulierum conſpectum admittentes, imo neque parentum, aut conjunctorum, exceptis perſonis Principum. Redditus habent ſatis amplos, cum tamen valde parce, ac tenuiter religionis ergo vivant. Hic facta eſt Clariſſa Agnes filia Ludovici Imperatoris.*

Reg. Vatic. epiſt. 22.

XXIV. Sacrum bellum in Petrum Aragonium hoc anno decrevit Pontifex, ejuſque prædicandi munus inter alios Provincialibus Prædicatorum, & Minorum in Sardinia, Galliis, Corſica, & aliis Provinciis injunxit II. Non. Junii. Peruſinos interdicto ſubjacentes, & cenſuris innodatos ob graves, & multiplices exceſſus per eos perpetratos, & continuatos contra Fulginates, quorum Chronica Martiniana meminerunt,

Chron. Mart. ſub Mart. IV.

voluit Pontifex dum reſipiſcerent a malis, & contumaciam deponerent abſolvi a G. Corinthienſi Archiepiſcopo, mox a fratre Deotaleve de Peruſio Minorita: *Dudum in poteſtatem*. II. Non. Februarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indicul. ex copia

„ I. SUmmus Pontifex cum noſſet Fratres a variis, & diverſis pluribus affigi moleſtiis, & ab illis liberari cupiens, ut liberius,

Lit. Apoſt. pro Ordine.

„ majorique ſpiritus quiete Deo famulari valerent, in eorum favorem „ diploma dedit: *Inundans malitia &c.* Kalend. Martii: Cardinali Spi-

Ex Oder. n. 4. 33. & 35.

„ nolæ pro Terræ ſanctæ negotio ſcripſit: *Quod Eccleſiæ &c.* Eduardo „ pariter Angliæ Regi de eadem re: *Exultat in Domino &c.* VII. Kalen. „ Junii: & eidem aliud pro Cruceſignatis breve direxit: *Venientes ad*

Bonagrat. moritur.

„ *nos &c.* VII. Kal. Junii. Bonagratia vero Miniſter Generalis Avenione „ obiit, & factus eſt Vicarius Generalis Ordinis frater Guillelmus de

Guillel. fit Vicar. Gener.

„ Falgario Toloſanus, Provinciæ Aquitaniæ Miniſter, ut Annaliſta re„ fert; ad quem lectorem remittimus, properantes ad annum ſequen„ tem.

A R-

ARGUMENTUM.

Moritur Martinus Pontifex miraculis clarus, cui ſuccedit Honorius IV. Moriuntur etiam Reges tres Chriſtiani Gallus, Aragonius, & Neapolitanus. Celebrantur Mediolani comitia generalia, & creatur Miniſter Generalis Arlottus a Prato. Fiunt ex Minoritis Epiſcopi, & inſtituitur in Sardicenſi inſula ſanctæ Inquiſitionis officium. Pœnitentiæ virtus variis comprobatur miraculis, & Minoritis conſtruuntur domicilia.

I. PERUSII hoc anno Martinus IV. lenta febri ſenſim veaatus, obiit IV. Kalend. Aprilis, in quem incidit feria IV. poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, hora ſexta noctis, poſtquam rexerat Eccleſiam annis IV. menſe uno, diebus ſeptem. Vir fuit optimus & integer, Eccleſiaſticæ auctoritatis acerrimus propugnator, prudentia & experientia longa rerum agendarum haud modice inſtructus, in ædificando magnificus, ad pietatis opera pronus, & in egenos miſericors, quos in dies in maaima annonæ penuria pane albo paſcebat; & cum nobiles infortuniis, aut calamitate depreſſos videbat, ſecretum præſtabat ſubſidium. Amabat valde viros pios & religioſos, præſertim Minores, quorum habitum ante mortem poſtulavit, & in eodem ſepeliri voluit, corpuſque ſuum transferri ad Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſiatem, relicto inter alios Jaeobo Sabello Cardinale teſtamenti eaecutore, qui dum ad Pontificatum evectus eſt ſub nomine Honorii IV. etiam quoad hoc voluit ultimam ſancti Pontificis voluntatem compleri, ſcriptis litteris ad Peruſinos, quas nos ſub anno dabimus ſequenti. Viri optimi virtutem & ſanctitatem voluit Deus manifeſtare miraculis; ad ejus enim feretrum & ſepulcrum multi valetudinarii delati, cœci, ſurdi, claudi, & muti deſideratam conſecuti ſunt ſanitatem, prout refert Martinus Polonus, ſeu ejus continuator, teſtis, ut ipſe ait, oculatus.

Moritur Martinus IV. — *Platina. Ciacon. Joan. Rioche in Mart. IV.* — *Ejus virtutes.* — *Sepelitur in habitu Franciſcano* — *Multa patrat miracula.* — *Chron. Mart. cit.*

II. In ejus locum aſſumptus eſt poſt quatriduum Jacobus Sabellus Romanus Lucæ Sabelli, viri in Urbe primarii, filius, primus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, vir admodum ſenex, valetudinarius, podagra & chiragra laborans, ſed multis legationibus functus, prudentiæ, dexteritatis, & probitatis opinionem conſecutus. Conſecrationis inſignia ſuſcepit Romæ in Baſilica ſancti Petri XVII. Kalend. Maii per manus Gottifredi ſancti Georgii in Velabro Diaconi Cardinalis, quo die primum ſacrum celebravit magna cum ſolemnitate & devotione.

Creatur Honorius IV.

III. Præter Martinum Pontificem mortui ſunt etiam hoc anno tres potentiſſimi Reges, Philippus Gallorum ex belli contra Aragonios ſuſcepti continuo labore, & moleſtiis innumeris, nec non agitatione itineris in tranſitu Pyrenei ſaltus, lecticariorum humeris vectus pridie Nonas Octobris, obiit Perpiniani. Petrum Aragonium majora conantem, & arridentem fortunam urgere parantem, mors ad Villam Francam oppreſſit VI. Idus Novembris, integra adhuc ætate, annos natum quadraginta ſex. Acceptum vulnus in Gerundenſi pugna mortis cauſam dicit Joannes Villaneus, quem ſequuntur alii: ſed Scriptores Aragonii illæſum exæquataque utrinque cæde e bello diſceſſiſſe, confirmant. Præceſſit hos Carolus Rex Neapolitanus, Fogiæ, quod in Apulia oppidum eſt, VII. Idus Januarii, malorum tædio captique filii dolore confectus: vir

Moritur Philippus Rex Gallorum. — *Item Petrus Rex Aragoniæ.* — *Villan. l. 7. cap. 102. Zurita l. 4. c. 85. Joan. Maria. l. 14. cap. 8.*

Et Carolus Andegaven.

indole animi ſummus, ſed peccato ſuorum, ut auctores tradunt, miſer: maximis victoriis perdiu clarus, ſed ſenior vim fortunæ malis expertus. Petri autem Aragonii conjux Conſtantia, Manfredi Siculi filia, & Friderici II. Imperatoris neptis, propter quam jure hæreditario ſibi vendicabat maritus regnum Siciliæ, aliquot poſt ejus obitum annis ſanctæ Claræ habitum aſſumpſit.

Capitulum 26. generale.

Marian. lib. 3. cap. 6.
Marc. lib. 5. c. 1.

Arlottus de Prato undecimus Miniſter Generalis.

IV. Celebratum hoc anno vigeſimum ſextum Capitulum generale in civitate Mediolani, præſidente fratre Guillelmo de Falgario Vicario Generali, in quo electus eſt in undecimum Miniſtrum Generalem frater Arlottus de Prato Provinciæ Tuſciæ, quantumvis abſens. Durarunt hæc comitia per dies octodecim propter diverſum modum ſentiendi in ferendis ſuffragiis, contendentibus Patribus ultramontanis accreviſſe ſuffragia Ciſmontanorum ultra æquum & juſtum; necnon propter opinionum diſſidia de creandis Vicariis Generalibus, quibuſdam revocandum, aliis confirmandum decretum poſtremi Capituli generalis circa eligendos hujuſmodi Vicarios contendentibus. Hæc & alia hujuſmodi, præſertim de ferendis vel non ferendis ab omnibus Cuſtodibus ſuffragiis electoriis, controverſa ſunt in his comitiis, deciſa tamen in iis, quæ celebrata ſunt poſt triennium apud Montempeſſulanum; illud vero hi Capitulares ad perſuaſionem prædicti Guillelmi decreverunt, ut inſtitueretur Vicarius Generalis, qui morientis Generalis Miniſtri vices ſuppleret; electuſque eſt ad hoc munus obeundum ipſe Guillelmus.

Vicarius Generalis Guillelmus de Falgario.

Vocatur in judicium Petrus Joannes Olivi.

V. Arlottus vero Miniſter, admiſſo ſibi impoſito munere per Nuncium denunciato, dum aliquoto tempore Pariſiis hæreret, proſequi voluit prædeceſſoris examen & diligentiam, circa doctrinam fratris Petri Joannis Olivi comprimendam, quam plures imbibebant. Ipſum itaque auctorem ad ſe Lutetiam evocandum judicavit: ſed ille coram poſitus humiliter ſe excuſavit in multis, quæ ſibi imponebantur, alia vero multis rationibus defendit; atque illud de eo fertur, quod cum Generalis per clauſtrum deambularet cum fratribus Richardo Mediavillano, & Joanne de Muro controverſiæ Judicibus, & prætereuntem Petrum advocaret, juberetque ut coram ediſſereret, quid in controverſiis & objectionibus ſibi factis circa Divinæ eſſentiæ ſimplicitatem, & attributa tenendum judicaret, ille reſpondit tot rationibus & gravibus argumentis pro ſua opinione adductis, ut Generalis ſubridens dixerit: *Hem ipſi hominem audiſtis, ſi libet reſpondete ei, & argumentorum nodos diſſolvite.* Illi vero tacentes ad objecta, & verba generalia proferentes in pace receſſerunt. Remanſit itaque cauſa Petri indiſcuſſa, dum examen in plures dies differebatur, ſupervenitque Generalis mors, uti anno referemus ſequenti. Petrus Rodulphus confundit cauſam Petri Joannis cum controverſia Capitularium, neque ſane percipi poteſt, quid de hujus Capituli actis velit referre. Credibile eſt aliqua irrepſiſſe ex margine in textum, vel præpoſtere in narratione collocata.

An. 1286. n. 1.
Rodul. fol. 129.

Initiatur Jacobus de Tundo.

VI. Hoc anno vel circiter Jacobus de Senis cognominatus de Tundo, dum ſtuderet Bononiæ, Minoribus nomen dedit in Provincia Etruriæ. Evaſit vir doctus & prudens, necnon Magiſter ſacræ Theologiæ Pariſienſis; factus deinde ob vitæ merita & regendi peritiam Miniſter Provinciæ Tuſciæ, atque illius, quæ ſancti Franciſci cognominatur. Notabilia quæque ſui Sodalitii acta ſub compendio collegit a tempore ſancti Franciſci uſque ad annum MCCCXXIX. (qua collectione nos in his Annalibus ſæpius uſi ſumus) & paulo poſt diem obiit extremum.

VII. In

VII. In Regno Portugalliæ circa hunc annum ſub Dionyſio Rege in villa Scalabitana, vulgo *Santarem*, mulier quædam eluſa, & valde vexata a dæmone in Crucifixi effigie ſibi apparente, & perſuadente, ut in vicino Tagi flumine ſe ſubmergeret ad plenam conſequendam peccatorum remiſſionem, & mox cœleſtis regni beatitudinem, aquis ſe præfocare decrevit. Dum abire parat, accedit ad ſancti Franciſci ædem, & proſtrata coram ſancti Antonii altari, rogat ut quæ ad ſalutem ſunt, impetret potenter inſpirari. Mortis præmeditatæ dolore oppreſſa, & animo fatigata in ſomnum incidit, viditque ſanctum Antonium ſalutaria quæque monentem, diabolica tentamenta fugantem, & demum illud adjicientem medicamentum, ut perpetuo ad collum portaret ſchedam quamdam, quam illa expergefacta a ſancto apparitore apprehendit collo alligatam, his verbis inſcriptis: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David: Alleluja, alleluja*. Virtutem cœleſtis remedii ſubito ſenſit, depulſa omni tentatione, neque eam ſenſit amplius, donec miraculo audito Dionyſius Rex, curavit ſibi ſchedam afferri. Invaſit mulierem prior tentatio, neque ullum adhiberi potuit remedium, niſi erepta membrana, vel ejus tranſumptum. Hoc dedit Rex reſervato ſibi autographo, quod honorifice inter præcipuas collocavit reliquias.

Anonym. auctor vitæ S. Antonii MS. cap. 42. Marc. 1. par. lib. 5. c. 35.
S. Antonius liberat fœminam a gravi tentatione.

VIII. Catalogus Epiſcoporum Tudertinorum apud Joannem Baptiſtam Poſſevinum Mantuanum habet, ſuffectum fuiſſe hoc anno fratri Bentivengæ de Bentivengis Cardinali, quem ad illum gradum ex Epiſcopo Tudertino diximus aſſumptum, ejuſdem Cardinalis fratrem germanum Angelarium de Bentivenga, eumque ſediſſe annis ſeptem. Fuiſſe etiam tunc Epiſcopum Nuſcanum in Regno Neapolitano, Archiepiſcopo Salernitano ſuffraganeum, fratrem Jacobum Minoritam Provinciæ Terræ laboris, contra quem ſuas querelas expoſuerunt Miniſter, & illius Provinciæ incolæ, propterea quod acceptaverit abſque eorum conſenſu hanc dignitatem, mihi probat diploma Honorii IV: *Significarunt nobis*, hoc anno datum III. Nonas Septembris.

Poſſev. de Epiſcopis Tudert.
Fr. Angelarius Epiſcopus Tudertinus.
Fr. Jacobus Epiſcopus Nuſcanus.

IX. Hoc tempore plurimi hæretici fugientes ex partibus Italiæ, ut manus Inquiſitorum ibidem deputatorum evaderent, transfretabant ad Inſulam Sardiniam: quare ne ibidem eſſent immunes a ſupplicio, & ne Sardos inficerent, hoc anno Inquiſitoribus Tuſciæ Minoritis commiſit Honorius Pontifex, ut in illa Inſula Inquiſitionis munus exercerent. Unde admiror, quanta fiducia aſſerat Ludovicus Paramus certum eſſe ante annum MCCCVII. Inquiſitionis officium inibi conſtitui non potuiſſe; cum anno, inquit, MCCCVI. Fridericus Siciliæ Rex eam a Sarracenis occupatam expugnaverit. Etenim hoc a veritate longe abeſt; quippe Piſani dumtaxat & Genuenſes Inſulam in quatuor Provincias Arboream ſcilicet, Galluram, Calarim, & Turrim diſtinctam, & per quatuor Regulos, ſeu Poteſtates, aut Judices gubernatam ſub hoc tempore, & multis poſt annis, poſſidebant, perpetuo tamen bello inter ſe de jure illius Inſulæ decertantes. Neque Friderico Siculo, ſed Jacobo fratri Aragonio Regi datum a Bonifacio VIII. jus illam Inſulam Eccleſiæ nomine invadendi, & injuſtis turbulentiſque poſſeſſoribus eripiendi, ut optime contra Platinam, & Blondum, qui fortaſſis Paramum in erroris partem traxerunt, probat Hieronymus Zurita, confirmavitque juſta ejuſdem Jacobi Regni invaſio ſub anno MCCCXXIII. quo Inſulam tamquam Eccleſiæ feudatarius ſibi ſubjugavit. Contra Parami aſſertum de occupata

Inſtituitur S. Inquiſitionis officium in Sardinia.
Param. de orig. S. Inquiſ. lib. 2. tit. 2. c. 19.
Quinam tune poſſidebant Inſulam.
Platina in Clem. V. Blond. decade 2. l. 9. ad an. 1306. Zurita 1. p. lib. 5. c. 28. & 61. & lib. 6. cap. 45. & ſeq.

ta tunc a Sarracenis Inſula, ſufficiet Pontificium hoc, quod ſubjicio, diploma.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in adminiſtratione Tuſciæ, auctoritate Apoſtolica deputatis, & in poſterum deputandis.

Reg. Vat. n. 159. X. A*D extirpandam ubilibet peſtem hæreticæ pravitatis, per quam fidelium animæ quaſi quibuſdam laqueis irretitæ, a tramite veritatis exorbitant, & in damnationis perpetuæ barathrum dilabuntur, libenter officii noſtri partes apponimus, efficax impendimus ſtudium, & favoris opportunum ſuffragium impertimur, ut tam nefandæ, tam horrendæ iniquitatis extincto fomite, vigor Catholicæ fidei abundantius invaleſcat. Sane didicimus, quod nonnulli hæretici ac credentes ipſorum, de Italiæ partibus fugientes, ut deputatorum ibidem manus Inquiſitorum evadant, & lethiferum nequitiæ ſuæ virus aſtutia callida & aſtuta calliditate diffundant, ad Sardiniæ Inſulam, cum non ſit, ut dicitur, nec fuerit hactenus, qui hujus Inquiſitionis officium inibi exerceret, ſe conferre feſtinant, menteſque fidelium in puritate rectæ fidei quieſcentes, ad infidelitatis errorem ſuaſibus doloſis attrahere moliuntur. Cum itaque contra morbi hujus malitiam adhiberi celeriter opportunæ medicinæ remedia cupiamus, & intellexerimus, quod in adminiſtratione Fratrum Tuſciæ veſtri Ordinis prætacta Inſula includatur; nos ad animarum profectus uberes, ſuæque ſalutis augmentum ſollicite intendentes, & propterea nolentes, ut ipſius Inquiſitionis officium in Inſula ipſa deſit, vobis Inquiſitionis ſuper eadem pravitate in prædicta Inſula faciendæ negotium, juxta formam vobis in ejuſdem Tuſciæ partibus, per litteras felicis recordationis Clementis Papæ prædeceſſoris noſtri commiſſam, auctoritate Apoſtolica duximus committendam. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam* XV. *Kalend. Novembris, anno* 1.

Chryſoſt. lib. de reparat. lapſ. XI. Quam vere dixerit Joannes Chriſoſtomus, quod: *numquam ſpernit Deus pœnitentiam ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur, & ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter, & amplectitur*, probat quorumdam Minorum induſtria, qua ſceleſtos aliquot homines ab imo malorum gurgite, ſub ipſo vitæ termino ad ſalutis portum reduxerant: ad foſſas Marianas, quas *Aquas-mortuas* vocant in Gallia, viatores Fratres excipiebat hoſpitio caupo quidam, qui concubinæ ſub uxoris ſpecie permultos annos adhæſit. Hac graviter ægrotante ad mortem, fortuito venerunt Minoritæ duo, quorum unus ſacerdos, alter laicus, ſeu ut vocant converſus, qui animam agenti perſuadebant ſalutaria quæque, præſertim integram peccatorum confeſſionem, & dignam pœnitentiam. Chriſtiana quæque munia illa ſe præmiſiſſe reſpondit; præ pudore tamen tacuerat concubinatum. Requieſcente pauliſper ſacerdote, ſocius orabat pro morientis ſalute; ſed dum in oratione ferventius perſeveraret, vidit in angulo exultantes dæmones de præda, quam ſe mox reportaturos dicebant; propter celatum graviſſimum, quod patravit, tot annorum concubinatus peccatum. Audiens hæc Frater voluit ſacerdotem e ſomno exſuſcitare, miſeræ animæ ſubventurum; ſed irruerunt in eum hoſtes, totque plagis affecerunt, ut etiam oculum eruerint. Ad miſelli clamores ſub verberibus indolentis expergefactus ſacerdos inimicos abegit, & totius rei par-

Chron. antiq. Marian. lib. 3. cap. 4.

Reſipiſcit in extremo vitæ articulo mulier fornicaria.

Et ſalvatur.

particeps factus, languentem ad integram ſceleris confeſſionem, & veram contritionem perduxit, quam mox emorientem in ſalutis locum abiiſſe cœlitus intellexit; ſociumque totum corpore lividum, & confr actum ad Conventum Lunelli portari curavit, qui poſt paucos dies ſpiritum exhalavit, pro proximæ ſalute factus Deo Patri felix ſacrificium.

XII. In Provincia Phocenſi ægrotante quodam generoſo viro, ſed ad vindictam quarumdam injuriarum ardenter anhelante, vidit filius corvos multos ultra modum crocitantes, & exilientes ſuper tectum: malum aliquod ſuſpicatus voluit patrem admonere, & peccatorum pœnitudinem perſuadere. Inſilientes corvi conabantur alis & roſtris ingreſſum prohibere, atque hinc certius ille judicavit dolum aliquem latere, neque veras illas volucres, ſed ſub volucrum ſpecie dæmones circumvolare. Animoſe & efficaciter apud patrem odium deponere nolentem, dixit, eumque flexit ut inimicis injurias remitteret, & Guardiano Minorum ad ſe vocato peccata revelaret: ſane miram confeſſionis virtutem perſpexit filius; dum enim pater aliquoto tempore hæreret in confeſſione, & præ corporis debilitate modo hoc, modo illud fateretur peccatum, avolabat unus, mox alius corvus, ſecundum numerum, quæ fatebatur, peccatorum, donec integre expiata conſcientia, nullus remanſit; ſicque factum eſt, ut vir placide & chriſtiane in Domino obdormiret.

Ad confeſſionem peccatorum recedunt dæmones a tecto cujuſdam morituri.

XIII. Neque his minus mirum eſt hoc impœnitudinis ſupplicium. Aggregavit per fas atque nefas divitias multas uſurarius quidam, qui ducta nobili heroina, ſuſcepit ex ea prolem copioſam. Morte ſuperveniente, Minorita quidam confeſſarius efficaciter perſuaſit, ut per uſuras accepta, reſtitueret. Atque ſane male partarum pecuniarum ſumma illi ingens, quam ille juſſit omnem veris dominis reſtitui. Recedente confeſſario & notario, coram quo ultima explicata voluntas, intellexit uxor quæ facta ſunt, & convocatis filiis & filiabus omnibus, patri lugentes expoſuit, ſuas etiam lacrymas addens, & rogans, ut ſuorum miſereretur natorum, neque exhæredes efficeret, & miſeriis exponeret. Victus miſer uxoris & filiorum lacrymis, advocato altero notario, revocavit quæ antea diſpoſuit, diſtributa in filios univerſa facultate. Reſcivit hoc Frater, & rediit, increpavitque hominem, nec tamen potuit flectere, ut prius bene factum denuo approbaret, neque male conſtitutum revocaret. Videns itaque ſe nihil apud hominem obduratæ voluntatis proficere, magno, inquit, fervore: *ex quo tu revocaſti, quæ pro ſalute animæ tuæ chriſtiane diſpoſuiſti, ego etiam denuntio amiſſum tibi beneficium abſolutionis, quam tibi impertivi peccatorum*: mirabile dictu! ſtatim cunctis cernentibus, irruit in eum dæmon in ſpecie nigræ & horridæ volucris, tenuitque unguibus & roſtro, donec miſeram animam exhalavit, cum qua etiam volucris evolavit.

Revocanti bene diſpoſita ſub morte revocatur abſolutio.

XIV. Ante hunc annum obtinuerunt Minoritæ Andegavis in Gallia ſedem, quippe illorum benefactor Mauritius de Credonio eques regius, poſt extructum ſibi ſacellum, apud eoſdem ſepultus eſt anno MCCLXXXVII. Præter hunc auxit etiam eorum domicilium Iſabella Davaugourt Vicecomitiſſa de Jovarico in habitu ſanctæ Claræ ibidem tumulata. Siciliæ etiam & Hieroſolymorum Regem, Andiumque Ducem, & Provinciæ Comitem Renatum, ait Gonzaga, ibidem magnificentiſſimum conſtruxiſſe ſacellum in honorem ſancti Bernardini, in eoque ſuum, & uxoris Joannæ de Laval corpora humari curaviſſe; atque eumdem Renatum obiiſſe anno MCCCCXLIV. ſubjungit. Quæ nequaquam con-

Conv. Andegaven.

Gonzag. in Prov. Turon. Conv. 6.

conſiſtere poſſunt, quippe nonniſi eodem anno, quo mortuum ait Renatum, ex hac vita abiit Bernardinus, die xx. Maii; quare vel non potuit ante illum annum Divo adhuc vivo, ſacellum ſacrare, vel error eſt in cenſu annorum, quibus Renatus vixit. Atque hoc poſterius omnino certum: etenim ab Alphonſo Aragonio victus, & Regno Neapolitano pulſus, anno ejus ſeculi altero, atque quadrageſimo, ad Eugenium Pontificem Florentiam, atque inde in Franciam conceſſit, regnante Carolo VII. ubi reliquam vitam transfegiſſe ſcribunt boni auctores; ſed & ſub Rege Ludovico XI. Renati nepote, ejuſdem meminerunt, atque Ludovicum Lugdunum evocaſſe Renatum ſuum avunculum anno MCCCCLXXVI. & de quibuſdam controverſiis cum eo conveniſſe ſcribit recens, ſed doctus Gallicarum rerum ſcriptor Reverendiſſimus Franciſcus Belcarius Metenſis Epiſcopus, & ad annum MCCCCLXXXI. vel II. & ætatis LXXIV. perveniſſe ſcribunt auctores duo rerum Siciliæ & Lotharingiæ ſtatim citandi. Longius itaque protracta vita Renati, ſupererat tempus, ut Bernardino in Sanctos relato anno MCCCCXLVIII. ædiculam dicaret. Alium etiam ingerit ſcrupulum Gonzagæ narratio, dum ſepultum in hoc ſacello Renatum, & ejuſdem conjugem Joannam affirmat. Etenim non Andegavis, ſed in oppido Nancejano, Ducum Lotharingiæ ſede, Renatum jacere affirmant Scipio Mazzella in ſerie Regum Siciliæ, & Franciſcus Roſieres auctor ſtemmatum Lotharingiæ Ducum; imo & Epitaphium ſepulcri Nancejani ſubjunxit Mazzella. Joanna, quam ſecundam duxit, mortua anno MCCCCLXVII. Iſabella prima conjuge, virilis animi fœmina, Caroli Ducis Lotharingi filia, fortaſſis illo condita eſt mauſolæo. Planus etiam ille error, quod eum ab Hugone, quodam ſancti Franciſci ſocio, ædem hanc ſancto Sebaſtiano ſacram, obtentam ante hoc tempus ſcribat, illud adjungat, quod eam receperit extinctis jam Templariis, qui prius illam inhabitabant; etenim nonniſi ſequenti ſeculo ſub Clemente V. ut ſæpius admonui, fuerunt illi deleti.

Renatus Rex Siciliæ ubi ſepultus.

Scipio Mazzella in deſcript. Regni Neap.
Æmil. in Carolo VII. & Ludovico II.
Thomas Coſtus in Apolog. pro regno Neap.
Belcar. in Comment. rerum Gallicar. l. 1. n. 20.

Mazzella cit.
Stemmata Lotharing. tom. 5. c. 85.

XV. Ad Villam Francam, Aſturicenſis diœceſis in Tarraconenſi Hiſpania oppidum, ſedem mutarunt hoc anno Minores, derelicto priori loco minus opportuno, & erecto altero per Mariam de la Cerda, fœminam præcipuam, quam tamen Reginam vocant monumenta illius ædis ad me tranſmiſſa. Quæ hoc tempore in Caſtella vixit Regina, vere Maria dicebatur, Alfonſi Molinæ Reguli filia, Sancii IV. uxor, neque tamen a Seta vulgo *Cerda* cognominatam comperio; unde etſi Regiæ ſtirpis fœminam, non tamen Reginam dixerim fundatricem. Argumento ſunt gentilitia inſignia portæ inciſa, a Reginæ ſtemmate diverſa, & ſepulcrum juſſu Petri Alvarez Oroſii, Lemoſii Comitis, jure conjugis Beatricis de Caſtro hujus oppidi Domini, anno MCCCCLXV. loco motum, a medio ſcilicet ad latus ſiniſtrum majoris ſacelli: quod non facile auderet ſi Reginæ eſſet monumentum. Ædem ampliavit exornavitque multis expenſis prædictus Petrus, & præcipuum ſacellum a fundamentis refecit, quo titulo ejus poſteri jure gaudent patronatus. Jus idem vendicant Petri a Toleto Marchionis Villæ Francæ, & Neapolitani Proregis ſucceſſores, ob egregie ornatum ab eodem Monaſterium, inſtructamque bibliothecam. Jacet ibidem in mauſolæo a ſemetipſo conſtructo Garſias Henriquez Hiſpalenſis Archiepiſcopus, prædicti Petri Alvarez Oſorii frater. Aſſervatur reverenter in ſacrario medium caput beati Rogerii laici Itali, & ſancti Franciſci diſcipuli, quem cum primis a ſe miſſis in Hiſpaniam deſtinavit. In tabula vetuſta memoria conſpicitur

Conv. Villæ Francæ.

Gonzag. in Prov. S. Jacobi Con. 11.
Monumen. MSS. illius Provin.
Joan. Marian. l. 14. c. 5.
Zurita l. 4. c. 34.

B. Rogerius ſocius S. Franciſci.

tur ſingularis prodigii, quo Chriſtus Dominus (cujus infantiam & nuditatem in præſepio recumbentis ille ſummo colebat affectu) ſumma dignatione ſe ejus brachiis in ſpecie infantuli commendavit. Miraculis claruiſſe ſcribunt vetuſti noſtri Scriptores.

Chron. antiq. Piſan. conſor. 8.

XVI. In Vallè Capraria Aquitaniæ oppido, Domini Malaleonum & Larbuſti, aliud hoc anno conſtruxerunt domicilium, cujus nullum nobis ſuppetit monumentum. In Tuſcia inter Montem-umbronem & Senarum urbem, oppidum eſt Montis Alcinoi, vulgo *Mont'Alcino*, Aretinæ diœceſis * in quo benignitate Patrum Benedictinorum ſedem ibi poſuerunt hoc anno Minoritæ. Etenim Abbas Monaſterii ſancti Antimi Vallis Stratiæ dictæ diœceſis, dedit eis ex conſenſu ſuorum Monachorum Eccleſiam ſancti Angeli Caſtri veteris dicti oppidi, cum domo contigua, cœmeterio, horto, & aliis pertinentiis, quam donationem confirmari voluit Pontifex auctoritate Apoſtolica per Epiſcopum Senenſem: *Exhibita nobis*. III. Idus Decembris.

Conventus Vallis Capratiæ. *Gonzag. in Prov. Aquit. recen. Con. 10.*

Convent. Montis Alcinoi.

* *Nunc Civitas Sedem habens Epiſcopalem.*

Redul. fol. 265.

XVII. Beatæ Margaritæ Columnenſis, cujus anno præcedenti geſta conſcripſimus, ſectatricibus, & diſcipulis, quas plurimas religioſiſſime a ſe edoctas in Monte Præneſtino reliquit, conceſſum hoc anno Monaſterium ſancti Silveſtri in Urbe, ſitum ad radices Montis Pintii in planitie Campi Martii, ubi prius erat Domitiani Imperatoris naumachia, prope arcum triumphalem ejuſdem Domitiani, qui hodie *Portugalliæ* nuncupatur. Graviſſimum & antiquiſſimum eſt hoc Monaſterium, quippe a Paulo I. Pontifice ædificatum in ædibus paternis ante annum ſexageſimum primum ſupra ſeptingenteſimum, in quod uti ipſe ſcribit in ſuo diplomate, ſeu ut vocat, *conſtituto*, ſancti Silveſtri Papæ & Martyris die XIX. Junii, & ſancti Stephani Papæ & Confeſſoris die XVII. Auguſti anni præcedentis, necnon innumerabilium Martyrum & Confeſſorum, ac ſanctarum Virginum corpora, quæ ex collapſis cœmeteriis extra muros Urbis, per Longobardos dirutis, cum hymnis & canticis ſpiritualibus illuc introduxit; quorum digno cultui, & perpetuæ venerationi prædia multa, & poſſeſſiones amplas adjudicavit. Omnia confirmata & in perpetuum valitura voluit, edito graviſſimo conſtituto in Concilio a ſe Romæ celebrato, & Epiſcoporum, Cardinaliumque chirographis munito. Dignum hoc monumentum, quod penes Sanctimoniales, adhuc cum reverentia ſervatum viderim, & Baronius in ſuis Annalibus integrum tranſcripſerit. Horum etiam meminit Anaſtaſius Bibliothecarius, ſed diverſis, ait, condita locis ſacra Pontificum corpora, & venerandas ceterorum reliquias: *Hic ſanctiſſimus*, inquit, *Præſul in ſua propria domo Monaſterium a fundamentis in honorem ſancti Stephani Papæ ſcilicet & Martyris, necnon beati Silveſtri Pontificis & Confeſſoris Chriſti conſtruxit. Ubi & oraculum in ſuperioribus ejuſdem Monaſterii mœniis ædificans, eorum corpora magna cum veneratione condidit. Intra clauſtra vero ipſius Monaſterii Eccleſiam miræ pulchritudinis a fundamentis noviter conſtruxit, quam muſivo, & marmoribus decorans, & omnem illi ornatum ex auro argentoque, & diverſis ſpeciebus largiens, etiam ciborium ibidem ex argento librarum .... fecit, illucque innumerabilium Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abſtulit cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu.* Oraculum illud in ſuperioribus mœniis, in quo condidiſſe ait Pontificum corpora: judico non aliud fuiſſe, quam Templum quod ſancti Joannini (ſeu Joannis parvuli, vel infantuli, quia Nativitati Joannis Baptiſtæ dicatum, uti probat ſolemne illius diei feſtum) vocant, & adhue ibi-

Anno 1284.

Monaſterium S. Silveſtri.

Ejus fundator.

Multæ & præclaræ ibidem reliquiæ.

Baron. ann. 761.

Anaſtaſ. in Paulo 1.

ibidem juxta ſuperiora Monaſterii mœnia extat, fuitque contiguum ipſius Monaſterii membrum, donec ante aliquot annos reſciſſo tranſitu inter Eccleſiam, & Monaſterium, deducta eſt platea communis: ſemper tamen pertinet ad ipſum Monaſterium. Eccleſia vero, quam intra clauſtra ait conſtructam, illa ipſa eſt, qua nunc utuntur Sanctimoniales. Neſcio itaque unde Gonzaga primam fundationem hujus Eccleſiæ in honorem ſancti Silveſtri tribuat Symmacho Pontifici, & admiror quam leviter attigerit, curſimque præterierit graviſſimi Monaſterii nobilem originem, & laudabilia incrementa.

Gonza. in Prov. Rom. Monaſt. 3.

XVIII. Ante hanc ſancti Silveſtri Eccleſiam, & Monaſterium præextitiſſe ibidem ſacram ædem ſancto Dionyſio Papæ a Melchiade Papa dicatam, aſſerunt ex Rituali & Pontificali Romano quidam auctores. Neque id omnino vero diſſimile; quippe Agapitus ſecundus in quodam diplomate apud eaſdem Sanctimoniales aſſervato, quo Leoni Abbati, & ceteris ejuſdem Monaſterii Monachis omnes poſſeſſiones, & jura confirmat anno nongenteſimo quinquageſimo quinto, quod penes prædictas Sanctimoniales aſſervatur, etiam ſanctum Dionyſium illius Eccleſiæ inſcribit tutelarem. Licet enim Pontifex Paulus dicat, ſe illam cum annexo Monaſterio a fundamentis extruxiſſe in domo paterna, vicinam etiam aliquam Eccleſiunculam ſancto Dionyſio ſacram fortaſſe intra ambitum concluſit, & ne in offenſionem ſancti Præſulis ejus memoria deperiret, novum Templum ab illo etiam cognominabatur. Primos incolas inſtituit Paulus Græci ritus Monachos; ita enim habet Bibliothecarius citatus: *Ubi & Monachorum congregationem conſtruens Græcæ modulationis pſalmodiam Cœnobium eſſe decrevit*: quod ita intelligendum judicat Baronius citatus, ut cum Conſtantinus Copronymus impius Imperator Iconoclaſta, edicto promulgato vetuerit eſſe Monachos in Oriente, ingens Orientalium Monachorum multitudo ſeſe in Urbem infuderit, quorum cum Græca lingua peculiaris eſſet, eoſdem in Monaſteriis collocatos, voluerit ea præſtare, quæ conſueviſſent in Monaſteriis Orientis, ut pſalmorum cantum, aliaque officia eccleſiaſtica ſua ipſorum lingua perſolverent. Religioſi hi viri, & pii Patres aſportarunt tunc ſecum, ne ſanctum canibus relinquerent, vultum, ſeu effigiem Salvatoris noſtri Jeſu, paulo ante paſſionem delineatam, & Abagaro Regi Edeſſæ in Syria miſſam, de qua in Concilio Niceno II. & litteris Pontificiis veneranda habetur memoria; necnon caput ſanctiſſimi Præcurſoris Joannis Baptiſtæ; quæ pretioſiſſimis incluſa thecis ſumma habentur in veneratione ab univerſis Romanis, quorum etiam veritatem & fidem duobus peculiaribus conſcriptis libellis mox emittendis, probat abunde Joannes Giacchettus vir probus, ejuſdem Monaſterii confeſſarius; atque ab hoc ſacro capite, uti notat Baronius, agnomen accepit, utpote ſancti Silveſtri de Capite, quod adhuc retinet, cum antea diceretur ſancti Silveſtri Catapauli, id eſt, in prædio, ſive hæreditate Pauli, nimirum fundatoris; & certe Martyrologium Romanum ibi adhuc aſſervatum teſtatur, quantumvis alii contendant ſe illud poſſidere. In oraculo illo, ſeu confeſſione in ſuperioribus muris Monaſterii, ut diximus, conſtructa ſimul cum prænominatorum Pontificum corporibus, depoſitum fuiſſe ſanctum caput per aliquot annos, communior eſt traditio. Præclariores hæ reliquiæ in Eccleſia interiori poſtea honorifice conditæ ſunt, uti jam narramus; & nunc adoranda exponuntur ſtatutis anni diebus, ſed intra cratis ferreæ tutam cuſtodiam, Chriſti Salvatoris effigies, & caput ſanctiſſimi Præcurſoris.

Pancirol. de Eccleſ. urbis.
Ugon. de ſtationib. urbis.

Quinam primi hujus Monaſterii incolæ.

Vera hic effigies Chriſti, & caput Joannis Baptiſtæ.

Conc. Nicen. 2. act. 5.
Ep. Greg. II. ad Leon. Iſauric. Adrian. Papæ epiſt. Apolog. ad Carolum Magn.
Vide notas Gretſeri de imaginib. non manufactis cap. 2. & ſeqq.

Baron. in notis ad 29. Aug.
Martyrol. eodem die.
Vide notas Henrici Spondani ad ann. 1025. ubi varias conciliat ſententias.

XIX. Præ-

XIX. Prædicti Monachi Orientales hanc poſſederunt ædem ultra unum & alterum ſeculum, donec felicius compoſitis rebus Orientis, defecit venientium ſucceſsio, introductique ſunt Monachi Latini Ordinis ſancti Benedicti. Hi vero perſeveraverunt uſque ad hunc ipſum annum, licet ob neglectum ſanctum Inſtitutum, laxatoſque mores Monachorum, quos per ejuſdem profeſsionis viros difficile erat reformari, uti Pontifices loquuntur in ſuis litteris, Martinus IV. ſeu prædeceſſores prohibuerint ulterius ad futurorum Abbatum electionem progredi, abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis licentia. Habetur tamen in Vaticano ejuſdem Martini diploma, quo anno III. ſui Pontificatus, non obſtante prædicta prohibitione, poſt mortem Symolphi Abbatis concedit Monachis facultatem, ut pro illa vice tantum alium eligant: deinde alio diplomate confirmat electionem Gyrardi in ejuſdem Monaſterii Abbatem. Hic ille probabiliter (quippe non niſi anno uno antea electus) quem Honorius IV. binis ſuis litteris, quas damus in regeſto, aſſerit ſe tranſtuliſſe ad Monaſterium ſancti Laurentii extra muros, dum Monachos reliquos per varia Monaſteria Urbis diſtribuit, & Sanctimoniales introduxit Clariſſas. Vivebant hæ, uti dixi, in Monte Præneſtino ſub decenti clauſura, & habitu ſanctæ Claræ, nulli tamen obſervantiæ ſpecialis Religionis aſtrictæ; quare deſiderantes, inquit Pontifex, in caſtris clauſtralibus ſub obſervantia Ordinis Sororum Minorum incluſarum dimicare ſecurius contra hoſtiles incurſus, petierunt, ut earumdem regula ab Alexandro IV. compoſita, & ab Urbano correcta & approbata ſibi concederetur, & facultas canonice eligendi Abbatiſſam. Commiſſa cura earumdem voluntates explorandi Hieronymo Aſculano Præneſtino Epiſcopo, & auctoritas ut quæ petierant, concederet. Electa tunc per viam ſcrutinii in primam Abbatiſſam ſoror Herminia, cui & ceteris Virginibus conceſsit Pontifex Monaſterium prædictum, & regulam ex Urbani IV. regeſto exſcriptam; juſſitque Miniſtrum Generalem, & Prælatos Ordinis ut earumdem obſequio quatuor vel plures, prout neceſſitas expoſcebat, Fratres deputaret. Cuncta hæc latius apparebunt in Apoſtolicis litteris, quas damus in Regeſto. Fovit maxime pium hoc ſodalitium, & Monaſterium protexit ob gratam, & ſanctam memoriam ſuæ ſororis, harum virginum inſtitutricis, Jacobus Cardinalis de Columna, ita ut ei titulum dederit fundatoris. Habeo enim inter antiqua Ordinis monumenta, vetuſtiſsimo caractere ſcriptas primas illius Monaſterii conſtitutiones, quarum hæc inſcriptio: *Incipiunt conſtitutiones Venerabilis Patris, & Domini beatæ memoriæ Domini Jacobi de Columna Cardinalis fundatoris Monaſterii; cujus anima exultat in gloria Sanctorum*. Cum vero multæ advenerint Virgines, nec importunæ parentum poſtulationi reſiſti poſſet, ne ultra juſtum numerum excreſcerent, anno MCCCXII. die XI. Novembris Abbatiſſa, ceteræque Sorores, tactis ſacroſanctis Evangeliis ſupra altare beatæ Mariæ Virginis, juraverunt, ſe nullatenus admiſſuras in ſuum conſortium ultra numerum quadragenarium cujuſcumque conditionis fœminam, niſi foret filia Imperatoris, Regis, Principis, Ducis, aut Marchionis; ſtatueruntque ut omnes in poſterum Sodalitio connumerandæ, in ſolemnis profeſsionis emiſsione hoc idem præſtarent juramentum. Accreverunt tamen poſtea annui redditus, & cum his Sanctimonialium numerus, ita ut dum hæc ſcribo nonageſimum excedant.

Confertur ædes Monachis Benedictinis.

Reg. Vat. epiſt. 3. apud Urbem veterem. 5. Kalen. Maii.
Ibid. epiſt. 105. data ibidem 4. Non. Januarii.

Ann. 1284. n.

Quomodo conceſſum Clariſſis Monaſterium.

Prima Abbatiſſa.

De qua re infra ſub Bonif. VIII. ſermo recurret.

XX. Multorum Sanctorum & Sanctarum ferias agunt extra ordinem ſeu numerum Sanctorum Kalendarii Romani hujus Monaſterii incolæ,

propter recondita apud ſe ſanctiſsima corpora; quorum memoriam inciſam expoſuerunt antiqui Monachi in duabus tabulis marmoreis, dignam, quæ hic tranſcribatur ad majorem tot Sanctorum notitiam, & perpetuam eorumdem venerationem. In una tabula habentur nomina Sanctorum, in altera Sanctarum, vetuſtis caracteribus exarata.

De egregiis reliquiis illius Monaſterii.

In Nomine Domini.

Hæc eſt notitia Natalitiorum Sanctorum, hic requieſcentium.

Menſe Januar. Die III. *Nat. S. Antheri Papæ.*
Die x. *Menſis ſuprad. Nat. S. Melchiadis Papæ.*
Menſe Februar. D. XXI. *N. Sanctorum Calocerii & Partheuli.*
Menſe Mart. D. II. *N. Sancti Lucii Papæ.*
D. IX. *M. ſuprad. N. Sanctorum, quorum nomina Deus ſcit.*
D. XIII. *M. ſuprad. N. Sancti Pyemenii Presb. & Mart.*
D. XIV. *M. ſuprad. N. SS. Chryſanthi & Thraſonis.*
D. XXIV. *M. ſuprad. N. Sancti Quirini Martyris.*
Menſe April. XXII. *N. S. Gaii Papæ.*
D. XXIII. *M. ſuprad. N. S. Militi Martyris.*
Menſe Majo D. XII. *N. SS. Trofimi & Caloceri.*
Menſe Jul. D. XXVI. *N. SS. Zeferini Papæ & Tars Mart.*
Menſe Aug. D. VIII. *N. SS. Quiriaci, Largi, Smaragdi.*
D. XIII. *M. ſuprad. N. S. Typolti.*
Menſe Septembr. D. X. *N. S. Gorgonii, & aliorum, quorum nomina Deus ſcit.*
D. XX. *M. ſuprad. N. S. Januarii.*
D. XXVI. *M. ſuprad. N. S. Pamphyli & Pauli MM.*
Menſe Octobr. D. IX. *N. multorum SS. Martyrum.*
D. XIII. *M. ſuprad. N. SS. Projecti & Saberii.*
Menſe Novembr. D. XXVII. *N. SS. Optati & Polichani.*
D. XI. *M. ſuprad. N. Sanctorum viginti quinque MM.*
Menſe Decembr. D. XXVII. *N. S. Dioniſii Papæ.*
D. XXIX. *M. ſuprad. N. S. Nemeſii Diaconi.*

In altera Tabula.

In Nomine Domini.

Hæc eſt notitia Natalitiorum Sanctarum hic requieſcentium.

Menſe Martio D. XIX. *N. SS. Dariæ & Hilariæ V. & M.*
Menſe Aug. D. VIII. *N. SS. Meminceæ & Julianæ V. & M.*
D. IX. *M. ſuprad. N. S. Arthemiæ V. & M.*
D. XII. *M. ſuprad. N. S. Concordiæ V. & M.*
Menſe Septembr. D. XXX. *N. SS. Sophiæ, Viduæ, Piſtis, Helpis, & Agapæ.*
Menſe Octobr. D. XIII. *N. S. Cirillæ V. & M.*
D. VIII. *M. ſuprad. N. S. Trifoniæ Viduæ.*
D. XXVIII. *M. ſuprad. N. S. Conciliæ V. & M.*

In alia tabula membranea, ad uſum Monialium, & ſacerdotum celebrantium in Eccleſia ſuſpenſa habetur eadem memoria; ſed ſubſcripta hæc,

hæc, quæ ſequuntur: *Multa alia corpora Sanctorum fuerunt extracta de cœmeteriis antiquis una cum corporibus ſupradictis, & collocata cum eis in altari beatorum Pauli & Nicolai, quorum nomina & numerum Deus ſcit. De quibus omni anno in Monaſterio ipſo feſtum celebratur. Deo gratias. Amen. Prædictæ autem reliquiæ, & Sanctorum corpora fuerunt poſtea translata ad altare majus dictæ Eccleſiæ ſancti Silveſtri.*

De columna Antoniana.

XXI. Pertinebat ad hoc Monaſterium inſignis illa Columna, ad miraculum magna, & perbelle cælata, dicata memoriæ Marci Antonini ob devictos Marcomanos, Rhetos, & Quados ob inde Antoniana nuncupata, quam Sixtus V. in platea ſancti Pauli ſacravit memoriæ ejuſdem Divi, ſuperpoſita Apoſtoli ſtatua ænea deaurata. Prius erecta prope Eccleſiam ſancti Andreæ, non longe a Monaſterio diſtantis, quæ juris etiam erat prædicti Monaſterii, uti hæc inſcriptio tabulæ marmoreæ inciſa commemorat: *Quoniam columna Antonini juris Monaſterii ſancti Silveſtri eſt, & Eccleſia ſancti Andreæ, quæ circa eam ſita eſt cum oblationibus, quæ in ſuperiori altari & inferiori a peregrinis tribuuntur, longo jam tempore locatione a noſtro fuit alienata Mon. ne idem contingat, auctoritate Petri Apoſtolorum Principis & Stephani, & Dionyſii, & confeſſoris Silveſtri, maledicimus, & vinculo ligamus anathematis Abbatem & Monachos quoſcumque, qui columnam per violentiam a noſtro Monaſterio ſubtraxerit, perpetuæ maledictionis ſicuti ſacrilegus, & raptor & ſacrarum rerum invaſor ſubjaceat, & anathematis vinculo perpetuo teneatur, fiat. Hoc actum eſt auctoritate Epiſcoporum, & Cardinalium, & multorum Clericorum, atque laicorum, qui interfuerunt. Petrus Dei gratia humilis Abbas hujus ſancti Cœnobii, cum Fratribus ſuis fecit, & confirmavit anno Domini Mil. C. XIX. Indict. XII.*

XXII. Incumbebat Honorius ad exemplum ſui prædeceſſoris Martini regno Siciliæ recuperando, & in poteſtatem Eccleſiæ e manibus Aragonum vendicando, atque in hunc finem conſcribendis militibus deputavit decimas ſuper bona quæque Eccleſiaſtica. Conceſſit tamen Clariſſis totius Italiæ, ut de fructibus, redditibus, aut proventibus ſuis ſolvere non tenerentur quidquam in hunc finem, neque a collectoribus decimarum poſſent moleſtari: *Attendentes benignius*. V. Kal. Decembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Martinus PP. IV. moritur.

,, I. LEnta febri vexatus Peruſii hoc anno IV. Kal. Aprilis, feria IV.
,, poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, & hora VI. noctis, poſt-
,, quam rexiſſet Eccleſiam annis IV. menſe I. diebus VII. Martinus IV.
,, moritur, publice laudatus ab integritate, prudentia, experientia, &
,, pietate: qui habitu religionis ante obitum poſtulato, in eo ſepeliri
,, voluit, mandans ſuum corpus transferri ad Eccleſiam ſancti Franciſci
,, Aſſiſii, ut habet Lector apud Annaliſtam: in defuncti locum poſt qua-
,, triduum aſſumptus eſt Jacobus Sabellus Romanus, Lucæ Sabelli, viri
,, in Urbe primarii filius, & dictus eſt Honorius IV. qui conſecrationis
,, inſignia ſuſcepit Romæ in Baſilica ſancti Petri XVII. Kalen. Maii, per
,, manus Gottifredi ſancti Georgii in Velabro Diaconi Cardinalis, quo
,, die primum ſacrum celebravit magna cum ſolemnitate, & devotione.
,, II. Ad Pontificatus apicem evectus Honor. IV. de electione Pontifi-
,, cis, ac Terra S. recuperanda dedit litteras enciclycas: *Quis loquetur &c.*
,, VIII. Kalend. Junii: varias executoriales direxit ad Guardiannm Came-

Sepeliri vult Aſſiſii.

Sufficitur Honorius IV.

Litteræ pro Terra ſancta & Ordine.

,, meracenſem: *Petitio Dilectorum &c.* x. Kal. Septembris: ad Mini-
,, ſtrum Provincialem Gotiæ: *Vacante dudum &c.* 11. Kal. Octobris: ad
Indic. ex Oderic. n. 17. Vatic.
,, Guardianum Conventus Turonenſis: *Significavit &c.* Idibus Octo-
,, bris: ad Guardianum Conventus Piſani: *Significaverunt &c.* 11. No-
,, nas Novembris: & præter ea inſtituit Mare magnum, ſive bullam au-
Edit bullam auream.
,, ream: *Virtute conſpicuos &c.* xii. Kal. Decemb. quæ ex eo quod ſubſtan-
,, tialiter contineatur in Mari magno Sixti IV. ad illud dimiſſa eſt. Con-
,, firmavit etiam privilegia conceſſa Superioribus Monialium: *Cum a*
Archi. SS. Apoſt.
,, *nobis &c.* iii. Kal. Decembris: & ut Fratres poſſint ubique Eccleſias
Arch. SS. Apoſt.
,, ſuas ædificare benigne indulſit: *Ex parte &c.*.....
,, III. In Capitulo generali celebrato hoc anno Mediolani, Arlot-
Arlottus de Prato fit Miniſt. General.
,, tus de Prato factus Miniſter Generalis inſtitutionem fratris Ceslai in
,, Miniſtrum Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ prorogavit; ac ita Ceslaus
,, hoc eodem anno in ſuperiori Glogovia quarto Comitia illiuſdem
Firm. fol. 8.
,, Provinciæ ipſa die octava ſancti Franciſci tenuit. Interea Petrus
Petrus Martinez floret.
,, *Martinez* in Provincia Franciæ virtutibus, & miraculis excellebat,
Caſim. cit. n. 14.
,, quem Marcus Ulyſſiponenſis commemorat, & Arturus in Martyrolo-
,, gio diem xxvii. Septembris illi adſcripſit. Cæcilia pariter ſacra Vir-
Cæcilia Virg. a Civitate Caſtelli.
,, go a Civitate Caſtelli, in Monaſterio ſancti Silveſtri in Campo,
,, mirifice ſplenduit hoc anno mcclxxxv. die x. Januarii: hanc ſum-
,, mopere laudat Ubertinus de *Caſale* ab eximia prudentia, eamque vero
Theat. Bajard.
,, ſponſam Chriſti appellat in primo prologo libri, quem inſcripſit: *Ar-*
,, *bor vitæ Crucifixi*.

ARGUMENTUM.

Moritur Frater Arlottus Miniſter Generalis, & fit ſecundo Vicarius Ordinis frater Guillelmus Falgarius. Jubet Honorius Pontifex transferri corpus ſui prædeceſſoris Martini IV. ad Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſiatem, reſpondetque ad quædam dubia ſibi propoſita ab Inquiſitoribus Minoritis. Epiſcopus Waterfordienſis transfertur ad Eccleſiam Tuamenſem. Blanca filia ſancti Ludovici Regis in Clariſſorum Monaſterio ſe recludit, & quædam ædificantur Minoritis habitacula.

Moritur Generalis Miniſter.

Peregrin. de Bonon. in re collect. Ordin.

Marian. l. 3. c. 6.

I. MINISTER Generalis frater Arlottus hoc anno obiit Pariſiis, poſtquam Ordinem rexit menſibus dumtaxat undecim. Vir prudens erat & pius, ſub cujus regimine non mediocre ſperabatur Ordinis incrementum. Habuit ſub eodem Inſtituto conſodales ſuum genitorem, nobilem valde, ac generoſum virum, & tres Fratres Germanos ſui per omnia ſimiles, & virtutis imitatores. Suſcepit itaque Ordinis regimen, juxta conſtitutionem Capituli Mediolanenſis, a nobis relatam frater Guillelmus Falgarius in eiſdem Comitiis inſtitutus Vicarius generalis. Hic primus conceſſit, ut etiam Fratres laici ferre poſſent ſuffragia pro præſentandis ad gradus Academicos. Cum enim ille amicum quemdam ſuum præſentare vellet pro Baccalaureatu ſuſcipiendo, præſentiretque magiſtros, & ceteros ſcholaſticos non approbaturos hunc, ſed alium digniorem, voluit per Fratrum laicorum, & aliorum ſibi adhærentium ſuffragia adverſarios ſuperare. Eo aliquando animi paſſio, & partium ſtudium impellit, ut leges optimæ quæque evertantur, novæ & inconditæ ferantur, & aliud quidquid fiat, donec fiat, quod Rector intendit.

Guillelmus Falgarius fit Vicarius Ordinis.

II. Ho-

II. Honorius Pontifex, quem Martinus prædeceſſor teſtamenti executorem, uti diximus, anno ſuperiori conſtituit, cupiens ultimam ejus voluntatem, quoad ſepulturæ locum a ſe electum compleri, ſcripſit ad Præfectos & Cives Peruſinos ſequentes litteras, datis aliis ejuſdem ferme tenoris ad Epiſcopum & Capitulares, ut permitterent, imo & curarent ferri, cum honore ſancti Pontificis cadaver ad Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſiatis, erga quem Pontificem defunctum ſpecialis devotionis affectum habuiſſe teſtatur. Illi tamen ne ſancto privarentur corpore, & tantum ſibi præriperetur pignus, varias interpoſuerunt appellationes, in quibus audiendis, & rejiciendis elapſum eſt tempus, obiitque Honorius, neque fuit qui amplius translationem urgeret. Scribit Piſanus dum aliquot poſt annis reſarciretur Templum, inventum fuiſſe corpus omnino integrum, & Minoriticum, in quo ſepultus eſt, habitum illæſum. Hinc & ex crebris miraculis a Peruſinis colitur ut ſanctus.

Ann. 1285. n. 1.

Jubet Pontifex transferri corpus Martini IV. ad Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſiatem.

Nolunt dimittere Peruſini.

Dilectis filiis Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Peruſino.

III. *Sincera & antiqua illa, ſed non antiquata devotio, qua inter ceteras urbes Italiæ erga Romanam Eccleſiam matrem veſtram, Civitas Peruſina reſplenduit, firmam nobis fiduciam tribuit, ſpemque indubiam pollicetur, quod vos tamquam benedictionis, & obedientiæ filii, Apoſtolicæ Sedis votis affectus veſtros promptis animis conformantes, preces noſtras præſertim, quas juſtitiæ plenitudo non deſerit, ſubmoto difficultatis objectu, ad effectum celeriter perducetis. Sane fel. rec. Martinus IV. prædeceſſor noſter ob devotionis ſpecialis affectum, quem erga glorioſum & venerabilem beatum Franciſcum de Aſſiſio, cujus clariſſimis meritis Dei decoratur Eccleſia, Italia rutilat, veſtraque regio, quaſi quibuſdam ſpecialibus titulis inſignita refulget, in Eccleſia quæ in honorem ejuſdem Sancti apud Aſſiſium conſtructa dignoſcitur, elegit in ſua voluntate ultima eccleſiaſticam ſepulturam, nobis tunc in minori officio poſitis, & quibuſdam ex Fratribus noſtris hujuſmodi ſuæ voluntatis executoribus conſtitutis, poſtmodum autem ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium divina diſpoſitione vocati, magnis & arduis, quæ cura paſtoralis officii ſecum trahit, occupati negotiis, ad exequendam prædeceſſoris ejuſdem hujuſmodi voluntatem operarias manus exhibere nequivimus, prout & gerebamus in votis, & ipſius negotii qualitas requirebat. Cum itaque magno deſiderio cupiamus, ut pia prædeceſſoris diſpoſitio prælibati ſuum in hac parte conſequatur effectum, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus tamquam viri providi, & diſcreti, ac juſtitiæ zelatores ad exactæ conſiderationis reducentes examen, quod explorati juris exiſtit, quamque mortalibus debitum, ut extremæ voluntates ipſorum libere impleantur, reverendum præfati prædeceſſoris corpus non ſolum, juxta diſpoſitionem prædeceſſoris ejuſdem ad eamdem libere deferri Eccleſiam permittatis, quinimo illud illuc deportare volentibus tumulandum, ut id condigna honorificentia, dante Domino, agi poſſit pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, quam in veſtris actibus ſummopere conſervare vos condecet, favorabiliter aſſiſtatis, tanto nobis proinde propenſius placituri, quanto efficacius, & libentius, quod a vobis in hoc fiducialiter petimus, perducere curabitis ad effectum. Cupimus etenim, ut ſuper hoc ſic devote, ſic prompte vos gerere ſtudeatis, ut exinde non immerito poſſimus efferre vos laudibus, & aliud in hac parte proviſionis adhibere remedium non cogamur. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam Kal. Febr. anno 1.*

Ex Reg. Vat. n. 266.

Laudatur urbs Peruſina.

Item ſanctus Franciſcus.

IV. Bi-

IV. Bina invenio hoc anno reſcripta ad Inquiſitores Minoritas, primum ad fratrem Philippum de Bonaccorſo, alias de Mantua; in Marchia
An. 1279. n. 28. Tarviſina Inquiſitorem (quem diximus collatam ſibi Eccleſiam Raguſinam noluiſſe acceptare) quo in eiſdem tabelliones aſſignat. Secundum, ad fratrem Galganum Eugubinum in Ducatu Spoletano Inquiſitorem, in quo quaſdam ei præſcribit Regulas, qualiter procedendum ſit contra filios, ant nepotes hæreticorum. Utrumque hic ſubjicio ex Regeſto Vaticano.

Fratri Philippo de Mantua Ordinis Fratrum Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Marchia Tarviſina auctoritate Apoſtolica deputato.

Ex Reg. Vat n. 354.
Conceduntur Inquiſitoribus tabelliones.

Cum circa proſecutionem officii Inquiſitionis tibi commiſſi, miniſterium Tabellionatus officium exercentium, ſit plurimum opportunum; Nos volentes perſonæ tuæ gratiam facere, quæ dicti officii proſecutioni exiſtere valeat, & remaneat aliis nihilominus fructuoſa, diſcretioni tuæ concedendi, juxta formam, quam in talibus Romana ſervat Eccleſia, dilectis filiis Danieli Alberti de Liazane, & Blanco Francini civibus Veronen. prædictum tabellionatus officium, ut illud prudenter & fideliter exequantur, & ad eoſdem cum neceſſe fuerit, in iis, quæ ad officium ipſum pertinent, recurratur, plenam concedimus, auctoritate præſentium facultatem. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam XVI. *Kalend. Maii, anno* I.

Fratri Galgano de Eugubio Ordinis Fratrum Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Ducatu Spoletano.

Reg. Vat. n. 216.
Confert hac Bulla ad intelligentiam c. ſtatutum 1. & 2. de hæret. lib. 6.

V. *Exhibita nobis, dilecti filii Archioni militis, nati quondam Philippi dicti Pulmerii militis Spoletani petitio continebat, quod olim ſignificantibus felicis recordationis Alexandro Papæ prædeceſſori noſtro Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Italia deputatis, quod frequenter a Sede Apoſtolica committebatur eiſdem, ut tam hæreticos credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, quam ipſorum filios & nepotes privandi dignitatibus, perſonatibus, officiis publicis, & beneficiis Eccleſiaſticis de diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum conſilio haberent liberam poteſtatem, & qualiter hoc deberet intelligi poſtulantibus declarari, præfatas prædeceſſor eiſdem Inquiſitoribus per ſuas duxit litteras reſpondendum, quod de filiis & nepotibus illorum hæreticorum credentium, & aliorum hujuſmodi, qui modo tales eſſe probantur, intelligendum eſſe videbatur, non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtaret, ac pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam ipſi vel jam perfecerant, vel humiliter proſecutioni ejus inſtarent, vel parati fuerant, dum viverent ad recipiendum eamdem. Verum licet Inquiſitor pravitatis hujuſmodi tunc in partibus illis per Sedem Apoſtolicam deputatus, memoratum Philippum, qui ſibi confeſſus extitit, quod cuidam hæretico reverentiam faceret, quædam contra fidem Catholicam proferendo, privaverit bonis ſuis, ac idem Philippus injunctam ſibi propter hoc ab eodem Inquiſitore pœnitentiam perfecerit reverenter, ac tamdem ſicut vere Catholicus, receptis eccleſiaſticis ſacramentis, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſus, & ab Inquiſitore præfato etiam abſolutus; tamen Poteſtas, Conſilium, & Commune Spoletanum dictum Archionum, ejuſque filium, occaſione præmiſſorum ad officia Civitatis Spoletanæ pro ſua recuſant admittere voluntate. Quare præ-*

prælibatus Archionus nobis humiliter ſupplicavit, ut nos miſericorditer attendentes, quod idem Philippus, ſicut præmittitur, tamquam vere Catholicus, & fidelis Eccleſiæ Romanæ deceſſit, eumdem Archionum, & filios ejus decerneremus, juxta præmiſſum ejuſdem prædeceſſoris reſponſum, in aliquo puniri occaſione hujuſmodi non debere; ſed eos ad omnia ſecularia officia, & beneficia Eccleſiaſtica, & dignitates, ac ad omnes Ordines, impedimento hujuſmodi non obſtante, potius admittendos. Quia igitur de facto hujuſmodi, & ejus circumſtantiis habere poteris notitiam pleniorem: Nos gerentes de circumſpectione tua fiduciam ſpecialem in Domino, præſentium tibi auctoritate committimus & mandamus, ut diligenti inquiſitione præmiſſa, ſi prædicta inveneris veritate fulciri, & tibi etiam conſtiterit quod præfati Archionus, & filii non ſint de hæretica pravitate ſuſpecti, & in fidelitate, ac devotione Eccleſiæ ſupradictæ perſiſtant, ſuper quibus omnibus tuam intendimus conſcientiam onerare, auctoritate noſtra denuncies & declares, quod propter præmiſſa, vel eorum occaſione nihil eis poſſit objici vel opponi, quin ad omnia ſecularia officia, & beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi dignitates exiſtant, illis non obſtantibus, aſſumi libere valeant, & ii, qui litterati eſſe noſcuntur ad omnes Ordines promoveri, prout ſecundum Deum, & honorem Catholicæ fidei videris expedire. Quod autem ſuper his inveneris, & duxeris faciendum, nobis per tuas patentes litteras harum ſeriem continentes fideliter ſtudeas intimare. Datum apud ſanctam Sabinam v. Kal. Decembris anno II.

VI. Translatus hoc anno ab Epiſcopatu Waterfordiæ, noſtræ urbis nativæ, ad Archiepiſcopatum Tuamenſem Stephanus Fulbornius, quem ſuperius diximus ſuum dicere Hibernos Minoritas. Diſcordantibus electoribus, in quos compromiſſio facta eſt, quibuſdam Nicolaum Machin ejuſdem Eccleſiæ Canonicum, aliis fratrem Malachiam Minoritam Conventus Limiricenſis incolam poſtulantibus, atque utroque coram Pontifice apparente, viſum eſt Pontifici, & ſacro Senatui hunc a vinculis Eccleſiæ Waterfordienſis abſolvere, atque ad Tuamenſem transferre: *Romani Pontificis* IV. Idus Julii. Blancæ nobiliſſimæ fœminæ ſancti Ludovici Regis filiæ, & Philippi III. Gallorum Regis ſorori, olim nuptæ Fernando filio, & hæredi Regis Caſtellæ (Caſtulonenſium habet Æmilius) afflictæ, adverſitatibus innumeris circumdatæ, patre orbatæ, viri privatæ conſortio, germanorum ſolatio deſtitutæ, gravatæ inſuper de natorum ſubtracta præſentia, quos in ſua detinebant cuſtodia, ut alias diximus, Reges Aragonii; licentiam conceſſit, ut vivere poſſit intra ſepta Monaſterii de Humilitate beatæ Mariæ Virginis, Pariſienſis diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ cum mulierum & puellarum honeſtarum numero, Miniſtri Minorum, & Abbatiſſæ arbitrio moderando; de quo litteras dedit ad eumdem Miniſtrum & Abbatiſſam.

Anno 1284. n. 11.
Stephanus Fulbornius transfertur ad Eccleſiam Tuamenſem.

Æmil. in Ludovic. IX.
Anno 1277. n. 5.
Blancha regina vidua ſe recludit in Monaſterio.

VII. Memoratur a Mariano circa hoc tempus, fratrem Raymundum Barravi, virum pium, honorifice in Conventu Carcaſſonæ ſepultum, retuliſſe ſæpius ad correctionem aliorum fratrem Petrum de Trenalibus Guardianum Biterrenſem in extaſi factum, vidiſſe Bernardum ejuſdem Civitatis Epiſcopum, apud Lucianum tunc graviter ægrotantem ad judicium vocatum, & tandem terribiliter damnatum, propterea quod ex humili & ſordido genere ad Epiſcopatum aſſumptus, nepotes & conſanguineos ultra ſtatum ſuum ditaverit, nobilibus copulaverit mulieribus, & novum addiderit cognomen de Limbano, Caſtro Eccleſiæ, ut generis

Maria l. 3. c. 4. Chron. antiq.
Punitur Epiſcopus ob locupletatos nepotes.

diſſimularetur humilitas: atque eadem ipſa hora poſtea conſtitit Epiſcopum obiiſſe.

Conv. Urbini.

VIII. Ante hunc annum conſtructum Conventum Minorum Urbinatenſem Provinciæ Marchiæ, Cuſtodiæ Feretrinæ conſtat ex inſtrumento emptionis fundi, in quo domus eſt fabricata. Habuit plures viros præclaros. Ex authentico etiam inſtrumento, per Notarium Baſſianum Morenam compactum hoc anno in Civitate Laudenſi apud Inſubres, conſtat aliquanto antiquius eſſe Monaſterium Minorum ejuſdem urbis, quod ſancti Franciſci nuncupatur, cujus fundatores Antonius Siſſiraga, & conjux, Laudenſes cives aſſeruntur. Hi cum liberis carerent, ſibi adoptarunt in filios & hæredes Fratres Franciſcanos, & Sorores Clariſſas, quibus & ædea duas conſtruxerunt, & liberaliſſime neceſſaria quæque ſuppeditarunt. Ubi Fratribus erectum eſt domicilium præſtitit ædicula quædam ſancto Nicolao ſacra. Tranſiit ad Patres Obſervantes anno MDXXVII. dato Conventualibus loco opportuno, quem Obſervantes (qui in Conventu ſancti Joannis in amæniſsimo colle ad mille paſſus ab urbe ſito inhabitabant) intra civitatem in loco, qui viridarium, vulgo *giardino* dicitur, ſibi conſtituerunt intra urbis mœnia, ut commodius populo poſſent inſervire, eorum confeſsiones excipiendo, & verbum Dei prædicando. Primum autem illud Obſervantum habitaculum ab illis derelictum, ne hoſtibus arcis aliquando loco eſſet, ſolo æquatum eſt. Translatio porro illorum ad locum Patrum Conventualium confirmata eſt auctoritate Clementis VII. anno MDXXXIV. & diplomate Imperatorio Caroli V. dato anno MDXLIII. & alio Senatus Mediolanenſis an. MDLIV. Eccleſiam pulchram & magnam exornat ſepulcrum beati Leonis Minoritæ Epiſcopi Laudenſis, caput beati Michaelis a Carcano ejuſdem Inſtituti, atque aliud ſanctæ Oltillæ Virginis & Martyris, necnon ſepulcrum Joannis Siſſiraga Epiſcopi germani fratris ipſius fundatoris. Pertinet etiam ad hujus loci Fratres hoſpitium, apud oppidum ſancti Columbani erectum, quod excipiendis Prædicatoribus, atque Confeſſoribus eo miſsis opportune deſervit, dum adhuc Fratres noſtri in præſato ſancti Joannis Monaſterio commorarentur, ædificatum.

Conv. Laudenſis

Gonzag. in Prov. Mediolan. Con. 6.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ Lauda nobis miſſum recens diploma Innocentii IV. inſinuat ſtatim ſub initio naſcentis Religionis Fratres ibidem habitaſſe; ſed cum civitas premeretur tyrannica poteſtate Friderici II. Imperatoris, qui urbis primates in exilium egit, & inter alios Minoritam quemdam propter Sedis Apoſtolicæ tenacem obedientiam inique combuſsit, receſſerunt ad tempus, donec urbs crudelis Tyranni jugum excuſsit; & prædicti Pontificis auctoritate Sedem acceperunt, concedente eis Bon-Joanne Epiſcopo anno MCCLII. Eccleſiam ſancti Nicolai, cum hortis & domibus propinquis. Ad majorem rei confirmationem ipſum Pontificis diploma dabimus Lectori in Regeſto.

Monaſt. Werkin.

Meyer. ad hunc an.

IX. Hoc anno Iſabella Princeps conjux Guidonis a Dominico Petri cognominati (eſt autem Dominicum Petri vicus ac Dominatus in Comitatu Burgundiæ, haud ita procul Divione) Comitis Flandriæ, extruxit Parthenonem Clariſſarum in parochia Eccleſiæ de Werkin, de qua re dedit Pontifex litteras ad Epiſcopum Tornacenſem, in cujus diœceſi Monaſterium erat ædificandum: *Ex parte dilectæ*. II. Non. Februarii. Alium conſtruxit in Novo Caſtro ſuper Tynam diœceſis Dunelmenſis in Anglia nobilis vir Joannes de Veti, cui in hunc finem vendi juſsit Pontifex domum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti, datis litteris ad

Monaſt. Novi Caſtri.

Ar-

Archiepiſcopum Eboracenſem, & Dunelmenſem Epiſcopum: *Dilectus filius*. III. Non. Novembris.

X. Hoc anno Honorius conceſſit Fratribus, ut per quoſcumque mallent Epiſcopos poſſent facere ut Eccleſiæ, altaria, & Oratoria ſua, diœceſanis negantibus, benedicerentur: *Ex parte veſtra* XV. Kalend. Februar. Decrevit etiam, conventiones & pacta facta a Fratribus cum Prælatis, Eccleſiarum Rectoribus ſive Clericis in præjudicinm Ordinis eſſe omnino irrita & inania: *Religionis favor*. IV. Idus Februarii; quod etiam conceſſiſſe Alexandrum IV. diximus ſuperius. Hoc ipſum privilegium conceſſum eſt Fratribus Prædicatoribus XIV. Kal. Februarii, & habetur in Regeſto Vaticano. Collegit inſuper omnium Minorum privilegia in uno diplomate, quod Mare magnum communiter appellatur, quæ etiam confirmavit. In Mari magno Sixti IV. omnium copioſiſſimo, illud item continetur, quare non eſt cur ſeorſim curemus aſcribi. Privilegia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. DAtis litteris hoc anno ſummus Pontifex pro Terræ ſanctæ di- Litteræ pro Terra ſancta & Legato.
,, ſpendio ad Regem Norvegiæ: *Intelleximus quod &c.* Nonis
,, Januarii. Legatum pro Monialibus Pariſienſibus approbavit: *Ex par-* Mon. Pariſien.
,, *te cariſſimi &c.* V. Idus Januarii: ac Fratribus ſubinde indulſit, ut *Indic. ex Oder. n. 14. Vatic.*
,, Ordinariis Diœceſanis ultra quatuor menſes retardantibus, poſsint
,, primarium lapidem novarum ſuarum ædium, & alia hujuſmodi a quo-
,, cumque alio benedictionem habere: quæ clarius ex tenore ejuſdem
,, diplomatis, quod hic exhibemus, intelligi poſſunt.

HONORIUS EPISCOPUS &c.

Dilectis filiis Generali Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

,, *EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis per* *Ex. Spec. tr. 2. fol. 25.*
,, *ſpecialia privilegia Sedis Apoſtolicæ ſit indultum, ut ad Civitates*
,, *vel Villas, ubi religioſe ac honeſte commorari poſſitis, a populis evocati,*
,, *accedere, ibique pro veſtris uſibus ædificia, & Eccleſias, ſeu Oratoria*
,, *conſtruere valeatis: Diœceſani tamen locorum in Eccleſiis, ſeu Orato-*
,, *riis, quæ de novo vultis conſtruere, primarium lapidem ponere, ac con-*
,, *ſtructa conſecrare, ac cemeteria vobis, juxta Eccleſias vel Oratoria præ-*
,, *dicta, benedicere denegant pro ſuæ libito voluntatis: aliqui vero Diœce-*
,, *ſanorum ipſorum cum ad Eccleſias, & loca veſtra pro præmiſſis exequen-*
,, *dis accedunt, propter evectionem, & perſonarum multitudinem, quas*
,, *ſecum ducunt, gravant vos non modicum in expenſis: quare nobis humi-*
,, *liter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna ſollicitudine cura-*
,, *remus.*
,, *Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtræ aucto-*
,, *ritate præſentium indulgemus, ut ſi Diœceſani prædicti, a vobis humili-*
,, *ter requiſiti, hujuſmodi lapidem in prædictis Eccleſiis, vel Oratoriis po-*
,, *nere, ac Eccleſias vel Oratoria prædicta, ac etiam Altaria veſtra conſe-*
,, *crare, & cemeteria benedicere denegaverint, vel id facere ultra qua-*
,, *tuor menſes diſtulerint: vos per quoſcumque malueritis Epiſcopos, gra-*
,, *tiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, præmiſſa recipere*

 li-

„ *libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ*
„ *apud ſanctam Sabinam* xv. *Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri an-*
„ *no* 1.

Indic. ex Vatic.

Concedit fundationem Monaſterii de Vockin.

Oder. n. 16. 27.

„ II. Præterea fundationem Monaſterii de Werkin in Flandria con-
„ ceſſit: *Ex parte veſtra &c.* II. Nonas Februarii: & ſub eadem data
„ Guardiano Tornacenſi executorialem: *Ex parte dilectorum &c.* &
„ Guardiano Urbevetano: *Expoſuit nobis &c.* & Guardiano Aſtoricenſi
„ aliam executorialem: *Nuper audivimus &c.* Nonis Junii: Scripſit
„ etiam Epiſcopo Caſtellano, ubi de fratribus Fidentio, & Alexandro
„ Minoritis: *Olim tibi &c.* xv. Kal. Aprilis: & pro negotiis Chriſtiani-
„ tatis, præſertim Terræ ſanctæ, breve expedivit: *Qualiter &c.* III. No-
„ nas Auguſti.

Petr. Odar ex 3. Ord. obit.

Mon. Prov. Turon. m.

Sup. ad an. 1274 n. 5.

„ III. Julioduni, ſeu Loſduni in diœceſi Pictaviæ interea Tertii
„ Ordinis Seraphici inſtitutum cum maxime per hæc tempora floreret,
„ inter ejus alumnos Petrus *Odar*, Dominus de Curſans, nobilitate
„ ſanguinis clarus, ſed chriſtiana nobilitate clarior, maxime emicuit:
„ qui Religionis peramans, dum ſpiritum redderet Deo, ſuum corpus
„ in noſtri Conventus Eccleſia ibidem Loſduni, ſepeliri mandavit: obiit
„ hoc anno MCCLXXXVI. ſepulturæque datus eſt die XXIV. Novem-
„ bris.

Eccleſia ſancti P. Franc. Aſtæ conſtruitur.

Sup. ad an. 1213. n. 8.

Comitia capit. Prov. Boemiæ.

Ughel. Ital ſac. To. 4. fol. 548.

„ IV. Aſtam Urbem in Liguria ſubalpina ſancto Patri Franciſco
„ Eccleſiam ſancti Joannis de Palude, pro ſe & ſuis Fratribus obtuliſſe
„ diximus, licet eam nonnulli dicant ſanctæ Mariæ: hoc autem anno
„ commemorandum eſt Civium eleemoſinis Fratres aliam, quæ nunc
„ extat, ſancto Patri Franciſco dedicatam conſtrui curaviſſe, ut habet
„ Ughellus. Interea Ceslaus in provincia Boemiæ, & Poloniæ Comitia
„ cogit Olmucii in Moravia, ex teſtimonio *Furſtenbain*, & Conventus
„ *Brzezenicia* in Polonia acceptatur, qui poſt duos annos translatus fuit
„ *Radomſcium*: at interea Ceslaus ab Officio Miniſteriatus uſque ad Ca-
„ pitulum Generale fuit ſuſpenſus.

ARGUMENTUM.

Moritur Honorius IV. Laborat indefeſſe Raymundus Lullus pro converſione Sarracenorum. Celebrantur Comitia generalia, in quibus eligitur duodecimus Miniſter generalis frater Matthæus Aquaſpartanus. Tartaris Poloniam devaſtantibus, beata Cunegundis Clariſſa, olim Regina, cum ceteris Virginibus abiit in montana. Plurimorum Sanctorum per varias Provincias ſub hoc tempore florentium vitæ ſub compendio referuntur. Frater Engleſius aſſumitur ad Epiſcopatum Novarienſem; & Minoribus conſtruuntur domicilia.

Moritur Honorius Papa.

Tom. 3. an. 1251. n. 59.

Platina in Honor. IV.

I. MORITUR hoc anno Honorius Pontifex ipſis Nonis Aprilis, poſtquam ſedit in Pontificatu annos duos, dies duos. Funus elatum ex ſanctæ Sabinæ Palatio ad ſanctum Petrum, exinde ad Baſilicam Aracœli in ſepulcrum gentilitium, uti alias diximus, translatum. Vir fuit vitæ probatiſſimæ, conſilii & prudentiæ tantæ, ut de illo Platina ſcripſerit: *Solus plura videbat, quam omnes ſimul, qui tum in Urbe aderant*. Eccleſiæ jura contra invaſores conſtanter defendit, fidei Chriſtianæ

næ dilatationem ſummo ardore deſideravit, ita ut pro convertendis Sarracenis, & reducendis Schiſmaticis Orientalibus, Arabicæ & aliarum peregrinarum linguarum ſtudium Pariſiis, ab Innocentio, Alexandro, & Clemente hujus nominis IV. ut inſtitueretur ſæpius præceptum, atque ab intermediis Pontificibus ſolerter commendatum, ille omnino inſtitui voluerit, de quo ſuas litteras dedit ad Joannem Cioletti tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinalem, in Gallia Sedis Apoſtolicæ Legatum, quæ adhuc leguntur in Regeſto Vaticano. *Regeſt. Honor. an. 1. n. 170.*

II. Hujuſmodi Collegiis Orientalium linguarum, & præcipue Arabicæ pro Mahumetanorum converſione inſtituendis, magno labore & ſummo ſtudio incumbebat hoc tempore Raymundus Lullus Catalanus, quem ſuperius diximus induxiſſe Jacobum Regem Majoricarum, ut in ſuo Regno ex his unum erigeret: ſcribitque auctor coævus, & totius vitæ conſcius in ejus vita apud me MS. eum hoc ipſo anno Romam veniſſe hujuſmodi Collegia inſtituendi, & ſtabiliendi gratia, mortuoque Honorio Lutetiam perrexiſſe, ut cauſam hanc proſequeretur. Ibi ex mandato Cancellarii Bertoldi novum illud ſuæ ſcientiæ & artis genus publice in aula litteraria perlegit; ſed dum parum aut nihil in ea proficerent ſtudioſi, abiit Montem-peſſulanum ad Jacobum Regem Majoricarum. Hic per aliquod tempus hæſit, ubi artem hanc, quam veritatis inventivam appellandam cenſuit, clariorem reddere ſtuduit, reſectis multis figuris & notis, relictis ex ſexdecim, quæ prius erant, quatuor dumtaxat. Dehinc Januam, ubi librum hunc ſuum reddidit Arabicum, mox Romam venit acturus cum Nicolao IV. de fundandis ubique locorum Monaſteriis, aut Collegiis linguarum Orientalium. Sed propter varias rerum viciſſitudines, & rei Chriſtianæ tumultus, Pontificis animum per graviora diſtractum probavit, neque ſperavit ſe quidpiam in hac re impetraturum. Rediit itaque Januam, illinc in Africam transfretaturus, ut vel ſolus tentaret, quod per plures fieri cupiebat operarios, converſionem Sarracenorum. Gaviſi ad ejus adventum maxime commendabant viri pietatem, & animarum zelum, qui pro eiſdem ſalvandis propriam negligeret ſalutem. At, dum omnia eſſent in promptu, libros & utenſilia quæque in navi reconderet, neque quidquam deeſſet, quam ut navim conſcenderet, exorta ei profunda futurorum cogitatio, & præſens imminentis periculi metus, cui ex humana imbecillitate ſuccumbens, ibidem remanſit. Sed ut navis Janua ſolvit, ſuam ſecum condemnans puſillanimitatem, & ſcandalizatos credens Januenſes, quod virum quem eouſque commendabant, atque communi hominum ſorti præferendum exiſtimabant, viderint nulla graviori cauſa, quam mortis, vel ærumnarum metu a pio propoſito reſiliiſſe, incidit in gravem mentis, & corporis languorem, graviſsimum putans hoc peccatum, neque leviter ſolvendum. Quare continua pœnitudine facti, & lenta tabeſcens febri, nulli explicato ſuo dolore, ad nihilum ferme eſt redactus. Ad veſperas autem Pentecoſtes deferri ſe fecit in domum Fratrum Prædicatorum, ubi audito hymno *Veni Creator Spiritus*, enixe oravit ſibi prædictum condonari reatum; deinde apud eoſdem Patres in lecto jacens mira commotione fluctuabat de mutando peregrini habitu in religioſum, & ſuſcipiendo vel Prædicatorum, vel Minorum Inſtituto. Domum regreſſus, & infirmitate gravatus, Minorum petiit veſtem, nec tamen tunc obtinuit. Euchariſtiæ ſacramentum in nuda terra genibus flexis, oſculatiſque prius ſacerdotis pedibus devote ſuſcepit; & teſtamentum condidit, Chriſtiani hominis munia morti præmittens.

Raymun. Lullus laborat pro converſione Sarracenorum.

Anno 1276. n. 7. Vita MS. Raymun.

Varias in hunc finem peragrat regiones.

Trajicere tentat in Africam.

III.

III. Moleſta deinde agitatus tentatione, ſed & magno ardore proximorum atque infidelium anhelans ſaluti, audiens in portu eſſe trire-
Illuc navigat. mem, quæ Tuniſium erat transfretatura, languentem quamvis & dolentem in illam ſe vehi fecit & libros. Sed inde quantumvis nolentem amici & pii viri retraxerunt, videntes certum ex navigatione mortis imminere periculum. Detinere tamen non poterant, quin navem actuariam illuc vela facturam paulo poſt melius ſe habens, conſcenderet. Ut ſoluerunt, cœpit cordis nubilum diſſolvi, & ægritudo diminui, itaut intra paucos dies perfecte convaluerit, & ad Urbem appulerit præno-
Diſpuat cum Sarracenis. minatam. Hic frequentes habuit diſputationes cum peritis quibuſque Sarracenis, inſtillavitque multis humaniorem legis Evangelicæ conceptum, quorum aliquos ſperabat ad eamdem reducere: ſed qui inter magiſtros illorum erat potiſſimus, Regem admonuit periculi ſuæ gentis ſeducendæ, cui ſi conſultum vellet, protinus capite plecti juberet Chri-
Detruditur in carcerem. ſtianum hunc ſeductorem. Detruſo in carcerem Raymundo, convocati Seniores, qui de morte inferenda deliberarent, parum abfuit, quin mortis promulgaretur edictum; ſed hominis gravitatem in dicendo, efficaciam in perſuadendo, & in aſpectu reverentiam, narrante quodam flamine veterano, dilata mortis ſententia, interdictum illi Tuniſii Regnum ſub pœna capitali, in quo ſi denuo appareret, lata eſt lex ut lapidibus obrueretur. Dum extraheretur e carcere, & ad navem quamdam Januenſium duceretur alapis, verberibus, opprobriis & ærumnis multis affectus eſt: neque tamen ad hæc adeo doluit, quin magis diſpliceret multorum converſionem imperfectam relinquere, quos deſiderabat fa-
Ejicitur ex Regno Tuniſii. cris aquis intingi. Dum per aliquot dies in navi hæreret, in Civitate apparuit Chriſtianus veſte & facie conſimilis, quem lapidare cœperunt Sarraceni, clamantes a Rege ita ſtatutum ut lapidaretur reverſus Raymundus. Ferme ille perierat ſub Raymundi ſpecie, neque ex illorum manibus eripi potuit, donec ſpeculatores retulerunt in navi hominem
VenitNeapolim. latitare. Nulla ergo tunc majoris lucri ſpe relicta, transfretavit Neapo-
An.1284. n.1. lim, ubi uſque ad Cæleſtini V. electionem remanſit.

IV. Poſt obitum Honorii frater Guillelmus de Falgsrio, quem di-
Capitulum generale 27. ximus Miniſtri Generalis Arlotti anno præterito defuncti vices ſubiiſſe, convocavit hoc anno ſub feſto Pentecoſtes ad Comitia generalia in Mon-
Matthæus Aquaſpartanus Miniſter Generalis duodecimus. tepeſſulano celebranda, quos oportebat intereſſe. In eo electus eſt duodecimus Miniſter Generalis frater Matthæus Aquaſpartanus, Lector ſacri Palatii, & ſacræ Theologiæ Magiſter Pariſienſis, Provinciæ ſancti Franciſci, & Conventus Tudertini alumnus. Succeſſit illi in munere
Minoritæ Lectores Palatii Apoſtolici. Lectoris Palatii Apoſtolici prædictus Guillelmus de Falgario Toloſanus, huic vero ad Epiſcopatum Vivarienſem in Gallia aſſumpto, frater Joannes de Muro. Eadem controverſia, quæ in ſuperiori capitulo mo-
Controverſiæ inter Capitulares. ta eſt, in hoc etiam fuit excitata circa ſuffragia electorum. Contendebant quidam a ſingulis omnium Provinciarum Cuſtodibus ſuffragia ferenda, cum eo uſque nonniſi ab uno omnium Cuſtodum vices gerente, qui Cuſtos Cuſtodum dicebatur, ferrentur. Controverſiam hanc atque alteram de eligendo Vicario Generali terminavit poſtea Nicolaus IV. quem
Rodul. fol.239. perperam, ait Rodulphus in hoc capitulo, & tertio ſui Pontificatus anno eas diremiſſe; cum ille Pontificatus Nicolai annus, nonniſi in MCCXC. Chriſti annum inciderit, neque adhuc hoc anno fuerit ad Pontificatum aſſumptus. Quo autem certo tempore hæc ſtatuerit, nos ſuis locis narrabimus opportunius.

V. Tar-

Bzov. an. 1286. n. 5. Cormer. lib. 10. Miechov. lib. 3. c. 60.

V. Tartari boc anno (non præcedenti ut habet Bzovius, contra fidem auctoris a ſe citati, & aliorum ſuæ gentis hiſtoricorum) magna irruptione facta in Ruſſiam, Maſſoviam, Sandomirienſem tractum, & præcipuas Poloniæ regiones, Cracoviam pridie Natalis Chriſti pervenerunt. In cujus oppugnatione cum nonnullos fortes viros amiſiſſent, & Leſcum Ducem cum uxore, & Primoribus in Hungariam profugiſſe didiciſſent, majore licentia & furore in pagos & oppida uſque ad Carpaihum montem debacchati, Sandecenſe tamen Monaſterium, pavore, ut creditum eſt, divinitus immiſſo, non attigerunt, quamquam abeſſet tum inde ſancta Chunegunda; nam cum duabus Sororibus Jolenta, & Conſtantia, quæ Danielis Ruſſorum Regis uxor fuerat, & cum univerſo cœtu Monacharum, quæ ad ſeptuaginta fuere, ad hæc cum magna ſacerdotum & equeſtrium hominum caterva in Pieninam arcem, natura loci munitiſſimam, ac unum tantum & eum quidem peranguſtum aditum habentem ſeſe receperat. Tamdem ſatiati cædibus atque præda, Barbari in Ruſſiam reverterunt. Tantam autem hominum prædam tunc abegiſſe dicuntur e Polonia, ut cum eam apud Wladimiriam recognoſcerent, & inter ſe partirentur, unum & viginti millia innuptarum puellarum cæſa eſſe dicantur.

Tartari deprædantur Poloniã.

B. Hermannus Gerſtadenſis.

VI. Obiit boc anno beatus Hermannus de Gerſtadem Provinciæ Saxoniæ in Conventu Mulhuſem. Profundam ſectatus humilitatem deſpectiſſimis quibuſque & contemptibilibus obſequiis ſe ingerebat. Arctam paupertatem ita coluit, ut nullius rei, niſi quam extrema requirebat neceſſitas, ſibi uſum reſervaret. Salutem animarum ſummopere zelatus ad aſpera, montuoſa, & ab aliis neglecta oppida magno ſui incommodo & victus penuria pergebat, ſilveſtribus & rudibus prædicans ruricolis, eoſque ſollicite in via Domini inſtruens, apud hos ſolo pane & aqua contentus. Confeſſiones audiebat aſſidue, ſana & chriſtiana conſilia ſemper impendens, pauperum potiſſimum curam agens, divitibus enim dicebat non deeſſe qui ſollicitius inſerviant. In vita & poſt mortem multis claruit miraculis; tres infantulos in vulvis mortuos, puerulos duos, & puellam annorum duodecim, aquis ſubmerſos ad vitam revocavit. Infantulum tabeſcentem, & ubera faſtidientem, mulierem a ſejugo curru oppreſſam, alteram in partu animam agentem, atque alteram poſt partum morientem a mortis faucibus eripuit, cæcos novem, oculis maculoſos plures, mutos tres, ſurdos duos, mulierem verme in aure laborantem, contractos ſexdecim, morbo caduco frequenter afflictam, paralyticos duos, amentes & furioſos totidem, gibboſum unum perfecte ſanavit. In periculis & carceribus conſtitutos plures, ab infirmitate gravi fœminam, ab hectica febre alteram, a ſyncopi tertiam, a partus dolore quartam, a fluxu ſanguinis vulneratum adoleſcentem, a laquei tentatione alterum mirabiliter liberavit. Res furto ablatas, errantia & perdita animalia miro modo reſtituit. Multa alia eaque egregia per merita hujus optimi Viri operatus eſt Deus miracula, per quæ ejus ſanctitatem confirmavit.

Piſan. confor. 8. Marian. l. 3. c. 9. Rodul. fol. 107.

Ejus virtutes.

Multa ejus miracula.

B. Joannes primus Miniſter Hungariæ.

VII. In Provincia Hungariæ, & Cuſtodia Zirimienſi apud Villam Francam conditus frater Joannes primus illius Provinciæ Miniſter, vir princeps, miraculis clarus. Tres mortuos ad vitam revocavit: ex his duo erant Minoritæ, quos probe ait, qui ejus geſta compendioſe ſcripſit, ſe cognoviſſe, necnon tertium arte coriarium, eumque dum illa ſcribebat, tunc ſupervixiſſe. Addit, ſibi narraſſe, fœminam ſe veluti exanimem

Digitized by Google

mem abſque ulla vitæ functione diebus novem jacentem, repente exſuſcitatam a Joanne ſibi apparente. In quodam illius Provinciæ Conventu prædixit Fratribus, ſe illo ipſo die ex hac vita migraturum, rogavitque ut cadaver ferri curarent Villam Francam, inde octo milliaria Italica diſtantem; noverat enim locum illum ubi tunc habitabant, a Fratribus derelinquendum. Obiit, ut prædixit, & cadaver ſuper plauſtrum impoſuerunt Fratres; ſed antequam equos admoverent, dum parumper volebant refici, nullo trahente, currus abiit in deſtinatum locum, flumenque tranſivit: cujus veſtigia ſequentes non ſine ſtupore Fratres invenerunt poſitum ad clauſtri ingreſſum,ubi Vir pius ſibi ſepulturæ locum elegit. Habetur ibidem magna in veneratione clarus miraculis. Succeſſit huic in Miniſteriatu Joannes alter, ſanctitatis particeps, qui curavit Petrum de Teria ſuum ſucceſſorem a gravi infirmitate. Conditus eſt in Eccleſia ſancti Joannis Evangeliſtæ in civitate Budæ, & Cuſtodia Albienſi. Poſt prædictos duos Miniſtros rexit frater Petrus Provinciam ſub hoc anno, vitæ ſanctimonia illuſtris. Sepultus eſt in pariete Eccleſiæ Budenſis prædictæ, illuminavitque cœcum ad ſepulcrum orantem, & plures a variis infirmitatibus liberavit. In eadem Provincia, in Cuſtodia & Conventu Strigonienſi ſanctæ Mariæ nuncupato, requieſcit frater Gallus devotiſſimus, ſacræ Theologiæ Lector, ex cujus ſepulcro ſuſcepta modica terra ægrotis medetur.

Joannes alter ſecundus Miniſter. *B. Petrus tertius Miniſter.* *B. Gallus.*

B. Ægidius.

VIII. In eodem Conventu Strigonienſi vixit frater Ægidius laicus, modo cocum, modo agens oſtiarium. Carnes numquam edit, nec vinum bibit, viſuſque eſt frequenter extra ſe raptus, & a terra elevatus. Hora prandii dum Guardianus nihil videret paratum, perquiſivit ubique Ægidium tunc architriclinum, invenitque in cella promptuaria extra ſe factum, in aere hærentem immobilem, atque a terra adeo remotum, ut neque ſummis digitis eum poſſet attingere. Dum ſummo mane vinum vellet haurire,appoſito fiſtulæ œnophoro ſeu cantharo, epiſtomium manu tenens abiit in extaſim, in qua hæſit uſque ad horam ſextam, neque vinum everſum eſt, dum pleno cantharo, cadus liquorem ultra non reddidit. Novem ægrotavit diebus, & ultimo dum de illius ageretur ſepultura, circumſtantes perite alloquebatur Latino idiomate, cum numquam litteras ullas didicerit, ſignificavitque ſibi adfuiſſe ſanctos Patrem Franciſcum, Antonium, & Bernardum. In vita & poſt mortem in ſignis & prodigiis fuit glorioſus. Ultra hoc requieſcunt in eadem Provincia in Chara-Villa frater Joannes Cuſtos, & frater Henricus Teutonicus, viri ſanctiſſimi.

BB. Joannes & Henricus.

B. Rogerius. *Marian. cit. Antonin. tit. 24. c.9. §.9.*

IX. Hac ipſa tempeſtate vivebat vir perfectiſſimus frequentis extaſis,& profundæ contemplationis frater Rogerius de Provincia Provinciæ. Divina revelatione hoc Inſtitutum amplexus, in ipſo tirocinii limine mutatus eſt in virum alterum, itaut videretur multis annis alios edocuiſſe. Ad majoris meriti cumulum permiſit eum Dominus tentari vehementer, vicit tamen, divina opitulante gratia, moleſtias, neque amplius in reliquo vitæ tempore gravem ſenſit tentationem, neque mortalem admiſit reatum, uti ejuſdem confeſſarius frater Raymundus Petri plenam fecerat fidem. Perfectiſſima contritione & intenſiſſimo cordis dolore obtinuit a Domino plenariam omnium peccatorum remiſſionem. Confitebatur ſæpiſſime, idque magna amaritudine cordis, ſepties vel octies die uno, & quinquies in anno generaliter omnes recenſebat reatus ea diligentia & claritate, ut inordinatos quoſcumque metus mentis & cor-

Ejus virtutes.

& corporis exprimeret perfecte. Ad tantam pervenit mentis ſerenitatem, ut neque ad humanas laudes, neque ad divina beneficia magna & frequentia, quidquam extolleretur, aut vanæ gloriæ agitaretur impulſu: in victu & veſtitu, ſecundum exteriorem hominem ceteris conformabatur Fratribus, ſecundum interiorem vero mirum adinvenit abſtinentiæ genus, ad ſingulas quippe buccellas mentem elevabat in Deum, & ſic per talem abſtractionem nitebatur non ſentire cibi ſaporem: ſentiens vero non elevata mente, neque ab humanis abſtracta, omnino ab eſu abſtinebat. Diligentiſſime ſuper exteriorum ſenſuum cuſtodia invigilabat, neque ullatenus verba otioſa aut inutiliter prolata, multo minus murmuratoria poterat audire. Confeſsarium ſuum prædictum Raymundum alias virum perfectum ſemel audivit otioſe aut jocoſe loquentem, cui cuſtodis auctoritate, qua tunc pollebat, injunxit, ut pro quolibet verbo otioſo diceret flexis genibus Pſalmum *Miſerere mei*, Symbolum Apoſtolicum, & Antiphonam *Salve Regina*, neque quantumvis rogatus voluit revocare aut minuere pœnitentiam, niſi in eo dumtaxat, ut non teneretur prædicta flexis genibus ſtatim ubi peccaret, recitare. Mulierum ſolerter fugiebat aſpectus, neque matrem quantumvis vetulam audebat in faciem reſpicere: admiratus de his Confeſſarius, qui puritatis ejus & caſtæ mentis erat conſcius, interrogavit eum, ut quid ita inurbane ſe gereret, ut nec in matrem, nec in heroinam nobilem, quæ ſæpius eum venit allocutura oculos erigeret, præſertim cum per Dei gratiam a malis cogitationibus & concupiſcentiis, quas videret, videretur eſse alienus? Cui reſpondit: *Quamdiu homo facit, quod in ſe eſt, occaſiones peccandi & pericula fugiendo, Deus facit, quod ſuum eſt, eum a malis præſervando. Quod ſi homo ſe periculo temere exponit, præſertim in tali materia, ad quam ex vitio depravatæ naturæ eſt valde propenſus: juſte committit eum Dominus propriis viribus, in quibus confidit, per quas non poterit tentationibus omnibus reſiſtere, ſed facile ſuccumbet. Et ſi aliquando poſſint videri mulieres abſque mortali reatu concupiſcentiæ, difficile eſt non aliquid hærere, quo ſtatim fiat venialis peccati reus, qui eas intuetur: at verus Dei ſervus tanta ſolertia cavet ſcienter incidere in veniale, quanta ſi eſſet mortale graviſſimum.* Et ſæpius, inquit ejus Confeſsarius, hæc verba audivi promentem: *Tanta cura vitarem veniale minimum, qua mortale maximum peccatum. Ea ſane perfectorum virorum conditio, ut vel in minimis Deum, quem ſumme diligunt, offendere perhorreſcant, & quidquid potius pati velint, quam ea quæ prius negligebant, incaute perpetrare. Nam quæ prius noxio torpore torpeſcentes, vel otioſa verba, vel inutiles cogitationes minoris eſſe reatus credunt: ſi igne compunctionis incaleſcentes, a torpore ſuo tacti ſubito afflatu contemplationis evigilent, illa quæ levia paulo ante crediderunt, mox ut gravia ac mortifera perhorreſcunt. Cuncta enim vel in minimis noxia, quaſi atrociſſima refugiunt: quia videlicet animæ per conceptionem ſpiritus gravidæ, introire ad ſe jam inania nulla permittunt.*

Cuſtodia oculorum.

Gregor. lib. 31. Mor. c. 1.

Valde extaticus.

X. Altiſſimam aſsecutus Dei cognitionem, & profundiſſimam contemplationem myſteriorum cœleſtium: *Mihi*, inquit Confeſsarius, *verba facienti de extatico fratre Ægidio Aſſiſiate, ejuſque creberrimis raptibus reſpondit; menti defæcatæ, & in Deum elevatæ facillimum eſſe in extaſim agi, & addidit ſe cognoviſſe hominem, qui uno dumtaxat die ſæpiſſime reſtitit violenter ne extra ſe fieret, tantaque vi indiguiſſe ut non raperetur, & Deo per extaſim conjungeretur, quanta alii uti ſolent, ut ad eum ap-*

propinquent. Cum vero objicerem; mirum eſſe inveniri aliquem, qui hujuſmodi beneficium velit reſpuere, dixit: *Dei ſervos humiliter de ſemetipſis ſentire, & tanta conjunctione indignos ſe reputare, quod ſi de ſervorum conditione tranſeant ad ſtatum filiorum, ſecurius ſe quidpiam audere, & liberius ſe permittere introduci ad penetralia majeſtatis divinæ. Non itaque omnes*, aſſerebat, *ſervi Dei audent in ejus amplexus & oſcula ruere, dum enim Dei majeſtatem contemplantur, ſuam vilitatem clarius aſpiciunt, & indignos ſe reputant tanto beneficio*. Hominem autem illum, quem ſe cognoviſſe dixit, judicat Confeſſarius non alium a ſemetipſo fuiſse, additque quod dum in hebdomada ſancta ſæpius illa verba: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*, cum magno repeteret ſingultu, atque ipſe cauſam importune interrogaret, reſpondit: *Nonne valde infirmata eſt virtus animæ meæ, quæ non poteſt ſuſtinere Deum meum? qui dum intime ſe ei communicat, & nimia replet dulcedine, oportuit exclamare & dicere: Domine recede a me, quia non poſſum abundantiam tuæ ſuavitatis ſuſtinere*.

XI. Ita erat ab humanis abſtractus, ut ciborum ſapores, rerum valorem, aut colores nequiverit diſcernere. Dedit ei Guardianus obſcurioris coloris, & melioris panni habitum, quod cum ei diceretur poſt dies octo, quibus eum gerebat, admiratus, ſtatim depoſito habitu, rogavit præfectum nonniſi communis panni, & ejuſdem quem aliis dederat Fratribus, ſibi veſtem concedi. Licet in communi converſatione, & ſtatu ſubditi efset benignus valde & affabilis, attamen aliis præfectus, ex zelo animarum & divini honoris in correptionibus durus erat & inflexibilis, ita ut ipſos terreret innocentes. Ut impoſitas pœnitentias remitteret, quantumvis flexis genibus rogaretur, non poterat flecti, illa adducta ratione: Moyſes mitis & populo, quem regebat, ſumme addictus; ut ei Deus miſereretur, & peccata dimitteret, inſtantiſſime orabat; & aliunde ipſe non verbis, ſed gladio illorum caſtigabat errores: *Ego etiam me teneri ſcio, ut pro Fratrum peccatis orem, ſed Dei offenſam, ut ipſe facilius indulgeat, duriori debeo corrigere diſciplina*. Illud tamen ei contulit Dominus, ut non magis exaſperarentur, ſed potius emollirentur hujuſmodi increpationibus animæ ſubditorum, & correctionis fructum ſemper reportaret.

In præfectura durus peccatorum correctror.

XII. Tanto caritatis fervore in Deum ferebatur, ut ex ſignis exterioribus videretur eumdem ſemper habere præſentem. Pſallens, ſive manducans, ſive cum aliis converſatus frequenter oculos in cœlum extollebat, devote corpus inclinabat, repentinoque rubore facies immutabatur, & profunda ex imo corde prodibant ſuſpiria, neque omittebat, quantumvis alii adeſſent, quæcumque reverentiæ ſigna adhibere, quaſi præſentem Deum aſpiceret, eique loqueretur. In nullo actu, qui ad Dei cultum, vel proximi ſpectabat utilitatem verecundabatur: dicebatque eum verum amorem non eſse, qui omnem non expelleret inanem verecundiam. Quotidie ferme rem ſacram faciebat, & tanto amoris impetu in miſsa volvebatur in gyrum, ut caſurus videretur. Completo vero ſacrificio, abſcondebat ſe, nec longo poſt tempore apparebat in publico. Devotio ejus erat pura & ſincera ſine exterioribus lacrymis, ſine eloquio multo aut copioſo, ſine aliorum ſuga, aut macilentæ faciei pallore, vel veſtitus ſqualore; ſed omnibus omnia factus, hilarem & jucundum ſe omnibus exhibebat.

Devotus in divinis miniſteriis.

XIII. Quantumvis omnem vanæ gloriæ auram a ſe longe faceret, di-

dicebat tamen, quod ſi quæ in ipſo eſſent virtutes, cuperet eas ſciri ab univerſis: *Quia certiſſimum eſt*, inquit, *nullum habere boni quidpiam ex ſe ipſo, aut ſuis meritis, ſed ex Dei benignitate. Abſcondam ergo ego dona Dei mei, & laudem ſibi debitam ego ſubtraham? Imo certe velim, quod totus mundus ſciret & videret mirabilia ejus, & magnitudinem dignationis ſuæ, qui taliter voluit viliſſimum vermem magnificare: eo fine ut bonorum omnium auctori gloriam, & laudem, & benedictionem attribuat.* Unde eum laudaretur ab humilitate quidam Frater, & ille præ humilitate negaret hanc in ſe eſſe virtutem, eum increpavit Rogerius dicens: *Quare negas donum Dei in te eſſe? Nonne cordati quique norunt, a te virtutem hanc non proceſſiſſe, ſed a Deo? Permitte ergo ut cognoſcatur, quod Dei eſt, & laudetur Deus in donis ſuis, & ſanctificetur in omnibus operibus ſuis.*

Deum in ſuis donis cupiebat laudari.

Verba ejus erant ignita, & efficaeia medullas cordis penetrantia, neque ad eum redibant vacua ſine fructu; flectebat enim quo volebat auditores: inde vero erant efficaciora, quod præmittebat opere, quod hortabatur ſermone. Raymundus eonfeſſarius ſeribit ſe audiviſſe hominem adeo potenter ſacra verba eructantem de irradiatione eœleſtium ſpirituum, deque eorumdem transformatione in Deum per amorem, ut ipſe cum aliis fuerint vehementer accenſi, videreturque eœleſtis flamma animam urere, & per eorpus velle evaporare, fueritque qui ſudorem emitteret, & ex vi depaſcentis ignis animam ageret, niſi rogatus coneionator ſermonem terminaret. Alias valde commovit & incendit univerſos Fratres, dum poſt matutinum in feſtivitate ſancti Franciſei eis prædicaret, aſſumpto themate: *Factus ſum tamquam vas perditum.* Interrogatus vero, unde verba ejus haberent tantam efficaeiam, & ardorem? dixit: *Qui mentis elevationem præmittit in omnibus actibus ſuis, & ad Deum omnes dirigit, in omnibus invenit eumdem: Quando porro vis legere in ſacris libri, debes cor tuum ad Deum elevare, dicens: Domine, viliſſimus ſervus tuus, omnino tua gratia indignus, vult ingredi ad videndum theſauros tuos, ad quos dignare, licet indigniſſimum, introducere, & dare ei in verbis iſtis, ut tantum te diligat, quantum cognoſeit, quia non vult te cognoſcere, niſi ut te diligat. Et iſte vere in hujuſmodi elevatione invenit Deum ſuum, qui dat poſtea voci ejus vocem virtutis.* Et quia ipſe aſſidue ita faeiebat, quidquid primum in apertione Bibliorum occurrebat, ei notabile valde apparebat; & propterea margines omnes ſacri Codieis piis & doctis notis replevit. Rogatus apud Bellieadium a Fratribus, ut eis de Deo loqueretur, dixit: *Homo perfectus dedignatur loqui de Deo.* Ad quæ verba eommotis, inquit: *Adeo ſunt alta & magna, quæ homo perfectus in raptu cognoſeit, quod nullum ei ſufficit idioma his exprimendis.* Itaque de ineffabilibus difficilius loquebatur, ne fortaſſis illa proferendo vilifaceret communibus & jejunis loquelis.

In declamando efficax.

XIV. Mirabiles habuit viſiones, & conſolationes cœleſtes. Quadam nocte in matutino, dum recitarentur illa verba: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*; apparuit ei in ſplendore multo Angelus Domini, qui confortavit eum, & aliis Fratribus ſecundum varias illorum diſpoſitiones varia dona diſtribuit. Alias mente elevatus eſt ad ſummum eœlorum, ubi Chriſti Domini, Sanctorum Apoſtolorum, & cœtus Angelici donatus eſt viſione. Remanſit autem adeo viva Chriſti effigies ejus impreſſa memoriæ, ut videretur ſibi ſemper habere præſentem. Tertio fuit raptus ad tam profundam cœleſtium rerum contemplationem, & in immenſum divinæ bonitatis pelagus abſorptus, ut nec

Mirabiles habuit viſiones.

ſeipſum, nec aliud quidpiam præter Deum videret. In hoc raptu dilatabatur eorde, irradiabatur, & accendebatur aſcendens ad ſecretiſſimos Dei intuitus, & amoroſos amplexus, quos ille mirabili ſtylo peculiari de hac re tractatu deſcripſit. Eo ipſo anno, quo mortuus eſt, apparuit illi in ſpecie glorioſa frater Bertrandus Berengarii olim ſacræ Theologiæ Profeſſor apud Montempeſſulanum, ubi corpus ejus requieſcit, vir vitæ commendabilis, qui a quadriennio defunctus erat, & certam ingeſſit ſpem, fidemque fecit, eum illo anno tranſmigraturum ad gloriam cœleſtem. Quo bono nuntio exultabat in ſpiritu, & deſiderabat ſuum terminari incolatum, in eubiculi ſecreto, & in horto frequenter interrogans Dominum, quando moreretur? Dicebat enim non ſibi amplius licere in hoc mundo morari, dum nihil jam ſit, quod videat, nec audiat, nec ſentiat præter Deum. Addebatque cum lacrymis illa verba: *Tota ſalus mea tu es Domine, & univerſa voluntas mea, neque eſt quidquam in ea, quod non germinet:* Deinde ut ſuſpenſam animam conſolaretur ſubjungebat: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Dum ſub hac anxietate verſaretur apparuit ei denuo Bertrandus, apud quem conqueſtus de mora, certum reddidit, vitæ terminum imminere. Porro poſt bimeſtre a revelatione facta in menſe Septembris ſub diei crepuſculo in Conventu Uſentiæ feliciter obdormivit in Domino; cujus animam viderunt quidam ſpecie globi ignei & luminoſi, cœlos penetrare. Copioſe & diffuſe vitam ſancti Viri deſcripſit ejus Confeſſarius Raymundus prædictus, ex quo potiora hic delibavimus.

Cupit ex hac vita migrare.

Quis ejus vitam ſcripſit.

XV. Sub hoc eodem tempore reponit Marianus ſequentes Dei ſervos, licet non omnino conſtet, qua floruerint ætate. In Conventu Narbonenſi frater Electus requieſcit, qui multis claruit miraculis, & uno die ſeptem Fratres a diverſis infirmitatibus liberavit. In Conventu Dienſi Provinciæ Burgundiæ modo ſancti Bonaventuræ Electus alter, vir ſanctiſſimus. In Conventu Viennenſi ejuſdem Provinciæ frater Michael miraculis inſignis, quorum illud unum, quod ad exemplum Chriſti Domini aquam in vinum mutarit. Ibidem appoſitus eſt frater Drodo, cui ſacrum facienti Angelus in humana forma inſervivit, in Eccleſia deſerta & derelicta, aliuſque Angelus itineri neceſſaria præparavit; nec non frater Guillelmus prophetico ſpiritu donatus, qui clare futura quæque prædicebat. Fertur in ejuſdem Civitatis Viennenſis, & Eccleſiæ matricis cœmeterio jacere quemdam ex ſancti Franciſci ſoeiis, qui miraculis coruſcavit. In Conventu Amoniaci ejuſdem Provinciæ ſepultus eſt frater Guillelmus, ad cujus preces navis, quæ jam ſolverat, & longe receſſerat a portu, ſtatim rediit, nullo agente nauclero. In Provincia Turoniæ, & Conventu Redonii frater Rodulphus, cui ſacrum facienti adſtiterunt & miniſtrarunt Angeli. In Conventu Pictavienſi ejuſdem provinciæ frater Simon, qui eamdem aliquot annis rexit, ad cujus os Spiritus ſanctus in forma eolumbæ viſus eſt. In Conventu Aurelianenſi ejuſdem etiam Provinciæ frater Electus, cui in Extrema unctione, & animæ commendatione ſancti, qui nominabantur in Litaniis, familiariter apparebant, eique eolloquebantur, qui per triduum antea non poterat loqui. In provincia Caſtellæ & Conventu Toletano jacet frater Antonius Burgenſis laicus: hic cum Burgis quereretur coram Chriſto erueifixo de gravioribus quibuſdam Patribus nimiam moram trahentibus in refectorio, cujus ille curam habebat, atque hoc abiret in diſſolutionem; accepit ab eo reſponſum, & diſſolutionis vidit duram eorreptionem. Toleti per

B. Electus.

Piſan. confor. 8. Marian. cit. Gonza. in Prov. S. Bonav. Con. 38.

Alter Electus.

Fr. Michael.

Fr. Drodo.

Fr. Guillelm.

Alter Guillelm.

Fr. Rodulphus.

Frater Simon.

Fr. Electus.

Frater Antonius Burgen.

per multos annos oſtiarium egit, ubi amphoram vino plenam fractam redintegravit, & puellam animam jam jam agentem ſigno crucis ad vitam revocavit. Plura fecit in vita, & poſt mortem miracula.

Vacat diu Sedes Apoſtol. & quare.

XVI. Toto boc anno a morte Honorii Pontificis ſub Aprilis initio vacavit Sedes Apoſtolica, quantumvis convenerint Cardinales in montem Aventinum ad ſanctam Sabinam ſucceſſorem daturi. Plures enim ex eiſdem aeris inſalubritate offenſi, ſubito in morbum inciderunt, dilata proinde Pontificis creatione: inde illius montis aer nocivus, quod marinis & Auſtrinis flatibus regio illa expoſita ſit, ea præſertim pars, quæ teſtaceo imminet campo. Sabellicus ſcribit, ut ſua ætate magna pars Civitatis, quæ ex ea Aventini regione Circenſes ſpectavit Ludos, quorum aliqua ſpecies adhuc duraverat, quum antea æſtuaſſet, Auſtro leviter inflata, in morbum inciderit, multique mortales febre conflictati, demum periclitati ſunt. In quo illa ſubit reputatio, haud relatu indigna, quum pars una ſpectaculi illius graviter fuerit infecta, ceteri qui ab Auſtro averſi eo die ſpectaverant, murorum urbis objectu, qui campum ab ea parte muniunt, ab Auſtrino flatu defenſi, innoxii domum abierint.

Sabell. Ennead. 9. lib. 7.

Frater Engleſius Epiſcopus Novarienſis.

XVII. Aſſumptus eſt hoc anno ab Honorio paulo antequam moreretur, ad Epiſcopatum Novarienſem Inſubriæ nobilem & antiquum ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum natalitiis notiſſimum, frater Engleſius „de Caballitiis„ Minorita, cum diu vacaret illa ſedes per obitum Singebaldi, & contenderent inter ſe Franciſcus Archidiaconus ipſius Eccleſiæ, & Paynus Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Gaudentii Novarienſis in diſcordia electi: *Ex ſuſceptæ ſervitutis officio*. xvi. Kal. Martii.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Philippus Epiſcopus Mutin.

Ann. 1278. n. 15. Sanſovin. de famil. Ital. de domo Boſchett.

„ XVIII. Hoc anno in feſto ſancti Nicolai frater Philippus de Bu-
„ ſchettis ſuſcepit poſſeſſionem Epiſcopatus Mutinenſis, ſub Archiepi-
„ ſcopo Bononienſi; uti habent Chronica MSS. urbis Mutinæ ab Alexan-
„ dro Taſſono concinnata. Alias de hoc homine egimus, & Guardia-
„ num diximus Conventus Placentini. Virum nobilem fuiſſe refert
„ Franciſcus Sanſovinus; & ſucceſſiſſe hoc anno in prædicto Epiſcopatu
„ Bartholomæo de Buſchettis ſuo patruo, alias fratri germani. In bu-
„ manis, & divinis peritum, & hominem bonæ voluntatis nuncupat,
„ eidemque tribuit ſummam pacem, & tranquillitatem dictæ Civitatis,
„ extincto per illum immortali odio inter factiones Guelfam & Gibelli-
„ nam; reducta item civitate ſub gubernium Obizi Marchionis Eſtenſis,
„ Principis prudentis & æquiſſimi. Gaſpar Silingardus Epiſcopus Muti-
„ nenſis in catalogo Epiſcoporum Mutin. vixiſſe ait uſque ad annum
„ MCCXC. & in ejus manibus Obizum juraſſe fidelitatem pro quibuſdam
„ terris Eccleſiæ, quas poſſidebat. Fratrem Henricum Knoderer Mi-
„ noritam Archiepiſcopum Moguntinum, de quo alias actum eſt, hoc
„ anno plura præſtitiſſe Erfordiæ, accepi nuper ex monumentis celebris
„ Monaſterii ſancti Petri Benedictinorum. Honorificentiſſime exceptus
„ a toto Clero & populo, convocatis omnibus Principibus, & Nobilibus
„ Thuringiæ, inter quos cruentum & dirum erat bellum, quia Albertus
„ ſenior Lantgravius Thuringiæ, invitis duobus filiis Friderico &
„ Theodorico, quos exulare fecit cum matre; venditis & diſtractis bo-
„ nis multis; etiam ipſam Thuringiam vendidit Adolpbo de Naſſau Re-
„ gi Romanorum; firmiſſimam pacem ſtabilivit, applaudentibus uni-
„ verſis, & collaudantibus tantam viri prudentiam, & in agendo deſte-

Fr. Henricus Archiepiſcop. Moguntin.

Ann. 1274. n. 31.

,, ritatem. Sigillum, quo in hac pace confirmanda uſus eſt, invenerunt
,, Monachi Erfordienſes in pervetuſti muro periſtylii anno MCCCCLXIII.
,, cujus hæc inſcriptio: *Sigillum pacis Thuringiæ fratris Henrici Mogun-*
,, *tini, ſeu Vicarii capitanei pacis, & duodecim conſervatorum ejus*. Dein-
,, de addunt alia monumenta. Hoc anno MCCLXXXVII. frater Henricus
,, Moguntinus Epiſcopus celebravit ſacros Ordines Erfordjæ apud Con-
,, fratres ſuos Minores in ſabbato, quo *Caritas Dei* Eccleſia canit; &
,, non apud beatam Virginem in Monte, quia nondum tanta ſolemnitas
,, in illo Templo erat. Eodem anno transpoſuit frater Henricus dedi-
,, cationem Monaſterii noſtri ſancti Petri in commodiorem diem, quo
,, & annuatim celebratur; cujus translationis diploma hoc eſt: *Frater*
,, *Henricus Dei gratia ſanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, ſacri Ro-*
,, *mani Imperii per Germaniam Archicancellarius. Dilectis in Chriſto*
,, *Abbati, & Conventui Montis ſancti Petri Erford. ſalutem in Domino.*
,, *In augmentum devotionis vobis, Deo propitio, credimus provenire, ſi*
,, *in juſtis veſtris petitionibus, nos invenire benevolos gaudeatis. Devotionis*
,, *itaque veſtræ precibus favorabiliter inclinati, Anniverſarium dedicationis*
,, *Monaſterii veſtri, quod in feſto SS. Aurei & Juſtinæ conſuevit hactenus*
,, *celebrari, in Octavam Paſchæ transferimus auctoritate præſentium litte-*
,, *rarum. Volentes ut in Octava eadem annuatim perpetuis temporibus ce-*
,, *lebretur, dummodo ex hoc aliis Eccleſiis nullum præjudicium generetur.*
,, *Datum Erford. anno* MCCLXXXVII. VII. *Idus Septembris*. Hujus ob
,, rei memoriam Seniores noſtri fratris Henrici imaginem Pontificalibus
,, inſignitam depingi curarunt, & hæc verba ſubjungi: *Frater Henricus*
,, *Minor ob reverentiam hujus loci, tranſtulit dedicationem in ſolemniorem*
,, *diem, & gratias multiplicavit ob honorem Dei. Acta ſunt hæc anno*
,, *Domini* MCCLXXXVII. Dedit etiam præter has indulgentias alias eo-
,, dem anno IV. Idus Septembris Monaſterio noſtro in caſtro Mulburck.
,, Ita monumenta Erfordienſia.

Conventus Auricnſis.

Gonza. in Prov. S. Jacobi Con. 13. Monu. MS. ejuſdem Prov.

XIX. Ante hoc tempus domicilium obtinuiſſe Minores Auriæ vulgo *Orenſe*, quæ Callæcorum urbs eſt epiſcopalis in Hiſpania ad Minium fluvium, ſcribit Gonzaga ex tabulis teſtamenti Violantis Reginæ conjugis Alphonſi X. cognomine Sapientis (licet ſibi non valde ſapierat, regno ſpoliatus per Sancium filium) quæ aſſervantur apud Clariſſas Allariſii. Idque mihi omnino probatum ex quibuſdam commiſſionibus, quæ occurrerunt in regeſto Pontificio, miſſis ante hunc annum circa varias materias ad Guardianum Minorem Aurienſem. Ferunt primam domunculam a quodam illius urbis Epiſcopo, igne admoto incenſam, quod Fratres receperint occiſores ſui nepotis ad Eccleſiaſticum aſylum confugientes; cujus ille facinoris pœnam retulit a ſummo Pontifice, & compulſus eſt, ut novum Fratribus Cœnobium exædificaret. Jacent honorifice hoc in loco frater Joannes Cretenſis, & Gondiſalvus, quorum fuſiorem mentionem dabimus tempore opportuniori.

Ann. 1361.

Conv. Viveri.

Gonzag. cit. Con. 14. Monume. MSS. cit.

Conſtantia de Caſtro.

XX. Apud eoſdem Callæcos, & oppidum Viveri in diœceſi Mindonenſi extructum circa hoc tempus aliud Monaſterium pro eiſdem Minoritis conſtat ex ſepulcrali quodam lapide ſacelli Conceptionis immaculatæ Virginis Mariæ, cui hoc inciſum epitaphium: *Hic jacet Dominus Marcus Petri Archidiaconus æra milleſima, trecenteſima, trigeſima ſecunda*; quæ correſpondet anno Chriſti MCCXCIV. Detectum eſt anno MDCXI. integrum & ſanum corpus Conſtantiæ de Caſtro Excellentiſſimorum Dominorum Comitum de Lemos conſanguineæ, & nobiliſſimi herois Roderici

Diaz

Google

Diaz de Andrade, qui merebatur & occubuit fortiter ſub Ferdinando Rege Catholico in regno Granatenſi,piiſſimæ conjugis. Uſque ad prænumeratum annum requievit nobili & vetuſto ſepulcro in ſacello Crucis gentilitio, quo conceſſo alii familiæ dum oporteret inde transferri ad latus dexterum altaris majoris, illæſa reperta, quantumvis edaci calce cooperta, ſuaviſſimum emiſit odorem, & miraculis aliquot ſuæ probitatis & virtutis teſtimonium perhibuit, quæ Petrus Fernandez Zorrilla Mindonienſis Epiſcopus juſſit per graves & doctos viros examinari, qui datis ad eum litteris, quarum exemplar mihi tranſmiſſum, commendarunt mulieris ſanctitatem, & facta ab eadem miracula.

XXI. Ejuſdem temporis dicitur Conventus Redonii, urbis Epiſcopalis Armoricæ Britanniæ in provincia Turoniæ, ſancto Jacobo minori ſacer, licet ſancti Franciſci communiter nuncupetur, extructus a Ducibus Britannis intra urbis mœnia. Supra diximus ibidem requieſcere pium virum fratrem Rodulphum. Ceterum conflagratis ſcripturis, nihil aliud memorabile nobis reſtat de hoc loco dicendum. Caſtrivillani Conventus in Provincia Burgundiæ (quæ nunc eſt ſancti Bonaventuræ) & Cuſtodia Divionenſi ſub hoc anno extructus eſt a præfati oppidi Comitibus Joanne & Joanna. Eum ſemel atque iterum hæretici deſtruxerunt, ſed & refici curarunt Fratres, piorum adjuti ſubſidiis. Ibidem paſſi ſunt ab hæreticis varia tormenta & mortem anno MDLXII. frater Paulus Tonelier Guardianus, & Toſſanctius Fortinus, quorum oſſa hinc inde collecta illic recondi curarunt Conſodales. Ante hunc annum apud Liburnianam Aquitaniæ civitatem Eduardus Rex Anglorum, ob magnum in devotum ac pium virum fratrem Raymundum Brunum affectum, extruxit Minoribus domicilium intra urbis mœnia. Ameriæ (quæ urbs eſt Umbriæ antiqua, in colle ſita inter Narim Tiberimque fluvios) conſtruxerunt hoc anno aliud ipſi Minoritæ ex publico ære, piorumque eleemoſynis ſub titulo ſanctorum Philippi & Jacobi. Floruerunt hoc in loco (qui ad Patres Conventuales provinciæ ſancti Franciſci, & Cuſtodiæ Tudertinæ ſpectat) viri docti Simon de Corſciano, & Ægidius Delphinus Amerinus olim Ordinis Miniſter Generalis. Alterum eis ædificare cœpit Dominus Petrus Philagerius in civitate Nuceriæ Paganorum in Campania in Picentino agro a mari P. M. IX. a Sarno flumine IV. diſtante. Pertinet ad Provinciam Terræ laboris, & Cuſtodiam Salernitanam. Falleroni in Marchia Anconitana ſub hoc tempore extruxiſſe Conventum Fratribus oppidi univerſitatem conſtat ex diplomate Magiſtri Joannis Belli Mediolanenſis, Vicarii Apoſtolici in Provincia Marchiæ conſervato ibidem: Conſecratam Eccleſiam anno MCCCII. Indict. XV. tempore Innocentii VI. die VII. menſis Auguſti, ſcribit Rodulphus; ſed hæc non cohærent; etenim Innocentius VI. creatus eſt non niſi anno MCCCLII. quod ſi fortaſſis dicatur errorem irrepſiſſe in notas numerorum, & pro MCCCII. ſcribendum MCCCLII. ut ita vere incidat in tempus Innocentii: obſtat certus & adequatus numerus Indictionum, quem etiam aſſignat; nam anno MCCCII. vere fuit Indictio XV. & anno MCCCLII. Indictio V. Claruit ibidem beatus Peregrinus de Fallerono, de quo nos alias egimus diffuſius. Conſecratam hoc anno Eccleſiam ſanctæ Victoriæ Fractarum in eadem regione Marchiæ teſtantur quædam inſtrumenta ibidem aſſervata; Conventum tamen, ſeu Fratrum domicilium, tradunt oppidani vel a ſancto Franciſco conſtructum, vel eidem coævum. Duo hæc poſteriora Monaſteria ſunt Patrum Conventualium Provinciæ Mar-

Conv. Redonii
Gonzag. in Prov. Turon. Con. 17.
Conv. Caſtrivillani.
Idem in Prov. S. Bonaven. Con. 11.
Paulus Tonelier & Toſſanctius Fortinus.
Conv. Liburnii.
Idem in Prov. Aquit. recent. Con. 13.
Conv. Ameriæ.
Rodul. fol. 254.
Conv. Nucerinus.
Idem fol. 276
Conv. Falleroni.
Rodul. fol. 257.
Tom. 1. an. 1220. n. 8.
Conv. Victoriæ Fractarum.

Marchiæ Anconitanæ, primum ſpectat ad Cuſtodiam Firmanam, ſecundum ad Fanenſem.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Honorius Papa IV. obiit: ejus corpus in Aracœli.

,, I. HOnorius Pontifex, poſtquam ſediſſet in Pontificatu annos
,, duos, & menſes duos, Romæ obiit Nonis Aprilis: funus
,, elatum e ſanctæ Sabinæ palatio ad ſanctum Petrum, & inde ad Baſili-
,, cam Aracœli in ſepulcrum Gentilitium translatum fuit: & quantum-
,, vis convenerint Cardinales in Montem Aventinum ad ſanctam Sabi-
,, nam ſucceſſorem daturi, nihilominus toto hoc anno pontificia Sedes
,, vacavit: quod plures Cardinalium inſalubritate aeris offenſi in mor-
,, bum incidiſſent.

Vide ſup. ad annum 1268. n. 9.

Dominæ de Motta in Minores benevolentia.

Mon. Tur. majo.

Vide ſup. ad an. 1280. nu. 3. & infr. ad 1379.

,, II. Caritatem autem, & pietatem cujuſdam Andegavenſis Domi-
,, næ de *Motta* hic annus refert: hæc enim pauperum Minoritarum vi-
,, tam admirans, eorum pauperiem ſuis eleemoſynis relevare conaba-
,, tur: & hæc inter eorumdem infirmis compatiens, Conventui Ande-
,, gavenſi valetudinarium, cujus Capellam Ivo Presbyter Decanus
,, Cathedralis Eccleſiæ conſtruxerat, ipſa proprio ære abſolvit: perfe-
,, ctionis vero chriſtianæ ad apicem anhelans, ſuos dies habitu ſanctæ
,, Claræ induta, virtutibus adipiſcendis jugiter intenta, tranſigere vo-
,, luit: ac tamdem hoc anno properavit ad ſponſum. Sed in Monte-Peſ-
,, ſulano cum Ordinis Comitia haberentur, electo in Miniſtrum Gene-
,, ralem fratre Matthæo de Aquaſparta, Provinciæ Boemiæ & Poloniæ
,, ſibi eligendi Miniſtrum, ut Religionis mos eſt, jus reſtitutum fuit, a
,, quo per longum jam tempus a D. Bonaventura ſuſpenſa erat; itaque
,, hoc anno Sadeciæ Novæ congregatis Fratribus, quibus intererat in
,, feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, electus fuit frater Theodoricus
,, in quartumdecimum Miniſtrum illius Provinciæ.

Comitia gener. Ordinis in Monte Peſſulano.

Caſim. cit. art. 20. n. 1.

ARGUMENTUM.

Frater Hieronymus Aſculanus creatur Pontifex Maximus, & Matthæus Aquaſpartanus Cardinalis. Mittit Pontifex Nuncios ad Tartaros, quorum plurimi cum reginis eorumdem fidem ſuſceperunt Chriſtianam. Alios item deſtinat ad Reges Sclavorum. Multam elargitur poteſtatem Inquiſitoribus Minoritis, in Gallia, aliiſque locis deputatis. Suam interponit auctoritatem in rebus graviſſimis apud Reges Hungariæ, Franciæ, Hiſpaniæ, & alios Orbis Principes. Curat libertati reſtitui Carolum Claudum, pro quo obſes datur cum Fratribus ſanctus Ludovicus, cujus in adoleſcentia virtutes referuntur. Recenſentur aliqui martyres, & Epiſcopi Minoritæ; & ædificantur Cœnobia.

I. VACAVERAT Sedes Romana menſes decem, dies octodecim, quia propter infirmitates, & mortes multorum Cardinalium ſoluto Conclavi in monte Aventino, in aliud tempus magis ſalubre electionem diſtulerunt; maxime vero cum terræ motus ipſi, qui tum permagni fuere, Religionem quamdam injecerint, quo minus tum quidem id fieret. Manſit tamen, ceteris procul abeuntibus, in prædicto monte frater Hieronymus Aſculanus Cardinalis Prænestinus, qui noxii aeris pe-

Ptolom. Lucen. lib. 24. cap. 20. MS.

Fit Pontifex Maximus Hieronymus Aſculanus.

periculum ea ratione propulerat; ut medio æſtu ignes ubique in palatio voluerit accendi, per quos auram perpetuo reddebat puriorem. Redeuntibus demum ad Conclave Cardinalibus ad ſanctæ Sabinæ ædes, unus omnium ſuffragiis eligitur in Pontificem Hieronymus (quem perperam Blondus vocat Joannem) VIII. Kalend. Martii, qui Cathedræ Antiochenæ ſancti Petri dicabatur, & in memoriam Nicolai III. a quo Cardinalis creatus fuerat, Nicolai IV. nomen aſſumpſit. *Blond. dec. 2. lib. 8.* Eximium Theologiæ Profeſſorem, ſancti Franciſci diſcipulum, & in converſione filium vocat Alphonſus Ciaconius, atque ob prudentiam, & vitæ ſanctimoniam creatum, ait, Cardinalem. *Ciaco. in Nicol. IV.* Vere per omnes gradus ad ſupremum hunc aſcendit, ſacræ Theologiæ Lector, mox Miniſter Provincialis, deinde Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Imperatorem, & Prælatos Græcorum, hinc Miniſter generalis, poſt hæc Legatus ad Galliæ & Hiſpaniæ Reges, exinde Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, demum Epiſcopus Præneſtinus, poſtremo ſummus Pontifex effectus. *Per quos gradus venit ad Pontificatum.* Henricus Monachus Rebdorffenſis, illius ferme temporis ſcriptor, refert Nicolaum bis electum cum lacrymis reſignaſſe, & tertio compulſum ab omnibus Cardinalibus, acquieviſſe. *Rebdorf. in Annal. ſub an. 1314.* Conſecratus poſt biduum apud ſanctum Petrum per manus Matthæi Rubei Urſini S. R. E. Archidiaconi. *Invitus admiſit dignitatem.* Propter ſeditiones Romanorum in Reatinam urbem Sabinorum profectus, in vigilia Pentecoſtes Cardinales ſex creavit, nullo habito delectu ſtatus, aut conditionis, ſed virtutis; Omnes enim eadem ratione amabat, nec cognatis aut affinibus, plus ſe debere quam cuivis bono arbitrabatur: virtutes vero, & vitia in cauſa erant, ut in hunc magis, quam in illum propenderet.

II. In ſenario illo Cardinalium numero unum creavit ex Prædicatorum fratrem Hugonem Biliomium tituli ſanctæ Sabinæ, alterum ex Minorum Ordine fratrem Matthæum Aquaſpartanum tituli ſancti Laurentii in Damaſo, ex Lectore ſacri Palatii Miniſtrum Generalem anno præterito factum, ad quam dignitatem ob ſpectabilem vitæ rationem, & doctrinæ excellentiam, pervenit. *Miniſter Generalis Minorum fit Cardinalis.* Doctiſſimus, inquit Ciaconus, ingenioſus, ac in ſacris litteris verſatus, prudentia, & rerum agendarum peritia emicuit; qua de cauſa a Bonifacio VIII. in Lombardiam, Venetiam, Romandiolam, & Etruriam res graviſſimas & turbulentiſſimas compoſiturus, ablegatus. *Ciac. cit.* *Laudatur.* Cum multa docte ſcripſiſſet, ita de eo Paulus Corteſius: *Matthæus de Aquaſparta laudandus eſt, a quo ſunt Theologica paradoxa cultius explicata, quam eſſet ab inquinata illius ætatis æqualitate repoſcendum*: *Corteſius l. 1. ſent.* Neque Pontifex humiliter de eodem ſentiebat, qui quantumvis Cardinalis, noluit ut Religionis curam deponeret, ſed eam, uti Bonaventura, & ipſe Pontifex Cardinales electi fecerunt, uſque ad novi Miniſtri Generalis electionem, gubernaret. *Retinet Ordinis regimen.*

III. Sub ipſis auſpiciis Pontificatus, Nicolaus inter turbas & curas recentis dignitatis, gratiſſimum accepit nuncium de converſione multorum Tartarorum, de certa ſpe baptizandi Argonis Regis eorumdem (quem in Aſia majori ſeu Tauriſio, occiſo Mahumeto ſuo patruo, a fide Chriſtiana apoſtata, regnaſſe diximus ſuperius) de paptizatis jam Tuctane, & Elegage Reginis, de reductis quibuſdam Epiſcopis, aliiſque ſchiſmaticis, idque opera Fratrum Minorum, qnorum plures diximus miſſos ad illas partes a Bonagratia Miniſtro Generali. *Gratum recipit Nuncium de cōverſione Tartarorum.* *An. 1284. n. 3 Ibid. n. 1.* Ipſe Rex Argo miſit ſuos Nuntios Berſaumam Epiſcopum in partibus Orientis, & nobilem virum Sabadinum, Thomam de Anſuſis, atque Uguetum interpre-

tem, qui omnia referrent Pontifici. Nihil ſe jucundius audire potuiſſe monſtravit Nicolaus, benigne & hilariter receptis Nunciis, reſcriptiſque congratulatoriis litteris ad omnes, atque ſecundis datis ad Regem, in quibus eum exhortatur, ut non expectet recuperationem Regni Hieroſolymitani e manibus impiorum, ad effectum ſe Hieroſolymis baptizandi, ſed potius ſtatim ſacrum baptiſma ſuſcipiat, eoque ſuſcepto, facilius ſperet, Deo favente, ſucceſſuram Regni prædicti liberationem. Ad Epiſcopos etiam ſcripſit dogmaticas epiſtolas de eadem fidei profeſſione, quam ſuperius dedimus ad Græcos tranſmiſſam. Omnium damus exemplaria, ut de digna conſtet Pontificis exultatione (quæ eo major cenſenda eſt, quo verſatus aliquando inter Orientales gravius dolebat de vaſtiſſimæ gentis excœcatione & Magiſtrorum, qui viam veritatis aperirent penuria) utque etiam certum apponamus teſtimonium laudabilis Minorum ſtudii, & proficuæ operæ in reducendis gentibus indomitis.

Eos hortatur ad charifmata meliora.

An. 1267. n. 1.

Argoni Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Reg. Vatic. inter epiſt. camerales n. 12.

IV. *AD ſummi præſulatus officium nuper nobis ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, quo cœleſtia pariter, & terrena diſpoſitionem ordinemque ſuſcipiunt, evocatis, Venerabilis frater noſter Berſauma Epiſcopus in partibus Orientis, nobilis vir Sabadinus, Thomas de Anfuſis, & Uguetus Interpres tuæ Magnitudinis Nuntii ad noſtram præſentiam accedentes, Regias nobis litteras præſentarunt. Nos autem Nuntios ipſos, & litteras libenti animo vultuque ſereno recepimus intuitu deſtinantis, & tam quæ in litteris continebantur eiſdem, quam quæ Nuntiorum prædictorum facta coram nobis, & Fratribus noſtris propoſitio reſeravit, benigne audivimus, & intelleximus diligenter, gaudentes quamplurimum, & exultantes in Domino, in cujus manu corda ſunt Principum terrenorum, quod te clementer gratiæ ſuæ dono præveniens, illo tui pectoris intima fœcundavit affectu, quod ſicut & litterarum ipſarum tenor aperuit, & eorumdem patefecit aſſertio Nuntiorum, ad dilatandos Chriſtianitatis fines fervens dirigitur deſiderium mentis tuæ, quodque de gentibus tuæ ditionis ſubjectis Imperio, fidei cultoribus Chriſtianæ te benignum & benevolum exhibes, eoſque non ſine laudis humanæ præconio, & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem, quæ de bono ſemper in melius deduci cupimus in augmentum, favore proſequeris gratioſo. De quo Celſitudini Regiæ tanto gratiarum uberiores exſolvimus actiones, quanto id plenior & benignior operatur affectus, & ex munificentia provenire dignoſcitur ampliori. Sane, Princeps egregie, tuis aperiri ſenſibus affectamus, quæ Rex excelſus Filius ſummi Regis de polorum ſublimibus prodiens, & ad mundi hujus infima, ut hominem, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formaverat, de ſervitutis nexibus, in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio, liberaret clementi dignatione deſcendens, veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit, ut proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac ſuos mortis æternæ tenebris obvolutos, vitæ perennis efficeret poſſeſſores, qui commiſſæ ſibi legationis a Patre in regione peccantium piis ſtudiis exercens officium, mundumque ſalutaribus inſtitutis informans, tamdem poſt ſanctæ converſationis & operationis exempla, poſt evangelicæ inſtructionis eloquia, poſt doctrinæ ſalutaris effectum, diræ mortis ultro ſupplicium ſubiit, dieque tertia reſurrexit a mortuis glorioſus, ut mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo benignius*

Argo Rex erga Chriſtianos benevolus.

Fidei Chriſtianæ exprimit hic compendium.

gnius repararet. Qui poſtmodum tranſiturus de mundo ad Patrem, ac aſcenſurus in cœlum, claves Regni cœlorum beato Petro Apoſtolorum Principi, & per eam ſuis duxit ſucceſſoribus committendas, per hoc eis tam ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens, ut quodcumque ſuper terram ligatum redderent, ligatum haberetur in cœlis, & quodcumque ſolverent ſuper terram, ſolutum exiſteret in eiſdem. Unde nos, licet inſufficientibus meritis, Chriſti Vicarii, & ejuſdem Petri ſucceſſores in terris, diſponente Domino, conſtituti, ſummo deſiderio ducimur, ut quos baptiſmalis unda conſperſit, ſuoſque Chriſtiana fides profeſſores agnovit, divina ferventer complectantur obſequia, & ſalutaribus actibus immorentur. At illi quos lavacrum regenerationis ignorat, & ejuſdem religio fidei non includit, erroris invio, per quod periculóſius elabuntur, omnino relicto, ad rectitudinis ſemitam, favente Domino, revocentur, ipſamque devote colant, & ſollicite ſervent fidem. Hæc eſt etenim fides recta, fides vera, fides fiduciam ſperandæ felicitatis impertiens: Hæc eſt ſine cujus concomitante ſuffragio placere Altiſſimo nemo poteſt, quæ reatus expurgans commoda ſalvationis impendit.

Fidei Chriſtianæ fructus.

Per hanc æternæ beatitudinis gaudia, virtutis concurrentibus actibus, acquiruntur. Per hanc de arce mentis antiquus hoſtis expellitur. Hæc corda menteſque purificat, & infidelitatis nubilum ſuæ radiis expiat claritatis. Hæc eſt fundamentum virtutum omnium, ſydus irradians, ſtella micans, ſolem juſtitiæ intelligentiæque præveniens, per quam dies oritur gratiæ, quam dies gloriæ ſubſequitur. Revera, Princeps magnifice, tuis in orbe terrarum titulis plenitudo glorioſæ laudis accederet, ac nominis tui fama ingens ſuſciperet incrementum, ſi te tam puræ, tam ſolidæ, tamque ſalutiferæ fidei amplexibus dulcibus copulans, teque illius exhibens cognitorem, profeſſorem oſtendens, baptiſmum duceres aſſumendum, grandia quoque ſupernis exinde gaudia civibus orirentur. Lætaretur in immenſum Eccleſia, quæ rugam non habet, maculam non agnoſcit, ſi tantum, tamque potentem Regem ſibi devotum in filium vendicaret: totique populo Chriſtiano de tam magnifici Principis, & per eum innumeræ, ut ſperatur, multitudinis aliorum converſione ſalubri copioſa exaltationis materia præberetur.

Hortatur Regem ut ſuſcipiat baptiſmum.

Excitamus itaque Magnitudinem Regiam, & hortamur attentius, tibique, cujus in hac parte ſalutem exquirimus, ſano & ſincero conſilio ſuademus, quatenus alta & ſedula meditatione recogitans quam fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quantis expoſita caſibus, quam ſit inſtabilis ſtatus ejus, conſiderans etiam, quod a lege mortis, qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora ejus, nullus excluditur, nullus effugit metas ſuas, nullus a dominio redditur exemptus illius, promptus exſurgas, præſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei, & ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum ad laudem divini nominis, tuæ ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtratus, ejus triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminoſque dilatans, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum a porta Inferi liberceris, & ejus diris cruciatibus pœniſque graviſſimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia, quæ omnem dulcedinem ſuperant, omnem delectationem excedunt, tamquam Princeps emeritas conſequaris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Nonas Aprilis, anno I.

EIDEM.

V. *INtelleximus, referentibus Venerabili fratre noſtro Berſauma Epiſcopo in partibus Orientis, nobili viro Sabadino, Thoma de Anfuſis,* Ibid. n. 17.

& Ugueto Interprete laicis, Tuæ Magnitudinis Nuntiis, quod ſi Regnum Hieroſolymitanum de manibus liberari contigerit impiorum, in civitate Hieroſolymitana renaſci deſideras lavacro baptiſmali. Nos autem tuam, tuorumque ſalutem propenſius cupientes, hujuſmodi tuum ſalubre laudandumque propoſitum multipliciter in Domino commendamus. Verum quia magna ſpe ducimur, quod ſacro a te ſuſcepto baptiſmate facilius, Domino favente, proveniet Regni memorati liberatio, quia etiam ſalutis tuæ commodis expedire digноſcitur, ut conceptum propoſitum perducere ſtudeas, ſublato dilationis obſtaculo, ad effectum; Celſitudinem tuam excitandam attente duximus & hortandam, quatenus tibi ſalubriter conſulens, & exhortationibus noſtris, quæ de puri pectoris intimo prodeunt, laudabiliter acquieſcens, ad baptiſmum promptus acceleres, illumque ad laudem Dei, tuæque ſalutis profectum feſtinas ſuſcipere non omittas, tanto amplius proinde Domino placiturus, quanto celerius & libentius ad ſuſceptionem ejus procedere te continget, quantoque plures ad eam tuo exemplo laudabili provocabis. Datum ut ſupra.

Rogat ut non differat ſuſceptionem Baptiſmi.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Tuctani Reginæ Tartarorum Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ibid. num. 16.

Congratulatur ei de ſuſcepto baptiſmo.

VI. *HAbet, cariſſima filia, fide dignæ relationis expreſſio, quod tu Catholicæ fidei lumine illuſtrata, eam non ſolum ſtudiis obſervare ſollicitis comprobaris, ſed alios etiam ad agnitionem illius excitando, & ejus terminos dilatando, opem & operam curioſa non deſinis exhibere. Hæc ſunt profecto, quæ te reddunt in conſpectu Divinæ Majeſtatis acceptam, quæ tibi laudis humanæ præconium vendicant, & augent multipliciter famam tuam, dum ex his pietatis divinæ clementiam, quæ te de tenebris infidelitatis ereptam ad viam vitæ redaxit, & ad veritatis ſemitam revocavit, tamquam benedicta & reverens filia recognoſcis. Exeitamus igitur Magnitudinem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus obſequiis ſalubriter adhæſiſti, præmiſſa de bono in melius ſemper proſequaris, & quaſi apis argumentoſa procurare non ceſſes, ut eo gratior & præmiis digna majoribus accurras Domino Deo tuo, quo uberiores bonorum operum in ejus horreum manipulos introduces. Datum ut ſupra.*

Eodem modo ſcripſit ad Elegagem Reginam item Tartarorum.

Venerabili fratri Dionyſio Epiſcopo in Tauriſio in partibus Orientis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ibid. num. 14.

Inſtructores Tartarorum Minores.

VII. *PReſentatas nobis tuæ fraternitatis litteras fœcundæ benignitatis affecta recepimus, & quæ ipſarum ſeries continebat plana collegimus intellectu, gaudentes & exultantes in Domino, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, quod ſicut litterarum ipſarum tenor apertius innuebat, Chriſtianam fidem, quam tenet, & ſervat Romana mater Eccleſia, quamque a dilectis Fratribus Minoribus in partibus ipſis ad ferenda inibi ſalutis ſemina, & in fide prædicta partium ipſarum incolas informandos morantibus accepiſti, te tenere ac ſervare ſollicite profiteris: commendantes itaque devotionem, reverentiam, & obedientiam tuam, quam habere dignoſceris erga Romanam Eccleſiam ſupradictam, fraternitatem tuam excitandam attente duximus, & hortandam, quatenus mentis oculis ere-*

erectis ad Dominum, qui ſervos ſuos cæleſtis benedictionis efficit poſſeſſores,
Chriſtianam fidem ferventer amplectens, & conſtanter obſervans, alios in
ea, juxta datam tibi ex alto prudentiam, ſolerter inſtruas, & informes, ut
eo reddaris acceptior & gratioſior Domino Deo tuo, quo plures per tuæ ſol-
licitudinis ſtudium de infidelitatis nubilo ad Chriſtianæ fidei claritatem, &
de erroris invio ad rectitudinis ſemitam revocabis. Ceterum prædictos Fra-
tres intuitu Dei, cujus proſequuntur obſequia, & ob reverentiam Apoſtoli-
cæ Sedis & noſtram recommendatos ſpecialiter habeas, & favorabiliter
proſequaris, ut tui favoris auxilio communiti, utilius, & efficacius ſalutis
opera proſequi valeant, quæ exercent, tuque proinde ab omnium retribu-
tore bonorum illa merearis conſequi præmia, quæ pro piis actibus recom-
penſat. Ut autem in fide Chriſtiana, quam tenet & ſervat Romana mater
Eccleſia, plenius & efficacius valeas alios informare, dictam fidem, ac ejus
formam præſentibus fecimus annotari, quæ ſunt hæc. Credimus ſanctam
Trinitatem &c. Ut ſuperius in confeſſione fidei miſſa a Clemente IV. Tom.4.an.1267. n.2.
Michaeli Palæologo Orient. Imperatori, deinde; *Datum Romæ apud*
ſanctum Petrum VII. *Idus Aprilis, anno* 1.

VIII. Eamdem fidei confeſſionem miſit ad Yaulacham Epiſcopum Epiſt. 13.
alterum in partibus Orientis., ſerioque ei commendat Fratres Minores
in illis partibus ſalutis ſemina ſerentes; & ſimili dato diplomate ipſi
Nuncio Berſaumæ Epiſcopo, eum hortatur ut fidei negotium in illis par- Epiſt. 15.
tibus promoveat, & Epiſcopi ſocios baptiſmi lavacro regeneratos, ut Epiſt. 19.
continuo fidei, & virtutum augmento conſtantiores in ſancto propoſito
evadant, data eis Apoſtolica benedictione, perſuadet. Denum Joanni Epiſt. 20.
de Bonachia, Hugoni Gantelini, Petro de Molina, Girardo Caſmuri de
Conſtantinopoli, Balabæ de Janua, Girardo de Caturco, Georgio Cuſi,
Joanni Barlara, & Joanni de Caſaria laicis Regis Tartarorum ex omni
natione interpretibus ſcribit, ut ſicut prudenter & laudabiliter ſe gere-
bant in dilatandis Chriſtianæ fidei terminis, in ſancto opere ſollicite pe-
ragere non deſiſterent, inducerentque ad agnitionem Dei alios, qui non-
dum fidei lumine erant illuſtrati. Poſtremo univerſis Fratribus Ordinis Epiſt. 18.
Minorum inter Tartaros de mandato vel ordinatione, ſeu licentia aut
permiſſione Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, multas largitus eſt facultates,
videlicet abſolvendi a gravioribus cenſuris, reducendi & reconciliandi
ſchiſmaticos, pallas altaris, corporalia, veſtes ſacerdotales, & alia hu-
juſmodi benedicendi, ut commodius & majori auctoritate ſacrum, &
laudabile opus proſequi liceret.

IX. Regibus etiam Sclavorum Stephano & Uroſio, quorum dominium
tunc late patebat per Illyricum & Dalmatiam, ſcripſit Pontifex ex ma-
gno erga illam gentem affectu, illinc orto, quod apud eos olim Mini-
ſtrum ageret Provincialem, & ex deſiderio hos Principes, quos tunc
cognoſcebat, ad fidem convertendi. Miſit etiam ad eoſdem Marinum,
& Cyprianum Minoritas, ut Reges, eorumque ſubditos Chriſtianis in-
ſtruerent dogmatibus. Helena Regina, horum Regum mater, Catholica
ſectabatur inſtituta, quam etiam ſuis hortatus eſt litteris Pontifex, ut eam-
dem ſuis filiis inſtillaret, eoſque ad obedientiam reduceret Eccleſiæ Ro-
manæ. Exemplar litterarum, quas miſit, hoc eſt.

Viro

Viro Magnifico Uroſio illuſtri Regi Sclavorum gratiam,
per quam gloriam obtineat in futuro.

Ibid. num. 32. Fidei noſtræ cōpendium.

X. *ÆTerni Patris immenſa benignitas humani generis caſum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili reſpiciens pietate, ac illum, quem diabolica proſtraverat invidia, ſuggeſtione doloſa, volens ex caritate nimia miſericorditer reparare, Filium ſuum unigenitum conſubſtantialem ſibi de cœli excelſo ſolio ad infima mundi miſit, qui præelectæ Virginis utero ſancti Spiritus cooperatione conceptus, & ex anima rationali, & carne humana verus homo factus, ac per hoc perfectus Deus, perfectus homo, unus Dominus Jeſus Chriſtus, una perſona in utraque perfecta natura, cunctis viſibilem ſe oſtendit, & ſalubribus homines inſtitutis informans, vitamque ipſius indice perfectæ doctrinæ demonſtrans, dignatus eſt poſt ſanctæ converſationis exempla, & evangelicæ inſtitutionis eloquia ſub diræ mortis ſupplicio mortem pati, ut de amaro mortis ſuæ calice temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem ſempiternæ. Pro ipſius ergo generis humani redemptione Chriſtus ſe hoſtiam exhibens ſalutis, dicti generis humani hoſte proſtrato, illud de opprobrio ſervitutis eripuit ad gloriam libertatis ſupernæ, illi patriæ oſtium reſerando, & deinde reſurgens a mortuis, ac in cœlum aſcendens Spiritum ſanctum ſibi, Patrique conſubſtantialem, & ab utroque pariter procedentem miſit in Apoſtolos, per quos congregavit, univit & roboravit Eccleſiam, cui beatum Petrum Apoſtolorum Principem præfecit, ac Vicarium ſibi reliquit in terris, animarum curam committens eidem, ut earum ſaluti, pro qua ſuam humiliavit altitudinem, intenderet vigilanter, tradendo ſibi claves Regni cœlorum, per quas ipſi, ſuique ſucceſſores poteſtatem aperiendi ejuſdem Regni januam obtinerent. Unde nos prædicti Vicarii, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores effecti, ſuper omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt officio ad tuam, aliorumque ſalutem noſtræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis noſtræ deſtinamus affectum, circa ea diligenti ſtudio & ſtudioſa diligentia ſedulo vigilamus, ut deviantes in viam veritatis adducere, omneſque lucrifacere Deo, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia nemo pervenire valet ad viam veritatis ejuſdem, niſi per fidem Catholicam, a Deo & ſanctis Apoſtolis traditam, quam ſancta Romana Eccleſia profitetur & ſervat;*

Eum invitat ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam.

Magnitudinem tuam monemus, depoſcimus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus pie conſiderans, quod una eſt fides, extra quam nullus omnino ſalvatur, & ſine qua Deo impoſſibile eſt placere, ad ipſius venias fidei unitatem, eamque fideliter teneas & obſerves, nihilominus populum tuæ ditioni Regis æterni poteſtate ſubjectum ad eamdem unitatem reducas, & in illius obſervatione tuo exemplo laudabili, & piis exhortationibus ſtudeas conſervare: ita quod ex hoc a Patre luminum æterni conſequaris luminis claritatem. Ceterum quia humana renitente natura, uno eodemque tempore diverſis locis perſonaliter adeſſe nequimus, ne ullatenus negligentiæ relinquamus abſentes, ad eos viros providos, & diſcretos tranſmittimus vice noſtra ipſorum

Mittit ei Fratres Minores.

miniſterio circa illos Apoſtolicæ ſervitutis debitum exolventes, propter quod viros electos de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide devotos, in lege Domini plenius eruditos, dilectos ſcilicet filios fratres Marinum & Cyprianum, latores præſentium, ad te duximus deſtinandos, ut tu, tuuſque populus ipſum Dei filium Jeſum Chriſtum, ſuam glorioſam Matrem, ac fidei Chriſtianæ obſervationem ipſorum Fratrum

ſalu-

ſalutaribus traditionibus plenius agnoſcatis. Fides autem Catholica hæc eſt: Credimus ſanctam Trinitatem &c. ut in epiſtola proxima, quæ ſcribitur Tartaris VII. *Datum Reate* X. *Kalend. Auguſti, anno* I.

In eumdem modum Stephano Regi conſcripſit.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Helenæ Reginæ Sclavorum Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XI. *GRatias agimus gratiarum omnium largitori, quod, ſicut accepimus, & utique acceptamus, ipſo menti tuæ timorem ſui nominis, & amorem miſericorditer inſpirante, ab eo, qui ſolus habet in Regno hominum poteſtatem dignitatis regalis gloriam recognoſcens, in Deum ſinceram habes fidem, ac ejus Eccleſiam zelo pietatis Catholicæ venerearis. Hanc itaque fidem vigere in tua progenie cupientes, Magnificos viros Stephanum & Uroſium Illuſtres Reges Sclavorum natos tuos, per noſtras litteras hortandos duximus & monendos, ut pie conſiderantes, quod una eſt fides, extra quam &c.* ut in ſuperiori diplomate verbis competenter mutatis uſque ad *luminis claritatem. Ceterum ut iidem Reges, eorumque populus ipſum Dei filium Jeſum Chriſtum, ſuam glorioſam Matrem, ac fidei Chriſtianæ obſervationem ipſorum Fratrum ſalutaribus traditionibus plenius agnoſcant, dilectos filios fratres Marinum & Cyprianum de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, & in lege Domini plenius eruditos, cum prædictis noſtris litteris deſtinamus. Ideoque Celſitudinem tuam rogamus & hortamur attente, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus prædictos Reges natos tuos, ut devote redeant ad prædictæ fidei unitatem, & humiliter ſuſcipiant noſtra, & prædictorum Fratrum ſalutaria monita ſedulis exhortationibus inducere non omittas, ipſoſque in obſervantia & perſeverantia fidei prælibatæ foveas & confortes, ita quod in tui ventris fructu lætari, & benedicta inter mulieres vocari a Domino merearis: prædictos quoque Fratres habens pro divina & noſtra reverentia propenſius commendatos, ſic eos favore benevolo proſequaris, quod tua propter hoc devotio dignis poſſit in Domino laudibus commendari. Datum Reate* VI. *Idus Auguſti, anno* I.

Ibid. num. 33.

Helena prædictorum Regum mater.

XII. Admiror, ſed tamen neſcio, cur Pater Abrahamus Bzovius laudabilem hanc Pontificis ſollicitudinem, & præclaros tacuerit conatus circa convertendos hos Reges, populoſque eorumdem ſalvandos; cum alios multos relatu minus dignos ex ipſo eodem regiſtro ſerio retulerit. Præterquam quod Franciſcanus erat Pontifex (ſi tamen id Bzovio placeat, qui hoc omnino ſiluit in ejus creatione, quod nequaquam diſſimulavit in Innocentio V. quinque tantum menſium Pontifice; quem in duabus dumtaxat lineis bis monet Ordinis fuiſſe Prædicatorum, quod ego ex corde gratulor ſanctiſſimo Inſtituto) Franciſcani fuerunt, qui Tartarorum Reginam ad fidem, & ſchiſmaticos illos Epiſcopos ad Eccleſiæ unionem reduxerunt, majoriſque meſſis ſua induſtria & virtute ſpem ingerebant: Franciſcani etiamnum erant Nuncii miſſi ad Reges Sclavorum convertendos, & matrem Catholicam de illorum ſalute ſollicite procuranda ſolerter excitandam. Non res noſtras, ſed ſuas agit Bzovius in Annalibus Eccleſiaſticis: porro ſuas agat, at referat & noſtras: quod ſi non placet referre, quæ ſoli fecimus; ſcribat ſaltim, quæ ſimul cum ſuis fecimus; cariſſimorum Fratrum ſui Inſtituti conſodalium conſortium non dene-

Bzov. ann. 1276. num. 4.

deneget, & quod utrique accidit Sodalitio, proprio dumtaxat non adſcribat. Egregia & magna pluribus diplomatibus expreſſa, uti ſtatim referemus, hoc anno commiſit Pontifex Inquiſitoribus Minoritis ab Apoſtolica Sede deputatis in Provincia, Forchalcherii Comitatibus, & in quibuſcumque civitatibus, & locis, ſive terris Imperii infra Arelatenſis, Aquenſis, & Ebrodunenſis Provinciarum terminos, & etiam in civitate Avenionenſi conſtitutis, nec vero horum mentionem ullam facit Bzovius, unum tamen diploma, quod his modo relatis immediate ſubnectitur, & quo Pontifex jubet Prædicatores & Minores, ut diligenter inquirant Judæos ad fidem converſos, ad priſtinam tamen perfidiam reverſos, necnon Chriſtianos ad Judaicum ritum tranſeuntes, verbatim tranſcribit, inſcriptionem tamen, quam ego ex eodem penu, quo ille epiſtolam, tranſcripſi: *Dilectis Fratribus Prædicatorum & Minorum Ordinum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputatis, & in poſterum deputandis*, omnino omiſit. Neſcio quid hic ei diſplicuit præter Minorum nomen, ut pro more ſuam non præfigeret epiſtolæ inſcriptionem. Neque me ſcire obiter dixerim, unde vel ex epiſtola, vel ex inſcriptione deduxerit, quod ait frequentem horum apoſtatantium, & ſe circumcidentium numerum in Germania multiplicatum excitaſſe Pontificem ad conſtitutionem illam edendam; neque enim de Germania, aut de peculiari quopiam loco ibi fit mentio. Deinde ultra hæc cum Pontifex poteſtatem feciſſet fratribus Jacobo de Voragine Ordinis Prædicatorum, & Ruffino de Alexandria Minorum, Januenſes abſolvendi ab excommunicationis vinculo, quo tenebantur ob præſtita Aragonenſibus contra ſanctiones Pontificias auxilia, Bzovius quaſi impatiens conſortis, nullum hac in re tribuit ſocium ſuo Conſodali Jacobo, neque alii, quam ſoli ſuo Jacobo poteſtatem hanc factam refert; quaſi equidem vileſceret opus, ſi Minoritam in partem oneris admitteret. Illam ipſam epiſtolam, quam ille citat in margine quadrageſimam tertiam, ego ad plenam rei fidem hic tranſcribo, cui adjunxit aliam Nicolaus ad Poteſtatem, Capitaneos, Conſiliarios, & Commune Januenſes, monens eos de auctoritate Jacobo & Ruffino prædictis commiſſa, conceditque eiſdem ut cum Siculis commercium inire poſſint titulo cujuſcumque contractus, non tamen auxilii aut conſilii contra Carolum, aut ſequaces præſtandi.

Idem ann. 1288. num. 9.

Vide de his Apoſtatis infra an. 1290. n. 7.
Ibid. num. 6.

Dilectis filiis Jacobo de Voragine Prædicatorum & Ruffino de Alexandria Minorum Fratrum Ordinum.

Reg. Vatic. epiſt. 43.
Facultas abſolvendi Januenſes a cenſuris.

XIII. *Ua nobis dilecti filii Poteſtas, Capitanei, Conſiliarii & Commune Januen. petitione monſtrarunt, quod nonnulli de Civitate Januen. ejuſque diſtrictu pro eo, quod Siculis contra interdictum Sedis Apoſtolicæ participaſſe noſcuntur, cum eis mercimonia exercendo, latam in tales per Sedem ipſam, excommunicationis ſententiam incurrerunt. Quare fuit nobis pro parte prædictorum Poteſtatis, Capitanei, Conſiliarii & Communis Januen. humiliter ſupplicatum, ut cum prædicti excommunicati, parati ſint humiliter Eccleſiæ mandatis parere, provideri eis de abſolutionis beneficio mandaremus. Nos itaque dictorum Poteſtatis, Capitanei, Conſiliarii & Communis ſupplicationibus ob devotionem ſinceram, quam ab olim eorum univerſitas ad Romanam geſſit Eccleſiam favorabiliter annuere intendentes, ac gerentes de veſtra circumſpectione fiduciam pleniorem; diſcretioni ve-*

veſtræ præſentium auctoritate committimus, & mandamus, quatenus a præfatis excommunicatis, cum a vobis abſolutionem hujuſmodi humiliter duxerint poſtulandam, ſufficienti de parendo mandatis Eccleſiæ cautione recepta, ipſos a prædicta ſententia hac vice vos, & alter veſtrum abſolvatis juxta formam Eccleſiæ, vice noſtra injungendo eis propter hoc pœnitentiam ſalutarem, & quod deinceps Siculis prædictis, & Jacobo filio quondam Petri de Aragonia, aut eorum fautoribus, complicibus, ſeu ſequacibus nullum in iis, pro quibus excommunicati habentur, impendant auxilium, conſilium vel favorem. Proviſo quod ad abſolutionem illorum, qui Petro quondam Regi Aragonum, Jacobo nato ejus, ac Siculis, vel eorum quibuſvis complicibus, fautoribus, ſeu ſequacibus per ſe, vel alios in iis, pro quibus excommunicati ſunt, vel fuerunt, impenderunt alias auxilium, conſilium vel favorem, nullatenus procedatis ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Non obſtante indulgentia, per quam vobis filii Jacobe & Ruffine, vel Ordinibus veſtris a Sede Apoſtolica dicitur eſſe conceſſum, quod non teneamini vos intromittere de quibuſcumque negotiis, quæ vobis per litteras Apoſtolicas committuntur, niſi in eis de indulto hujuſmodi, & Ordine veſtro plena & expreſſa mentio habeatur. Datum Reate XV. *Kal. Junii, anno* 1.

XIV. In Comitatu Venayſino in Delphinatu in Gallia juris Pontificii, dum infidelitatis error invaleſceret, & plurimi a veritatis ſemitis averſi per devium falſitatis, & hæreſeon abirent, ſcripſit Pontifex ad Miniſtrum Provinciæ, ut ibidem auctoritate Apoſtolica ex ſuis Fratribus unum prudentem & doctum, tanto muneri idoneum inſtitueret Inquiſitorem, qui ſecundum leges olim a Clemente IV. præſcriptas, officium hoc ſolerter exerceret, & plenariam haberet poteſtatem, & auctoritatem in ejuſdem litteris contentam. Declaravit tamen, penes eumdem Miniſtrum, vel ejuſdem Vicarium remanere poteſtatem eumdem Inquiſitorem removendi ob juſtas cauſas, habito tamen conſilio & deliberatione cum aliquibus viris diſcretis ſuæ Religionis, atque in ejus locum ſubſtituendi alium; idque ipſum conceſſit ut facerent moriente Inquiſitore. Variis etiam diplomatibus ejuſdem tenoris ad eumdem Miniſtrum datis, juſſit ut in civitate Arauſicana, ejuſque diſtrictu, in Gallia Narbonenſi, & in caſtro de Sellone, necnon in Provincia, Forchalcherii Comitatibus, & quibuſcumque civitatibus, & locis, ſive terris Imperii infra Arelatenſis, Aquenſis, & Ebrodunenſis Provinciarum terminos conſtitutis, hæredibus claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ mediate vel immediate non ſubjectis, & etiam in civitate Avenionenſi Inquiſitores inſtitueret; ſubjicimus vero exemplar unius vel alterius bullæ ad clariorem notitiam originis fundatæ Inquiſitionis in illis partibus, quam omnino præteriit Ludovicus a Paramo in illo ſuo opere de origine & progreſſu officii ſanctæ Inquiſitionis in univerſis orbis regionibus, id tantummodo leviter attingens, quod in Delphinatu (in quo Ebrodunum) aliquandiu fuerint Franciſcani Inquiſitores.

Inſtituitur Inquiſitor Minorita in Comitatu Venayſino.

Epiſt. 191. 192. 193.

Alii etiam inſtituuntur in diverſis Galliæ regionibus.

Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum in adminiſtratione Provinciæ.

XV. P*Ræ cunctis noſtræ mentis deſiderabilibus Catholicæ incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos vel ſentimus ad illius depreſſionem qualicumque malignitate ſatagere,*

Reg. *Vatic. epiſt.* 190.

gere, vel damnabilibus ipſum depravando reprehenſionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, ſeu commentis eamdem mordacibus pervertendo: ad quorum iniqua conſternenda molimina eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos cognoſcimus conſpirare. Sane ſicut accepimus, in Comitatu noſtro de Venayſino adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorſus averſi euntes per devium falſitatis, peſtiferas ad concutiendum orthodoxæ murum fidei machinas conſtruant, molientes ipſum fallacium argumentationum impulſibus demoliri. Verum licet ubilibet Sedis Apoſtolicæ diligentia contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius hujuſmodi ſerpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, in prædicto tamen Comitatu, qui eſt Romanæ Eccleſiæ ſpecialis, cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius invaleſcat, ſtudemus ad hoc per nos & alios attentius vigilare. Providemus igitur in præfato Comitatu ad præſens perſonam aliquam pro tanto negotio deputari, cujus honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundent erudita labia ſalutarem, at ſacro ipſius miniſterio Comitatus ipſe ab hujuſmodi contagiis expurgetur. Quia vero de prudentiæ tuæ induſtria firmam in Domino fiduciam obtinemus; diſcretioni tuæ per Apoſtolita ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de conſilio aliquorum Fratrum diſcretorum tui Ordinis, eligas unum de Fratribus ejuſdem Ordinis tuæ adminiſtrationis, idoneum ad hujuſmodi opus dominicum exequendum, eique in virtute obedientiæ diſtricte Apoſtolica auctoritate præcipias, ut Inquiſitionis officium in jam dicto Comitatu contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in litteris Apoſtolicis expreſſam, quas olim fel. rec. Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter Fratribus prædicti Ordinis Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus ſuper exequendo dictæ Inquiſitionis officio, noſcitur deſtinaſſe, ſtudeat exequi diligenter. Nos enim &c. ut ſuperius in litteris Clementis IV. uſque ad *concedimus tenore præſentium facultatem. Nolumus autem quod Inquiſitor prædictus extra terminos Comitatus prædicti perſonas Comitatus ejuſdem citare, aut alias contra ipſas perſonas ſuam exercere valeat in aliquo poteſtatem. Datum Reate Nonis Septembris, anno 1.*

Comitatus Venayſinus ſpecialiter attinet ad E. R.

Tom. 4. an. 1267. num. 2.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis in Provincia, Forcbalcherii Comitatibus, & quibuſcumque civitatibus, & locis, ſive terris Imperii infra Arelaten. Aquen. & Ebrodunen. Provinciarum terminos conſtitutis, hæredibus claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ mediate vel immediate non ſubjectis, & etiam in civitate Avenionen. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Reg. Vatic. epiſt. 192.

XVI. P*Ræ cunctis &c.* ut in ſuperiori diplomate verbis competenter mutatis uſque ad *hujuſmodi contagiis expurgentur. Ut autem hujuſmodi officium contra hæreticos in præfatis Comitatibus, & locis, ſive terris poſſis efficacius adimpleri, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus in remiſſionem vobis peccatorum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induentes ex alto &c.* ut in bulla Clementis IV. uſque ad finem. *Datum Reate ut ſupra.*

Tom. 4. an. 1265. num. 3.

XVII. De-

XVII. Deputati & inſtituti in ſupradictis partibus Inquiſitores, Pontificem circa quædam dubia conſuluerunt; quibus ille reſpondit, aliaque addidit, per quæ commodius hæreſum ſemina eradicarentur, & fidei hoſtes exterminarentur. Horum extra Regeſtum Vaticanum veſtigium nullum invenio; digna autem ſunt, quorum non intercidat memoria.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis infra Arelaten. Aquen. & Ebrodunen. Provinciarum terminos conſtitutis, auctoritate Apoſtolica deputatis, & in poſterum deputandis.

Reg. Vatic. epiſt. 262. De pœnis injungendis hereticis, qui reſipiſcunt.

Super extirpatione pravitatis hæreticæ hoc a vobis in locis, in quibus contra hæreticos vobis Inquiſitionis officium eſt commiſſum, ſtatuimus obſervandum, ut hæreticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus hæreticorum ipſorum ad mandatum Eccleſiæ redeuntibus, ſub certa pœna pecuniaria injungatis diſtricte, quod fidem Catholicam firmiter teneant, & ulterius hæreticis ipſis auxilium, conſilium, vel favorem aliquem non impendant, necnon Eccleſiæ mandatis obediant, & obſervent quæ eis feceritis, vel unus veſtrum occaſione ipſius hæreticæ pravitatis, & ab eiſdem de ſolvenda hujuſmodi pecunia, ſi ſecus fecerint, cautio exigatur. Nos autem vobis, & ſingulis veſtrum cogendi per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, tam redeuntes ipſos, quam fidejuſſores ſi oportuerit eorumdem ad præſtationem vel ſolutionem hujuſmodi pœnæ pecuniariæ, ad quam ſe obligaverunt, vel obligaverint, ſi, quod abſit, in dictam pœnam inciderint, plenam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Pecunia vero, quæ de hujuſmodi pœnis vel ex tertia parte mulctarum, vel condemnationum exigendarum a quibuslibet perſonis, & locis, ſeu bonorum apprehendendorum occaſione hæreſis, vel hæreticorum ſecundum tenorem conſtitutionum noſtrarum, quas in eoſdem hæreticos, fautores eorum, & alios promulgatas in capitularibus civitatum, & locorum aliorum conſcribi mandavimus, forte pervenerit, penes tres viros fide probatos a vobis, & Diœceſano, vel ejus Vicario, ſi idem præſens non fuerit, eligendos deponatur, fideliter conſervanda, & de illa vobis, & ſingulis veſtrum neceſſariæ ad proſecutionem negotii contra hæreticos expenſæ, ſine difficultate aliqua, de ipſius Diœceſani conſilio miniſtrentur, & eidem Diœceſano de iis, quæ expendi contigerit, rationis plenariæ fidelis computatio exponatur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem x. Kalend. Januarii, anno 1.

Peculiariæ mulctæ ubi reponendæ.

EISDEM.

Reg. Vatic. epiſt. 263. Ut cogantur reſipiſcentes, & fidejuſſores parere mandatis Inquiſitorum.

XVIII. *Ad audientiam noſtram pervenit, quod nonnulli infra terminos ad inquirendum vobis conſtitutos, notati & ſuſpecti de hæretica pravitate, ac fautores, & receptatores hæreticorum ad mandatum Eccleſiæ redeuntes, interdum ſe obligant ſub certis pœnis ad parendum mandatis Eccleſiæ, & ſuper hoc præſtant vobis fidejuſſorias cautiones, quorum nonnulli mandatis, quæ ipſis facitis, parere recuſant. Quia vero noſtri decet appoſitione conſilii ſuper hoc ſalubriter provideri, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tales, & fidejuſſores ipſorum, quod mandatis factis eis per vos, & faciendis pareant, monitione præmiſſa, per impoſitionem & exactionem pœnarum, ad quæ ſe obligant, & etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, cogatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum ut ſupra &c.*

Eisdem.

Reg.Vat.ep.264. Ut ſententiæ ab Inquiſitoribus latæ executioni mandentur.

XIX. A*D audientiam noſtram pervenit, quod Caſtellani, Rectores, Vicarii, Judices, Conſules, Officiales, Conſilia, & Communitates quorumdam caſtrorum, locorum, & civitatum infra terminos ad inquirendum contra hæreticos vobis a Sede Apoſtolica conſtitutos, circa executiones ſententiarum, quas contra notatos, & ſuſpectos de hæretica pravitate, credentes, fautores, & receptatores eorum profertis, a vobis ſuper hoc requiſiti, ſe interdum reddunt difficiles, & etiam negligentes. Nos itaque volentes, quod negotium Inquiſitionis hujuſmodi ſalutarem conſequatur effectum, circa ea intendimus animo vigilanti, per quæ ſubmotis quibuslibet obſtaculis, prædictum negotium, Deo propitio, de bono in melius valeat proſperari. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Caſtellanos, Rectores, Vicarios, Judices, Officiales quocumque nomine cenſeantur, & Conſilia, ac Communitates prædicta, quod hujuſmodi ſententias a vobis latas, & ferendas etiam ſublato cujuslibet dilationis, & difficultatis obſtaculo, executioni demandent, monitione præmiſſa, per excommunicationis in perſonas Caſtellanorum, Rectorum, Vicariorum, Judicum, Conſulum, Officialium, & Communitatum, & Conſiliariorum, ac privationis ab officiis, & in civitates, caſtra, & loca hujuſmodi interdicti ſententias, appellatione poſtpoſita, cogatis. Non obſtante aliqua indulgentia Sedis Apoſtolicæ, de qua cujuſque toto tenore oporteat in noſtris litteris plenam, & expreſſam fieri mentionem, & per quam effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri. Datum ut ſupra.*

Eisdem.

Reg.Vat.ep.265. Ut domus, & turres hæreticorum deſtruantur.

XX. C*Um in Conſtitutionibus jam dudum a felicis recordationis Innocentio Papa IV. prædeceſſore noſtro contra hæreticos promulgatis, inter alia contineri dicatur expreſſe, ut domus, in qua hæreticus, vel hæretica inventus fuerit, ac ei contiguæ, ſi fuerint ejuſdem dominii, ſine ſpe reparationis funditus deſtruantur, noſtro petiiſtis certificari reſponſo. Quid ſit de turribus in caſu hujuſmodi obſervandum? Ad quod breviter reſpondemus, quod noſtræ intentionis extitit, & exiſtit, ut in eo caſu idem in turribus, & in domibus judicium obſervetur; lignamina vero, lapides, & tegulas domorum & turrium, quæ taliter deſtruentur, eo modo diſtribui decernimus, quo res alias ibidem inventas dividi mandavit Prædeceſſor præfatus in conſtitutionibus antedictis. Datum ut ſupra.*

Eisdem.

Reg.Vat.ep.266. Quod Rectorum excommunicatorum opem liceat contra hæreticos implorare.

XXI. Q*Uæſiviſtis, an alicui Regno, Provinciæ, aut loci regimini præſidentes excommunicati, vel alias jurisdictionem aliquam, pro eo quod fortaſſe dumtaxat de facto præſident, non habentes, & officiales eorum requiſiti per ordinarios vel delegatos eorum, aut Inquiſitores hæreticæ pravitatis a Sede Apoſtolica deputatos, juſtitiam contra hæreticos, credentes, defenſores, & receptatores eorum poſſint, & debeant exercere? & an requirentes eoſdem excommunicatos propter hoc ſententiam excommunicationis incurrant? In favorem igitur fidei duximus ſtatuendum, ut tales in his caſibus, in quibus fuerint requiſiti per ordinarios delegatos, vel Inquiſitores eoſdem ad Superiores, qui legitime in locis ipſis juſtitiam exercere poſſint, recurſum habere ſine moræ diſpendio, vel peri-*

periculo negotii non valentes, poſſint & debeant contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eoſdem ſuum officium exercere, cum id ad exaltationem fidei, & ſalutem pertineat animarum, & requirentes eos, propter hoc excommunicationis ſententiam non incurrant. Non credant autem præſidentes, & officiales prædicti per hoc, quod pro fidei vitando periculo ſalubriter eſt proviſum, ſibi eſſe in aliis caſibus conceſſum aliquid vel permiſſum. Datum ut ſupra.

XXII. Ne vero deeſſent, qui eiſdem Inquiſitoribus collaborarent, aut ex defectu Fratrum, vel ſociorum contingeret tanti momenti negotium impediri, aut retardari, ſcripſit Pontifex ad Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos, eorumque Vicarios in adminiſtratione Provinciæ, ut duos vel plures, ſi opus eſſet, ex Fratribus, quotieſcumque requiſiti, eiſdem concederent. Tenor litterarum idem eſt, atque illarum, quas ſupra diximus, Alexandrum IV. dediſſe ad Miniſtrum Romanæ Provinciæ; datæ vero ſunt eodem die quo ſuperiores: deinde dato illo etiam die ad univerſos Chriſti fideles altero diplomate, intimavit ſe excommunicaſſe, anathematizaſſe, & variis pœnis expoſuiſſe univerſos hæreticos Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſagginos, Joſepinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios omnes quibuſcumque nominibus cenſerentur. Hoc ipſum diploma ſub eodem tenore verborum emiſerunt ante eum alii Pontifices, Gregorius IX. Innocentius & Alexander IV. & alii. Habetur in c. excommunicamus 1. & 2. de hæret. & in c. quicumque de hæret. in 6. Unum atque alterum exemplar invenies apud Franciſcum Pennam ad calcem directorii Inquiſitorum, incipit: *Noverit univerſitas veſtra*; datum eodem die, quo diplomata proxime relata. Erant tunc Inquiſitores in Provincia Romana Alamannus de Balneoregio, & Franciſcus Reatinus, quos in eodem munere præceſſit Angelus item Reatinus, uti refertur in diplomate hujus Pontificis, quo præſcribit quædam in controverſia nobilis viri Urſi de filiis Urſi (de quo nos ſupra) cum Viterbienſibus, circa quædam caſtra, & alias poſſeſſiones.

Plura ſtatuit Pontifex circa hæreticos.
Reg. Vat. ep. 267.
Tom. 4. an. 1261. num. 2.
Reg. Vat. ep. 268.
Reg. Vat. ep. 126. dat. 3. Kal. Maii.
An. 1278. n. 33.

XXIII. Multa alia præclara geſſit, & fecit hoc anno Nicolaus in Hungaria: Regem Ladiſlaum, a turpitudine Chunum cognominatum, pellicibus Cumanis in prædam ſæde, & cum regni ſui ſcandalo datum, & depravatæ fidei ob Cumanarum conſuetudinem ſuſpicione notatum, ab Epiſcopo Firmano Apoſtolicæ Sedis Legato, ut reſipiſceret admonitum, & graviter reprehenſum, conatus eſt, miſſis quamplurimis ex Prædicatorum & Minorum Ordinibus viris doctis & piis, ad Chriſtianæ vitæ ſemitam reducere; & Cumanos, reliquoſque illarum partium gentiles ad Eccleſiæ unitatem convocare; quos etiam magnis privilegiis munivit dato diplomate ſimili ei quod ſupra dedimus, cujus initium: *Cum hora undecima* III. Non. Septemb. In Gallia Philippum Regem admonuit, ut Miniſtros ſuos inſolentibus exactionibus Clerum aggravantes reprimeret, & Eccleſiaſticam immunitatem adeo nihili facere non permitteret, alias ſe jura Eccleſiarum acriori animadverſione vendicaturum. In Italia Joannem Dandulum Venetorum Ducem bello Patriarcham Aquilejenſem vexantem, multiſque caſtris, & Patriarchatus juribus ſpoliantem, juſſit arma deponere, & quæ injuſte abſtulerat, reſtituere, alias ſciret poteſtatem factam Archiepiſcopo Raguſino contumaces anathematizandi, & univerſum Dominium Venetum interdicto Eccleſiaſtico ſubjiciendi. Eumdem etiam Ducem, & Senatum Venetum monuit, ut diligenter animad-

Conatur convertere ad frugem Regem Hungariæ, & Cumanos ad fidem.
Bonf. in dec. 2. lib. 2. in fine.
Reg. Vat. epiſt. 906. 8. Kal. Aug.
Tom. 4. an. 1258. n. 1.
Ibid. epiſt. 44.
Epiſt. 139. 3. Non. Septemb.
Monet regem Galliæ eccleſiaſticæ indemnitatis.
Venetos ne vexent Aquilejenſem.
Epiſt. 122. dat. 15. Kal. Septem.

animadverteretur in hæreticos in eorumdem dominium irrepentes, quod ut maturiori conſilio, & ex conſcriptis facerent legibus, præcepit ut ſtatutas olim a Friderico pœnas contra hæreticos, in ſuis codicibus adſcriberent, & ex earum formula contra læſæ fidei reos procederent.

Epiſt. 47. dat. 15. Kal. Octob.

Siculis alia præſcribit.

Epiſt. 29. dat. 3. Non. Junii.

In Sicilia ut Jacobi Petri Aragonii filii auſus comprimeret, & contra eum auxilia externa convocaret, injunxit Roberto Comiti Atrebatenſi Balivo Regni Siciliæ ut curaret Catarinam Philippi quondam Imperatoris Conſtantinopolitani filiam in matrimonio collocari Michaeli filio Andronici primogeniti Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum.

Zurita l. 4. cap. 102. & ſeq.

Minoritæ Nuncii Regis Arag. ad Pontificem.

Ep. 6. dat. Idib. Martii. An. 1284.

XXIV. In Hiſpania ad Alphonſum Aragoniæ Regem (qui paulo ante Romam miſerat Guardianos Minorum Cæſarauguſtanum, & Barchinonenſem congratulaturos Pontificis electioni, & rogaturos ut mitius cum ipſo & univerſo Aragoniæ Regno tanto tempore anathemati ſubjecto, totque malis afflicto, jam tamdem ageretur) ſuos Nuntios miſit, & litteras dedit, ut Carolum Salernitanum Principem, quem ſupra diximus ſub Petro Aragonio a Rogerio Lauria captum, & ſub tuta cuſtodia in Aragonia detentum, liberaret; item ſe abſtineret a juvando Jacobo fratre, Regni Siciliæ Rege nuncupato, & infra ſex menſes compareret ad Sedem Apoſtolicam cauſam dicturus, alioquin rigorioſius contra illum procedendum. Jaccæ litteras recepit Alphonſus, quibus ſe

Jubetur Aragonius ſe ſiſtere Pontifici.

Anno 1278.

Pontifex non volt Aragonium excommunicare.

obſequuturum dixit, ſi modo tutum illi eſſet Pontificem adire. Refert Hieronymus Zurita apud Thomam Jordanem, de quo nos ſupra, ſe legiſſe Nicolaum Pontificem ſtatim in limine Pontificatus inſtanter rogatum a Carolo Salernitano Principe, ejuſque cauſæ vindicibus, ut ſeverius procederet contra Alphonſum, novas adderet excommunicationis & interdicti cenſuras, proceſſumque contra eumdem conficeret, reſpondiſſe ſe nolle ei, cui ſemel benedixit, adeo facile maledicere, ſed velle

Aliquando ei benedixit.

potius omnes tentare vias priuſquam gladium diſtringat. Benedixiſſe autem tunc refert prædictus auctor, quando Miniſtri Generalis fungens officio, perrexit in Hiſpaniam conſodales viſitaturus, & Cæſarauguſtæ Jacobum Aragoniæ Regem, hujus Alphonſi avum ex magno in Minores affectu, ipſiuſque Primicerii reverentia, ſibi & filiis atque nepotibus genuflexis humiliter, & devote petiiſſe, ut bene precaretur, & ſancti Franciſci, cujus vice ſungebatur, benedictionem impartiret.

Carolus Claudus liberatur, & quibus legibus.

Joan. Maria. l. 24. c. 11.

XXV. Nnn parum profuit Carolo Pontificis præceptum, & Eduardi Anglorum Regis interceſſio, ut eo ipſo anno libertati redderetur, iis tamen legibus, ut Siciliæ Regnum Jacobo cederet; Pontifice Maximo ut annueret, Aragonioſque anathematis vinculo ſolveret, exorato; Carolus Valeſius jure Aragonii Regni decederet, quod a Martino Pontifice erat datum, quinquaginta millia nummum penderentur; Philippus Galliarum Rex arma contra Alphonſum ſuſcepta deponeret; tres filios natu majores Carolum Martellum, Ludovicum, & Robertum, & e Provinciæ Phocenſis nobilitate viros ſexaginta obſides daret. Ea omnia, niſi intra triennium præſtitiſſet, ipſe in cuſtodiam rediret. Graves eæ conditiones erant, paciſci tamen quacumque ratione cum victori expediret, victis neceſſe erat, qui recepta libertate haud defuturam occaſionem melioris fortunæ ſperabant. Carolus ab Aragonio dimiſſus in Galliam abiit, moxque in Etruria Gibellinorum motibus compreſſis, anno ſequenti Romæ, ut quidam volunt, ſeu, ut Marianus noſter cum aliis, Reate in æde Minorum a Nicolao ſub ſacris ſolemni & Pontificali majeſtate de-

Coronatur, ac promiſſa cōplet.

cantatis, ſimul cum conjuge Maria Apuliæ, & Siciliæ Rex dictus eſt, co-

corona impoſita capiti , ceteroque ornatu regio conceſſo : cum negaret Pontifex fœdus ratum fore , quod injuſſu ſuo in colloquio Regum paciſcentium Olorone oppido ad Pyrenei montis radices , factum fuerat de Regno Romanæ Eccleſiæ ab antiquis temporibus vectigali.

XXVI. Ad obſides redeo, de quorum numero plerique Scriptores variant. Æmilius duos tantum enumerat Robertum , & Ludovicum ; Platina , & Blondus , ejuſque epitome , Carolum primogenitum , Aloyſium . At vero tres fuiſſe rejecta opinantium varietate , probat Zurita exactiſſimus ſcriptor , & certe de Carolo Martello dando pactum ait , non tamen hunc , ſed Raymundum Berengarium quarto genitum poſtea in poteſtatem Aragonii veniſſe , Ludovicum vero & Robertum pro patre liberando traditos a principio . Hos ipſos tres obſides refert auctor vitæ ſancti Ludovici apud Henricum Sedulium , ipſis coævus (quippe ſub Joanne XXII. ſe eamdem ſcripſiſſe commemorat) ex quo nunc referre opportunum , quæ Ludovicus noſter in captivitate peregit . Annum tunc agebat quartum decimum , cum ſibi dilectum Deus voluit : *quaſi aurum in fornace probare* . Septem annis eum in cuſtodia detinuerunt patris hoſtes in arce Siurana , ubi conſtantiam ejus tum ipſa captivitas , tum adhibiti cuſtodes mirum in modum exereuerunt , ita permittente Deo , ut plures confirmaret piis exemplis , & ſalutaribus monitis ad patientiæ virtutem animaret . Aliquando rogatus , qui poſſet illi in tot adverſis , tanta eſſe æquabilitas , idem vultus , eadem frons ? tum ille : adverſa , inquit , amicis Dei plus conducunt , quam proſpera : tunc Deo ſubditi ſumus quando adverſis urgemur : ſecundæ res mentem extollunt atque efficiunt , ut Deum non cogites , non verearis . Fortuna etenim ut ignarus Medicus , cœcos eos plerumque efficit quos complectitur ; & quem nimium fovet , ſtultum facit . Atque ideo infelix ille in quem nihil triſte incurrit : hic aut ſibi ignotus , ut qui numquam ſui periculum fecerit ; aut Deo invîſus , quem præterit velut ignavum ad conflictum . Adverſi aliquid eveniat , oportet , quod probet virum . Sed magni animi proprium eſt , placidum eſſe & tranquillum : triſtia quæque ſuperne deſpicere , humanoſque caſus virtute inferiores putare ; calamitates mortalium ſub jugum mittere proprium eſt magni viri . Itaque in arena illa tam ſalutariter exercitatus ; in tantum promovit , ut poſtquam eſſet cuſtodia liberatus , adfirmaverit numquam ſe rogaſſe Dominum Deum e carcere liberari , niſi ſemel : hac tamen cautione , ſi eſſet ſalutare : & quod magis mireris , noluiſſe opibus totius mundi carcerem illum commutatum , potius iterum repetere , in cujus gymnaſio tantum profeciſſet . Cittabat huic fini illud Prophetæ : *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti ; annis quibus vidimus mala* . Vix enim ſapimus , niſi experti .

Æmil. in Philip. Pulchro.
Platina in Nicol. IV.
Blond. cit.
Epitome apud Æneam Silvii.
Obſides dati pro Carolo .
Auctor Anonym. vita ſancti Ludovici cap. 8.
Sap. 3. 6.
B. Ludovici in captivitate conſtantia .
Dei ſervis conducunt adverſa .
Pſal. 89. 15.

XXVII. Licet vero in ipſa captivitate tamquam alter Tobias , *viam veritatis non deſereret* ; decrevit tamen divina providentia , quæ ipſum ad majora ſervabat , amplius probare , & gravioribus moleſtiis exercere , ut variis tunſionibus perpolitus , formaretur in vas pretioſum & electum . Quamobrem in prædicta arce graviſſimo morbo correptus purulentum & tinctum fœdo cruore phlegma cœpit ejicere , ut medici læſum pulmonem ſuſpicati ſint . Ingraveſcebat morbus in dies magis , magiſque , ſed maxime pridie Purificationis beatæ Mariæ Virginis : adeo ut catarrhi gravedine propemodum ſuffocaretur . Tunc ad ſe rediens , vovet Deo pro ſalute , beatæ Mariæ Virgini Matri , ſancto Patri Franciſco , vitam & In-

Tob. 1. 2.
Morbo corripitur .

Inſtitutum Fratrum Minorum, ſeque in eo quoad viveret, perſeveraturum. Voto revaluit, & patrocinio Sanctorum. Nec oblitus beneficii fuit: ſed proxima Pentecoſte, Spiritu ſancto afflatus, ſummo mane in æde arcis, ad memoriam beatæ Dei genitricis extructa, quod ſecum tacite promiſerat, ad altare Domini aperte renovans, manifeſte ſeipſum obtulit Domino gratiſſimam oblationem & holocauſtum; conſultius eſſe ratus Deo dari, quam ſibi relinqui.

Voto emiſſo convaleſcit.

XXVIII. Animi remittendi gratia, cum ei copia facta fuiſſet, & Roberto fratri, poſtea Siciliæ Regi, equis, armis, curſu & congreſſu exercitari: aſſenſus eſt vel in Fratris gratiam, quem oblectabat ejuſmodi luſio. Spectantibus omnibus, ſubito equus Ludovici magnus & fortis labitur: atque in ipſum reſupinum, tertio ſe ſupinus equus rotans circumagit, magno & quaſi præſenti vitæ Ludovici diſcrimine. Territis cunctis & conſternatis, nec niſi mortem illius cogitantibus, ſurgit Ludovicus præter omnium expectationem illæſus: & pulverem extergens, periculo fuit liberatus. Mirabantur omnes magnum hoc miraculum, Deo facti ſupplices; qui novit ſuos, cum expedierit, in periculis conſervare. Ipſe vero ut ſe recepit, ſecum altius conſiderabat rerum humanarum imbecillitatem, & ſummam Dei clementiam in noſtra tutela: ruminans illud Regii Prophetæ: *Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur*. Et: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus*. Toto igitur corde ad Deum converſus, militiam relinquere cogitans, ſpernere incepit pompam mundi, Chriſto Domino qui ſolus habet, & dat immortalitatem, obſequi firmius proponens, ſtatuit ex illa hora nullo poſt tempore, equitare in equo, nec arma geſtare, quod ipſum quoad vixit, diligenter obſervavit. Nam etiam Epiſcopus, ſemper memor humilis Pontificis, & pauperis Regis Domini noſtri Jeſu Chriſti aſello olim vecti in urbem Hieruſalem, numquam in equo, ſed vulgari mulo equitare voluit. Præclara res & amabilis, modeſtia & humilitas: in paupere grata, in potente merito glorioſa prædicatur.

Cum equo cadit, ſed illæſus.

Pſ. 32. 17.
Pſ. 146. 11.

Sprevit mundi pompam.

XXIX. Magno deinde progreſſu virtutum, & lumine Spiritus ſancti animo illuſtrato, didicit mentem piam, cœleſti ſponſo aſſiduo precandi ſtudio conjungi. Quapropter vehementer deſiderans, ſalutari frui amplexu Jeſu Chriſti dilecti ſui, magnopere conatus eſt illi ſe totum orandi perpetuitate, tum publice, tum privatim, conſecrare. Etenim adhuc laicus penſum divini officii, diurnum, pariterque nocturnum ex more ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtudioſiſsime Domino quotidie perſolvebat: moleſte ferens, & ſevere arguens, ſi quos in precando videbat properare nimium, aut quovis modo divinum illud opus interturbare. Pſalmos legebat miro fervore, animo adeo intento, tamquam ipſum Deum præſentem intueretur: ut exemplo ſuo torpidos, & ſegniores ad affectum pietatis vehementer excitaret; ſerena facie & vultu placido, ſemper interiorem ſignificans lætitiam ſpiritus, & jucunditatem. Quia vero eſt, quod vulgo dicitur, *ubi cor, ibi oculus*: tantiſper dum orabat, in Eccleſiis præſertim, oculos in Crucifixi imaginem defigebat: ut flamma ſibi in pectore creſceret rerum geſtarum. Ad horarias preces addebat quotidie Pſalmos, qui Pœnitentiales appellantur, cum Litaniis, & pleroſque alios guſtui ſuo, & inflammandæ pietati opportunos: quos ſingulos pia illa oratione ad beatam Virginem: *Salve Regina, Mater miſeri-*

Preces ejus quotidianæ.

Et in eis fervor.

ricordiæ, claudere ſolebat. Item laudes de ſancta Cruce Domino recitabat quotidie, una cum ſocio Fratre ex Ordine Minorum, clauſo conclavi, ab aliis ſejunctus. Ubi cupiens *ſentire quod & in Chriſto Jeſu*, quamdiu cruciariæ illæ preces durabant, permanebat immotus, brachia extendens in ſormam Crucis. Poſt completorium nonnullas orationes de gaudiis beatæ Mariæ, quam pie colebat, ſundere conſuevit, & aliquot alias preces: ita jugiter Deo *reddens vitulos labiorum ſuorum & hoſtiam laudis*. Dulce Jeſu nomen calido venerabatur affectu: quoties illud audiebat, jubilo quodam videbatur repleri, & caput reverenter inclinans, oſculanſque terram illi *admirabili nomini* debitum exhibebat honorem.

Preces ejus in honorem ſanctæ Crucis.

Philip. 2. 5.

Affectus in ſanctam Mariam.

Oſeæ 14. 3. *Hebr.* 13. 15.

Et in nomen Jeſu.

Pſalm. 8. 2.

XXX. Sub nocte cum ad cœnam vocaretur, adeo multus eſſe ſolebat in orando, ut moleſte id ferrent ejus ſamiliares; numquam tamen accumbere voluit, niſi, oratione præmiſſa, conatus eſſet pabuli cœleſtis dulcedinem prægustare, cum etiam, quod amicis Dei familiare eſt, metu & diffidentia ſui ab omnibus flagitabat ſubſidia orationum: indignum ſe arbitratus & ineptum, qui Deum poſſet exorare. Denique feſſa membra quieti concedens cum Rege Davide, *lavabat per ſingulas noctes lectum ſuum, lacrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat*: multo conſultius arbitratus fonte purgari, quam igne. Ad hæc aſſiduus in libris ſacris, & avidiſſimus ſermonis divini, menſam etiam antequam eſſet Epiſcopus, ſacra lectione condiebat: omni ratione ac modo *hauriens aquas e fontibus Salvatoris*, quas orationis tempore libans Domino, uberius terram cordis irrigabat. Ad orationem videbatur a Deo accepiſſe *ſpiritum precum*: ad lectionem, *in lege Domini voluntatem*. Itaque erat illi perpetua talis exercitatio; oratio excipiebat lectionem, lectio orationem: cenſens omne tempus, cujus erat cuſtos parciſſimus, ſibi periiſſe, quod in divinis cogitationibus ſive orationibus non conſumpſiſſet. Hic mos ejus interdiu orandi: ſed ne quidem internoctu volebat unquam a longis precibus vacare. Quod ægerrime ſerens humani generis hoſtis, conatus eſt nonnumquam eum ab orandi ſtudio deterrere. Nam & in ipſa cuſtodia Cataloniæ viſus eſt cacodæmon nocte intempeſta oranti in forma horribilis ſelis, ut injecto timore abſterreret ab oratione. At impavidus adoleſcens, potentia Domini fretus, munivit ſe vivificæ ſigno Crucis: atque ita timor menti deceſſit, virtute illius trophæi ſtatim hoſte maligno profligato. Ubi vero reſcivit, hoc ſratrem ſuum Raymundum animadvertiſſe, qui in eodem cubiculo una dormiebat: illius fidem jurejurando adſtrinxit, ne hoc cuiquam ante mortem ſuam indicaret. Ille conſervandi quidem jurisjurandi cauſa tenuit fidem: ſed poſt deceſſum Fratris, rem compluribus enarravit. A teneris annis adeo eum huic precandi ſtudio aſſuetum ſcribit Piſanus, ut cum ſe quieti dediſſet, & abeuntibus ſamulis ſecum eſſet, parvulus adhuc ſingulis noctibus ſoleret e lecto ſurgere, & in oratione & lacrymis uſque ad mediam noctem perdurare, quod omni tempore diligenter obſervavit,

Sub nocte aſſiduus in oratione. Aliorum petit orationes.

Pſalm. 6. 7.

Iſa. 12. 3.

Zac. 12. 10. *Pſ.* 1. 2.

Alternat orationem & lectionem.

Spectrum dæmonis ſigno Crucis profligat.

Piſan. confor. 8.

XXXI. Ad miſſarum myſteria diligentiſſime ſe præparabat, quibus numquam voluit intereſſe, quod ſingulis diebus conſueverat, niſi peccata confeſſus, maxime vero quoties eſſet ſanctam Euchariſtiam ſumpturus: ut expurgatus virtute ſalutaris pœnitentiæ, Agnum illum ſine macula puro corde & corpore manducaret. In more ærat illi antequam ſacerdos eſſet, principalibus ſolemnitatibus corpus ſumere Dominicum, tanta reverentia & affectu, ut ſpectantes exemplo ſuo vehementiſſime in-

Pietas ejus in ſacra communione

flammaret. Factus Sacerdos, & Epiſcopus, tametſi pro officii ratione maximis diſtineretur occupationibus, fere quotidie, confeſſione præmiſſa, operari divinis non intermittebat: ne quidem cum magnum iter feciſſet, cœlo etiam valde pluvio.

Quotidie celebrabat.

Factum aliquando, ut longo itinere confecto, ſacrificare volens, non inveniret ſacerdotales veſtes, niſi viles & ſordidas: tamen ut erat auguſtiſſimo illi Sacramento devotiſſimus, & modeſtiſſimus, ſacrificavit: probe ſciens, ſupremum Numen placari & delectari potius affectu puræ mentis, quam exterioribus ornamentis.

Geſtabat ſanctas reliquias.

Et ut erat fidus amicus Chriſti, partem ligni ſanctæ Crucis, cum aliis multis Sanctorum reliquiis veneranter geſtabat. Sed & ſignum Crucis ad expeditionem tranſmarinam contra nominis Chriſtiani hoſtes dari conſuetum, donec ſancto Franciſco nomen dediſſet, propalam ex more gerebat in veſtibus.

Temporis momenta parce diſpenſat.

XXXII. Fructuoſiſſime occupabat ſingula temporis momenta: ne pectoris ager, ceſſante manu, malarum cogitationum ſentibus premeretur. Nam ſubterſugiens etiam jam tum obſes vanorum hominum conſuetudinem, jungebat ſe Fratribus Minoribus, claros viros & ſapientes ſequens: ſciens malignos comites, quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam adfricare.

Colloquia vana vitat.

Illi, inquit, mecum ſemper volunt garrire de rebus frivolis & futilibus; inutiles mihi ejuſmodi ſermones; divina & ſalutaria audire juvat, unde mihi haurienda ſapientia, non vulgi iſtius & levium hominum, ſed piorum, quamvis eos mundus iſte ſpernat, grata eſt familiaritas: quia ab illis eruditio & pietas, ut ab aromatibus bonus odor. Talibus & cum Deo eſt uſus, de quo ſcriptum: *Et cum ſimplicibus ſermocinatio illius*.

Prov. 3. 32.

Porro autem, ne ſuo aliorumve multiloquio ſibi peccata colligaret, reſtringebat ſermonem; ſuis ripis coercebat, ne cito lutum colligeret amnis exundans. Hinc Sacerdos factus, receſſu & ſejunctione ab aliis ſecretus, ſecum vivens in arce quadam, quæ a Neſpoli prope

Secum agit ſolus

aberat, vitæ genus cæleſtis agebat in terris. Quotidie cum ſacrificaſſet, uſque ad prandium, totum ſe dabat lectioni: a prandio non vanos miſcere ſermones, quod vulgus ſolet: ſed cum viris doctis & religioſis communicare, conferre, diſputare de ſeriis & fructuoſis.

Exercitia ejus pomeridiana.

Deinde cantum addiſcere Eccleſiaſticum, poſtea brevem in cella aliqua capere ſomnum, demum a conſpectu hominum prorſus ſecedere; in ſeceſſu ſtudioſiſſime perlegere ſacram Sripturam, & monimenta Patrum, maxime vero Meditationes beati Bernardi, cujus librum de Conſideratione, equitans quoque in ſinu gerebat, cum Epiſtolis & aliis aliquot ejus opuſculis. Fatigatus autem multa lectione, corporis exercendi gratia, hortum colebat, ſolum invertens, Jolia extirpans, & jaciens bonam ſementem, externo cultu ſubmovens ſe, qui animum coleret. Semper aliquid faciebat boni, ſemper inveniebatur occupatus. Itaque duæ res quæ languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. Numquam minus otioſus, aut ſolus, quam cum ſolus eſſet, aut otioſus. Profecto

Seneca epiſt. 87.

interdum ipſa quies inquieta eſt. Et ideo ad rerum actus excitandi ac tractatione bonarum artium occupandi ſumus, quoties nos male habet inertia ſui impatiens. Magni Imperatores cum male parere militem vident, aliquo labore compeſcunt, & expeditionibus detinent. Numquam vacat laſcivitate diſtrictis: nihilque tam certum eſt, quam otii vitia negotio diſcuti.

Cõſilia ſequitur meliorum.

XXXIII. Ad eruditionem & pietatem aſſequendam plurimum facit conſuetudo cum bonis & doctis viris. Itaque talis Ludovicus evaſit, quod viris gravibus, eruditis, religioſiſque ſemper uteretur: ex quibus de-

Digitized by Google

deligebat optimos quoſque & probatiſſimos, quorum conſilio & auctoritate niteretur. Neque enim ſua ſolertia fretus facile quidquam ſecum ſolebat decernere: ſed ætatis ſuæ imbecillitatem & inſcitiam, ſenum conſtituebat, regebatque prudentia. Adhibebat in conſilium familiariter Jacobum de Oſa juris Civilis clariſſimum profeſſorem: qui poſtquam adlectus eſſet in numerum Epiſcoporum, ac deinceps in primum ordinem purpuratorum Patrum S. R. E. Cardinalium, poſtremo ad ſummum Pontificatum evectus eſt. Dum in cuſtodia eſſet, magiſtrum habuit fratrem Pontium Carbonellum, de quo nos alias, virum doctiſſimum, & religioſiſſimum. Magna quoque illi conſuetudo cum venerabilibus Patribus, fratre Guillelmo a Falgaria, & fratre Richardo a Media-villa Ordinis Minorum ſacræ Theologiæ Doctoribus, & eximiis profeſſoribus, & pleriſque aliis ſpectata pietate & eruditione clariſſimis viris. Et quidem hac ratione nedum juvenes, ſed in univerſum omnes, plurimum laudis ſibi adplicant: quoties de rebus arduis ambigentes ad peritorum conſilia recurrunt; ſed paucos profecto invenias, qui ſe ſuaque ſic diſponunt: negligentiores conſilii plures, & in rebus præcipites. Hi tales cadunt ſæpius, & more eorum qui innatant fluminibus feruntur, fluctuant, pereunt. Contra vero, non minuunt auctoritatem, qui conſilia ſua ad probos conſultores rejiciunt: ſed tuentur potius, & confirmant meliorum judicia conſequentes.

Quibus familiarius utebatur.

Tom. 1. an. 1214. n. 10.

Prudentum conſortio acquiritur virtus & gloria.

XXXIV. Illo porro ſeptennio ſuæ captivitatis ſub cura & diſciplina Fratrum Minorum tantos fecit progreſſus, ne dum in litteris humanioribus, verum etiam ſacris, ut in corona etiam doctiſſimorum virorum prudenter reſpondere poſſet (uti ſeipſum vidiſſe Barchinone ſcribit vitæ auctor) & argute diſputare. Nec hoc ſolum, verum etiam tamquam vir Apoſtolicus, ad omnes paratus conciones promptuſque, clero & populo concionabatur magna gratia & fructu. Quin etiam in conventibus Religioſorum, Epiſcoporum præſentia, totius quoque Cardinalium Collegii conſiſtorio, imo & Regum, Principumque conſeſſu, aliquoties orationem habuit luculentam & utilem, tanto ardore, & efficaciæ nervis, ut non tam ipſe, quam ſecundum promiſſum Chriſti, cœleſtis Patris ſpiritus in ipſo loqui videretur. In concionibus igitur ipſe, etſi corpore debilior, tamen aſſiduus erat: quod noſſet ſervum pigrum & malum a Domino reprobari: *qui talentum acceptum fodit in terram, abſcondens pecuniam Domini ſui.* Et quod alibi ſcriptum: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populo: benedictio autem ſuper caput vendentium.* Itaque dicendi facundia pollens, ipſius naturæ habitu, tum etiam munere divino, ſummæ eruditioni conjuncta, jam Epiſcopus non raro ad alias diœceſes concionaturus acciebatur.

Sub quibus liberales artes addiſcit?

Anonym. c. 9.

Docte concionatur.

Matth. 10. 20.

Ibid. 25. 24.

Prov. 11. 26.

XXXV. Pariſiis cum diceret in concione, quæ conſtabat ex viris doctis, & univerſitate ſtudioſorum, admirationi fuit: atque eo magis, quod non ornatu Epiſcopi, ſed (ut erat ſumma modeſtia) Fratrum Minorum veſtitu, ſuggeſtum aſcenderit. Toloſæ quoque ubi Epiſcopus præfuit, & pleriſque aliis locis, etiam bis in die, magno auditorum fructu, ſæpe concionatus eſt. Sed quam gratæ fuerint Deo conciones ejus, ſub uno capiamus exemplo. Mulier apud Montem-peſſulanum, nomine Roſa, uxor Petri a Villars, jurata affirmavit, a concione beati Viri, quam ſupradicto loco habuit feria ſexta, filiolum ſuum unius anni ſtrumis graviſſime laborantem, ab ipſo in hunc modum ſanatum fuiſſe. Jam Ludovicus finita concione, mulum inſederat abiturus, cum mater puelli frænum tenens Sanctum orat, ut eum tangat ſacratis manibus: ſpes enim illi, manuum

In eo nullus faſtus nec tumor.

Ejus conciones miraculis approbantur.

nuum ejus contactu, parvulum ſanatum iri. Signat Vir ſanctus infantem ſigno vivificæ Crucis, collum benigne contrectat: & continuo puer nulla interpoſita mora revaluit. Ibidem mulier altera tactu ejus a fluxu ſanguinis eſt liberata; alia impoſitione manuum ejus a dolore capitis curata. Caræ Deo ejus conciones, quia in illo os, mens, manus concordabant, ſermo cum vita. Hæc nunc de ejus virtutibus dixiſſe ſat eſt, opportunius alias de ejus liberatione, & ſuſceptione Inſtituti Minoritici narrationem proſequemur.

Memor. Ord. ſub 12. Generali.
Minoritæ Martyres in Oriente.

XXXVI. Memoriale antiquum Ordinis plures enumerat Minoritas hoc anno in variis partibus Orientis pro Chriſto paſſos, videlicet fratrem Monaldum Anconitanum, fratrem Franciſcum Petrolium, ſeu Firmanum, & fratrem Antonium Mediolanenſem viros perfectiſsimos in Arzengua civitate Sarracenorum; fratrem Philippum de Aviſio in Caſtro Azoti, cum duobus millibus Chriſtianorum, quos ad fortiter pro Chriſto occumbendum excitavit: & fratrem Franciſcum de Spoleto apud Ægyptum in civitate Damiatæ.

Fr. Joannes Archiepiſc. Nicoſiæ.

XXXVII. Aſſumpſit hoc anno Nicolaus Pontifex Minoritam quemdam Joannem ad Archiepiſcopatum Nicoſienſem in Cypri Regno vacantem per mortem Ranulphi Archiepiſcopi, electis a Capitulo duobus in diſſenſione: cujus Sedis Antiſtes Primas Regni Cypri eſt, & Legatus, ſcripſitque ad Regem Cypri Henricum, ut Eccleſiam & Archiepiſcopatum protegeret, atque ab omnibus adverſitatibus defenderet. Electo ipſe Pontifex conſecrationis munus impendit, & pallium de corpore beati Petri ſumptum dedit frater Matthæus Cardinalis, paulo antea Ordinis Miniſter: *Sponſo cœleſti*. XIII. Kalend. Novembris. Paulo ante, videlicet IV. Junii hujus anni electum ad Epiſcopatum Barcinonenſem fratrem Bernardum Peregrinum, ſcribit Franciſcus Diago, in eoque vixiſſe prudenter & pie uſque ad annum MCCXCIX. Hoc eodem anno Epiſcopum Salamantinum Minoritam fuiſſe, licet ex nomine incognitum, conſtat ex Pontificio diplomate, quo licentiam dat IV. Idus Aprilis teſtamentum condendi, & commemorat Ordinis Minorum fuiſſe profeſſorem. Gillius ſive Ægidius Gonzales de Aquila, qui patrio ſermone de rebus & Epiſcopis ſcripſit Salamantinis, hujus Epiſcopi expreſſam non facit mentionem, niſi fortaſsis ille ſit, quem vocat fratrem Petrum Fecborem, cujus tamen inſtitutum tacet, & ſucceſſiſſe ait Didaco Epiſcopo. Chronologia tamen mortis non correſpondet ceteris, quæ immediate ſubjungit facta ſub Clemente V. ,, Hoc eodem anno XII. Kal. Julii, ele-

Diago de mitib. Barcinon. lib. 3. c.16.

Minorita Epiſcopus Salamantinus.

Gill. de reb. Salamant. l.3. c.7.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Monaldus Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ.

Sanctius Caſtellæ Rex magna concedit Ordini privilegia.

,, ctus eſt Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ in ditione Pontificia frater
,, Monaldus immediate nominatus a Pontifice propter diſcordiam Capi-
,, tularium, quorum pars elegit Jacobum ejuſdem Eccleſiæ Archipre-
,, sbyterum, alia vero Angelum Archipresbyterum Viterbienſem.
,, Sanctius Caſtellæ Rex, inſigne privilegium hoc anno Minoritis con-
,, ceſſit, in quo gratias & facultates ab Hiſpanis Regibus conceſſas,
,, ratas voluit, & quidquid Romani contulerant Pontifices, juſſit ob-
,, ſervari. Immunia, libera, & a ſuis Miniſtris protecta voluit omnia
,, Fratrum Cœnobia. Præcepit nulla dari refugia, vel auxilia Ordinis
,, deſertoribus; Syndicis, & Fratrum receptoribus magna conceſſit pri-
,, vilegia, eoſque voluit ab omnibus exactionibus immunes. Judices, &
,, defenſores privilegiorum eis præſcribi juſſit, ipſoſque Fratres fecit ab
,, omnibus tributis, & exactionibus exemptos. Nobiliſſimum & Fratribus
,, utiliſſimum exſcripſit Emanuel Rodriquez inſtrumentum tom. III.
,, quæſt. 40. artic. 1.

XXXVIII. In

Conv. Faleſiæ.
Gonzag. in Prov. Franc. Conv. 27.

XXXVIII. In urbe Faleſiæ Ducatus Normanniæ Sagienſiſque diœceſis ante hunc annum ædificatum Minoritis Conventum ſcribit Gonzaga, promovente ejus ſtructuram Domino Petro de Ponte Oilleii, ſub Regibus Galliæ Ludovico, ejuſque Filio, & Henrico Angliæ, magnæque Franciæ partis. Vere ſi ſub his Regibus extructa domus, hunc annum longe præceſſit, etenim uti ſuis diximus locis, ſanctus Ludovicus obiit anno MCCLXX. Et Henricus anno MCCLXXII. Eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ dicatam, impii hæretici polluerunt, ſacra ſupellectile ſpoliaverunt, & funditus deſtruxerunt anno MDLXI. Expulſis omnibus Fratribus, duos diris affectos tormentis occiderunt verbi divini miniſtros Matthæum Piquetum, & Joannem Benedictum. Subſequente vero anno profligatis hæreticis, reverſi Fratres, piorum eleemoſynis adjuti, deſtructa reſtaurarunt, quorum laudabilem conatum non parum juvit fratris Thomæ Colnii docti concionatoris induſtria. Obtinuiſſe etiam Fratres ante hunc annum habitaculum in civitate Monaſterii, vulgo *Munſter*, olim Mimigadum dicta, quæ totius Weſtphaliæ caput eſt, mihi conſtat ex commiſſione facta Epiſcopo, & Guardiano Minorum Monaſterienſibus per Nicolaum Pontificem, ut diſpenſarent cum Elberto Comite de Benthem, & Hadewigc filia Comitis de Aldeburch Monaſterien. & Bremen. Diœceſum, ut contraherent matrimonium, non obſtante conſanguinitate intra quartum gradum. Jacent in hoc Cœnobio frater Henricus de Africa, & frater Joannes de Penna miraculis clari.

Tom. 4. an. 1270.
Tom. 4. an. 1272.
Martyres duo Faleſiæ.
Conv. Monaſterien.
Reg. Vat. ep. 277. dat. 5. Kal. Febr.

Conv. Turonenſis.
Idem in Prov. Turon. Conv. 8.

XXXIX. Dedit hoc anno Nicolaus Pontifex XII. Kal. Maii diploma, quo exemptos voluit ab omni Epiſcopali juriſdictione Fratres Minores Turonenſes. Primum hoc occurrit certum hujus Conventus monumentum, quo ejus poſſit ſciri vetuſtas. Indubium tamen longe ante hunc annum in nobiliſſima Civitate, a qua tota Provincia denominationem aſſumpſit, Conventum Minoribus conceſſum. Anno MCCCCLII. XV. Kalen. Aprilis obdormivit in Domino pia & ſancta Domina Maria de Sille in habitu Franciſcano ibidem tumulata e regione majoris altaris, multis in hunc uſque diem miraculis clara, ut patet in ejus legenda. Anno MDLXXVIII. in ſecunda perſecutione hæreticorum in Catholicos mota, in territorio Bleſenſi interfectus eſt venerabilis Pater frater Joannes Voyſin quondam Guardianus Turonenſis ibidem initiatus, honeſta familia Turonis natus, Dominarum de Guiſchia tunc confeſſarius & prædicator. Poſt diros cruciatus membraque præciſa, in fluvium Ligerim demerſus, divino nutu ad præfatam Turonicam civitatem appulit e regione ſuæ parœciæ, nec ultra progreſſus, a ſuis tamdem conſanguineis agnitus, in prædicti Conventus Eccleſia honorifice maxima Cleri, populique Turonenſium frequentia ſepultus eſt. In gratiam Illuſtriſſimi Domini fratris Franciſci Gonzagæ optime de noſtro Sodalitio, & univerſa republica Chriſtiana meriti, licet hic obiter commemorare clariſſimum Dominum Alphonſum Gonzagam ejuſdem fratrem germanum in hac Civitate diem clauſiſſe extremum anno MDLXXIX. ad Eremitas Auguſtinianos ſepultum, dum, cum pleriſque aliis heroibus Italis ſanguine claris, propriis ſtipendiis militaret ſub Galliarum Rege pro Chriſti fide ab injuriis & contumeliis Hugnoſticorum vendicanda.

Maria de Sille.
Fr. Joannes Voyſin.
Alphonſus Gonzaga moritur Turonis.

Conv. Cognacenſis.
Ibid. Conv. 30.

XL. Circa hunc annum in urbe Regia Cognaci, ad fluvium Carentonam, in Ducatu Engoliſmenſi, ac Diœceſi Xantonienſi ſita, ortum habuit extra muros domicilium Minorum a ſancto Coſma medico cognominatum, ſumptibus piiſſimi herois Hugonis le Brun a Lezigniaco, non multo poſt

ibidem

ibidem ante majus altare chori ſepulti. In perſecutione Hugnoſtica funditus everſo, morabantur poſtea Fratres intra mœnia urbis in domo dicta *Cor Chriſti*, olim conventui a nobilibus Viviano a Caſtro, & Bernardo a Burdigala teſtamento legata. Hoc ipſo anno inclytus heros Jordanes ab Inſula, in Aquitania recentiori, in ſuo oppido, cui Inſula Jordanis eſt nomen, alium locum Fratribus conſtruxit. Verum multoties ab Anglis captum, penituſque dirutum, ſolerti tamdem opera Fratrum priſtino ſplendori reſtitutum; noviſſime vero anno MDLXXX. ab hæreticis, & Rege Navarræ ſimul cum oppido captum, omnibuſque bonis expoliatum, funditus everſum aliquot ab hinc annis ſua ſollicitudine religioſus Pater frater Boerus reparavit. Locus de Subereto Patrum Conventualium in Provincia Tuſciæ, & Cuſtodia Maritimæ conſtructus eſt hoc anno ab univerſitate. Eccleſia fuit conſecrata per fratrem Bartholomæum Minoritam ad Groſſetanum Epiſcopatum a Nicolao III. aſſumptum, & ad Imperatorem & Prælatos Græcorum legatum ab eodem demandatum, uti ſuis locis narravimus. Floruit ibidem quidam frater Ludovicus, qui nonnulla conſcripſit. Ante hunc annum in oppido Caſtelli Durantis ad Metaurum amnem in bella planitie apud Umbros Senones in Piceno extructi, denominatique a Guillelmo Durante Caruotenſi Decano, totius juris peritiſſimo, qui Speculum conſcripſit, Nuntio & Theſaurario per Romanulam Martini IV. Summi Pontificis, conſtat per bullam Nicolai IV. ibidem aſſervatam habuiſſe Minores domicilium intra Caſtri mœnia, derelicta priori domuncula, quam extra caſtrum poſſidebant. Secundas ædes extruxit oppidanorum univerſitas, & Eccleſia conſecrata eſt anno MCCCXXXVII. die XXII. Auguſti. Pertinet ad Provinciam Marchiæ Anconitanæ, & Cuſtodiam Feretrinam.

Conv. Inſulæ Jordanis. Idem in Prov. Aquitan. recent. Conv. 1.

Conv. Suberetl. Rodul. fol. 265.

Anno 1278.

Conv. Caſtelli Durantis. Idem fol. 258.

XLI. Sub Martino IV. Monaſterium Clariſſarum ſub nomine Cuſtodiæ beatæ Mariæ Virginis in territorio Bleſenſi, prope Colonges Carnotenſis Diœceſis inſtitutum, introductis illuc Sanctimonialibus, & Abbatiſſa Juliana Trecenſi ſorore Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Virginis prope Pariſium, per Abbatem Monaſterii ſancti Leodomari Bleſenſis prædictæ Diœceſis, & fratrem Richardum de Columberio Ordinis Minorum Pœnitentiarium Pontificium, commiſſarios in hac re inſtitutos a Joanne Cioletti Gallo Legato Apoſtolico in Francia, cui erigendi Monaſterium, juxta preces fundatorum Pontifex commiſit. Hi porro fuerunt Joannes de Caſtillione, ejus uxor Ælides, & Joanna filia, Petri nati ſancti Ludovici Regis conjux, Comites Bleſenſes, qui in proprio fundo propriiſque ſumptibus Parthenonem fieri curarunt. Re jam perfecta, juxta datam ſibi commiſſionem, ſcripſit Legatus ad Honorium Martini ſucceſſorem, quo etiam defuncto, nonniſi hoc anno ſtabilita ſunt omnia diplomate Nicolai, cui inſeruit Martini & Cardinalis epiſtolas: *Ex parte veſtra*. V. Kalendas Maii. Mox exemptionis, & alia conceſſit Sororibus privilegia, & Regulam Clariſſarum ab Urbano IV. correctam eis tradidit obſervandam.

Monaſt. Colongen. Cuſtodiæ B. Mariæ.

XLII. Pro alio Monaſterio ſacrarum Virginum juxta Villam ſancti Marcelli prope Pariſium conſtruendo, manerias & prata liberaliter donavit Magiſter Galienus de Piſis Canonicus Eccleſiæ ſancti Audomari: cujus pium intentum promoverunt Philippus Audax, & filius Philippus Pulcher, necnon Margarita, Maria, & Joanna Franciæ Reginæ; Ludovici atque utriuſque Philippi conſortes. Genebrardus, & Guaguinus hujus Monaſterii fundationem tribuunt Margaritæ, fortaſſis præcipuam ſumpſit

Genebr. ad an. 1270. Guaguin. l. 7. in Divo Ludovico.

ſumpſit illa curam ejuſdem ædificandi, & majores contulit ſumptus. Pium Canonici conatum, & Reginarum deſiderium approbatum voluit Pontifex Nicolaus, datis litteris ad præſatum Cardinalem Joannem: *Ex parte cariſſimi*. III. Nonas Martii, cum eas ipſas paulo ante mortem dederit ad eumdem Legatum Honorius IV. ejus prædeceſſor. *Honor. an. 2. ep. 250.*

XLIII. Multa privilegia utrique Ordini Minorum & Clariſſarum conceſſit hoc anno Pontifex. *Privilegia Pontificia.* Voluit Minores omnino exemptos a quacumque Epiſcopali juriſdictione, & immediate ſubjectos Sedi Apoſtolicæ: *Quia nonnulli*. II. Kalendas Maii. Statuit & declaravit, quod controverſum diximus in Comitiis Mediolanenſibus, & Monteepeſſulanis, *An. 1285. n. 4. & anno 1287. n. 4.* nonniſi ex univerſis Cuſtodibus, etiam ſi ceteri præſentes adeſſent, unum omnium nomine ſuffragium ferre debere: *Ad ſtatum pacificum*. III. Idus Martii. Eodem die approbavit taxationem Provinciarum factam ſub Gregorio IX. earumque diviſionem, duabus additis a ſancto Bonaventura ſub Gregorio X. diſtrictius tamen præcipiens ne de cetero ullarum Provinciarum diſtinctio aut diviſio, ſeu multiplicatio ulla fiat abſque Sedis Apoſtolicæ & Protectoris licentia: *Quia Provinciarum*. Juſſit ne aſſumerentur ad quaſcumque dignitates vel adminiſtrationes Minores, qui tranſirent, quoquo modo obtenta vel negata licentia ſuorum Superiorum, ad alias Religiones: *In veſtri Ordinis Regula*. Pridie Idus Maii. Eodem die ſtatuit, ne decedente Miniſtro Generali, ſubſtituatur alius, qui vices ejus gerat uſque ad electionem novi Miniſtri, abſque Romani Pontificis & Protectoris aſſenſu. Circa hoc etiam, dubium exortum diximus *An. 1285. n. 4.* in prædictis Comitiis: *Quoniam revocatur a vobis*. Vetuit ejectos vel egreſſos ab Ordine ad prælaturam ullam, ſeu curam animarum aſſumi: *Inter cetera*. V. Kalendas Auguſti. Tempore interdicti Eccleſiaſtici etiam promulgati cum clauſula: *Non obſtantibus aliquibus privilegiis ſeu indulgentiis quibuſcumque Religioſis ab Apoſtolica Sede conceſſis &c.* indulſit ut Fratres divinum recitarent officium, & ut miſſas celebrarent januis clauſis: *Meritis veſtræ*. VIII. Kalendas Septembris. Ad commodiorem victum Minorum & Clariſſarum in tanto numero Aſſiſii habitantium, vetuit ne ullus Ordo virorum vel fœminarum mendicantium ædificare poſſit intra vel extra eamdem Civitatem in ſpatio ducentarum cannarum Eccleſiam, Monaſterium vel Oratorium: *Dum ſollicitæ conſiderationis*. II. Kal. Maii. Eodem die incolis Monaſterii ſancti Franciſci Aſſiſiatis conceſſit, ne interdicto ſubjici poſſint abſque ſpeciali & expreſſo Sedis Apoſtolicæ mandato faciente de hoc indulto mentionem, & de nomine Matthæi Cardinalis Protectoris: & in eodem ipſo caſu licere eis januis clauſis ſacra peragere: *Præclara glorioſiſſimi Confeſſoris*. Idipſum eodem die indulſit Fratribus ſanctæ Mariæ de Portiuncula ſitæ extra dictam Civitatem: *Summæ devotionis affectus*. Nec non ut omnes pecuniariæ oblationes, quæ fierent in utraque Eccleſia prædicta, ſancti Franciſci & Portiunculæ converterentur per procuratorem aliquem ſecularem in conſervationem & reſtaurationem Monaſteriorum ipſorum, vel neceſſariam ſubventionem tot Fratrum undique ad prædictas ædes, ob devotionem ſui Patris confluentium: *Reducentes ad ſedulæ conſiderationis*. Commiſit Archidiacono Lucano examen gravaminum a Priore & Conventu ſancti Fridiani Lucano Minoribus illatorum: *Dilecti filii*. X. Kalen. Junii. Similiter Murano & Avellinenſi Epiſcopis, ut citarent Philippum Archiepiſcopum Salernitanum ob graves illatas injurias a Capitulo & Clericis Salernitanis, promovente præcipue turbas ipſo Archiepiſcopo: *Ad audientiam noſtram*.

ſtram. VII. Idus Septembris. Indulgentias diſtribuit viſitantibus Eccleſiam ſancti Franciſci Aſsiſiatis in die vel octava ejuſdem Sancti: *Eximiæ devotionis*. V. Kalendas Octobris.

Privilegia conceſſa Monialibus.

XLIV. Clariſsis Monaſterii ſanctæ Agnetis Aſtenſis confirmavit quaſdam litteras Alexandri IV. in earumdem favorem conceſſas, ut recipere poſsint eleemoſynas ex bonis illicite acquiſitis, quorum veri poſſeſſores ſeu domini ignorantur: *Tenorem quarumdam*. VII. Kalendas Septembris. Totius Ordinis ſanctæ Claræ gubernatorem, protectorem & rectorem inſtituit Matthæum Rubeum Urſinum ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem: *Licet in Regula*. III. Idus Septembris. Ipſo die eidem dedit auctoritatem ſuo conſenſu validandi permutationes, obligationes vel alienationes a Clariſsis factas, & abſolvendi a variis caſibus & cenſuris perſonas quaſcumque illius religionis. Declaravit etiam quod & ejus prædeceſſor Nicolaus III. in conſtitutione Concilii Lugdunenſis ſub Gregorio X. de abolendis Religionibus poſt Concilium generale Lateranenſe inſtitutis, non comprehendi Ordinem Clariſſarum: *Conſtitutio felicis recordationis*. III. Idus Septembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Hieronymus Aſculanus Minor eligitur Pontifex Nicolaus IV. dictus.

Wadd. ad hunc annum n. 1. & 2.

,, I. OB aeris intemperiem, quam ſequebatur plurium etiam Cardinalium mors, non ſine terremotuum horrore non parvo, Purpuratorum Patrum conclave in Aventino ſolutum fuerat, remanente ibidem tantum fratre Hieronymo Aſculano Cardinale Præneſtino, qui aeris malignitatem, canicularibus etiam æſtivis caloribus, phiſicorum apprime peritus artis, ignem addens, propellebat, imo verius diſſipabat: & hic eſt, quem reſtituto Conclavi, concurrentibus omnium votis VIII. Kal. Martii, Cathedræ Antiochiæ D. Petri die dicata in Pontificem ſummum elegerunt Patres, & Nicolaum IV. ſalutarunt; non meminero autem hunc fuiſſe Minoritam, ſicut nec ſuam ſcalam enarrare audebo, cum hæc a Waddingo diligenter collecta, pereruditę digeſta fuerint: bene vero quæ deſiderantur legentibus offeram.

,, II. Primo igitur ſummus Pontifex, præter alia ab Annaliſta recenſita, ſub oculis venit ea celebris proviſio, qua chriſtiani ad Judæorum ritum tranſeuntes, ipſique Judæi ad chriſtianam fidem converſi ad illum redeuntes, ab Inquiſitoribus puniri debent, ſicut & Judæi, qui Chriſtianos ad ſuum ritum attrahunt, Inquiſitoribus Ordinum Prædicatorum, & Minorum directa, cujus tenorem hic exhibemus.

NICOLAUS EPISCOPUS

Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputatis, & in poſterum deputandis. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Bullar. Cher. fol. 146.

Bulla ejuſdem ad Inquiſit. Prædic. & Minor.

,, 1. *TUrbato corde audivimus, & narramus, quod non ſolum quidam de Judææ cæcitatis errore ad lumen Fidei chriſtianæ converſi ad priorem reverſi eſſe perfidiam dignoſcuntur; verum etiam quamplurimi Chriſtiani veritatem catholicæ Fidei abnegantes, ſe damnabiliter ad ritum Judæorum tranſtulerunt, quod tanto magis reprobum fore cognoſcitur,*

,, *tur, quanto ex hoc Chriſti nomen Sanctiſſimum, quadam familiari ho-*
,, *ſtilitate ſectarias blaſphematur.*
,, 2. *Cum autem huic peſti damnabili, congruis, & feſtinis decet re-*
,, *mediis obviare, univerſitati veſtræ, per Apoſtolica ſcripta mandamus,*
,, *quatenus intra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, aucto-*
,, *ritate Sedis Apoſtolicæ deſignatos, ſuper præmiſſis, tam per Chriſtianos,*
,, *quam etiam per Judæos, inquiſita diligenter & ſollicite veritate, con-*
,, *tra omnes, quos talia inveneritis hactenus commiſiſſe, aut committere in*
,, *futurum, tamquam contra hæreticos, contra fautores quoque, recepto-*
,, *res, & defenſores eorum, procedere ſtudeatis.*
,, 3. *Judæos autem, qui chriſtianos utriuſque ſexus ad eorum ritum*
,, *execrabilem induxerint, aut inveneritis de cetero inducentes, pœna de-*
,, *bita puniatis: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione*
,, *poſtpoſita, compeſcendo: invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii*
,, *ſecularis. Datum Romæ alias Reate Nonis Septembris Pontificatus noſtri*
,, *anno* 1.

,, III. Præter hanc autem conſtitutionem, pro miſſione ad Tartaros
,, ſcripſit: *Copioſe benignitatis &c.* VII. Idus Aprilis: pro Inquiſitoribus
,, etiam diverſis plures edidit epiſtolas ſub eadem data, quæ ſupra: ut
,, Inquiſitoribus Forchalquerii: *Præ cunctis &c.* contra diverſos hæreti-
,, cos: *Noverit univerſitas &c.* & *Præ cunctis &c.* Exiſtentibus etiam
,, inter Tartaros ſcripſit: *In Apoſtolica &c.* & ad eorum ibidem Inter-
,, pretes: *Lætamur in Domino &c.* ſub V. Idus Aprilis: commiſit autem
,, Cardinali Matthæo, ut viſitet, atque reformet Monaſteria ſanctæ Cla-
,, ræ: *Licet &c.* Nonis Maii: conceſſit etiam Moniales Aſſiſii poſſe ſuc-
,, cedere in bonis: *Devotionis veſtræ &c.* VII. Kal. Junii: ad fratrem Si-
,, nibaldum contra hæreticos ſcripſit: *Cum ſicut &c.* X. Kal. Auguſti:
,, Indulgentia pro Eccleſia ſancti Franciſci Aſſiſii: *Eximiæ devotionis &c.*
,, V. Kal. Octobris.

Alia ejuſdē litteræ.
Indic. ex Vatic.
Ex Archiv. SS. Apoſt.
Quod Moniales Aſſiſii ſucced. in bonis.
Ex Archi. S. Claræ.

,, IV. Prope Ligerim nobilem fluvium a Bleſis V. M. P. Gallicis Oppidum
,, Guyſchiæ perantiquum, & clarum diſtat, in quo Joannes Caſtillioneus
,, Comes Bleſarum, & Alide, ſeu Aliſia de Britannia ejus conjux divina
,, revelatione impulſi anno MCCLXXVII. menſe Martio pro Clariſſis ſub
,, regula Urbani IV. Monaſterium ædificare cœperunt, ut ex Gonzaga
,, refert Waddingus: ſed ea præter, haud reticendum puto præfatam
,, Aliſiam, orbatam viro, Viraginem operibus in egregiis ſe geſſiſſe:
,, pietatem utique aſſidue colebat: at quanta devotione in Jeſum Chri-
,, ſtum pro nobis paſſum raperetur, id oſtendit, quod ſcilicet Hieroſo-
,, lymam transfretaverit, ut ibi dulcius cordis æſtus exhalaret, ubi cla-
,, rius a Jeſu Chriſto redemptam, & maxima caritate dilectam noverat;
,, inde regrediens remeatura ad propria, Ptolemaidam (hæc eſt Acona)
,, navigii occaſionem captura, ingreſſa, breviorem æternitatis in pa-
,, triam adinvenit: ibi ſiquidem ſuprema infirmitate correpta, fatali ne-
,, ceſſitati ſuccubuit quidem, at id fuit ſarcinam deponere, & properare
,, in cœlum, mercedem etenim ibi laborum ſanctorum ſuorum repoſuit
,, Altiſſimus: obiit hoc anno MCCLXXXVIII. die 11. Auguſti: ejus cor-
,, pus Guyſchiam delatum, ut habebat in votis, antequam diſcederet,
,, apud Sorores præfati Monaſterii, in Mauſoleo nobiliſſimo, cui ſua
,, effigies cuprea & deaurata, exquiſitiſſimæ artis, inſidebat, recondi-
,, tum fuit; ceterum hoc ſacrarum Virginum recluſorium nobiliſſimum
,, immediate ſummo Pontifici ſubjectum, ampliſſimis privilegiis Apo-

Guyſchia Oppid.
Joann. Caſtillioneus, & uxor fundant in eo Monaſterium.
Wadd. ad ann. 1277. n. 15.
Aliſia infirmatur & obiit Ptolemaide.
Corpus defertur ad præfatum Monaſterium.

Wadding. in regeſt. Pontif. Nico. IV. ann. 1. fol. 178.

,, ſtolicis donatum a Nicolao IV. hoc anno leges apud Waddingum.
,, Addam quod iſtud Monaſterium, ut egregiarum virtutum ſeminarium, maxima in veneratione cum haberetur, Proceres quamplures
,, cujuſvis ſexus in ejus Eccleſia ſepulturam elegiſſe, & quidem præter
,, præfatum Aliſiæ, quod a cornu Epiſtolæ altaris majoris erat erectum,
,, aliud ibidem egregium Mauſoleum ex atro marmore elaboratum, cum
,, ſtatua equitis armati viſitur: ac tertium ad idem latus non inferioris
,, ſtructuræ, in quo nobiliſſimus Dominus de Caſtillione, Philippi I.
,, Galliarum Regis nepos, una cum nobiliſſima Domina Joanna de *Hai-*
,, *nault* ejuſdem conjuge, jacet: quartum quoque; at vero ad Evange-
,, lii latus parieti infixum, in quo Illuſtriſſimi conjuges Hugo de Caſtil-
,, lione, & Beatrix de Flandria quieſcunt: quintum ibidem pariter infi-
,, xum parieti, ſed parvum, cui parvulæ Infantis lapidea effigies regio
,, diademate decora imminet: quod creditur filiæ Fundatoris Regi Fran-
,, ciæ deſponſatæ, cum in antiquo mecrologio illius Monaſterii, parva
,, Regina legatur: ſextum etiam ibidem, & prope crates chori lapideum,
,, & ſpectabile, in quo Joannes Bleſenſis Caſtillionis Comitis filius jacet;
,, ſeptimum etiam, & octavum, illud Domini de Herbodio, iſtud Eleo-
,, noræ filiæ D. Guidonio de *Chevilli*; at interioris Eccleſiæ Monialium
,, in choro marmoreum buſtum eſt, nullo Epitaphio inſignitum, in quo
,, Margarita filia Ludovici Ducis Aurelianenſis, & mater Franciſci Ducis
,, Britanniæ reſurrectionem juſtorum expectat.

Mon. Prov. Turon. major. de anno 1680.

Varia memorantur monumenta præfati Monaſterii.

Vide infra ad ann. 1548.

ARGUMENTUM.

Miſſi Minoritæ legati ad Tartaros, Armenos, Æthiopes, & univerſas Orientis nationes, fide Catholica imbuendas. Multa perficiunt in ſanctæ Inquiſitionis miniſterio. Plurima præſtat Nicolaus Pontifex in rei Chriſtianæ emolumentum. Aſſumpti ad infulas Pontificias plures ex Minoritis. Celebrantur comitia generalia, quibus interfuit Pontifex, Carolus Rex, & Maria Regina, fitque Miniſter Generalis Raymundus Gaufridi. Enervatæ ſub hoc tempore diſciplinæ regularis ratio præſcribitur, & tumultus hinc exortus explicatur. Moritur beatus Joannes Parmenſis, florentque in Ordine multi viri pii, præſertim in Piceno. Extremum diem claudit beatus Petrus Pectinarius, nec non Cardinalis Bentivenga. Multiplicantur Conventus & privilegia.

I. Varia & ſeria ſtatus Orientis, rerumque ibidem in diverſis regnis geſtarum narratio in limine hujus anni nos expectat. Si eam diffuſius proſequamur, neque admiraturum, neque tædio afficiendum ſpondeo lectorem, cui res magnas in longinqua regione geſtas, quæ ex magna terræ, mariſque intercapedine dubiam ſortiri aſſolent fidem, ponderoſa & fundata narratione placebit excipere. Frater Joannes a Monte Corvino (quod oppidum, haud ignobile eſt in Apulia Daunia, non longe a Luceria civitate, juxta latus Apennini, verſus Orientem) cum aliis pleriſque conſodalibus a Miniſtro generali Bonagratia in Orientis regiones amandatis, univerſas ferme percurrerunt, & juxta propheticum metrum: *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem* hoc anno ad Pontificis pedes *veniebant cum exultatione portantes manipulos ſuos*, & referentes immenſam gentium multitudinem ad

Joann. a Monte Corvino apud Orientales magna præſtat.

Pſal. 125. 6.

ad fidei unitatem acceſſiſſe, populos ſitire verbum Dei, Principes illud non abhorrere, neque impedire, ſed potius cupere, ut Chriſti fides in ſuis dominiis longe, lateque dilataretur: & ex proſpero rerum eventu plane eis conſtitiſſe, quod omnino regiones jam albæ erant ad meſſem. Exhilaravit bonum nuntium pium Pontificis animum, & ex magno animarum zelo judicavit probatis & expertis operariis non feriandum a bonis, ſed redeundum ad ſocios, per illas regiones diſperſos, ut tamquam miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei evangelizarent Chriſtum in gentibus, atque iterum parturirent tenellos illos fœtus, donec Chriſtus perfecte formaretur in illis. Neceſſariis itaque privilegiis munitos, & Apoſtolicis gratiis affectos remiſit ſtatim in Orientem, ſcriptis litteris ad Cobyla Magnum Cham, Argonem Regem, & * Caydonum Principem Tartarorum, quibus eos ad ſacrum baptiſma, quod in votis habebant, quantocius ſuſcipiendum hortabatur, & dignas reddebat gratias ob præſtita Fratribus beneficia, & deſiderium Chriſtianæ fidei dilatandæ, quod patulis præ ſe ferebant indiciis. Rex Argo per ſuos Nuntios, anno præterito ad Pontificem miſſos, ſignificavit Magnum Cham deſideraſſe apud ſe habere aliquos Latini nominis, & Chriſtianæ fidei Magiſtros. Deſtinavit itaque Pontifex hos ipſos, ei probe jam notos, qui deſiderio ſatisfacerent, & ſacri dogmatis incrementum apud eum urgerent. Chriſtiani hominis munia inter barbaras has nationes ſolerter exercebat, & fidei dilatandæ ſollicite incumbebat nobilis quidam heros Piſanus, ad quem etiam litteras dedit Pontifex per hos ipſos Fratres, rogans, ut a bene cœptis non deſiſteret, ſed in laudabili Chriſti obſequio feliciter laborantibus conſilio adeſſet & auxilio. Litteras ipſas ſubjungo.

Denuo mittitur in Orientem.

* Al. Baydonem.

Argoni Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

II. *INter cetera deſideria cordis noſtri, hoc novimus eſſe potiſſimum, hoc propenſius affectamus, ut cuncti Reges, & Principes orbis terræ, ceterique gentium populi ſic ſalubriter dirigant greſſus ſuos, ſic provide ſuorum operum moderentur habenas, ut poſt vitæ præſentis exitum, quæ nullius certitudinem ſtatus habet, ſalus læta proveniat animarum, ideoque uberibus perfundimur gaudiis, cum illos perpendimus fore diſpoſitos ad complacendum Altiſſimo per laudabilium exercitium actionum. Sane dilectus filius frater Joannes de Monte Corvino, de Ordine Minorum, lator præſentium ad noſtram de Orientalibus partibus præſentiam veniens, attentæ relationis officio noſtro Apoſtolatui patefecit, quod tu tamquam a Domino, in cujus manu corda ſunt terrenorum Principum, inſpiratus, & ſpecialis gratiæ dono præventus, erga nos & Romanam Eccleſiam, ac etiam alias Chriſtianorum Eccleſias, magnæ devotionis geris affectum. Adjecit etiam dictus Frater, quod ſibi, ejuſque ſociis, dum in tuis partibus morarentur Chriſti proſequentes obſequia, humanitatem grandem, & benignitatem exuberem tua clementer exhibuit magnitudo, quodque degentibus in terris tuæ ditioni ſubjectis Imperio, fidei cultoribus Chriſtianæ te benignum & benevolum exhibes, eoſque non ſine ſonoro præconio, & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem, quæ de bono ſemper in melius deduci cupimus in augmentum, ſedulæ tuitionis auxilio confoves, & favore proſequeris gratioſo. Nos autem tam gratis & acceptis rumoribus intellectis, lætati fuimus in immen-*

Reg. Vatic. e. 54. inter Cameral.

Argo Rex Tartarorum invitatur ad fidem.

Argo Pontifici addictus.

Erga Christianos beneficus.

Digitized by Google

menſum, cum tuæ ſalutis augmentum ſinceris affectibus cupiamus. Celſitudini Regiæ tnnto provide profuſiores gratias referentes, quanto id uberioris benignitatis zelus exequitur, quod ex munificentia provenit ampliori. Porro, Princeps egregie, ſicut Magnificentiæ Regiæ per allas noſtras litteras tibi per venerabilem fratrem noſtrum Roban Berſaumam in partibus Orientis Epiſcopum, & nonnullos alios tuos nuntios ad nos miſſos, duximus intimandum. Nos qui quamvis inſufficientibus meritis, Vicarii Chriſti ſumus, & Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, quamplurimum cupimus & ardenti deſiderio affectamus, ut quos baptiſmalis unda non diluit, & fidei Chriſtianæ religio non includit, erroris invio, per quod greſſibus periculoſis oberrant, omnino relicto, ad rectitudinis ſemitam revocentur, & fidem ſervent fideliter ſupradictam. Hæc eſt etenim, ſicut Magnificentiæ Regiæ per jam

Fidei Catholicæ encomia. dictas notificavimus litteras, fides recta, fides vera, quæ felicitatis ſperandæ fiduciam repromittit, & ſine cujus ſuffragio placere Domino nemo poteſt. Hæc eſt, quæ reatus expurgat, quæ commoda ſalvationis impendit, & per quam æterna gaudia, bonis concurrentibus actibus, acquiruntur. Per hanc hoſtis antiquus de arce mentis expellitur. Hæc corda, menteſque purificat, & infidelitatis nubilum ſuæ radiis expiat claritatis. Hæc eſt virtutum omnium fundamentum, ſydus irradians, ſtella micans, ſolem juſtitiæ, intelligentiæque præveniens, per quam dies oritur gratiæ, quam dies gloriæ ſubſequetur. Excitamus itaque Magnitudinem Regiam, & hortamur attente, tibique, cujus in hac parte ſalutem exquirimus, ſano & ſincero conſilio ſuademus, quatenus alta & ſedula meditatione recogitans, quam fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quantis expoſita

Vitæ humanæ fragilitas. caſibus, quam ſit inſtnbilis ſtatus ejus. Conſiderans etiam, quod a lege mortis, qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora ejus, nullus excluditur, nullus effugit metas ſuas, nullus a dominio redditur exemptus illius, promptus exurgas, præſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei, ac ad ſuſcipiendam Baptiſmatis ſacramentum ad laudem divini nominis, tuæ ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtratus, ejus triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminoſque dilatans, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœniſque graviſſimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia, quæ omnem delectationem excedunt, tamquam

Commendantur ei Fratres. Princeps emeritus conſequaris. Ceterum prælibatum fratrem Joannem, & ejus ſocios ad partes ipſas ſalubre proſecuturos negotium, quod cœperunt, fiducialiter remittentes, inſtanter expoſcimus, ut eos intuitu Dei, & ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram benigne habeas commendatos, eis ſuper hujuſmodi executione negotii favorem Regium impenſurus, cujus fulti præſidio, utilius & efficacius ſe habere valeant in hac parte, quodque aliquos ex ipſis tecum jugiter teneas, qui tibi, tuoque proponant populo verbum Dei, & de ſalute tractare valeant animarum. Datum Reate Idibus Julii, anno II.

Cobyla Cham, magno Principi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Reg. Vat. ep. 55. III. Gaudemus in Domino, Princeps egregie, ſibique devotas, & uberes gratiarum referimus actiones, quod ipſe in cujus manu corda ſunt Principum terrenorum, te prout lætanter audivimus, ſuæ dono gratiæ clementi pietate præveniens, illo tui pectoris intima fœcundavit affectu,

quod

quod ad Chriſtianitatis terminos ampliandos dirigitur deſiderium mentis tuæ. Dudum ſiquidem poſt noſtræ promotionis initia, certos Nuntios ad noſtram præſentiam ex parte Magnifici Principis Argonis Regis Tartarorum Illuſtris tranſmiſſos recepimus, nobis apertius referentes, quod ad perſonam noſtram, & Romanam Eccleſiam, & etiam gentem, ſeu populum Latinorum grandis devotionis affectum Magnificentia tua gerit, dictique Nuntii ex parte regia cum inſtantia petierunt, ut aliquos religioſos Latinos ad tuam præſentiam mitteremus. Nos autem tam gratis & acceptis de tanto, tamque ſublimi Principe rumoribus intellectis, exultavimus in Domino vehementer, cum tuæ ſalutis augmentum, tuique nominis gloriam ſinceris affectibus cupiamus, Patri luminum, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, humiliter ſupplicantes, ut tui pectoris intima de bono ſemper in melius munere ſuæ inſpirationis illuminet, & ſuæ gratiæ rore perfundat ad laudem ſui glorioſi nominis & honorem. Volentes igitur votis regiis benigne annuere in hac parte, ac deſiderantes admodum, ut ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem, quam prædicta tenet & ſervat Eccleſia, promptus accedas, præſto te offeras, ſtudioſius occurras, cum ſine ipſius comitante ſuffragio placere Altiſſimo nemo poſſit: Ecce dilectum filium fratrem Joannem de Monte Corvino, cum ejus ſociis de Ordine Minorum latorem præſentium ad te duximus deſtinandum, cum inſtantia poſtulantes, ut ipſum & ſocios ſupradictos benigne habeas commendatos, eis, quorum doctrinæ, cum ſalutis commoda ſuggerat, te inſeparabiliter cupimus adhærere, ſuper ſalubri commiſſo illis negotio, quod ſalutem reſpicit animarum, Regii favoris auxilium impenſurus, ut ejus fulti præſidio utilius & efficacius habere ſe valeant in eodem, tuque in Domino, qui pro minimis grandia recompenſat, æternæ beatitudinis præmia conſequaris. Datum Reate III. Idus Julii, anno II.

Magnus Cham petit ſibi mitti religioſos.

Mittuntur ad eũ Minoritæ.

Caydono Principi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

IV. A*D ea, quæ tuæ ſalutis augmentum reſpiciunt, tuique nominis titulos in orbe terrarum attollunt, Celſitudinem tuam libenter inducimus, operamque ſollicitam impartimur. Sane, Princeps egregie, tuis aperire ſenſibus affectamus, quod Dei filius Jeſus Chriſtus ad ima mundi, ut hominem, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formaverat, de ſervitutis nexibus, in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio, liberaret, clementi dignatione deſcendens, veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit, ut proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac ſuos mortis æternæ tenebris obvolutos vitæ perennis efficeret poſſeſſores, qui commiſſæ ſibi legationis a Patre in regione peccantium piis ſtudiis exercens officium, mundumque ſalutaribus inſtitutis informans, tandem poſt ſanctæ converſationis, & operationis exempla, poſt evangelicæ inſtructionis eloquia, poſt doctrinæ ſalutaris effectum, diræ mortis ultro ſupplicium ſubiit, dieque tertia reſurrexit a mortuis glorioſus, ut mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo benignius repararet; qui, priuſquam pateretur, claves Regni Cælorum beato Petro Apoſtolorum Principi, & per eum ſuis duxit ſucceſſoribus committendas, per hoc eis tam ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens, ut quodcumque ſuper terram ligarent, haberetur ligatum in cælis, & quodcumque ſolverent ſuper terram ſolutum exiſteret in eiſdem. Unde nos licet inſufficientibus meritis, Chriſti Vi-*

Reg. Vat. ep. 56.

Vicarii ejuſdem Petri ſucceſſores in terris, diſponente Domino, conſtituti, magno deſideramus affectu, ut fidei Chriſtianæ cultores ſalutaribus actibus immorentur, ac illi quos fides eadem non agnovit, ad rectitudinis ſemitam actore Domino, revocentur, eamdemque ſollicite ſervent fidem, cum ipſa ſit vera fides, & recta, ſine cujus comitante ſuffragio placere Domino nemo poteſt, quæ reatus expurgat, ſalutis commoda elargitur, quæ corda, menteſque purificat, & infidelitatis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis. Excitamus itaque Magnitudinem tuam, & attentius hortamur ſano & ſincero tibi conſilio ſuadentes, quatenus ſedula meditatione recogitans &c. ut ſupra in epiſtola ſcripta ad Argonem uſque in finem. Datum ut ſupra.

Nobili viro Jolo de Piſis.

Reg. Vat. ep. 17. V. LÆtamur in Domino, quod ſicut habet fide digna relatio, ad dilatandos Chriſtianæ fidei terminos laudabiliter & ſolerter intendens, illos ad agnitionem ipſius, qui nondum ſunt ejus lumine illuſtrati, ſollicite inducendo, quodque cunctis religioſis per partes ipſas habentibus tranſitum impendis intuitu Jeſu Chriſti conſilium, auxilium, & favorem, exhibendo te nihilominus illis ſpecialem, & præcipuum protectorem, de quo tuæ laudandæ ſollicitudinis ſtudium tanto amplius commendamus, quanto magis ſalutem appetimus ſingulorum. Excitamus itaque diligentiam tuam, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus circa hujuſmodi ſalubres tuos actus & opera ſedula, ſollicitudinis ſtudium largiaris, ut exinde tanto acceptior, & gratior tuo reddi valeas ſalvatori, quanto per te plures ab erroris invio ad veritatis ſemitam, & ab infidelitatis nubilo ad claritatem Catholicæ fidei reducentur. Nos autem benedictionem noſtram tibi tenore præſentium in tuorum remiſſionem dirigimus peccatorum. Datum ut ſupra.*

Laudatur hujus pietas in promovẽdo negotio fidei.

Converſi Argo, & Caydonus. VI. Proſpere in hac miſſione Fratribus ſucceſſiſſe ſcribunt Chronica noſtra antiqua, quippe Argonem Regem, & Caydonum Principem baptiſmum ſuſcepiſſe, & Chriſtianis ſummopere faviſſe narrant. Majorem his conciliabo fidem, ſi omnia confirmavero ex Marino Sanuto Torſellino, qui diligentius & clarius res quaſque graviores Orientis, & horum Tartarorum Principum genealogiam retexuit. Poſtquam Cygis Chami, & Octotæ filii generationem recenſuit, diviſaque inter eorumdem poſteros regna Catay, Cumaniæ, Turqueſteni, & Tauriſii enarravit, & Abagham Tauriſii Regem, qui ſuos Nuntios, ut diximus, miſit ad Concilium Lugdunenſe ſecundum, digne laudavit, & a fratre Tangodomoro veneno ſublatum, ut nos etiam ſupra ſcripſimus, enarravit, ſubjunxit: *Anno* MCCLXXXII. *Abaghæ ſuccedit frater Tangodomor in pueritia baptizatus, ſed Sarracenus effectus, Mahumeth Chaam voluit appellari: & quos poterat Tartaros ad ſimile, minis & muneribus inclinabat: Innumerabiles itaque ipſorum, ſicut patet hodie, Sarraceni effecti ſunt. Perſecutus eſt Chriſtianos, & Eccleſias a fundamentis evertit. Componens quoque cum Soldano Babyloniæ, promiſit cunctos Chiſtianos, aut ad ſectam ſuam cogere, aut trucidare. Prava hujus opera per fratrem ipſius, ac nepotem, filium Abagha, vocatum Argon, magno Chaam Cobyla denunciata ſunt: a quo redarguitur, quia a progenitorum receſſit veſtigiis. Hoc audito, ita exarſit Mahumeth, fratremque interemit; & captum in caſtro Argonem a proceribus jubet occulte interfici, ſibique caput deferri. Sed auxilio cujuſdam magni, cui pater ejus Abagha beneficia contulerat, de periculo liberatus,*

Regum Tartarorum brevis genealogia.

Tom. 4. an. 1274. n. 6.

Anno 1284. n. 2.

Sanutus l. 3. par. 13. c. 8.

tus, Mahumeth perſequens comprehendit; & toram ſe trucidari fecit: imperavitque pro eo anno MCCLXXXV. *Conceſſumque illi eſt a magno Tartarorum Imperatore, ut Chaam vocaretur. Hic fuit aſpectu pulcherrimus, fortis robore, & prudens in agendis: Chriſtianorum Eccleſias reparavit; redieruntque ad ejus obedientiam Reges Armeniæ, atque Georgiæ, qui a Mahumeto receſſerant. Rogatus quoque pro Terræ ſanctæ liberatione; reſpondit, ſe velle eam vicinis omnibus pacis inire fœdera, ut ſecurius opus illud perficiat: ſed dum hæc aguntur, quarto anno regni ſui vita exceſſit* MCCLXXXIX. *cui ſucceſſit frater Quegato: qui annis ſex quaſi brutum animal vixit; gulæ & luxuriæ deditus: propter quod a ſuis ſuffocatus eſt. Cui ſucceſſit conſanguineus Bayto, Chriſtianus fidelis, qui cito mortuus eſt. Hic præcepit, ut nullus Sarracenus legem Mahumeti inter Tartaros prædicaret. Sarraceni itaque ad Gazanum miſerunt, quia ſi vellet Chriſti fidem relinquere, & legem ſumere Mahumeti, dominium illi conferrent. Ille honoris avidus cuncta promittit, & contra Baytonem hoſtiliter vadit. Ante commiſſum vero bellum cuncti Sarraceni Gazano ſe jungunt: ſic Bayto captus, & interfectus eſt; regnavitque pro eo Gazanus Argonis filius: qui in Regni exordio mala intulit Chriſtianis; ſuſtinuitque, ut Sarraceni Eccleſias Chriſtianorum deſtruerent. Sed in dominio factus ſecurus, Chriſtianis multa bona contulit; & multos Sarracenorum proceres interfecit, eo quod de lege Mahumeti eum ſæpius moleſtarent.* De Cobyla vero magno Chamo, fratre Mangonis, in regno prædeceſſoris, per Haytonem Regem Armeniæ converſi, ita alibi ſcribit: *Mangoni ſucceſſit frater Cobyla Cham, qui annis quadraginta duobus tenuit Imperium Tartarorum. Hic Chriſtianus fuit & fundavit in Regno Catay civitatem Roma majorem, vocatam* Jong, *ubi continue immoratus eſt.*

Laudatur Argo Rex Tartarorũ.

VII. Redeo ad Legatos Pontificios, non ad unam hanc Tartarorum gentem, ſed ad univerſas ferme totius Orientis, eaſque variis erroribus infectas, amandatos. Erant ſub hoc tempore Rex & populus Armeniæ Chriſtiani, deſiderabantque S. R. E. tamquam legitimi filii & fideles ſubditi adhærere, atque unionem cum eadem mire cupiebant, prout ipſi ſignificarunt fratri Joanni prædicto. Scribit ad eoſdem Pontifex, & ad Eccleſiæ unionem admittit, miſſa tamen Catholicæ fidei inſtructione, eadem quam ipſe, ejuſque prædeceſſores alias ſæpius ad alios Orientales miſerunt. Primas dedit litteras ad Regem, ſecundas ad Mariam ſororem, tertias ad Toroſum, & alios fratres germanos Regis, quartas ad Leonem Regis Comeſtabulum: quintas ad ejuſdem Mareſcallum, poſtremas ad univerſum populum. Ad Regem, & ſororem datas lectori offerimus: Ceteræ his ſimiles, atque id ipſum de unione, & de Fratribus ſubveniendo ſerius inculcant.

Miſſi Minoritæ ad Armenos.

Tom. 4. An. 1267. n. 1. & an. 1288. n. 4.

Cariſſimo in Chriſto filio Regi Armeniæ Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VIII. *GErentes in terris, licet inſufficientibus meritis, vices Chriſti, grandi nec immerito lætitia & exultatione perfundimur, cum ad noſtram pervenire contingat auditum, quod corda Regum, & Principum terrenorum Summi Regis, per quem potentatus altitudine præeminent, beneplacitis ſe coaptant. Nuper etenim audivimus, & lætati ſumus in Domino vehementer, dilecto filio fratre Joanne de Monte Corvino de Ordine Minorum, latore præſentium, nobis ex parte Regia referente, quod erga Ro-*

Reg. Vat. ep. 50.

Rex Armeniæ Catholicus.

Romanam Eccleſiam cunctorum matrem fidelium, & magiſtram ferventis devotionis geris affectum, quodque ad habendum cum eadem Eccleſia, tamquam Princeps Catholicus unionem, in te voluntatis vigere dignoſcitur promptitudo. Subjunxit quoque Fratris memorati relatio, quod claræ memoriæ pater tuus, veluti obedientiæ filias, & Catholicus chriſtianus mortem ſubiit temporalem. Revera, fili cariſſime, tam gratis, tamque acceptis rumoribus intellectis, cor noſtrum in Domino uberibus gaudiis exultavit, cum animarum ſalutem, quam in cunctis mortalibus ex debito paſtoralis officii exquirimus, votis ferventibus cupiamus. Rogamus itaque Celſitudinem Regiam, & hortamur in filio Dei Patris, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, tuæque intentionis propoſito directo ſalubriter ad exercitium laudabilium actionum, devotionem, & voluntatem prædictas dignis præconiis attollendas, ſtabili mente continues, ac intra tui pectoris thalamum ſummopere ſtudeas conſervare. Nos enim te tamquam filium prædilectum ad unionem lætanter recipimus Eccleſiæ memoratæ, penes Magnitudinem Regiam precibus inſiſtentes uberibus, eamque paternis exhortationibus excitantes, ut ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, dictique Fratris & ſociorum ſuorum doctrinam, quæ ſalutis commoda ſubminiſtrat, in omnibus promptus & efficax exequaris, ad receptionem celerem, & efficacem executionem illius, Prælatos, & populum Armenorum Regiæ ditioni ſubjectum ſollicitis ſtudiis inducendo. Sic te in præmiſſis cura vigili habiturus, ut a Domino proinde præmium conſequi valeas pro minimis grandia largiente, tui nominis fama incrementa ſuſcipiat, & Sedis Apoſtolicæ gratiam, quam libenter ad filios devotos extendimus, uberius merearis. Ceterum Magnitudinem Regiam plenis proſequimur actionibus gratiarum, quod ſicut ejuſdem Fratris patefecit aſſertio, ipſum & ſocios ſupradictos benigne recipiens eis multæ humanitatis affectum exhibuit, eoſque gratioſi favoris impendio extitit proſecuta, petentes inſtanter, ut eos clementer habeas commendatos, ut ad laudem divini nominis, & animarum ſalutem utilius & efficacius opus proſequi valeant inchoatum. Ut autem in fide Chriſtiana, quam tenet, & ſervat Romana Mater Eccleſia, plenius & efficacius valeas informari, dictam fidem, & ejus formam præſentibus fecimus annotari, quæ ſunt hæc. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum &c. ut ſupra anno MCCLXXII. *num. primo. Datum Reate* II. *Idus Julii, Pontificatus noſtri anno* II.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Mariæ ſorori claræ memoriæ Reginæ Armeniæ.

Reg. Vat. ep. 41. IX. *Nuper ad Apoſtolatus noſtri præſentiam dilectus filius frater Joannes de Monte Corvino de Ordine Minorum, lator præſentium, de Armeniæ partibus rediens, ubi Chriſti proſecutus obſequia, & animarum ſalutem, juxta datam ſibi a Domino gratiam, extitit operatus, grata & accepta quamplurimum de tuis laudabilibus actibus piiſque ſtudiis nobis referre curavit, inter cetera exprimendo, quod ad obſervandam fidem Catholicam, quam Romana tenet, & obſervat Eccleſia, & ejus unionem ſtabilem proſequendam fervens dirigitur deſiderium mentis tuæ; de quo tanto majorem concipimus intra noſtri pectoris arcana lætitiam, quanto propenſius tuæ ſalutis diligimus incrementum. Hortamur igitur nobilitatem tuam, & excitamus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus mentis oculis erectis ad Deum, & ad ſalutis, & pietatis opera directo propoſito, ad obſervationem*

fidei

fidei Chriſtianæ, dictæque proſecutionem continuam unionis efficaciter & reverenter intendas, aliaque ſtudeas exercere ſollicite, quæ divinæ ſint placita Majeſtati, ad obſervationem & proſecutionem eaſdem, juxta datam tibi a Domino gratiam, ceteros inducendo, ac Fratrem, & ejus ſocios ſupradictos ad partes redeuntes eaſdem, præfata proſecuturos obſequia, & alios etiam Chriſtianos in partibus degentes, habendo benigne ac favorabiliter commendatos: dictiſque Fratri, & ſociis tuum in hac parte præbendo auxilium opportunam, ſic ſemper de bono in melius proceſſura, quod ab Altiſſimo gratior tibi uberioribus digna præmiis lætanter occurras, quo majorum fueris fulta ſuffragiis meritorum. Ceterum, quia te ſincera in Domino caritate complectimur, tuæque ſalutis affectamus augmentum, tibi noſtræ benedictionis munus in remiſſionem concedimus peccatorum. Datum ut ſupra.

X. Præter has nationes hortatus eſt, ut alias numeroſiſſimas per errorum devia diſperſas congregarent Fratres in unum. Scripſit itaque per eoſdem ad Imperatorem Æthiopiæ, ad Demetrium Regem Georgianorum, ad Davidem Regem Hibernorum, & ad univerſum populum Neſtorianorum, & Æthiopum. Unum eſt exemplar litterarum omnium, mutatis mutandis, juxta perſonarum qualitatem.

Cariſſimo in Chriſto filio Imperatori Æthiopiæ Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Summi paſtoris, qui pro ſuis ovibus animam poſuit, diræque mortis ſponte pati ſuppliciam voluit, ut nos ab hoſtis laqueo liberaret, vices, licet inſufficientibus meritis, gerentes in terris, cunctorum ſalutem appetimus, ſolerter exquirimus, ſollicite procuramus, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulam fidelium animæ in cæleſtibus paſcuis collocentur. Cum itaque fides Catholica, quam Romana tenet & ſervat Eccleſia, ſemitam præparet, pandatque aditum ad ſalutem, Celſitudinem tuam hortamur attente, ac excitamus in Filio Dei Patris, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, & ad ſalutis & pietatis opera directo propoſito, ad obſervandam Chriſtianam fidem, & proſequendam ipſius Eccleſiæ unionem ferventer & efficaciter intendas, aliaque ſtudeas operari ſollicite, quæ in conſpectu Altiſſimi ſint accepta, ſic de bono ſemper in melius, adjuvante Domino, proceſſurus, ut poſſis ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire. Ceterum quia Celſitudinem tuam ſincera in Domino caritate complectimur, tuæque ſalutis affectamus augmentam, tibi tuiſque noſtræ benedictionis munus impendimus in veſtrorum remiſſionem peccatorum. Datum Reate v. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno II.

Reg. Vat. n. 53. inter ep. curiales.

XI. Unaquæque harum nationum (de quarum moribus & ritibus conſuli poſſunt Jacobus a Vitriaco, Marinus Sanutus, & Aubertus Miræus) ſuum peculiarem habebat Patriarcham, qui Metropolitis, Epiſcopis, & ceteris Eccleſiarum Prælatis jura dabat. Ad omnes ſcripſit Pontifex ſub eodem tenore verborum, voculis competenter mutatis, juxta qualitates, & dignitates perſonarum, itaut pro unaquaque natione binas ſcripſerit litteras, primas ad Patriarcham, ſecundas ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, & reliquos Eccleſiarum Prælatos. En litterarum exemplar.

Vitriac. in hiſt. Orient. a cap. 74. Sanut. cit. lib. 3. par. 8. a cap. 1. Miræus in not. Epiſc. lib. 1. a cap. 15.

Venerabili fratri Patriarchæ Jacobitarum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Reg. Vat. ep.48. Patriarcha Jacobitarum invitatur ad fidem & unionem S. R. E.

XII. *Diſponente ſummi Regis arbitrio, cujus providentiæ magnitudo cæleſtia ſimul & terrena diſponit, ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumpti, grandi deſiderio ducimur, ut ſic cunctorum greſſus mortalium ſalubriter dirigantur, ſic illi ſuorum operum moderentur habenas, ut accepti reddantur Altiſſimo, eiſque ſalus proveniat animarum. Quid enim illa jucundius? quid deſiderabilius? quid in terris pretioſius fore dignoſcitur, cum ſi totius orbis quis ſibi dominium vendicet, prout Evangelica teſtatur auctoritas, nihil proſit, ſi detrimentum animæ patiatur?* (*Matth. 16. 26.*) *Quamobrem multiplici reddimur attentione ſolliciti, ut univerſi per mundum populi conſtituti Chriſto Domino ſub Chriſtianæ fidei religione commilitent, quam ſacroſancta Romana Eccleſia tenet firmiter & obſervat, quæ vitæ ſemitam præparat, panditque aditum ad æterna gaudia promerenda. Speramus inſuper ut & tu, cui multus, ut dicitur, ſubjectus eſt populus, magno deſiderio ferveas, & ſolerter exquiras, ut per laudabilium exercitium actionum ſic ſuo Creatori complaceat, ut ſalutis commoda mereatur, quod abſque ipſius obſervatione fidei, quæ reatus expurgat, maculas diluit, nequit penitus provenire. Ideoque fraternitatem tuam paternis exhortamur affectibus, & in Filio Dei Patris tibi ſinceris mentibus ſuademus, quatenus ad obſervandam fidem Catholicam quam, ſicut præmittitur, tenet & ſervat Romana Eccleſia inconcuſſe, ac etiam ad ipſius Eccleſiæ unionem, ſublata cujuslibet tarditatis obſtaculo, & nexibus difficultatis effractis, feſtinus acceleres, promptus advenias, occurras ſpontaneus, ſtudioſus accedas, eo majoris retributionis præmium proinde conſecuturus a Deo, quo plures ad id tuo exemplo laudabili evocabis, cum facile trahi ſoleat in exemplum a ſubditis, quod agi conſpicitur a Prælatis. Speramus etenim magnaque fiducia ducimur, quod præmiſſa libenter, & efficaciter adimplebis, ſubjectum tibi populum ad ea diligenter, & ſollicite inducendo, cum ſicut dilectus filius frater Joannes de Monte Corvino, de Ordine Fratrum Minorum lator præſentium multa bona, multaque laudabilia opera, quæ lætanter audivimus, de tuis ſtudiis nobis duxerit referenda. Suſcipe igitur reverenter exhortationem ſinceram, & ſalubrem devotus amplectere Chriſti Vicarii ſuadelam, ſic te laudabiliter gerere ſtudeas ad honorem & gloriam omnium Conditoris, ut in conſpectu ejus reddaris acceptior cumulo meritorum. Ceterum inſtanter expetimus, ut eumdem Fratrem & ejus ſocios ſpecialiter habeas commendatos, ipſoſque benigne ac favorabiliter proſequaris, ut tali & tanto muniti præſidio, utilius & commodius in miniſterio ſe gerere valeant, quod exercent, & ad laudem divini nominis opera efficacius proſequi Jeſu Chriſti. Ut autem in fide Chriſtiana prædicta plenius, & melius valeas alios informare, dictam fidem, & ejus formam præſentibus fecimus annotari, quæ talis eſt. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum &c.* ut ſupra anno MCCLXVII. num. 1. *Datum Reate Nonis Julii, Pontificatus noſtri anno II.*

An.1288. n.3. XIII. Poſtremo ad Dionyſium Epiſcopum in Tauriſio & dominio Argonis Regis Tartarorum, de quo nos anno ſuperiori, aliam miſit epiſtolam, qua congratulabatur ei ob ardentem affectum erga fidem Romanam; gratias deinde reddebat ob præſtita Fratribus Minoribus beneficia,

cia, qnibus ut in fidei dilatatione opitularetur, impenſe rogabat: Ex illa lector percipiet, quam laudabiliter in converſione Gentium laborarint Minoritæ.

Venerabili fratri Dionyſio, Epiſcopo in partibus Orientis.

AFfluentis devotionis affectu, & zelo reverentiæ filialis, promptæque obedientiæ ubertate pollebant miſſæ nobis tuæ fraternitatis litteræ, quas Apoſtolatui noſtro cum tuæ devota recommendatione perſonæ nobis in Chriſto cariſſimæ, dilectus filius frater Joannes de Monte Corvino de Ordine Minorum, lator præſentium præſentavit. Nos autem litteras ipſas læti ſuſcepimus, & exultantibus animis earum tenorem pleno collegimus intellectu, Patri luminum, u quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratiarum actiones devotas & uberes referentes, quod ad obediendum humiliter fidei Chriſtianæ, quam ſacroſancta Romana Eccleſia cunctorum mater & magiſtra fidelium tenet firmiter, & obſervat, fervens dirigitur, prout ex eiſdem perpendimus litteris, deſiderium mentis tuæ. Rogamus igitur & hortamur attentius tuæ ſinceritatis conſtantiam, tibique pro tuæ ſalutis augmento cum inſtantia ſuademus, quatenus erectis ad Deum, digna dignis præmia largientem, hominis interioris obtutibus, poſitaque in eo anchora ſpei tuæ, prædictam fidem, per quam ad ſupernorum gaudia civium aditus panditur, ſtabiliter teneas & obſerves, eique inſeparabiliter adhærere procures, ipſamque in Eccleſiæ tuæ libris conſcribi fideliter faciens, gregem dominicum tuæ gubernationi commiſſum in ea diligenter & ſollicite inſtruas, & informes, ut tamdem poſt tuæ peregrinationis excurſum, vitæque præſentis fugitivæ miſeriam, æternæ beatitudinis gloriam meritorum ſuitus auxilio conſequaris. Proſequimur autem donis uberibus gratiarum multæ benignitatis & humanitatis affectum, quem circa eumdem Fratrem, & ſocios Chriſti operarios ſervos Dei per effectum operam, prout ejuſdem Fratris profitetur aſſertio, hactenus oſtendere ſtuduiſti; apud te precibus inſiſtentes, ut ipſos opportuni favoris gratia, & conſuetæ benevolentiæ ubere pro Divina & Apoſtolicæ Sedis ac noſtra reverentia proſequi non deſiſtas, ut ud laudem & gloriam ſummi Regis, & animarum profectus, quos ſpecialiter expetunt, utilius & efficacius in miniſterio ſe gerere valeant, quod exercent, tuque proinde a Domino præmium, quod pro piis recompenſat actibus, conſequaris. Licet autem prælibatæ fidei ſeriem pridem tibi noſtris inſertam litteris duxerimus deſtinandam; quia tamen amplo deſiderio ducimur, ut ejus ſemper tibi recentior promptiorque memoria, ne quod abſit, oblivioni ſubjaceat, habeatur, ſeriem ipſam præſentibus etium fecimus annotari. Suſcipe igitur reverenter exhortationem ſinceram, & ſalubrem devotus amplectere ſuadelam Vicarii Jeſu Chriſti, ſic te in præmiſſis gerendo ſollicite, ſic ea efficaciter adimplendo, ut in conſpectu Altiſſimi reddaris aptior cumulo meritorum, & Sedis Apoſtolicæ gratiam uberius merearis, tuoque exemplo laudabili ad æternæ vitæ lætitiam promerendam ſubditorum tuorum pectora provocentur. Fides autem prædicta & forma ejus hæc ſunt: Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & ſpiritum ſanctum &c. ut ſupra anno MCCLXVII. num. I. *Datum ut in epiſtola proxime præcedenti.* Epiſt. 49.

XIV. Circa ſanctæ Inquiſitionis officium multa præclare hoc anno ſtatuta ſunt a ſanctiſſimo Pontifice, quæ alto ſilentio reticuit bonus Pater

Abrahamus Bzovius, necnon omnes illas graviſſimas Orientis miſſiones, cum nihil ita æque referendum eſſet in Annalibus Eccleſiaſticis, & Chriſtianis monumentis, atque impenſum ſtudium Summorum Pontificum circa fidem Catholicam propagandam, ſeu reſtituendam, aut retinendam. Neſcio an genuinam hujus ſilentii cauſam ſuperiori anno retexerim, certe aliam adinvenire non poſſum, dum cuncta hæc in eodem codice regeſti, ex quo cetera, quæ ſub hoc anno recenſuit, leviori delectu deprompſit, Pontificia acta perquirenti proſtarent. Judicent hoc alii, ego mecum nihil gravius in ſanctiſſimi & mihi ultra quam explicare poſſim amantiſſimi, Inſtituti profeſſorem dicere decrevi. Porro Joannes Dandulus Dux, Senatuſque Venetus excitati litteris & monitis Nicolai Ponrificis, quibus ſuperiori anno diximus eum juſſiſſe, ut animadverteretur in hæreticos Dominium Venetum inficientes, & debitum præſtaretur Inquiſitoribus auxilium, ut vulpeculas illas vineam Domini demolientes eliminarent, hoc anno ſuos miſerunt Internuncios, ſeu Syndicos ex parte Sereniſſimæ Reipublicæ dicturos, ſe omnem opem & operam his fidei Catholicæ Miniſtris præſtituros, atque ita jam communi conſilio ſtatutum: & repoſitam eſſe ex communi ærario pecuniam, ut neceſſarii ſumptus Inquiſitoribus miniſtrarentur. Ab hujus igitur decreti & inſtituti ærarii tempore verius ſumendam crediderim Inquiſitionis Venetæ originem, quamvis eam difficile ſciri poſſe dixerit Ludovicus Paramus, neque ante Urbani VI. Pontificatum Inquiſitorem ullum, quem referret, invenerit, ſed primum ſub eodem Pontifice nominaverit fratrem Ludovicum Donatum Minoritam, mox Cardinalem. Ceterum Senatus decretum Pontificio diplomati inſertum ita habet.

Inſtituitur Inquiſitio Venetiis.

Param. cit. c. 34.

Dilecto filio nobili viro Duci, Conſilio, & Communi Venetorum.

XV. *A Ccedentes ad Apoſtolicam Sedem dilectos filios nobiles viros Marcum dictum Bembo, & Nicolaum Quirini Nuntios & Syndicos ſeu Procuratores veſtros, ſolita benignitate recepimus, & tam quæ coram nobis ex parte veſtra proponere voluerunt, quam quæ continebantur in procuratoriis, ſeu inſtrumentis ſuper eorum ſyndicatu confectis, attente audivimus, & intelleximus diligenter. Porro præfati Syndici, juxta ſuæ commiſſionis tenorem in negotio procedentes, pro vobis & nomine veſtro firmiter promiſerunt, quod Inquiſitoribus pravitatis hæreticæ ad ipſorum officium efficaciter proſequendum, tu fili Dux, abſque ulla requiſitione Conſilii, opportunum auxilium, poſtquam ab eis requiſitus extiteris, exhibebis, quodque depones pecuniam penes aliquem in Venetiis a vobis communiter Inquiſitorum ipſorum nomine deputatum; ita quod quandocumque Inquiſitores præfati pro ejuſdem executione officii pecunia indigebunt, alibi pecuniam quærere non cogantur, prout in inſtrumento publico ſuper hujuſmodi promiſſione confecto plenius & ſerioſius continetur. Nos autem devotionem in hac parte veſtram, & quantum ſit vobis cordi negotium fidei experiri volentes, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus pro Divina & Apoſtolicæ Sedis ac noſtra reverentia promotionem eamdem nomine, ut præmittitur, veſtro factam, ſic devote, ſollicite ac efficaciter adimplere curetis, impendendo Inquiſitoribus ipſis ſuper exequendo eorum officio conſilium, favorem, auxilium opportunum, ut exinde a Domino præmium, & a nobis dignæ commendationis titulum conſequi valeatis, ne oporteat, ſi ſecus fieret, per Apoſtoli-*

ce

cæ Sedis providentiam aliud in hac parte remedium adhiberi. Tenores autem procuratoriorum prædictorum præſentibus fecimus annotari, qui tales ſunt: In Dei nomine Amen. Anno ejuſdem nativitatis milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono, die quarto Auguſti, ſecundæ Indictionis: Ex tenore hujuſmodi publici inſtrumenti appareat manifeſte, quod Illuſtri Domino Joanne Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Duce, Domino quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, exiſtente cum ſuo minori, & majori & generali Conſilio, & Communi Venetiarum ad voces præconias, & ſonum campanaram more ſolito congregatis: capta fuit pars, & ordinatum ac firmatum per ipſum Dominum Ducem, & per prædicta Conſilia, quod Dominus Dux habeat a majori Conſilio plenam auctoritatem, & ab eodem Conſilio fuit eidem conceſſa dandi ſolus auxilium Inquiſitoribus pro officio hæreticæ pravitatis exercendo in Venetiis, quandocumque ab ipſis Inquiſitoribns fuerit requiſitus, ſine alterius requiſitione Conſilii. Item quod deponatur pecunia penes aliquem deputatum in Venetiis per Commune ad nomon Inqaiſitorum, ita quod quandocumqae Inquiſitores indigerent pecunia pro officio, quod non oporteret eos alio perquirere niſi iſtum ſic deputatum, qui teneatur & debeat, quando requiſierint ſibi dare. Et recipiat pro Communi Venetorum omnem utilitatem, & proventus, qui ex officio provenirent. In cujus rei fidem & evidentiam pleniorem dictus Dominus Dux mandavit de prædictis inſtrumentum publicum per me Martinum Ravignani Notarium, & Ducatus Venetiarum Scribam fieri, & ſua bulla publica communiri. Actum Venetiis in Ducali Palatio. Ego Martinus Ravignani Imperiali auctoritate Notarius, & Ducatus Venetorum Scriba his omnibus interfui, & de mandato dicti Domini Ducis ſcripſi, & in publicam formam redegi.

Item in Dei nomine Amen. Anno ejuſdem notivitatis milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono, die quarto Auguſti ſecundæ Indictionis: Illuſtris Dominus Joannes Dandulus Dei gratia Venetiarum, Dalmotiæ, & Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, de voluntate atque expreſſo conſenſa ſui minoris & majoris Conſilii, & Communis Venetiarum ad ſonum campanarum, & voces præconias more ſolito congregatorum, & ipſa Conſilia, & homines ipſorum Conſiliorum cum eodem Domino Duce ſimul vice & nomine Communis Venetiarum fecerunt, conſtituerunt & ordinaverunt ſuos Nuntios, Syndicos, & Procuratores nobiles viros Marcum Bembo, & Nicolaum Quirini Ambaxiatores fideles dicti Domini Dncis, in Curia Domini Papæ, licet abſentes & quemlibet eorum in ſolidum, ita quod non ſit potior conditio occupantis, & quod ſi unus eorum incepit, olter poſſit proſequi, & complere ad offerendum, promittendum, & firmandum nomine Communis Venetorum Domino Summo Pontifici, & Venerabilibus Patribus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vel aliquibus eorum, vel aliis quibuſcumque videbitur, quod Dominus Dux ſolus dabit auxilium Inquiſitoribns hæreticæ pravitatis pro Inquiſitionis officio exercendo in Venetiis, quandocumque ab ipſis Inquiſitoribus fuerit requiſitus, ſine alterius requiſitione Conſilii. Item quod deponetur pecunia penes aliqaem deputatum in Venetiis per Commune Venetorum ad nomen Inquiſitorum, ita quod quandocumque Inquiſitores indigerent pecunia pro officio, quod non oporteat eos alio perquirere, niſi iſtum ſic deputatum, qui teneatur & debeat qnando requiſierint ſibi dare, & recipiat pro Communi Venetiarum omnem ntilitatem & proventus, qui ex officio provenirent, promittens firmum & ratum habere, quidquid fecerint, vel alter eorum fecerit de prædictis

dictis

dictis ſub obligatione bonorum Communis Venetiarum. In cujus rei fidem & evidentiam pleniorem Dominus Dux mandavit, & dicti de Conſilio rogaverunt per me Martinum Ravignani Notarium infraſcriptum, fieri hoc publicum inſtrumentum, quod Dominus Dux mandavit ſua bulla plumbea communiri. Actum Venetiis in Ducali Palatio, præſentibus magiſtro Tanſo Cancellario, Ruſtichino Renentendi, Ziliolo de Xavino, & Guſmerio de Mandonio Notariis, & Ducatus Venetorum Scribis. Ego Martinus Ravignani Imperiali auctoritate Notarius, & Ducatus Venetorum Scriba prædictis omnibus interfui, & de mondato dicti Domini Ducis ſcripſi, & rogatu prædictorum in publicam formam redegi. Datum Reate v. Kalendas Septembris, anno II.

XVI. Alia duo diplomata edidit in favorem Inquiſitorum Minoritarum in Provincia Romana deputatorum, in quorum primo jubet ut univerſi Magiſtratus, Rectores, vel Eccleſiarum Prælati favore & auxilio adſint Inquiſitoribus, vel eorum Miniſtris, ſua munia exercentibus, ſeu tranſeuntibus per loca eorum. In ſecundo concedit, ut dum commode non poſſent per ſe abſolutionis vinculum * in hæreſim incidentibus, & reſipiſcentibus impendere, id faciant per alios idoneos Fratres ſui Inſtituti. Utrumque exſcripſimus ex Archivi Aracœlitani originariis membranis ſignatis num. 118. & 62.

* *Potius* beneficium.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, dilectis filiis univerſis Nobilibus, Poteſtatibus & Rectoribus, Communitatibus & Univerſitatibus, ceteriſque perſonis Caſtrorum, aliorumque locorum per Italiam conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Jubet ut Magiſtratus juvent Inquiſitores.

CUm dilectos filios..... Inquiſitores hæreticæ pravitatis in Romana Provincia auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputatos occaſione officii, quod exercent, plerumque extra commiſſam eis Provinciam exire oporteat, & familiares ſuos ac Nuntios ad diverſas Italiæ partes tranſmittere pro hæreticis ſeu relapſis ad eorum præſentiam ſub fida cuſtodia tranſducendis, & pro nonnullis aliis negotiis pertinentibus ad officium ſupradictum, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ſuper præmiſſis eiſdem Inquiſitoribus, vel eorum alteri, & nunciis & familiaribus eorumdem, ipſorum Inquiſitorum patentes deferentibus litteras, cum per partes & loca veſtra tranſierint & moram fecerint in eiſdem, pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, favorabiliter aſſiſtentes, eis de ſecuro conductu, quoties opportunum extiterit, liberaliter providere curetis, ſuper hoc vos taliter habituri, quod ex ſinceritate devotionis & fidei poſſitis merito commendari. Datum Reate Non. Julii, Pontificatus noſtri anno II.

Dilectis filiis Fratribus Minoribus Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Romana Provincia per Sedem Apoſtolicam deputatis, & in poſterum deputandis &c.

Concedit, ut poſſint Inquiſitores per alios abſolvere.

XVII. *CUm, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, ſæpe contingat de loco ad locum pro executione negotii pravitatis hæreticæ commiſſi vobis in Provincia Romana vos transferre, propter quod inter-*

interdum nequitiis illis, qui in pravitatem hujuſmodi inciderunt, & poſtea condignam pœnitentiam commiſerunt, commode & condigne abſolutionis beneficio providere: nos volentes animarum providere ſaluti, abſolvendi quoties fuerit opportunum, per Fratres veſtri Ordinis, quibus ad hoc idoneis id duxeritis committendum, illos qui infra eamdem Provinciam in pravitatem hujuſmodi inciderunt, cujuſcumque ſexus exiſtant, vel communiter forte contigerit, ab excommunicationis vinculo, quod propter hoc incurrerunt, vel incurrerent, etiam in futurum, vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem. Datum apud Urbem veterem XII. *Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno* III.

XVIII. Ultra hæc ne Inquiſitionis munus per aliquorum aſtutiam, impediri, vel etiam retardari contingeret, indulſit Provinciæ Phocenſis Inquiſitoribus Minoritis, ut nullus Sedis Apoſtolicæ delegatus, vel ſubdelegatus ab eo, conſervator, aut executor ab eadem Sede deputatus, in aliquem illorum poſſet ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti promulgare; & ſi aliquis illorum ea humana fragilitate cenſuram aliquam incurreret, ut a ſocio poſſet abſolvi. Fratri Philippo de Mantua Inquiſitori in Marchia Tarviſina ſcripſit, ut nobilibus viris Alberto de la Scala, Nicolao quondam Maſtini militis, Friderico & hujus fratri Alberto, filiis & hæredibus quondam Alberti dicti Pichardi, Civibus Veronenſibus, ſtrenuis Inquiſitorum cooperatoribus, uti viſum eſt in captione Patarenorum caſtri Sermionis, de qua nos egimus ſuperius, propter ſua merita & patrum ſuorum, atque ut in adjuvando Inquiſitionis negotio redderentur in poſterum promptiores, concederet & donaret caſtrum Illaſii ab Eccelino de Romanis tyranno immaniſſimo conſtructum, ſimul cum turri, palatio, & macerie quatenus ad Romanam Eccleſiam, ſpectare dignoſcebatur. Alia peculiaria hujuſmodi reſcripta ad fratrem Franciſcum Inquiſitorem in Provincia Romana, fratres Bartholomæum, & Charum in Tuſcia, & alios Minoritas in partibus Reatinis hoc anno paſſim occurrunt.

Reg. Vat. ep.27.
Non poſſe ferri cenſuras in Inquiſitores.
Ibid. epiſt.258.
An. 1277. *n.* 11.

XIX. Alia multa hoc item anno præſtitit Nicolaus in rei Chriſtianæ emolumentum. Principes omnes Chriſtianos ſedulo ad ſacrum bellum ciebat, inſtitutis ubique concionatoribus ex Prædicatoribus præſertim & Minoritis, qui ad Crucem ſuſcipiendam fideles cohortarentur. Id etiam muneris commiſit Epiſcopo Tripolitano, cujus res agebatur, ut in Sclavoniæ & Marchiæ Tarviſinæ partibus, ac in Venetiarum & Ferrariæ Civitatibus, necnon in earum & Marchiæ Anconitanæ & Romaniolæ Ripariis contra Sarracenos Crucis prædicatione milites convocaret. In luctuoſa epiſtola ad hunc directa miſerabiliter deſcribit hoc anno direptam a Soldano Babyloniæ civitatem Tripolitanam, occiſos in ore gladii vel igne conſumptos milites præſidiarios, & tenues Latinorum reliquias in Syria ad ultimum redactas eſſe diſcrimen. Huic ut quantocyus occurreret non expectandas eſſe feras nimis Principum ſuppetias judicavit, ſed ut poſſet, a ſe mittendas ſtatim copias auxiliares. Suo ære conduxit & miſit 2000. pedites & 500. equites, atque ex eo quod Eccleſiaſticæ ditionis populi contulerant, addidit tantum nummorum, quantum eſſet ſatis in ſumptum viginti triremium, quas a Venetis, miſſo ad hoc præfato Epiſcopo Tripolitano, pro vehendis militibus impetravit. Veneti etiam ipſi, ne in tanta neceſſitate viderentur rei Chriſtianæ deeſſe, præter commeatum & res nauticas liberaliter præſtita, quinque alias triremes ſub Jaco-

Reg. Vat. ep.73.
Ibid. ep.64.
Mittit copias auxiliares in Syriam.
Petrus Marcell. de Principib. Venetis ſub Duce 48.

Jacobi Tepuli imperio addiderunt. Præter hæc alia pleraque tentavit, & peregit in ſubſidium Chriſtianorum in illis partibus miſere laborantium.

Graviſſimas res tractat Nicolaus cum Principibus.

Reg. Vat. ep. 20.

An. 1278. n. 17.

Ibid. epiſt. 372. & ſeq.

Jubet liberari e vinculis Archiep. Colonien.

Lipſ. in Lovanio c. 9.

Ibid. epiſt. 260. 265. & 275.

Diligenter in hæreticos inquiſit.

XX. Auditis Internuntiis Imperatoris Rodulphi, qui eidem Imperii diadema poſtulabant, eique accipiendo referebant, eum ſerio cogitaſſe de adventu in Italiam, miſit fratrem Benevenutum Epiſcopum Eugubinum Minoritam, de quo nos ſupra, qui tamquam Sedis Apoſtolicæ Legatus eum Imperatore ageret de die, loco, & circumſtantiis inaugurationis. Scripſit etiam ad eumdem Rodulphum, & Ducem Lotharingiæ, ad Comites Barenſem, Luzenburgicum, Hannoniæ, & Flandriæ, ut curarent libertate donari Siffridum Archiepiſcopum Colonienſem a Joanne Duce Brabantiæ in vincula conjectum. Cauſam & bellum inter eos geſtum graviter enarrat Juſtus Lipſius, ſed & ego totius rei ſeriem & proceſſum variis monumentis & Pontificiis litteris contentum ex diverſis codicibus Vaticanis mihi exſcripſi. In Italia exortas plurimas hæreſes occaſione bellorum, quæ libertatem utcumque vivendi ſubintroducunt, conſopire curavit, diſtricto anathemate die cœnæ Dominicæ in omnes hæreticos, & impoſito præcepto Inquiſitoribus Lombardiæ, Æmiliæ, Inſubriæ, Siciliæ, Genuenſis & Beneventanæ Provinciæ, ut tam in eos, quam in fautores, receptores, defenſoreſque diligenter inquirerent, & pro ſuorum prædeceſſorum more confirmavit leges Friderici II. in eos latas, ut majori robore ex Apoſtolica auctoritate accepta, majorem incuterent hæreticis timorem. Graviſſimæ controverſiæ jamdiu inveteratæ inter Alphonſum & Dionyſium filium, Reges Luſitaniæ, ac Prælatos & Clerum ejuſdem Regni circa libertatem Eccleſiaſticam, & Regni regimen, jam tamdem imponere decrevit finem Nicolaus, auditis plene, nec ſine dolore intolerabilibus injuriis & gravaminibus, quæ Dionyſius ad patris exemplum Eccleſiaſticis inferebat. Scripſit ſæpiſſime ad Regem, ut reſipiſceret, nec tamen obtinuit: tamdem conventum eſt in capitulis quadraginta, agentibus pro Rege Martino Petri Cantore Eborenſi, & Joanne Martino Canonico Conimbricenſi. Conventiones tamen voluit Pontifex ſtabilitas in Curia generali, ſigillatas regio plumbeo ſigillo, & traditas Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Ulyſſiponenſibus, vel eorum vices gerentibus, illas Summi Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ nomine ſtipulantibus, quibus etiam diplomata & ſcripturas concordiæ ineundæ cum Rege tranſmiſit, & auctoritatem dedit abſolvendi Regem & Regnum a graviſſimis cenſuris, quibus per plures annos innodabatur. Conſtanter in hac controverſia ſe geſſit frater Tellius Archiepiſcopus Braccarenſis Minorita, de quo nos ſupra, qui nullis potuit minis, nec blanditiis Regis flecti, ut ſacra Eccleſiæ jura minus animoſe tueretur. Gravamina illa multa & magna nimis a Rege, Archiepiſcopo, & ceteris Prælatis illata exſcripſit Bzovius, ego diplomata Pontificia, & totius rei proceſſum ex Marini Ebulenſis formulario. Sancii Caſtellæ Regis a ſe moniti & reprehenſi, quod illegitimo thoro ſibi conjunxerit Mariam, patrui ſui Alphonſi, Molinæ Reguli filiam abſque ulla Sedis Apoſtolicæ indulgentia. Nuncios Ariam Archidiaconum de Salnes in Eccleſia Compoſtellana, & fratres Gondiſalvum, & Nicolaum Ordinis Minorum hoc anno audivit, neque quantumvis læta retulerint de pace cum Gallo ſtabilita, quod Pontifex ſumme cupiebat, quidquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ in reſcindendis, vel ſaltim non approbandis ſcandaloſis nuptiis voluit remittere. Ad Regni Scotiæ incolas univerſos ſcripſit, ut omnino tollerent

Ibid. epiſt. 50. & ſeq. & epiſt. 100. & 457.

Componit Luſitaniæ diſcordias.

An. 1275. n. 24.

Bzov. an. 1289. n. 9.

Marin. lib. 6.

Negat Regi Caſtellæ diſpenſationem.

Ibid. ep. 101.

lerent quamdam conſuetudinem, ſeu potius corruptelam, qua nonniſi indigenas dicti Regni in religioſis Ordinibus admittebant, nec alienigenas antea receptos, ad ullum Religionis officium, aut dignitatem quantumvis dignos, aſſumi permittebant; unde ſequebatur, ut rejectis aliquando dignis, indigni ad dignitates & regimen eveherentur. Eſt quod hic moneamus, valde nos dolere, quod ita perierint hujus Regni monumenta, ut nulla nobis miniſtrari potuerint, quantumvis ea ſæpius & inſtanter a doctis quibuſque Scotis petierimus. Immerito itaque nobis vitio verteretur, quod tacuerimus, ipſis prorſus tacentibus indigenis.

XXI. Aliquot ex ſui Sodalitii viros ex doctrina & virtute ſibi notos, & de ſancta Sede optime meritos ad regendas graves Eccleſias aſſumpſit. Fratrem Albertum a ſemetipſo conſecratum advexit ad Eccleſiam Iporienſem, tunc vacantem per translationem Friderici Epiſcopi Iporienſis electi ad Epiſcopatum Ferrarienſem: *Licet continua* III. Idus Martii. Albertum hunc illum ipſum putamus, quem Illuſtri Gonzaga familia ortum, alios ſuſpicatos diximus a Gregorio X. ad hanc Eccleſiam Iporienſem, ſeu Eporedienſem aſſumptum. Fratrem Philippum Bonaccurſium in Marchia Tarviſina Inquiſitorem, qui alias contempſit ſibi oblatas dignitates, uti ſuis enarravimus locis, & hanc ipſam ægre valde admiſit, ad Epiſcopatum Tridentinum Imperii Germanici clariſſimum, per mortem Henrici Epiſcopi, in Curia vita functi, vacantem aſſumpſit: *Romani Pontificis* II. Kal. Auguſti. Dignenſi, ſeu Dinienſis Seniorum in Gallia vulgo *Digne* ſub Archiepiſcopo Ebrodunenſi invenio ex diplomate Nicolai hoc anno dato, Epiſcopum fuiſſe fratrem Guillelmum Minoritam: *Quia præſentis* IV. Non. Decemb. Eccleſiæ Humanatenſi, ſeu Humanenſi, item & Numanenſi vulgo *Humana*, nunc cum Eccleſia Anconitana in Piceno unitæ, præfecit fratrem Gerardinum, translato ejus prædeceſſore B.... ad Eccleſiam Caſtrenſem: *Regimini univerſalis Eccleſiæ* IV. Kalend. Januar. Eccleſiam Marrochitanam dudum vacantem per mortem Blanci Epiſcopi contulit in ſponſam fratri Roderico, quem poſtulabant jam Clerici, quam laici illarum partium Chriſtiani, necnon Reges Caſtellæ & Portugalliæ: *Aſſumpſit quamvis* III. Idus Decemb. „ Obiit hoc anno „ David Epiſcopus Suanæ in Etruria ſub Archiepiſcopo Senenſi, cui „ ſucceſſorem dare fratrem Donatum de Caſtello Ordinis Minorum „ cupiit Capitulum; & de facto, & ſi reluctantem, elegit in ſuum Epiſcopum. Sed cum ille nullo pacto adduci potuiſſet ut acceptaret, omnium capitularium vota abjerunt in fratrem Nicolaum de Lonareto „ ejuſdem Inſtituti. Atqui, dum hunc confirmare detrectat Pontifex, „ tertio eligunt fratrem Ruffinum Mediolanenſem etiam Minoritam; „ ſed neque hic ſuum voluit præſtare aſſenſum. Poſtremo Pontifex po„ teſtatis plenitudine Epiſcopum deſignavit Marcum Canonicum Aſſiſiatem. Mira quidem totius Capituli propenſio in Minoritas, ut ſecundo, & tertio ex eis unum delegerint, & in electione alterius perſtare conſtiterint, niſi Pontifex tantas proinde Eccleſiæ moras ſua deputatione præſcinderet. Laudabilis etiam viciſſim Minorum humilitas, „ quod unus & alter oblatam dignitatem generoſe reſpuerit.

Fr. Albertus Ep. Iporien.

Frater Philippus Tridentinus.

An. 1279. n. 28. Vide Hyppol. Doneſmun. in hiſt. Mantuan. ad hunc annum.

Frater Guillelm. Dignenſis.

Frater Gerardinus, Humanatenſis.

Frater Rodericus, Marrochitanus.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Fr. Donatus electus Epiſc. Suanæ

Item Frater Nicolaus.

Et fr. Ruffinus.

XXII. Jam ſibi deponendum Ordinis regimen judicavit Cardinalis Aquaſpartanus, poſtquam hoc anno periculoſum libellum a fratre Nicolao Franciæ Miniſtro contra declarationem Regulæ a Nicolao III. factam, & contra puram obſervantiam ejuſdem editum, reprobavit, auctorem-

Capitulum 28.

que cum ſequacibus punivit, indixit generalia Comitia Aſſiſii pro ſucceſſore deligendo ſub feſto Pentecoſtes; at ſub hoc tempore Pontifex Roma abiit in Reatinam civitatem, voluitque ut ſe coram generalis hic conſeſſus fieret menſe Junio ineunte. Interſuit actis Capitularibus ipſe Pontifex, & Cardinalis Bentivenga Epiſcopus Albanenſis, majorque Pœnitentiarius, & Matthæus Aquaſpartanus tituli ſancti Laurentii in Damaſo Minoritæ. Electus eſt communibus ſuffragiis frater Raymundus Gauſredi Gallus Miniſter Generalis tertius decimus, quantumvis Pontifex alterum appeteret, & deſiderium ſuum Capitularibus aperiret: attamen enumeratis ſuffragiis, quibus hic adoptatus eſt, ceteros Cardinales, qui in clauſtri ambitu eumdem expectabant, vocavit in ædem capitulatem, & coram omnibus hominem valde commendatum libenter confirmavit. Eum communiter noſtri laudant Scriptores, fuit enim nobilis genere, in Theologia magiſter, virtutibus excultus, manſuetus, pius, & devotus, bonorum fautor, diſciplinæ regularis, & Evangelicæ paupertatis acerrimus zelator. Comitia hæc magnam ſortita ſunt majeſtatem ex præſentia Pontificis, & duorum Cardinalium Ordinis Minorum, necnon Caroli II. & Mariæ conſortis, quos Pontifex paucis antea diebus in eadem æde ſalutavit, & nuncupavit Reges Apuliæ, & Siciliæ, uti diximus, quod Aragonios male habuit, & exordium fuit gravis belli & diuturni.

Marian. l. 2. c. 10.

Viri Principes præſentes in Comitiis.

XXIII. Non parum nocuit Ordini regimen Aquaſpartani, non quod ipſe malus fuerit, aut male præceperit, ſed quod eo mitius & laxius agente, paulatim attenuata ſit regularis obſervantia. Compatiebatur omnibus, nullum querulum, ſed cunctis ſatisfactum volebat, omnium condeſcendebat votis abſque prævio examine, an expediret? Auxit malum quod Cardinalis factus, nec ut oportuit attendere potuit ad Ordinis gubernium, nec auſus eſt ad arctiora cogere, dum ſuaviorem ipſe Principis poſt Cardinalatum vivendi normam præferret. Facile enim deſpicitur, qui quod ipſe præcipit, non obſervat. At e contrario: *tunc cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur*. Profecto, *quid faciendum ſit, a faciente diſcendum eſt*. Dantes Aligherius, celebris Poeta Etruſcus, qui paulo poſt notiſſima illa edidit poemata abſtruſis ſenſibus prægnantia, nec ſatis a tot commentatoribus, qui illa interpretari conati ſunt, adhuc explicata, laxioris habenæ hujus Aquaſpartani, & corruptæ ſub eo diſciplinæ meminit, quamvis Chriſtophorus Landinus potiſſimus ejuſdem interpres, a contrario ſenſu eumdem intelligat, & nimium quem ille corripit rigorem in Ubertino Caſali, hic tribuat Aquaſpartano, laxiorem vero Regulæ interpretationem quam Dantes reprehendit in Aquaſpartano, Landinus affigat Ubertino, quem etiam ex errore ait, Miniſtrum Generalem Ordinis fuiſſe. Neque ſane mali totius origo ab Aquaſpartano proceſſit, ſed jam ortum ſub illo accrevit; etenim magnum illinc Ordinis detrimentum, quod brevi tempore ſublati ſint duo optimi Ordinis Rectores Bonagratia, & Arlottus, nec potuerint quibuſdam gravioribus negotiis, quæ in limine præfecturæ emergere ſolent, & infirmitatibus ſupervenientibus impediti, Ordinem per ſemetipſos more ſuorum prædeceſſorum viſitare, labentemque diſciplinam, quibus potiſſimum ruebat locis, ſuppoſitis humeris erigere. Peccatum eſt tunc multipliciter in ſanctam paupertatem impenſius a ſancto Franciſco commendatam, admiſſæ oblationes pecuniarum in miſſis primis novorum Sacerdotum; appoſiti cippi, vel gazophylacia in Tem-

Chron. antiqua. Marian. cit. c. 8. Marc. p. 2. l. 5. c. 12.

Aquaſpartani regimen Ordini nocivum.

Greg. l. 1. Moral. c. 7. Senec. ep. 9. Dantes cantico 12. de Paradiſo.

Landinus ibid.

Præcipua cauſa relaxationis.

Templis, conventiones initæ de celebrandis miſſis propter ſtipendia pecuniaria; tunc ire cœptum ad anniverſaria, ſtatuto prætio, more presbyterorum ſecularium; conſtituti pueruli ad valvas Eccleſiarum, qui a tranſeuntibus pecuniam emendicarent, cereolos, ſubtileſve lychnos ad Sanctorum memorias, uti moris eſt, accendendos in diſco offerrent emendos: ſed & ipſi Fratres multis in locis publicum exercebant quæſtum pecuniarum in compitis platearum & foris, circumductis pueris, qui denarios acciperent & expenderent. Tunc etiam derelicta multa domicilia ſolitaria & paupercula, conſtructis in civitatibus ſumptuoſis, & capaciſſimis ædificiis, in quibus indigenæ ſolum habitabant, neque alienigenas admittebant, neque erat qui extra patriam vel procul a parentibus vellet habitare. Joannes de Muro ſucceſſor Gaufridi in Generalatu, voluit paulatim abuſum hunc eradicare, præcepitque aliquibus Miniſtris Italiæ, ne poſſent ultra tertiam partem Fratrum collocare in propriis patriis, ſeu locis nativis; ſed tot clamoribus & ſtrepitu reſtiterunt Fratres præcepto, ut irritum reddiderint & inane, brevique oportuerit revocari.

Abuſus contra paupertatem.

XXIV. Pii quique viri ſui inſtituti zelatores, quorum copioſa ſeries numquam defuit in Ordine, ad tot manifeſtas Regulæ tranſgreſſiones vehementer affligebantur, præſertim in Provincia Marchiæ. Prodierunt plerique in publicum, quorum agmen ducebant tres illi paupertatis propugnatores, de quibus egimus ſuperius, frater Raymundus, frater Thomas Tolentinas, & frater Petrus Maceratenſis, reſtiteruntque in faciem laxioris diſciplinæ Magiſtris. Contrarii ſtudii, & diſſenſionis rumor ad alias Provincias pervenit, judicatumque eſt inter Miniſtros magnum ſubortum ſchiſmatis diſcrimen celeri & efficaci præveniendum eſſe remedio. Illud adbibitum, ut in eamdem Marchiæ provinciam amandarentur quinque vel ſex Miniſtri, qui contentionis cauſam exciperent, tumultuantes corriperent, eos tamquam ſchiſmatis auctores, & religioſæ pacis perturbatores perpetuis adjudicantes ergaſtulis. Primos conjecernnt in vincula tres, quos diximus aliorum ductores, & ne fieret tumultus in Ordine, alia lege cautum eſt, ut nullus illorum auderet cauſas tueri, aut injuſte condemnatos dicere. Dum hæc legerentur, frater Thomas de Caſtro Marini zelo accenſus in fervore ſpiritus in conſeſſu exurgens: *Ego*, inquit, *vitam meam non facio pretioſiorem, quam juſtitiæ tutelam: neque poſſum huic legi tamquam æquæ aſſentiri, quam omnino iniquam exiſtimo*. Non dixit impune, etenim ex tempore conjectus eſt in carcerem ad aliorum terrorem, ubi poſt paucos menſes gaudens & exultans ſpiritum emiſit. Reliqui tres remanſerunt in cuſtodia, donec anno ſequenti a Raymundo Generali Miniſtro libertati ſunt reſtituti.

Viri pii reſiſtunt his relaxationibus.

Tom. 4. an. 1275. n. 2.

Sed non impune

XXV. Ante hnjus Miniſtri electionem præfuit Aquaſpartanus Comitiis prædictæ provinciæ Marchiæ, & dum electores convenire non poterant, ſed major pars propenderet in hominem omnino indignum, qui Miniſteriatum ambiebat, iratus præſes abire omnes juſſit e conclavi, quorum opera nolebat amplius, ſed ſua poteſtate uti, præficiendo eis, quem magis idoneum judicabat Miniſtrum. Re ſecum perpenſa, elegit præ ceteris fratrem Salomeum de Luca exteræ provinciæ Etruſcæ, exemplaris vitæ, & prudentis regiminia virum, qui poſt rectam Picenam laudabiliter gubernavit Tuſciæ provinciam. Vidit tunc in illis electorum diſſidiis frater Joannes de Alvernia, de quo jam ſupra actum eſt, diabo-

Tom. 4. an. 1259. n. 7. & an. 1272. n. 2.

lum valde ſollicitum, ut Provinciæ ſtatum perturbaret, & qui deſtrueret, non ædificaret, inſpirare Præfectum; ex adverſo vero ſanctum Franciſcum ſtrenue pro ſuis pugnantem, tamdem inimicum abegiſſe; id vero eo ipſo tempore, quo Generalis Miniſter advocavit ad ſe Rectoris electionem, Jacobus Auximanus ejuſdem Picenæ provinciæ vir pius & rectus, his ſimilia vidit in ſpiritu, Franciſcum pro ſuis ſectatoribus deprecantem, fœdam lepram malorum, multiplici bonorum virtute cooperientem, & pios quoſque ſui Inſtituti obſervatores adjuvantem.

S. Franciſcus pro ſuis pugnat.

Joannes Parmenſis ire tentat ad Græcos.

Marian. l. 2. c. 8. Rodul. fol. 116. Gonzag. in Prov. Marchiæ Con. 10 Marc. p. 2. lib. 5. c. 12.

XXVI. Obiit hoc anno XIII. Kal. Aprilis in eadem Provincia apud Camertes beatus Joannes Parmenſis, quondam Ordinis Miniſter, de quo ſæpius præfati ſumus. Petierat a Cardinale Aquaſpartano licentiam ad Græcos redeundi, ut ab unione in Concilio Lugdunenſi decreta reſilientes, in fide promiſſa contineret, & ſchiſmaticos ad fidei unitatem reduceret. Egit cum Pontifice Cardinalis, cui adeo gratum fuit de Græcorum unione agi, quam admirandum ut Parmenſis octuaginta annorum homo, poſtpoſita quiete eremitorii Græcii, qua ſancte potitus eſt triginta & plurium annorum curriculo, vellet ad eoſdem proficiſci. Acquievit tamen pii viri voto, ſciens plurimum apud Græcos ejus valere auctoritatem, cujus pietatem & doctrinam alias erant experti. Jam ille ſe accinxerat prolixo & perículoſo terræ, mariſque itineri, viſitaveratque cum ſociis pia quæque loca urbis Aſſiſii, & obvias ſanctorum memorias, donec pervenit Camerinum, ubi ſtatim in urbis ingreſſu cœlitus admonitus eſt adeſſe tempus depoſitionis tabernaculi ſui. Ille verſus ad ſocios in ipſa urbis porta, dixit: *Hic requies mea; hic habitabo in ſeculum ſeculi.* Illud vero fuit mirabile, quod cum ſummo mane die proceloſo, & aſpero adveniret, nec ullus de ejus adventu præmoneret, ſtatim excitarentur Camertes ad voces puerorum dicentium: *Advenit vir Dei, advenit vir ſanctus Joannes Parmenſis*, & turmatim ad Fratrum habitaculum pergerent eum viſuri & veneraturi. Ipſo illo die cœpit male habere, & paucis elapſis, ſanctam Deo animam reddidit. Illico poſt emiſſum ſpiritum multis miraculis ejus funus cohoneſtari, & ſanctam vitam voluit Deus commendari: nam mortui quamplures ejus meritis ad vitam revocati, alii a mortis periculo, mulieres a partus imminente diſcrimine liberatæ, cæci, muti, ſurdi, confracti, aridi, integre curati. Multi in variis neceſſitatibus mirabiliter exauditi. Qui ei detrahebant inique, & impugnabant gratis, convicti tot miraculoſis portentis, ad ſepulcrum ſupplices venerunt veniam injuſtæ calumniæ deprecaturi, juxta illud Iſaiæ: *Venerunt ad te, qui detrahebant tibi, & adoraverunt veſtigia pedum tuorum.* Honorifico conditus ſepulcro translatus eſt ad novum Monaſterium extra urbis muros, quo oportuit Fratres tranſmigrare, jubente Alexandro VI. ut ubi primum eorum extitit habitaculum, urbis extrueretur fortalitium. Lapideum ejus mauſolæum ingredientibus a præcipua Templi porta ad lævam prope altare ſanctiſſimo Crucifixo ſacrum, ipſa ara utcumque eminentius, occurrit; corpus integrum perſpicitur, & maxima colitur veneratione.

Moritur Camerini.

Fulget miraculis.

Iſai. 60. 14.

Integrum adhuc corpus.

B. Conradus Aſculanus.

Marian. citat. Piſan. confor. 8. Chron. antiq.

XXVII. Alii plerique viri optimi Provinciam hanc Marchiæ, & ſeculum illud decorarunt. Frater Conradus incerti cognominis ſepultus in Conventu Aſculano, cujus obitus diem ſolemni feſto quotannis commemorabant Aſculani, idque merebantur crebra ejus miracula, & in populum quotidiana beneficia. „ Incidi in proceſſum compactum pro „ hoc beato Viro canonizando, ex quo patriam, genus, vitam, & acta ſub-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, ſubcompendium huc reduxi. Natus eſt anno MCCXXXIV. die XVIII. *Beati Conradi Aſculani nativitas, & infantia.*
,, Septembris feria VI. in civitate Aſculana nobilibus parentibus, Fran-
,, ciſco Miliano, & Agnete Marcelli de Salidinis. Longe ante ortum,
,, vitæ genus, & ſanctitatem prædicente genitrici quodam Minorita pro-
,, batæ Sanctimoniæ. Ab ipſa infantis pietatem exorſus in vigiliis, &
,, diebus jejunio ſacris, ubera ſemel ſugebat nutricis; & puerulus alios
,, abſtinentiæ modos proſecutus, magnum exhibuit ſpecimen ſolidioris
,, mox futuræ virtutis. Litteris excultus humanioribus, ſummo ſtudio
,, malorum conſortia, & mollia vitiorum inquinamenta fugiebat; car-
,, nem domans vigiliis, jejuniis, & aſpero cilicio. In adoleſcentia do- *Adoleſcentia.*
,, num aſſequutus prophetiæ, juvenculum ruſticanum humili oppidulo
,, Liſciano natum, Hieronymum Petri Maſſium nuncupatum, quoties
,, occurrebat, flexis genibus reverebatur, cur vero ita faceret inter-
,, rogatus, reſpondebat, ſe in manibus conſpexiſſe claves Regni cœlo- *Hieronymo Aſculano familiaris.*
,, rum. Hic ille erat Hieronymus, Minorum primicerius, qui plurima
,, virtute viam ſibi ſtravit ad ſummum Pontificatum, Nicolaus IV. nun-
,, cupatus. Iſto perpetuæ amicitiæ fœdere, ſimul gradiebantur, & ad
,, virtutum opera unanimiter concurrentes, demum communi conſilio
,, mundo valedicere ſtatuerunt. Minoribus aſcripti in Conventu Aſcu-
,, lano extra urbem ſito, amandati ſunt Aſſiſium, mox Peruſium pro
,, diſciplinis capeſſendis, brevique adeo in ſacris litteris profecerunt,
,, ut digni habiti ſint laurea Doctoratus. Hanc dum ob humilitatem re-
,, fugiunt, & ab Angelo monentur ut ſuſcipiant, obedientes admittunt.
,, Romam profecti per multos annos ſacræ Theologiæ explicandæ, &
,, verbo Dei prædicando ſolerter intenti, eam adepti ſunt opinionem,
,, ut Hieronymus ad Ordinis præfecturas aſſumeretur; & Conradus ni-
,, hilo inferior judicaretur: ipſe vero adeo humiliter de ſe ſentie-
,, bat, ut aliis regendis præfici nollet, ad hæc munia obeunda ſe ſem-
,, per ineptum ſuſpicatus.
,, XXVIII. Licentia in Africam trajiciendi ad animarum lucrum, *In Africa ingenti prædicat fructu.*
,, ſub Hieronymi Generalatu obtenta, ibi cum tanto fœnore prædicavit,
,, ut poſt multos labores & ærumnas per varias Libyæ regiones, ſexies
,, mille quadringentos ſeptuaginta octo homines; & præter hos, inte-
,, gras familias, multis patratis miraculis, converterit ad fidem Chri-
,, ſtianam. Tot ſibi animas eripi dolens humani generis hoſtis, quoti-
,, dianas inferebat moleſtias & plagas, inter quas Conradus ſumma
,, animi conſtantia, maligni animi invidiam, & virium imbecillitatem
,, exprobrabat; iis dumtaxat uſus verbis pro clypeo ad frequentes ictus
,, retundendos: *Sana me Domine & ſanabor, ſalvum me fac, & ſalvus* *Jerem. 17. v. 14.*
,, *ero, quoniam laus mea tu es.* Inter efferas illas gentes ſumma uſus le-
,, nitate, numquam viſus eſt iraſci, aut commoveri ad quaſcumque illa-
,, tas injurias; neque ad oblatos honores efferri; nulli gravis aut mo-
,, leſtus, neque importunus exactor debiti ſibi neceſſarii ſubſidii. Pau- *Ejus virtutes.*
,, ciſſimis contentus, vili lacerna, nudis pedibus incedens, panem
,, tantum, & aquam admittebat: Die Lunæ in honorem Angelorum,
,, Mercurii ob dolorem venditi Chriſti Domini, Veneris in memoriam
,, Paſſionis, Sabbato propter reverentiam beatæ Virginis Mariæ; aliis
,, diebus herbas, aut legumina, ſolis Dominicis pauxillum carnis man-
,, ducabat, præmiſſo ſemper multo verbere, ſeu quam vocant, diſci-
,, plina: dierum Martis, & Jovis abſtinentiam liberandis purgatorii
,, animabus conſecrabat; eoque fructu, & revelantibus Angelis ſciverit
mul-

,, multas propter ſuas orationes, & jejunia in gloriam translatas. Adeo
,, Chriſti paſſioni meditandæ & deplorandæ erat addictus, ut nihil allud
,, cogitare videretur, præſertim feria ſexta Paraſceves, in qua ſingulis
,, annis meruit Chriſtum ipſum videre, iiſdem, quos meditabatur, do-
,, loribus affectum, & ſpinea corona capite redimitum. Hæc compati
,, cupiens impetravit, illo die a media noctis hora uſque ad nonam eaſ-
,, dem pœnas ſentire. In nuda cubabat tabula, breviſſimum capturus
,, ſomnum, reliquum tempus in docendis populis, vel manuali opere
,, diſtribuens, otium ſingulari ſtudio fugiebat, ſciens vitiorum omnium
,, eſſe ſomentum. Caſtitatem impenſiſſime coluit, verba minus honeſta,
,, & otioſa procul faciens, eoque perpetuo ſtudio his invigilavit, ut toto
,, vitæ tempore virginitatem conſervaverit incontaminatam. Vitæ fuit
,, per omnia rigidiſſimæ, & conſpicientibus admirabilis; loquelæ incul-
,, tæ, ſed efficaciſſimæ; videbaturque dum prædicaret, igneos radios ex
,, labiis emittere. Sanctiſſimæ Triadis myſterium, tamquam omnium
,, maximum, & ſumme neceſſarium ſummo conatu inculcabat, & fervido
,, proſequebatur affectu; omnemque operam ab ea voluit inchoatam.
,, In Trinitatis nomine curabat infirmos, cœcos illuminabat, claudos
,, conſolidabat, paralyticos mundabat, dæmones fugabat, & duos de-
,, mum in Africa mortuos reſuſcitavit.

Ex Africa evocatur in Galliã. ,, XXIX. Miſſo per Pontificem amico Hieronymo Pariſios, ut pa-
,, cificaret Reges Gallum & Hiſpanum hoſtiliter utrinque pugnantes,
,, juſſus eſt Conradus Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ut Africa in Gal-
,, liam ſolveret; & in his arduis negotiis tractandis, veteri ſocio & pro-
,, bato amico aſſiſteret. Obſecutus trajecit in Europam, multos ſe-
,, cum ducens ex filiis, quos in Africa Chriſto per Evangelium genue-
,, rat; providens etiam ſingulis, prout uniuſcujuſque ætas, aut condi-
,, tio expetebat. Ubique honorifice exceptus gloriam omnem, &
,, ſamam fugiebat, præſertim Pariſiis, ubi omnes in ejus amplexum
,, irruebant, perſpectam habentes a longo tempore viri optimi virtu-
,, tem. Præ omnibus ad ejus adventum exultavit Miniſter Generalis
,, Hieronymus, qui dum fidum ſocium, & cariſſimum amicum nudis pe-
,, dibus, & biſpida veſte, pelle exuſta, carne comſumpta conſpexit: *Ecce,*
,, inquit, *pluſquam Jonas hic.* In quadam tabella ab Africano quodam
,, depicta ſerebat ſemper in manu imagines ſanctæ Mariæ Virginis, &
,, beati Franciſci; has exponebat alto in loco, dum prædicabat, & male
,, habentibus dabat oſculandas, earumque contactu integram confere-
,, bat ſanitatem. Ejus adjutorio, & precibus legatione Hieronymus fe-
,, liciter perfunctus, acceptaque in prœmium Cardinalitia dignitate,
Venit in urbem. ,, in urbem Conradum reduxit; ubi per biennium ſummo omnium plau-
Lutetiæ legit. ,, ſu prædicavit. Dehinc remiſſus Lutetiam, ut ſacram Theologiam pu-
,, blice profiteretur; juſſus uti ſandaliis & mitiori veſtimento. Ea in
,, civitate communi omnium gratulatione exceptus, doctiſſime legit;
,, ſingulis Dominicis prædicavit magno animarum fructu; iiſque diebus
,, aut horis, quibus a concionibus, aut lectionibus feriari licebat, per-
,, gebat ad Xenodochia, & Noſocomia, omnia erga egenos, & infirmos
,, præſtiturus opera miſericordiæ.

Denuo vocatus regreditur in Urbem. ,, XXX. Aſſumpto demum ad ſummum Pontificatum Cardinale Hie-
,, ronymo, vocatus eſt Romam Conradus, accepturus ex manu tanti
,, amici Cardinalatus inſignia. Hoc ubi præſenſerunt Pariſienſes, nul-
,, lum non exhibebant honorem & obſequium; at ille gentem omnem in
pu-

,, publico foro, ad virtutes ſectandas, egregio hortatus ſermone, di-
,, ſceſſit ſolus, ſolemnem, qui parabatur, reſpuens comitatum. Socios
,, aſſumpſit itineris fratrem Benedictum a Podio Canoſæ, & fratrem
,, Dionyſium a ſancto Homero provinciæ Aprutinæ multorum annorum
,, convictores, qui ejus vitam conſcripſerunt, & præcipua acta teſtifi-
,, cati ſunt in proceſſu, quem citavimus. Pervenit Aſculum die III.
,, menſis Martii anno MCCLXXXIX. occurrente & exultante tota civitate.
,, Pridie Non. Aprilis incidit in febrim,ex qua ſe deceſſurum ſtatuto die Febri corripitur in patria.
,, & hora prædixit, paulatimque deficiente virtute, receptis ſacroſanctæ
,, Eccleſiæ Sacramentis, juſſit e nuda tabula, in qua decumbebat, ſe de-
,, poni in terra, ſolis indutum fœmoralibus, ut in ultimo agone nudus
,, luctaretur cum nudo, nec haberet, unde teneretur. Petiit deinde
,, a Superiore pauperem habitum, & veniam quorumcumque in diſci-
,, plinam regularem peccatorum, recitatiſque hymnis beatæ Virginis,
,, & jaculatoriis precibus, ad Chriſtum Crucifixum, quem manu tene-
,, bat, pſalmo etiam quinquageſimo, ultimo loco illum cecinit, qui in-
,, cipit: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*; & cum ad il-
,, lum perveniſſet verſiculum: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum*,
,, efflavit ſpiritum, anno proxime recenſito XIII. Kal. Maii die Veneris, Pie moritur.
,, ſeſqui hora ante auroram in Conventu Minorum extra urbem Aſcu-
,, lanam. Corpus tractabile, & in omnes partes flexibile, ſuaviſſimum
,, ſpirans odorem, per tres dies manſit inſepultum, propter numero-
,, ſiſſimum populi concurſum; adhibitis a Senatu Aſculano, & parentibus
,, ſancti Viri,cuſtodibus, qui funus cuſtodirent. Fuit vir mediocris ſtatu-
,, ræ, capilli rufi, ſeu ſubflavi, ſpiſſe barbæ, frontis calvæ, & decori
,, aſpectus. In vita & morte miraculis plurimis effulſit, quibus ubique Claret miraculis.
,, meruit, & nolens aſſequutus eſt omnium venerationem.
,, XXXI. Nicolaus Pontifex audita ejus morte, valde contriſtatus
,, dixit palam Cardinalibus, mox futurum collegam perdidiſſe, idque
,, non mediocri Eccleſiæ jactura. Scripſit ut honorifico conderetur tu-
,, mulo, factumque eſt, ut arca lignea alteri marmoreæ, ferreis lami- Honorifice ſepelitur.
,, nis obſerratæ, incluſa reponeretur, appenſa ſuperius ejus effigie; ap-
,, poſitaque hac epigrafe: *Hic jacet corpus beati Conradi familiæ Milia-*
,, *norum Aſculanæ, Ordinis Minorum ſancti Franciſci, Theologus & Do-*
,, *ctor Pariſienſis; nec non ſocius juratus Papæ Nicolai IV. dum eſſet in mi-*
,, *noribus. Obiit anno Domini* MCCLXXXIX. *die* XIX. *menſis Aprilis.*
,, Propter creberrima, quæ faciebat miracula, & perpetuam populi ve-
,, nerationem, ſolemni inſtituta ſupplicatione, translatum eſt ſanctum
,, corpus in alium Minoritarum Conventum intra urbem prope Eccle-
,, ſiam ſanctæ Mariæ inter vineas, iiſdemque loculis, quibus antea clau-
,, debatur, repoſitum eſt in muro ad oſtium ſacrarii anno MCCCLXXI.
,, V. Kalend. Junii, videruntque tranſlationis auctores corpus integrum
,, ſuaviſſimum ſpirans odorem. Multa illic patrat miracula, & ſe invo- Tom.2. an.1232. n.21.
,, cantibus præſtat beneficia. ,, Frater Maſſæus Severinas, quem alias
dixinius ex Plebano factum Minoritam, dum in aere hærentem vidit in B.Maſſæus Severinas.
extaſi fratrem Bentivolium conterraneum, jacet in Conventu de Muro
Cuſtodiæ Camerinæ. Frater Simon, & frater Amatus ſanctitate conſpi- BB. Simon, & Amatus.
cui requieſcunt in Monaſterio Anconitano, quod locum novum, &
ſanctum Franciſcum ſcalarum vocant,e quibus hic dum in feretro jaceret,
Anconitanum quemdam manu contracta cadaver devote attingentem
perfecte ſanavit: Puero a nativitate cœco, alii de Romandiola, tertio
de

de Peruſio, cui nomen Lelius viſum contulit; quamplures a dæmone poſſeſſos liberavit; a ruptura plurimos ſanavit: Mediolanenſem omnium membrorum uſu deſtitutum ſanum fecit, & quod his majus eſt, puerum Anconitanum per tres horas mortuum ad vitam revocavit. Conditus eſt in loco, ſeu Conventu veteri Anconæ, quidam vir ex perpetuo Dei obſequio *ſervus Dei* nuncupatus, ſanctitate & miraculis illuſtris, patria Urbinas. Vidit hic dum prædicti Monaſterii Guardianum ageret, fratrem Petrum a Monticulo concionandi præſtantia celebrem, & ſanctitate præclarum per ſex cubitos in aere ſublevatum coram Chriſto Crucifixo. Requieſcit & ipſe Petrus in loco Siroli Cuſtodiæ Anconitanæ, qui in die Purificationis vidit Conradum Offidanum brachiis recipientem Chriſtum infantulum in loco Forani. Hic cum ad honorem Archangeli Michaelis diebus aliquot pro more ſui Inſtitutoris jejunaſſet, illud accepit præmii, ut familiariter ipſe Archangelus ei colloqueretur, peccatorum remiſſionem obtinuerit, & ſi quod aliud honeſtum vellet, ſe impetraturum promiſerit. Dum nocte quadam intenſius contemplaretur Chriſti paſſionem, & expenderet vehementiam doloris beatæ Virginis Mariæ, & Joannis Evangeliſtæ Cruci adſtantium, & ſcire vellet menſuram doloris ſancti Franciſci, quando ex nimia compaſſione Chriſti Crucifixi ejus vulnera in ſuo corpore recepit, apparuerunt ei omnes, expreſſitque ſanctus Joannes omnium dolores. Pepigit cum Conrado Offidano in loco prædicto Forani, ut alter alteri revelaret conſolationes ſpirituales, quas a Deo recipiebat. Poſt mortem multis claruit miraculis.

Servus Dei Urbinas. — Petrus a Monticulo.

Joan. de Monte S. Mariæ.

XXXII. Frater Joannes de Monte ſanctæ Mariæ intimus amicus prædicti etiam Conradi, vir optimus, a juventute ſua adeo in lege Domini profecit, ut ſæpius ei apparuerit beata Virgo, beatus Joannes Evangeliſta, ſanctus Franciſcus, & beati Angelus & Leo ejuſdem ſocii. Audivit hic ſimul cum Conrado in æde Portiunculæ multa a beato Leone ahuc ſuperſtite de ſancti Franciſci geſtis & mirabilibus, quæ poſteris ſcripta reliquit. Dum in die Reſurrectionis Dominicæ contemplaretur ſolemne myſterium, deſideravit ſcire cui omnium primo illo die Chriſtus apparuerit? Apparentibus Chriſto, & ſacratiſſima Genitrice, revelatum fuit beatæ Virgini Deiparæ primo apparuiſſe. Celebravit miſſam pro anima cujuſdam tironis nuper defuncti, idque tanta mentis recollectione, & fervore, ut meruerit exaudiri, & novitius poſt ſanctum ſacrificium ei apparens gratias reddiderit, propter ſuam a Purgatorii ignibus liberationem. Sub octava Epiphaniæ infirmitate gravatus, illa ſecum meditabatur verba: *Venit lumen tuum Jeruſalem*, apparuitque Chriſtus, qui ſe illud lumen a Propheta prædictum interpretatus eſt, apprehenſaque manu ſanum extra lectum effecit. Confabulantibus ad ignem quibuſdam ex Fratribus de rebus ſeculi, vidit diabolum exultantem ſuper tectum, quibus admonitis, dum de rebus divinis factus eſt ſermo, fugit malus, & acceſſit angelus bonus. Perveniens ad quoddam bivium, dum hæreret quo pergendum eſſet, genuflexus oravit. Cui apparens ſanctus Franciſcus monuit non qua ille volebat, ſed alia eundum via ad quoddam eremitorium Fratrum, in quo frater Gualterus Piſanus ad mortem languebat, nec erat Sacerdos ullus, qui morienti adſtaret: ſe vero paulo ante promiſiſſe, quod Joannem hunc mitteret morienti. Abiit; morientem invenit, paulo ante a ſancto Franciſco viſitatum, & confortatum comperit, pro agonizante oravit, funus curavit, & ſacrificium pro eodem obtulit; quo completo, vidit in Eccleſia exultantem, & cum

Iſai. 60. 1.

& cum aliis ad cœlos evolantem. Ubi hic ſepultus ſit, non eſt omnino compertum.

Beneventutus de Recineto.

XXXIII. Frater Beneventutus de Recineto laicus miræ pietatis, Miſſis audiendis totus addictus, dum aliquando pergeret ad Eccleſiam ſacrum auditurus, rebus cœleſtibus immerſus nihil cogitavit de Fratrum cibo, quem præparare, & igni apponere cœperat in culina. Pluribus auditis Miſſis, tamdem ſui muneris recordatus, dolens de neglecto cibo, atque de elapſo tempore, quo prandium poſſet parare, invenit in culina Angelum Dei cuncta condientem, & ne mœreret jubentem: paulo poſt accumbentibus Fratribus cibos appoſuit optime præparatos, quibus numquam ſe alios lautiores probaſſe omnes dixerunt. Miraculis illuſtris jacet Recineti, necnon frater Campagnus vir non inferioris ſanctitatis. Fabriani requieſcit Mauritius de Argegnano, prius Canonicus ſancti Venantii, mox Minorita, vitæ admirabilis, quam continuis lacrymis, & aſſidua oratione ſacravit.

Mauritius de Argegnano.

Jacobus de Fallerone.

XXXIV. Frater Jacobus de Fallerone Confeſſarius beati Joannis de Alverna, prædicator inſignis, vitæ & doctrinæ ſingularis, dum ſacerdotio, quo fulgebat, ſe indignum putaret, apparens Chriſtus prædicto Joanni dixit: frater Jacobus eſt ſacerdos ſecundum legem Dei. Dum ſub ultima decumberet infirmitate in loco Moliani, frater Joannes inſtanter pro eo orabat in Conventu Maſſæ, viditque choros Angelorum, ſanctum Franciſcum, & plures ejuſdem ſectatores fratri Jacobo collætantes de tranſitu ejuſdem mox futuro. Quod dum ei poſtea narraret, exultavit in ſpiritu Dei ſervus, & paulo poſt illa verba pronuntians: *In pace in idpſum dormiam & requieſcam*, placide animam emiſit, ſepultus in prædicto loco Moliani. Poſt mortem apparuit dicto fratri Joanni, poſt brevem Purgatorii paſſionem glorioſus abiens in cœlum. Frater Sanctes laicus, qui longo tempore ſolis herbis crudis abſque pane veſcebatur, miraculis clarus, ſepultus eſt in loco de Scotoneto. Frater Angelus Clarenus de Cingulo ſub hoc tempore claruit, uti varia ejus ſcripta, quæ penes me habeo, teſtantur. Divinitus edoctus idioma Græcum, in nocte Nativitatis Dominicæ ſub anno MCCC. plures aliorum elucubrationes latinitate donavit, præſertim dialogum quemdam beati Macharii, libellum devotum ſancti Joannis Chryſoſtomi, Opuſculum unum & alterum Joannis Climaci, a quibuſdam Scalaris cognominati, in quibus, ait Petrus Rodulphus, mirifice oſtendit intellectus ſui præſtantiam; non tamen omnino probat ejus tranſlationem Ambroſius Camaldulenſis, qui ejuſdem Climaci aliam edidit interpretationem, ait enim in prologo, Angelum nimis aride tranſtuliſſe, & verbum verbo reddidiſſe; neque adeo compte loquutum. Fuit hic vir pius Clarenus præceptor Simonis a Caſſia, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, viri docti, & celebris concionatoris, prout ipſe Simon in quadam epiſtola lugubri de funere prædicti Angeli commemorat. Poſt annum milleſimum tercenteſimum frequenter hujus viri ſe offeret memoria. Multi alii ſancti, & docti Patres in illa Provincia Marchiæ floruerunt diverſis temporibus, qui veluti ſtellæ cœlum, ita ubertim eam illuſtrarunt, atque hac ipſa de cauſa ab antiquis Patribus *Provinciam ſtellatam*, dictam ait Rodulphus, quia tot fulgentiſſimis ſtellis, quot ſanctis Viris ampliſſimam hanc Religionis noſtræ molem condecoravit.

Pſal. 4. 9.

Sanctes laicus.

Angelus Clarenus.

Plura opera Græca reddidit Latina.

Rodul. fol. 256.
Camald. in prologo.

Fuit præceptor Simonis Caſſiani.

Rodul. fol. 255.

B. Petrus Pectinarius.

XXXV. Ex tertio ſancti Franciſci Ordine nobile, hoc anno, pridie Nonas Decembris, pignus cœlo concreditum eſt Petrus Pectinarius ab

Petrus de Monterone in ejus vita c. 1. & ſeq. Marian. l. 2. c. 9. Rodul. fol. 146. Marc. par. 2. l. 5. 8. & ſeq. Eph. 5. 25.

Ejus virtutes.

oppido Campi in tractu Chianti ſeptimo lapide a Senarum urbe trahens originem. A pectinibus faciendis Pectinarii cognomen adhæſit, quam artem Senis didicit, & uſque ad ſenectutem exercuit. Uxorem ibidem duxit, quam, nulla ex ea ſuſcepta prole, veluti matrem & dominam in Chriſto dilexit, juxta illud Apoſtoli: *Conjugem bonam diliges, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*. Humilitatis, paupertatis, & intimæ pietatis ſpiritum induit, celebre illud Senenſium Xenodochium *a ſcala* cognominatum quotidie viſitabat, & ægrotis quæ poterat, caritatis exhibebat officia. Cœpit ſe habere deſpectui, & humiliter de ſe ſentire, ſed quo vilior in ſuis oculis, eo melior in alienis, & excellior in divinis videbatur. Abjectis coloratis, & vanis veſtimentis, humile tertii Inſtituti ſancti Franciſci tegumentum aſſumpſit, idque lacerum variis reſarciebat ſegmentis. Vendidit omnia quæ habuit, & diſtribuit pauperibus, reſervata dumtaxat dote uxoris, quam illa mortua, impertivit egenis. Compatiebatur tenerrime miſeris & afflictis, cujus viſceroſam pietatem voluit Deus ex quibuſdam eventibus manifeſtam. Minoritæ Conventus Senenſis redeunti ex choro tempore brumali, & algore trementi intenſo obvius Petrus dixit: compatior, cariſſime frater, tuæ vehementi paſſioni, oro tamen, ut reminiſcaris Chriſti in Cruce pendentis, algentis, ſitientis, tot tormenta indigne ferentis, & ſpondeo frigoris nullam te paſſurum moleſtiam. Igniti hominis, dum calida verba frater audivit, toto ita incaluit corpore, ut exclamare oportuerit, & dicere: Dimitte me, quæſo, neque intenſiores mihi inſeras ignes, adeo namque jam ardeo, ut omnino liqueſiam, nec majorem poſſim ſufferre calorem. Compatri & amico Maſſæo intenſo capitis frigore dolenti ſolo crucis ſigno remedium adhibuit. Lectorem Minorum Conventus Pratenſis graviter ægrotum, dum inviſit, ſtatim ſanavit. Puellæ Senenſi medio corpore aridæ ſalutem reſtituit ex attactu, & ſigno crucis aliam Piſtorienſem a fœda ſcrufa ſanavit; necnon privignum ſuum pluribus annis Piſtorii ex contractis membris in lecto jacentem, vegetum reddidit & ſanum.

Aliorum malis mirabiliter medetur.

XXXVI. Sanctæ orationis ſtudio ſe totum addixit; excubias agebat nocturnas in domo Prædicatorum ſuæ vicina, ad quorum matutinas preces ſemper ſurgebat, multoties etiam præveniebat noctis medium, & in Eccleſia ſanctæ Mariæ, urbis præcipua, cujus valvæ angelico miniſterio ingredienti, & egredienti aperiebantur, prolixius orabat. Illinc ſibi miro modo revelatum, quam perfecte ſanctus Franciſcus Chriſti fuerit veſtigia inſequutus, qua de cauſa majorem erga ſanctum Patriarcham concepit affectum, & deinceps Senis in æde vixit Minorum, aſſignato ſibi cubiculo juxta valetudinarium. Hinc multas accepit conſolationes divinas, viſitantibus eum Chriſti Dei Genitrice, ſanctis Apoſtolis, choris Angelicis, & ſancto Franciſco. Familiariter cum beatiſſima Virgine loquebatur, & recedentem multis precibus detinebat. Horribiles pugnas, & inſidias dæmonis patiebatur, in diſco inſidebat, ne inde cibum ſumeret, in cyatho ne biberet; & cum uno ex loco Crucis virtute pelleretur, ad alium protinus ſaltabat. Moleſte hoc ferens ſemel confeſſario ſuo, Bonafratri nuncupato, ſecum manducanti ait: Parat mihi hic nebulo laqueum turbationis, & ſuo ingenio mecum luctatur, ſed non prævalebit gratia Dei, quæ non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus ſufferre. Alias ſumme importunos dæmones, & ipſis ſe oculis ingerentes placide veluti muſcas abigebat, quaſi inanes tentatores deſpiciens.

Aſſiduus in oratione.

Cœlites ei familiares.

Dæmones ei inſidiantur.

XXXVII.

XXXVII. Adeo mirifice in meditatione rerum cœleſtium illuſtrabatur ſuperne, ut non ſolum in mente fulgeret interius, verum etiam circa eum corporaliter lux immenſa cerneretur exterius. Iturus ad montem Alvernæ cum duobus Minoritis hoſpitio exceptus a devota matrona Minoribus addicta, dum ceteri dormirent, ille ad orandum ſurrexit, & egreſſus in hypethrum, ſeu ſubdiale cubiculo contiguum cœli opificem meditaturus & laudaturus, clariſſima circumfulſit eum lux de cœlo, quam fortuito hoſpes matrona conſpexit, & ceteris a ſomno excitatis, oſtendit. Hinc ille magnifice orandi virtutem extollebat, ac poſt caritatem Dei & proximi, primam dicebat; quare fratri Ugolino de Querceto Minoritæ interroganti, per quam virtutem citius & facilius quis poſſet Dei gratiam adipiſci? reſpondit: Exiſtimo, cariſſime frater, nihil ſalutis deeſſe homini, qui devote & ſollicite ſacræ orationi incumbit. In hac enim Dei excellentia, & noſtra vilitas nobis innoteſcit, atque infirmitas noſtra divinis fovetur auxiliis, ne tentationibus & malis ſuccumbat. Quæſivit alter quid ſibi cum tædio oranti, & conſolationem nullam recipienti eſſet faciendum? Reſpondit Petrus, in eadem perſeverandum; multoties enim Dominus conſolationes in opportuniores differt horas; neque ſemper animæ expedit illas excipere, utiliuſque aliquando orationis præmium differtnr, quam ſtatim conferatur. Id ipſum dicebat recitantibus cum tædio divinum officium, atque illud ipſum tædium perſeverantibus, & patienter ferentibus potius in præmium, quam ſupplicium ceſſurum.

Meditationibus divinis intentus.

Valde commendat orationis gratiam.

Aliquando expedire differri conſolationes divinas.

XXXVIII. Crebras accepit revelationes, & prophetice plura prædixit. Civi Senenſi alterum ob illatæ injuriæ vindictam occiſuro occurrit, & quod nulli hominum ille revelavit, hic totum quod in hac re præmeditatus eſt, & ſecum in corde ſtatuit, retexit; qua ratione eum a via ſua mala, & ſcelere firmiter intento revocavit. Senis Jacobus de Cluſio Judex magnam in egenum quemdam verecundum ſecreto contulit eleemoſynam, cui Petrus obvius dixit: Jacobe cariſſime, acceptæ ſunt orationes, & eleemoſynæ tuæ in conſpectu Dei, & repoſita eſt operi tuo merces magna nimis. Oranti in Eccleſia Prædicatorum delatum eſt, uxorem per ſcalam cecidiſſe, & caput colliſiſſe: placide nuncio dixit: probe ſcio, quod factum eſt; caſus iſte non eſt ad mortem, ſed ut manifeſtetur potentia Dei in illa. Rediens itaque domum, amotis faſciis & emplaſtris, vulnera & cicatrices cruce ſignavit, ſanamque mox reddidit uxorem.

Prophetiæ dono illuxit.

XXXIX. Cum hoc prophetiæ dono virtutem etiam accepit ſignorum, ita ut ad nutum ei condeſcendere videretur Altiſſimus. Cecidit ex alta feneſtra filius unicus Venturæ Mercarii vici ſancti Martini, in quo nullum vitæ apparuit veſtigium. Abiens pater ut curaret funeralia, obvio Petro ſuum retulit infortunium. Ingreſſus ille ſancti Martini Eccleſiam ferventer oravit pro puero, impetravitque ut reviviſceret, & pater regreſſus ſanum ac incolumem inveniret. Ipſum Venturam iliacos dolores vehementiſſimos patientem ſolo tactu perfecte ſanavit. E vinea ſua regrediens & bene compactos racemos portans, deſideravit ut Romanus quidam amicus eos haberet. Relictos ſuper ſudem domi Angelus in Urbem detulit, & aliquoto poſt tempore prædictus amicus gratias reddidit ob amoris affectum, quo Senis Romam optimas uvas tranſmiſit. Nihil minus cogitans Petrus ad ſudem reſpexit, videnſque Deum ſuum deſiderium compleviſſe, ei gratias reddi juſſit, qui ſervorum ſuorum voluntates exaudit.

Mortuum reſuſcitat puerulum.

Alia patrat miracula.

Humilitaté perfecte ſectatur.

Pſal. 140. 3.

XL. Humilitatem, virtutum omnium decus & cuſtodem, perfecte ſectatus, viliſſimum ſe reputabat peccatorem, neque audebat loqui ob contemptibilem de ſe conceptam opinionem, niſi ubi proximorum utilitas, vel rei neceſſitas urgebat. Non ſolum *oſtium circumſtantiæ* juxta Prophetam, ſed & digitum frequenter ſedens vel ambulans apponebat labils ſuis, refrænare cupiens linguam, ne declinaret in verba malitiæ, aut inania. Nihil tam timuit quam linguam: *quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata a gehenna .... inquietum malum, plena veneno mortifero, univerſitas iniquitatis*; in qua compeſcenda per quatuordecim annos ſerio ſe laboraſſe faſſus eſt, antequam perfectum ejuſdem obtineret dominium. Coram Senioribus, Religioſis, aut Illuſtribus viris ex humilitate, & animi demiſſione omnino tacebat, nec ſuam promebat niſi juſſus ſententiam. Interrogatus qualiter ad humilitatis virtutem aſſequendam pervenire quis facilius poſſet? reſpondit: Si ſe deſpiciat, & mundum; ſi omnes ſe reputet meliores; ſi peccatum omne grave putet, & bonum quodcumque fecerit, parvum; ſi offenſam omnem proximi magnam, & obſequium eidem præſtitum ſemper humile dijudicet. Quibuſdam eum a pietate & ſanctitate commendantibus ait: *Furfur vento exponitis: omnis creatura niſi a Deo conſolidetur, inſtabilis eſt, & veluti arundo, vanæ gloriæ vento facile agitatur*; quibus dictis ſtatim aufugit. Ex humili hac de ſe concepta opinione quotidie cum lacrymis confeſſario ſuas culpas dicebat; peccatorem maximum ſe dicens, & indignum, quem terra ſuſtineret. Ad majorem ſui confuſionem peccata omnia a pueritia commiſſa in chartula deſcripſit, perrexitque ad antiquum habitaculum Ravaccianum a ſancto Franciſco, uti alias diximus, extra urbem inchoatum, in quo ad ſancti Viri memoriam extabat adhuc Eccleſiuncula vel oratorium. Hic expanſa charta, cum magna contritione cunctos perlegit reatus, & tanta cordis amaritudine deflevit, ut mirabili ſigno mereretur eorumdem remiſſionem, deletis per Angelum omnibus characteribus, & dealbata ut nive papyro.

Jacob. 3. 6.

Linguæ magnam cuſtodiam adhibuit.

Tom. 1. an. 1213. n. 22.

Mirabiliter intelligit ſibi remiſſa peccata.

XLI. Omni ſollicitudine mentis & corporis puritatem conſervare curabat, atque hinc ei abſtinentia diſcreta, ſomnus brevis, oratio longa, durus lectus, crebræ peregrinationes, e quibus hæ potiores. Ad Kalendas Auguſti ibat Aſſiſium ad Indulgentiam Portiunculæ; ſub Aſcenſione Domini ad Indulgentiam ſancti Petri ad gradus; Piſtorium ſub feſto ſancti Jacobi, & menſe Septembri ad montem Alvernæ. Numquam a bono feriabatur opere, ſed in jugi pœnitentia carnem ſpiritui ſubjiciebat. Dum nocte quadam ab æde Minorum pergeret ad Eccleſiam ſupradictam ſanctæ Mariæ, oportuit tranſire per ſtationem militum, qui cuſtodiebant Civitatem. Atqui hi videntes eum præcedere duos cereos accenſos, ceroferarios vero neutiquam, præterire permiſerunt cum reverentia. Recordatus ille legem latam, ut qui poſt tertium campanæ pulſum inventus eſſet per plateas, Judici denunciaretur; ne cuſtodes juramenti præſtiti rei haberentur, admonuit, ſe tamquam inobedientem & legum contemptorem debere Judici ſiſti. Reſpondentibus illis, perſonarum diſcretum habendum diſcrimen; indignum ſe putans quem extra communem plebis conditionem facerent, proximo die Judici ſe ſiſtit, & mulctam in lege ſtatutam numerata voluit ſolvere pecunia. Judex vero nummum reddidit, dicens ſibi conſtare ejus diſcurſus nocturnos nulli obeſſe, ſed & univerſo populo multum prodeſſe, obtulitque licentiam quocumque, & quando vellet abeundi, & inſuper abſolutum voluit

Ejus peregrinationes.

Præcedunt eum duo cerei accenſi.

Juſtitiæ & legum obſervator.

a qui-

a quibuſcumque legibus, & gravaminibus Civitatis. Petrus vero gratias agens innumeras, quod primo loco obtulit Judex, acceptavit, ut liberius devota loca poſſet inviſere: ſed ſecundum ſe nolle adjunxit; quia indignum, inquit, eſt, ut ego bona quæque, & emolumenta urbis cum ceteris concivibus admittam, onera vero boni regiminis cum eiſdem nolim ſubire. Alias, dum imponeretur omnibus tributum ad ſumptus cujuſdam caſtri Senenſibus inviſi, expugnandi, nec tamen quidquam expeteretur a Petro, ille computatis, quas tunc poſſidebat facultatibus, juxta cenſum ab aliis ſolvendum detulit ærarii Præfectis pecuniæ ſummam, quam ſe debere judicavit. Illi ſe condonaſſe ei cenſum dixerunt, neque aliam ab eo collationem ſe expectare, quam ut pro Civitate hoſtilibus odiis oppetita deprecaretur. Preculas non defuturas dixit, pecuniam vero nequaquam ſe reportaturum, quam urbis periculis expoſitæ, non ſuam eſſe contendit.

XLII. Prudens valde & diſcretus erat in miniſtrando aliis conſilio, quod ab illo frequenter expetebat Poteſtas Urbis, nomine Nobilis, vir prudens ex Marchia Anconitana. Minorita quidam, qui aſſidue pœnitentum confeſſiones excipiebat, interrogavit ab eo quales deberet injungere pœnitentias ob graviores quoſdam reatus? Cui Petrus: Si Dominus Chriſtus liberaliter & miſericorditer ſe geſſerit erga peccatores, tu, qui dumtaxat es diſpenſator ejuſdem, quomodo tibi liceat eſſe avarum, aut ſeverum? Non tua, ſed Chriſti diſpenſas, diſtribue ergo, juxta datum tibi a Chriſto exemplum, qui in miſericordiæ pluſquam in juſtitiæ partem propendit. Imbibit Minorita adoleſcens Theologiæ ſtudioſus malam a malo quodam Magiſtro, Philoſophorum placitis valde addicto, diſciplinam circa divinam prædeſtinationem, & præſcientiam; hæc ſcilicet eſſe immutabilia, & propterea inaniter præſcitum bonis operibus inſudare, & prædeſtinato mala quæcumque opera non nocere, dum ille ſalvari, vel iſte condemnari minime poſſet. Ex quibus juvenis intulit; fruſtra ergo ſub gravi Religionis ſarcina laboro, neque quidquam mihi proderunt tot vigiliæ, abſtinentiæ, afflictiones corporis, & cetera quæ præcipiuntur a Prælatis, ſi in Dei præſcientia deſtinatus ſum æternis tormentis: quod ſi ſalvare conſtituit, non oberit, ſi duram vitam hanc ſuaviori commutavero, & corpori parumper indulſero. Placidæ huic doctrinæ malarum ſuggeſtionum faces diabolus admovit, & egreſſum perſuaſit ab Ordine. Placuit rem prius conſerre cum ſervo Dei Petro in Cœnobio tunc commorante, qui ut magiſtri periculoſum errorem audivit, turbatus & fremens magna corporis commotione, & ingenti clamore dixit: *Heu heu, mundi ſapientia infatuata eſt, lux Theologiæ obſcurata eſt, & pro veritate mendacium propinatur. Erroris magni prævaluit iniquitas, & locum obtinuit in cathedra Sapientum*: Quibus ſæpius repetitis, inquit ad Fratrem: *Fili mi, male loquutus eſt tuus Magiſter, & tu pejus ſubſequutus. Falſum propoſuit ille antecedens, peſſimam tu deduxiſti conſequentiam; quod his rationibus probatum volo. Si Angelus e cælo mihi revelaret me eſſe præſcitum, non propterea deberem Dei obſequia negligere; pro illo enim tempore dum fideliter ei ſervio, Deum habeo amicum & mecum præſentem. Si doleo itaque eum æternaliter perdidiſſe, gaudeo ſaltim ad tempus, & dum licet, poſſediſſe. Secunda ratio. Si damnatus es incomprehenſibili Dei judicio, non debes damnationem tua culpa prævenire, nec criminis contagio conſcientiæ læſæ tormentum ſubire. Tertia. Nullum Deus abſque culpa condemnat, & prius vidit in te peccatum, quam te deputa-*

Donum habuit conſilii.

Quomodo curavit errorem circa prædeſtinationem.

Digitized by Google

putaverit ad ſupplicium. Quod tu non patraveris, non poterit in te videre, nec propter illud, quod non vidit, te condemnare. Quarta. Variæ ſunt manſiones in cælo, & variæ pœnæ in inferno: juxta menſuram delicti erit & plagarum modus. Demus te damnatum, adhuc in hoc rerum ſtatu, ſi minus peccaveris minus patieris. Quinta. In ſeculo, quo tu velles pergere, facilius tenditur ad infernum; in Religione quam deſeris, commodius itur ad patriam; hanc prudens quiſque ſectabitur, ab illo vero longe recedet. His & aliis rationibus oſtendit juveni magiſtrum in ſuo aſſerto, & diſcipulum in ſuo propoſito pericoloſe aberraſſe. Firmiter itaque propoſuit adoleſcens in Ordine perſeverare, in quo magnus evaſit vir, factuſque eſt ſæpius in ſua Provincia Prælatus. Rogatus ut pro aliis oraret, reſpondebat; Facite & vos, ut & ego merear exaudiri. Qualiter iracundiam temperaret? dum amicus percontaretur: *Si illam*, inquit, *prius decoquas in pectore, quam procedas in vultum*. Demum in prolixa, quam ſcripſit epiſtola ad duos amicos Florentinos Bartholomæum, & Carrinum incipiente: *Si ex confidentia interdum*, optima & ſalutaria propoſuit fidelibus quibuſcumque conſilia.

Prædicit trium Civitatum calamitates.

XLIII. Tamdem dum placuit Altiſſimo ex hujus mundi exilio eum ad patriam evocare, gravi correptus infirmitate, perceptis devote ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis, paulo ante mortem trium urbium calamitates mox futuras vere prædixit, dicens: *Væ Piſtorio: Væ Florentiæ: Væ Senis*: nam Piſtorium variis bellis ferme periit, Florentia ſciſſa partium diviſione bis debellata apud montem Cattinum & Altipaſſium; Senarum vero urbs multas paſſa eſt calamitates, & bella inteſtina. Poſtea

Moritur miraculis clarus.

ſerenata facie & in cœlum erecta, magnificans & laudans Deum propter tot beneficia in ſe collata, gaudens & exultans obdormivit in Domino. Corpus magna populi devotione in Eccleſia Minorum prædictæ urbis in arca marmorea figuris celata magnifice conditum eſt. Non paucis ſtatim poſt mortem effulſit miraculis; plures a medicis deſperatos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum reſtituit; confractos conſolidavit; a variis morbis & doloribus multos liberavit; hernioſos curavit; a fluxu ſanguinis mulierem ſanavit; duos a carceribus & vinculis liberavit; plurimas res perditas dominis reddidit, atque alia mirabiliter præſtitit, per quæ celebre factum eſt nomen ejus apud Senenſes. Prope ejus ſepulcrum

Nicolaccius Senen. Mea ejuſdem Inſtituti.

conditus eſt alius vir pius ejuſdem Tertii Inſtituti Nicolaccius de Senis; & in eadem Civitate, ſed in Eccleſia Servitarum condita eſt beata Mea, pia & miraculoſa fœmina ejuſdem Inſtituti. Petri vitam diffuſius ſcripſit latine Petrus de Monterone Minorita, eidem coævus, & intimis ejus amicis valde familiaris, uti ipſe præfatur in prologo, quam Italicam fecit Seraphinus de Leccieto Eremita Auguſtinianus, typiſque evulgavit

Quinam de eo ſcripſerunt.

Senis Simeon Nicolaus de Nardo anno MDXIX. De eodem præcipua exſcripſerunt Marianus Florentinus, & Marcus Ulyſſiponenſis, licet hic perperam Textorem, non Pectinarium cognominet. De eodem etiam agit Piſanus in ſuis conformitatibus, & Petrus Rodulphus inter Viros

Additio Patris Lucæ Waddingi.

ſanctos Tertii Inſtituti. „ Atque ante hos Urbertinus de Caſale in primo prologo libri, quem inſcripſit: *Arbor Vitæ Crucifixi*. Eum *Virum* „ *Deo plenum* appellat, ubi etiam laudat Virgines duas Franciſcanas, „ Cæciliam de Florentia, & alteram de Civitate Caſtelli, quam prudentiſſimam nuncupat Virginem, & vere Chriſti ſponſam. Silvanus Razzi inter Sanctos Etruſcos, qui diffuſe ejus vitam ex Cod. MS. Monaſterii ſanctæ Urſulæ urbis Florentinæ exſcripſit. Ejuſdem meminit

Dan-

„ Dantes Aligherius inſignis Poeta Florentinus Cantu XIII. de Purgatorio ante finem, & commentatores.

XLIV. Hoc anno XVII. Kalen. Aprilis vita functum Tuderti Cardinalem Bentivengam de Bentivengis Minoritam, de quo ſupra egimus, ſepulturamque in eadem urbe, cujus olim erat Epiſcopus, ad ædem Minorum ſancto Fortunato ſacram, ſcribit Alphonſus Ciaconus ſub Nicolao III. repetitque ſub Nicolao IV. cui ſubſcribit Petrus Rodulphus; quibus potius hærendum judicaverim, quam Mariano aſſerenti Romæ mortuum anno ſequenti, ad ſuos conſodales ſanctæ Mariæ de Araçœli ſepulcro donatum.

An.1278.n.23.

XLV. Hoc anno initium accepiſſe Cœnobium Minorum oppidi Betanzos apud Callecos verius eſt, quam id quod alii velint a ſancto Franciſco vel a ſociorum aliquo extructum. Quippe ex certis monumentis conſtat, nonniſi hoc anno fundum emptum, in quo dum humile ſatis exurgeret ædificium, amplius & auguſtius reddidit circa annum MCCCLXXX. nobilis vir Ferdinandus Perez de Andrada Henrico II. Caſtellæ Regi ob ſervatam vitam, & collatum Regnum ſumme carus, a quo clariſſima Andradeorum familia proceſſit, cui in ſumptuoſo ſacello ad dextrum latus ſacelli majoris ſepulto affixum hoc epitaphium: *Hic jacet Ferdinandus Perez de Andrada Eques, qui hoc Monaſterium conſtruxit An. a Nativit. Domini noſtri Jeſu Chriſti* MCCCLXXXVII. Uxor ejuſdem ſacelli ſiniſtrum tenet. In alio ſacello ejuſdem Eccleſiæ ſepeliri voluit alter illuſtriſſimus heros caput notiſſimæ familiæ de Figueroa, ex qua tot clariſſimæ progenies emerſerunt. Ibi etiam conditus in capitulari aula Alphonſus Minorita quondam Epiſcopus Marrochiorum, & in clauſtro, alto ſepulcro, opere arcuato Magiſter Alvarus de Mayal, olim Provinciæ Miniſter, qui clauſtrum conſtruxit, obiit anno MCCCCLXXI. Sepultus etiam ibidem frater Antonius Nietus vir pius, qui ſe obtulit holocauſtum pro populo peſte laborante anno MDLXIII. Ibidem initiatus venerabilis Dei ſervus Alphonſus de Betanzos fundator Provinciæ Nicaraguæ in Indiis Occidentalibus, cujus præclare meminit Gonzaga, & nos ſuo tempore ampliorem dabimus notitiam.

Conv. Betanzos.
Gonzag. in Prov. S. Jacobi Con. 12. Monum. MS. hujus Provinciæ.

Fr. Alphonſus de Betanzos.
Gonz. in proœm. Provin. Nicaraguæ.

XLVI. Belluni (quod civitas eſt exigua, at nitida in Marchia Tarviſina inter Carnos populos, in montibus juxta Planem amnem ſita) Conventum prius conceſſum a Domina Benevenuta pia heroina ſub anno MCCXXXII. die x. Februarii perficere curavit hoc anno Univerſitas Civitatis, obligans ſe per ſpatium novem annorum ad ſolvendum quotannis pro fabrica libras tercentum ſuæ monetæ. Regnabat hoc tempore in regno Svetiæ Magnus, cognomento Ladalaas, quem Folco Archiepiſcopus Upſalenſis cum ceteris Epiſcopis totius Regni, impio fratri Valdemaro a regio ſolio rejecto, ſubſtituerunt. Vir erat pius, Eccleſiaſticorum protector, & Religioſorum patronus. Multa fundavit Monaſteria, ſed Virginum primum in honorem ſanctæ Claræ prope mœnia urbis Stocholinenſis conſtruxit. Primum autem jacturus lapidem, magnam Principum multitudinem etiam ex ultramarinis partibus, ad grande convivium in eum locum invitavit: & Monaſterio quam celerrime & ſumptuoſiſſime completo, divinoque cultui conſecrato, Virgines ſancti Franciſci Regulam profitentes induxit; & ſancto collegio filiam ſuam cariſſimam, vix ſeptimum ætatis ſuæ annum ingreſſam adjunxit, collatis abunde in eum locum proventibus, qui apud omnes teſtarentur, eum fuiſſe Regem magnificum. Simili erga Deum pietate ductus, aliud ejuſdem

Conv. Belluni.
Rodul. fol. 271.

Olaus Magnus lib. 10. Gothor. Joann. Magnus de Archiep. Upſalenſ.

Monaſt. Stocholinenſe.

Filia Regis Svetiæ Clariſſa.

Conv. Stocholinen. Conv. Arbogen. Conv. Lincopen. Reg. Vat. ep. 134.

dem Civitatis Monaſterium pro Fratribus ſancti Franciſci erexit. Tertium etiam ejuſdem Ordinis Fratribus in oppido Arbogenſi erigendum curavit. Quartum quoque in civitate Lincopenſi ad uſum eorumdem Fratrum conſtruxit. Pie & chriſtiane moriens apud Minores Stocholinenſes voluit ſepeliri. Illorum & Sanctimonialium ejuſdem Urbis Eccleſias rite viſitantibus Nicolaus Pontifex diebus ſtatutis ſacras elargitus eſt Indulgentiss.

Conv. Monachii. *An. 1284. n. 21. Gonzag. in Prov. Argent. Conv. 1. Chron. Saxon. MS. Metropol. Salisburg. fol. 217.*

XLVII. Hoc anno Ludovicum Bavariæ Ducem Monachii abſolviſſe, ita ut commode inhabitari poſſet, Conventum, quem Fratribus Minoribus prope ſusm arcem ſupra diximus inchoaſſe, habent Gonzaga & Chronica MSS. Ssxoniæ. At Sentlingerios cives Monacenſes eum locum cum ædificiis pro octingentis florenis emiſſe, ac Franciſcanis tradidiſſe, ſcribit auctor Metropolis Salisburgenſis. Succeſſiſſe deinde Sentlingeris, ait, Gabrielem Ridlerium cum uxore Hailwich Wumim, quibus Gonzaga Vincentium Ridlerium fratrem adjungit, qui dederunt ſexcentos florenos in ædificationem novæ domus poſtquam prima exarſit anno MCCCXXVII. die XIV. Februarii, renovantes fere totum Conventum. Chorum conſecravit Emicho (Gonzagæ Embo) Friſingenſis Epiſcopus anno MCCCXCIV. Domioica prima poſt feſtum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, præſentibus Ludovico & Rodulpho Bavariæ Ducibus. Templum autem a Ridleriis Fratribus pulcherrimis iconibus, & elegantiſſimo ſepulcro Dominico exornatum, conſecratum eſt anno MCCCLXXV. s fratre Alberto Salonenſium Epiſcopo Minorita in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, & aliorum Sanctorum. Fundatorum alter Gabriel perpetuis beneficiis Fratres devinxit, Vincentius ſe eiſdem adſcripſit, & inter eos religioſiſſime converſatus evaſit in virum doctum ſacræ Theologiæ Profeſſorem, mox in Cuſtodem Bsvariæ, vita functum anno MCCCCVIII. Ibidem jacent Michael de Ceſena, Guillelmus Occham, & Bonagratia de Pergamo, qui Ludovici Bavari partes acriter nimis, & præter fas contra Joannem XXII. ſuſtinuerunt, necnon præfatus Albertus Epiſcopus, Gaſparus Schatzgerus, & bestus Marquardus, de quibus ſuis locis diffuſius agemus. Reformari hunc Conventum & Obſervantibus tradi curavit anno MCCCCLXXX. Albertus Dux utriuſque Bavariæ, gener Friderici III. Imperatoris. Bullas reformationis dedit Sixtus IV. anno eodem XII. Kalendas Maii.

Conven. Camerini. *Gonzag. in Prov. Marchiæ Conv. 30. Rodul. fol. 256. Monum. MSS. illius Provinciæ.*

XLVIII. Diximus ſnperius, hoc anno beatum Joannem Parmenſem ſepultum Camerini apud ſuos conſodales, neque tamen illorum ædis huc uſque dedimus originem, quia non erat unde illam probe ſciremus. Incidimus poſtea in bullam Innocentii IV. datam ad illius ædis incolas anno III. Pontificatus ejuſdem, ex qua conſtst antiquam ſatis eſſe, & ante annum MCCXLV. ædificatam ſub invocatione ſancti Franciſci. Datus eſt locus Fratribus Obſervantiæ, & translatus extra muros Urbis ſub Alexandro VI. ut ubi prius extiterat, arx munitiſſima conſtrueretur. Præter corpus beati Joannis Parmenſis, habetur ibi in veneratione in ſacello Conceptionis beatæ Virginis aliud beati Petri Molisnici miraculis illuſtris, quod ſolemni pompa & proceſſione ex antiquiori loco ad hunc novum translatum eſt. Illud tunc accidit mirsbile, quod, cum Clerus, & deinde Civitatis Senatus ad feretrum, quo ſacrum pignus deferendum erat, manus honoris cauſa admoviſſet, neuter ipſorum illud movere potuerit: quapropter converſi omnes ad Guardianum & Fratres ſtupefacti, inquiunt: *Vos Patres manus admovete, Conſodalemque veſtrum effer-*

efferte, nos etenim ut indignos, qui humeros ejus ſancto corpori ſupponamus, aſpernatur. Illi ut primum acceſſerunt, facile ſacrum pignus elevarunt, & ad præparatum uſque locum detulerunt. Eſt in eadem Civitate alius locus ſancti Angeli dictus, incerto tempore conſtructus diligentia cujuſdam fratris Griſalti. Floruit in eo Joannes Picus Camers olim Ordinis Generalis Miniſter. Narratur quod hoc in loco quidam Frater ſuffodiens murum, abſcondit quadringentos florenos, poſt cujus obitum audita eſt vox in ſuo cubiculo: *Hic eſt*. Accurrerunt Fratres ad ſonitum, & effringentes murum invenerunt reconditam pecuniam. Vere hoc exemplo atque aliis multis huic ſimilibus, quæ paſſim in noſtris Annalibus occurrunt, omnino certum eſſe probatur, quod optimus ſcripſit Inſtitutor: *Falſum Fratrem, furem & latronem eſſe Minoritam, qui loculos habet vel pecuniam*. Et alibi: *Pecuniam Minoribus nihil aliud eſſe, quam diabolum, & colubrum venenoſum*.

Conv. S. Angeli Camerini.

S. Franc. in regula 1. cap. 8. Idem Apophtheg. 28.

XLIX. Ex ſimili occaſione de condito, uti diximus, corpore beati Maſſæi in loco Muri, oppidi in eadem regione Piceni, & Cuſtodia Camerini, monemus antiquum hunc locum eſſe, & in eo floruiſſe Joannem de Muro Ordinis poſt Raymundum Gaufridi ſupremum præfectum. Necnon Conventum ſancti Franciſci Scalarum Anconæ, qui ad diſtinctionem primi loci a ſancto Franciſco, ut alias diximus, extructi, vocatur locus novus, & aliquando dicebatur ſancta Maria Major, ſub hoc tempore extitiſſe compertum ex ſepulcris ibidem, ut ſuperius ſcripſimus, beatis Simone & Amato. In pariete primi clauſtri inciſa ſunt hæc verba: *Anno Domini* MCCCXXIII. *in feſto Aſſumptionis Dominæ iſta Eccleſia conſtructa eſt per Dominum Nicolaum Epiſcopum Anconitanum ad honorem ſanctæ Mariæ Majoris tempore Domini Papæ Joannis XXII.* Sunt qui velint univerſum domicilium hoc anno MCCCXXIII. extructum; ſed certius id de ſola aſſeritur Eccleſia. Ex variis etiam Indulgentiis a Nicolao Pontifice ſub hoc anno viſitantibus quaſdam Eccleſias Minorum conceſſis, nobis conſtat, eos ſub hoc tempore domicilia habuiſſe in Lauſanenſi urbe ad ripam dextram, & Septemtrionalem lacus Lemani, ſub Archiepiſcopo Veſontionenſi, nunc ab hæreticis Bernenſibus occupata. In Siſtaricenſi in Gallia ad Durentiam fluvium ſub Archiepiſcopo Aquenſi, ubi floruiſſe, ait Piſanus, Franciſcum de Maironis. In Vapincenſi in Delphinatu inter Allobroges ſub eodem Archiepiſcopo. In Alexandriæ oppido ejuſdem Aquenſis Diœceſis. In oppido Valcanonica in Lombardia Traſpadana Brixienſis Diœceſis ſub titulo ſancti Petri Apoſtoli. In oppido Garignani ejuſdem Diœceſis ſub titulo ſancti Franciſci; hinc ortus eſt Magiſter Antonius de Garignano inſignis Theologus, & in Patavina Academia primus profeſſor Philoſophiæ. In oppido de Canturio Mediolanen. Diœceſis ſub eodem titulo ſancti Franciſci. In civitate Terdonenſi, aliis Dertonenſi inter Ligures Ciſapenninos in Lombardia Ciſpadana, olim in Apennini flectentis ſe jugi cubito erecta, ſed a Friderico Ænobarbo everſa, a Mediolanenſibus ad pedem collis in planitie refecta, licet nunc humile utriuſque Urbis remaneat monumentum. Metropolitam agnoſcit Mediolanenſem. In civitate Lucana in Tuſciæ regione notiſſima, abſolutæ Reipublicæ dignitatem præferente, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quod longo tempore ante hunc annum publicis civium facultatibus extructum dicunt Franciſcus Gonzaga, & Cæſar Franciottus, ampliatumque beneficentia familiæ Guinigiæ, atque ad Obſervantes, qui tunc ab aliquot annis vivebant in Monaſterio ſancti Cerbonis,

Con. Muri.

Rodul. fol. 256.

Conv. Scalarum Anconæ.

Tom. 1. an. 1219. n. 56.

Hoc anno n. 27.

Ibid. epiſt. 148.

Conv. Lauſanen.

Epiſt. 612.

Conv. Siſtaricenſis.

Conv. Vapincen.

Conv. Alexandrinus.

Conv. Valcanonicæ.

Epiſt. 675.

Conv. Garignani.

Conv. Canturii

Con. Terdonen.

Epiſt. 688.

Epiſt. 611.

Conv. Lucanus.

Gonzag. in Prov. Tuſciæ Conv. 26. Franciottus lib. de rebus Lucenſibus.

Fr.Paulus Jovia. locum deflexiſſe anno MCCCCLIV. opera & ſollicitudine fratris Pauli Joviæ, ſacræ Theologiæ Magiſtri, qui non mediocrem ſanctitatis opinionem apud loci incolas obtinuit vel ex eo, quod Chriſtophorum Sanctinum Lucenſem civem a quotidiana & graviſſima febre mirabiliter liberaverit: qui gratitudinis ergo pii viri oſſa humili loco neglecta, ſub ſummo altari honorificentius collocavit. Ibidem jacent beati viri Hieronymus Gallus, & Bernardinus de Bibiena omni virtutum genere ornatiſſimi. Floruit ibidem quidam frater Antonius, qui multas edidit elucubrationes, & *Epiſt. 408. Rodul. fol. 259.* præfuit Provinciis Marchiæ & Etruriæ. In civitate Reatina ſub invoca- Conv. Reatinus. tione ſanctæ Luciæ, ubi floruit beatus Angelus Reatinus ſocius ſancti Franciſci. Jacet ibidem beatus Thomas Florentinus laicus vitæ ſanctitate clarus. Ornarunt valde locum Magiſter Lucas Antonius, egregius concionator, & Magiſter Conſtantius Bergellinus, Patritius Bononienſis, inſignis Philoſophus & Urbis Præſul, qui obviante Cleri & populi proceſſione, ſub umbella exceptus eſt, tanto honore intromiſſus, quantum antea nulli Epiſcoporum delatum ferunt; paulo poſt translatus eſt ad Eccleſiam Fulginatem. Levi calamo Monaſteria hæc prætermus, quia plura nobis de eiſdem non ſuppetunt monumenta. Ex Vaticanis, & Indulgentiis conceſſis dumtaxat, monemus ſub hoc tempore illa præextitiſſe.

Gonzag. in Prov. S. Jacobi Mon. 5. L. Ex ſimili conceſſione Indulgentiarum deducit Gonzaga, ante hoc tempus erectum in ſuburbiis civitatis Compoſtellanæ Monaſterium Monaſt. Compoſtellanum. Clariſſarum, quod ex Regiis quibuſdam privilegiis ibidem aſſervatis colligit regiis ſumptibus ædificatum. In monumentis MSS. illius ædis ad me miſſis recenſentur pleræque virgines, quæ pie & ſancte vitam tranſegerunt, & laudabili fine clauſerunt. Sed omnes poſterioris ſunt ſeculi; quare in ultimis tomis opportunius fiet illarum memoria. Hoc etiam *Reg. Vat. ep. 329.* anno elargitus eſt Nicolaus Indulgentias viſitantibus Eccleſiam Monia- Monaſt. Victoriæ. lium ſanctæ Claræ civitatis Victoriæ, Diœceſis Calaguritanæ, ex qua conceſſione aperte probatur, non accepiſſe originem poſt annum MCCXCVI. *Idem in Provinc. Cantab. Conv. 1. & Monaſt. 1.* quo defunctam ait Gonzaga, ſereniſſimam heroinam Berenguellam Joannis Caſtellæ Infantis filiam, & Lopetii Diaz de Haro Cantabriæ Domini neptem, atque reliquiſſe ex teſtamento facultates ad extruendum hoc Monaſterium, cujus fundum, ait, eidem etiam anno Zelandonium Martinez de Suſo, Victorianæ Eccleſiæ Canonicum liberaliter donaſſe. Niſi fortaſſis intelligendum ſit eo loco, quo nunc eſt Monaſterium, principium tunc ſumpſiſſe, ſed prius alibi ſacras Virgines inhabitaſſe. Monaſterium Monaſt. Alexandriæ. etiam tunc habuiſſe Clariſſas ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ apud *Epiſt. 385.* Alexandriæ oppidum Diœceſis Aquenſis eodem argumento Indulgen- *Epiſt. 413.* Monaſt. Stellæ. tiarum hoc anno conceſſarum compertum eſt; necnon in urbe Stellæ Diœceſis Pampilonenſis in Hiſpania, & Regno Navarræ, ſub patrocinio ſanctæ Claræ, quas de novo, ait Pontifex, ſuam Eccleſiam tunc fabricaſſe ante annum MCCXC. idque ſumptibus devoti cujuſdam mercatoris Galli, cognomine Montanerit. Refectum, auctum, & multa ſupellectile locupletatum fuit a Blanca Navarræ Regina; & ſub Pio V. anno MDLXVII. commiſſum curæ Patrum Obſervantum. Multa ſervantur in Archivo Regum Navarræ privilegia. In eadem Diœceſi Pampilonenſi, in oppi- *Epiſt. 414.* do Tollon, aliud fuiſſe Monaſterium ſub invocatione ſanctæ Claræ, eadem habent monumenta Vaticana; cujus tamen ego nullum reperio veſti- *Epiſt. 514.* Monaſt. Papiæ. gium apud Gonzagam. Papiæ ſeu Ticini, in Inſubria & Ducatu Mediolanenſi urbis notiſſimæ, aliud ſub invocatione ſanctæ Agathæ. In oppido

Pe-

Petrioli Brixienſis Diœceſis alterum beatæ Mariæ ſacrum. Brugis tunc Tornacen. Diœceſis in Flandria ſub nomine ſanctæ Claræ alterum.

Epiſt. 521. Monaſt. Petrioli. *Epiſt.* 698. Monaſt. Brugenſe.

LI. Multa etiam contulit hoc anno Pontifex Minoritis & Clariſſis privilegia. Annum unum & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxavit omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſiatem, in qua corpus ejus ſanctiſſimum requieſcit, cum devotione acceſſerint, ſingulis diebus in perpetuum: *Præexcelſa glorioſiſſimi Confeſſoris*. IV. Non. Maii. Scripſit Epiſcopo & Scholaſtico Pictavienſibus, ut ejuſdem urbis Minoritis venderent locum Fratrum de Pœnitentia ad ampliationem ſui Monaſterii: *Sua nobis dilecti*. Kal. Junii. Sacriſtæ item Lugdunenſi, ut pretium venditi Monaſterii Fratrum de Pœnitentia conferat Minoribus ejuſdem urbis ad ampliandam ſuam Eccleſiam: *Ex parte dilectorum*. Idibus Junii. Archidiacono de Nevia, & Roderico Ferdinandi Canonico Eccleſiæ Braccharenſis, ut cognoſcerent de gravaminibus illatis Minoribus Aurienſibus ab ejuſdem urbis Epiſcopo; quibus adhuc majora intulíſſe inferius referemus, per quæ probantur, quæ de impoſita huic Epiſcopo pœnitentia ædificandæ domus Minorum diximus ſuperius: *Dilecti filii Guardianus*. VI. Kal. Septembris. Minoribus Placentinis, quos ſupra diximus ſedem mutaſſe, facultatem impertivit primum habitaculum vendendi, quod modo inhabitant Clariſſæ: *Ex parte veſtra*. Idibus Novembris.

Privilegia conceſſa Minoritis. *Anno* 12. *An.* 1287. *n.* 19. *An.* 1278. *n.* 36.

LII. Matthæo Cardinali Ordinis Protectori poteſtatem fecit abſolvendi Clariſſas omnes, earumque ſervos, & ancillas a quibuſcumque cenſuris incurſis vel incurrendis quacumque occaſione, propter diras ſententias in Petrum Aragonium, uxorem, & filios, aut ſequaces eorum a Sede Apoſtolica fulminatas: *Cum cura tam Monaſterii*. VI. Kalend. Februarii. Pleraque variis litteris expreſſa privilegia conceſſit Abbatiſſæ, & Sororibus Monaſterii Cuſtodiæ beatæ Mariæ Carnotenſis Diœceſis, de cujus extructione egimus ſuperius. Abſolvit omnes Italiæ Clariſſas a ſolvendis decimis impoſitis pro Regno Siciliæ: *Attendentes benignius*. X. Kalend. Aprilis. Omnes etiam in univerſum totius Ordinis voluit liberas a contribuendis ſubſidiis vel ſubventionibus Legatis, vel Nuntiis Sedis Apoſtolicæ: *Quanto ſtudioſius*. XV. Kalend. Septembris. Necnon eodem die Clariſſas Perufinas a quibuſcumque exactionibus ſecularibus: *Perſonis quæ mundo relicto*. Eiſdem amplum conceſſit privilegiorum diploma, cui etiam inſeruit fundationis originem per omnia conformem noſtræ narrationi, quam alias dedimus de earumdem Monaſterio: *Religioſam vitam*. V. Non. Octobris.

Privilegia conceſſa Monialibus. *Anno* 1288. *Tom.* 1. *an.* 1218. *n.* 13.

LIII. Florebat hoc tempore Tertius Ordo Pœnitentium a ſancto Franciſco inſtitutus mirum in modum, compluresque Patritii viri ac Principes eum habitum induebant, ſanctaſque leges amplexi magna voluptate ac religione illis ſubjiciebantur; & jam uberes tulit Inſtitutum fructus in tot utriuſque ſexus ſanctiſſimis perſonis, quarum vitas huc uſque deſcripſimus. Proinde regulam eiſdem a ſancto Franciſco traditam, quibuſdam pro temporis & perſonarum conditione additis, Apoſtolico confirmavit diplomate hoc anno Pontifex, quod communiter circumfertur; & habetur in regeſto Vaticano ſub hac inſcriptione: *Dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Chriſto filiabus, Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia tam præſentibus, quam futuris*. Regulam hanc nos dedimus inter cetera ſancti Patriarchæ opuſcula, & commentariis illuſtravimus Aſceticis. Vir doctus & pius Dionyſius Carthuſianus dignam judicavit, cui ſuas etiam adde-

Floret Tertius Ordo S. Franciſci. Confirmat Pontifex hujus Ordinis regulam. *Reg. Vat. ep.* 405. *dat.* 15. *Kalend. Septemb.* Cui alii adhibuerunt commétaria.

adderet elucubrationes, quem imitati ſunt Ludovicus Miranda vir doctus & gravis noſtræ Provinciæ ſancti Jacobi, & ædis Salamantinæ, atque alii interpretes, quos paſſim in prædictis noſtris citamus commentariis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. HAud oſcitabat in ſuo munere, qui ſuper univerſum gregem
,, Domini ſupremus Paſtor vigilabat inſomnis, ut accurate le-
,, genti noſtros Annales notum eſt: imo præter ea majoris, quæ pon-
,, deris in iis ſub hoc anno notantur, plura, minutiora quidem, ut vi-
,, dentur, ſed ſcitu digna, addenda occurrunt; quibus non tantum cre-
,, ſcat honor Paſtori, quantum Ordini decor & utilitas, ac legenti ſo-
,, latium.

FF. Minorum numerus, & pietas augetur Lugduni.

,, II. Lugduni ad augmentum devotionis populorum in Ordinem
,, Seraphicum augebatur etiam ibidem numerus Fratrum, ad eorum ſpi-
,, rituale ſolatium, & ſuæ Eccleſiæ pientiorem, necnon magnificentio-
,, rem cultum: quamobrem anguſte nimis in eo Conventu habitabant,
,, eorumdemque Eccleſia influxui concurrentium non ſufficiebat; Fra-
,, tres autem de Pœnitentia nuncupati ibidem e contra deficientes, pro-
,, prias ædes dereliquerant: unde earum ad Summum Pontificem im-
,, mediate jus devolutum erat: ſupplicarunt proinde noſtri Summum
,, Pontificem, ut de illis ſibi providere dignaretur; cui placuit eorum
,, deſideriis, & honeſtis petitionibus condeſcendere: commiſit itaque
,, per ſuas Apoſtolicas litteras Sacriſtæ Eccleſiæ Lugdunenſis, ur nomi-
,, ne Sedis Apoſtolicæ præfatis ædibus eorum, quæ fuerant de Pœni-
,, tentia, pretium in ampliandis Cœnobio & Eccleſia, juxta ſuppli-
,, cata impenderet, ut ex ipſo diplomate a Waddingo relato luculentius
,, apparet: non igitur ipſi Fratres, quorum ex vi Regulæ non eſt quid-
,, quam poſſidere, ſed ipſe Sacriſta nomine Summi Pontificis, eas ædes
,, auxit, & decentius ornavit: hæc attente recogitent ſuæ Regulæ ze-
,, latores.

Supplicant Fratres Pontificem pro obtinenda domo Pœnitentium.

Wad. in Regeſt.

Plurimæ ejuſdem litteræ.

Indicul.

,, III. Alia pariter conceſſit Fratribus, vel etiam per Fratres expe-
,, dire ſategit: tres executoriales commiſit: primam Philippo de Man-
,, tua: *Conſiderantes &c.* v. Kal. Junii: ſecundam Guardiano Alverniæ:
,, *Exhibita nobis &c.* tertiam Guardiano Caſtellæ Venetiarum: *Ne vir-*
,, *ga &c.* VIII. Kal. Aprilis: & ad quemdam Guardianum pro Dionyſio
,, Rege Portugalliæ ſcripſit: *Cariſſimo &c.* III. Nonas Septembris: fra-
,, tri Pelagio ſuper quædam diſpenſavit: *Et ſi geniti &c.* x. Kal. Octo-
,, bris: & ſub eadem data ſcripſit pro Inquiſitoribus Tuſciæ: *Petitio di-*
,, *lectorum &c.* Interea a Rege Caſtellæ Fratres Minores nuntii mittun-
,, tur ad Summum Pontificem: *Venientes &c.* II. Nonas Novembris: &
,, ipſe ad Nicolaum Patriarcham pro Inquiſitoribus epiſtolas direxit:
,, *Ad extirpandam &c.* IX. Kal. Martii: pro Legatorum Armeniæ rela-
,, tione accepta, lætitiæ ſui cordis teſtimonium dedit: *Lætati ſumus &c.*
,, v. Idus Julii: & ſub eadem data ad Armenos ſcripſit: *Summi Paſto-*
,, *ris &c.* Prædicationem Cruciatæ noſtris imponit: *Egreſſus de Fratri-*
,, *bus &c.* Kal. Septembris: & iis ut celebrare poſſint tempore interdicti
,, concedit: *Devotionis veſtræ &c.* x. Kal. Martii: ſub qua data Apoſto-
,, lica mandata Inquiſitoribus Arelatenſibus & Aquenſibus expedivit:
,, *Ad noſtram pervenit &c.* & iiſdem alia: *Ne inquiſitionis &c.* Idibus
Mar-

,, Martii . Inſuper pro Regno Scotiæ circa habitus religionis ſumptio- *Ex Oder. n. 49.*
,, nem dedit epiſtolas : *Ad audientiam &c.* x. Kal. Aprilis : Alberto Epi-
,, ſcopo Yporienſi conceſsit poſſe condere teſtamentum : *Quia præſen-*
,, *tis &c.* xv. Kal. Junii: ſed Roderico Marrochiorum Epiſcopo conceſſo
,, quodam indulto: *Fidei tuæ &c.* v. Idus Februar. ſub eadem data man-
,, davit de miſsionibus : *Quanto circa &c.* & ; *De diverſis Provinciis &c.*
,, Miniſtro Provinciæ Coloniæ quamdam diſpenſationem fecit: *Regularis*
,, *Ordinis &c.* vi. Non. Maii. Patri Franciſco Inquiſitori ſcripſit: *Dilectus*
,, *filius &c.* Nonis Julii. Et Fratribus Pictavienſibus: *Speciale debitum &c.*
,, xv. Kal. Jul. Joanni vero Tartarorum Regi fratrem Joannem Minoritam
,, de Monte Corvino commendavit : *Dilectus filius &c.* Idibus Julii : at
,, Patriarchæ Hieroſolymitano pro negotio Terræ ſanctæ : *Nuntiorum*
,, *ipſorum &c.* Idibus Septembris ; & de eadem re Eduardo Angliæ *Ex Oder. n. 69. 72. 73.*
,, Regi bina diplomata expedivit: *Sincera caritatis &c.* iv. Idus Novem-
,, bris : & : *Petitio dilecti &c.* iv. Kal. Decembris : præter bullam de
,, Terræ ſanctæ jactura , & ejus reparatione : *Viſio dura &c.* Nonis Ja-
,, nuarii .

,, IV. Quamplures etiam indulgentias pro Eccleſiis , tum Fratrum , *Pleræque aliæ pro Indulgentiis Eccleſiarum Fratrum .*
,, tum etiam Monialium conceſſit : & quidem pro Fratrum Eccleſiis ſunt
,, ſequentes : Mediolani : *Loca Sanctorum &c.* xiv. Kal. Julii : Pariſio-
,, rum : *Splendor paternæ &c.* viii. Kal. Octobris : Lauden : *Licet is &c.* *Indic. ex Vatic.*
,, v. Kal. Octobris : & ſub eadem data Brixien : *Splendor paternæ &c.*
,, Maſſilien : *Virgo venuſtiſſima &c.* v. Kal. Februarii : Siſtricen : *Vitæ pe-*
,, *rennis &c.* Idibus Novembris : de Valcanonica : *Licet is &c.* Nonis
,, Decembris : Placentiæ : *Vitæ perennis &c.* vi. Kal. Martii : Narbonæ :
,, *Licet is &c.* Sub eadem data : Januæ : *Licet is &c.* x. Kal. Februarii :
,, Terdonæ : *Vitæ perennis &c.* Nonis Februarii : Novariæ : *Vitæ peren-*
,, *nis &c.* Idibus Januarii: Bituricis: *Vitæ perennis &c.* . . Burgi Caſtrivil-
,, lani: *Licet is &c.* ii. Kal. Junii: Bollienſi: *Vitæ perennis &c.* v. Kal. April.

,, V. Monialium vero ſunt ſequentes : Alexandriæ : *Licet is &c.* *Item aliæ pro Eccleſiis Monialium .*
,, x. Kal. Septembris : Victoriæ : *Vitæ perennis &c.* x. Kal. Auguſti :
,, Reate : *Vitæ perennis &c.* vi. Kal. Septembris : Eſtellæ : *Quoniam ut*
,, *ait &c.* v. Kal. Auguſti : Toloni : *Licet is &c.* v. Kal. Septembris :
,, ſanctæ Catarinæ : *Splendor &c.* Idibus Januarii : Papiæ : *Splendor &c.*
,, viii. Kal. Decembris : Petrioli : *Splendor &c.* v. Kal. Octobris : de
,, cella Paduana : *Vitæ perennis &c.* x. Kal. Octobris : Burgis : *Vitæ pe-*
,, *rennis &c.* v. Idus Decembris : Valinen. *Licet is &c.* x. Kal. Februa-
,, rii : Sehocolinen. *Vitæ perennis &c.* v. Kal. Maii : ſanctæ Eliſabethæ :
,, *Licet is &c.* x. Kal. Maii : Werkinen: *Loca Sanctorum &c.* x. Kal. Mar-
,, tii : ſed pro Monialibus cuſtodiæ beatæ Virginis plures ſunt : *Glorio-*
,, *ſus Deus &c.* Nonis Martii : item : *Monaſterium &c.* v. Idus Martii :
,, item ſub eadem data : *Cum a nobis &c.* Et : *Cum a nobis &c.* Idibus
,, Martii , breve conceſſum iiſdem pro ſepultura .

,, VI. Ceterum , exempto Reatino Monaſterio a ſolutione decima- *Indicul. ex Vat.*
,, rum : *Favor veſtræ &c.* vi. Kal. Septembris : Provinciæ Turonenſi pro *Concedit etiam Monialibus varia .*
,, Monialibus ſcripſit : *Inter perſonas &c.* v. Kal. Septembris : & contra
,, invaſores Monaſterii Paſtinen: *Ad audientiam noſtram &c.* xv. Kalen.
,, Martii : Joannæ autem Reginæ privilegium conceſsit, ut Monaſterium
,, ingredi poſſet : *Ex tuæ &c.* iv. Kal. Julii : & aliud ſimile Joannæ Co-
,, mitiſſæ : *Pium &c.* v. Kal. Martii .

,, VII. Ex eodem Indiculo Petri de Alva & Aſtorga habes expedi-
tum

Concedit ædificari Conventum Lauſanæ.

Vide ſup. ad annum 1268. n. 4. & 5.

,, tum fuiſſe breve Idibus Decembris : *Expoſuit nobis &c.* pro ædifi-
,, catione Conventus Lauſanenſis : & Odoni de Grandiſono aliud pro
,, eadem re : *Expoſuit nobis &c.* ſub eadem data : ſed etiam VI. Kal. Maii
,, eſt aliud pro indulgentia eidem Conventui conceſſa : *Vitæ peren-*
,, *nis &c.* . . . Quamobrem, cum ſupra dixerimus, Conventum Lauſa-
,, nenſem pluribus ante annis conſtructum fuiſſe, ex teſtimoniis irrefra-
,, gabilibus, putavimus admonendum eſſe Lectorem, breve huc ex In-
,, diculo allatum intelligendum eſſe de nova conſtructione, ſeu repara-
,, tione ejuſdem, ratione alicujus jacturæ, vel ex cauſa translationis
,, ejuſdem, forte, in opportuniorem locum, vel etiam forte, quod ædes
,, jam antiquius cœptæ nondum conſummatæ fuiſſent. Ceterum Aſtenſi in
,, urbe ad Tanarum fluvium duo Sanctimonialium Cœnobia Ordinis
,, ſancti Benedicti antiquiſſima, quæ extabant, ſanctæ Margaritæ nempe,
,, & ſancti Adriani de Burbure, temporum ac bellorum injuria exciſa fue-
,, runt : ſed tertium ſanctæ Seraphiæ, ſanctæ Claræ exemplo, Minorum
,, regulam amplexatum eſt, ut notavit Ughellus hoc anno MCCLXXXIX.

Aſtę tria Monialium Cœnobia.

Ughel. in Ital. Sac. to. 4. fol. 510.

Theat. Bajar. ex Catal. SS. &c. Innocent. X. dedicat. ann. 1652.

Philippus & Voislaus Martyres.

Theat. Bajar. ex Boſuto 1.

,, VIII. Sed tamdem ſanguis Martyrum hujus anni ſupplementa cu-
,, mulat : etenim ex catalogo Sanctorum, & Beatorum Ordinis, ut in ſuo
,, Theatro MSS. notavit Bajardus, frater Philippus a Podio Arvernæ,
,, Gallus, qui a Sarracenis pro Chriſti fide impetitus, ſanguinem ſuum
,, Azotii in Aſia tradere non dubitavit, commemorandus venit; ſed
,, nec reticendus Voislaus, qui pro fidei prædicatione capite truncatus,
,, martyrium complevit : hujus meminit Boſius de ſignis Eccleſiæ Dei.

Congregatio capitul.

B. Adalbertus.

Caſim. Biern. cit. art. 20. n. 1.

,, IX. Frater interea Theodoricus Boemiæ & Poloniæ Provincialis,
,, hoc anno in feſto Nativitatis beatæ Virginis Mariæ, cum celebraſſet
,, comitia Glacii, apud Boemos, beatus Adalbertus beatæ Salomeæ
,, Confeſſarius, vir devotiſſimus, contemplativus, orationi aſſiduus, &
,, miraculis clarus, moritur Sadeciæ novæ, apud ſuos ſepultus die XV.
,, Novembris : auctore Dlugoſſo & Baronio.

ARGUMENTUM.

Res magnas inter Principes Chriſtianos peragit Pontifex Nicolaus. Inquiſitionem inſtituit in Palæſtina, & aliorum locorum Inquiſitoribus plura præſcribit. Raymundus Generalis res Piceni componit, ad Regem Armeniæ Fratres tranſmittit, inquiritque in alios Provinciæ Narbonenſis. Moritur beatus Philippinus, cujus virtutes referuntur. Florent multi pii viri, præſertim in Etruria. Fiunt aliqui Minoritæ Epiſcopi. Multiplicantur Conventus & privilegia.

Magna præſtat Nicolaus apud Principes Chriſtianos.

Reg. Vat. ep. 462.

Epiſt. 108.

I. PLURIMUM premebant Pontificem res Latinorum in Palæſtina, præſertim cum ex diſcordia ipſorum Chriſtianorum & Militum Theutonicorum, Templariorum, & Hoſpitaliorum occaſionem nacti eſſent Sarraceni eos invadendi, atque omnes in ultimum vitæ diſcrimen, ac fortunarum adducti, inſtantiſſime ab eo peterent validum aliquod ſibi tranſinitti ſubſidium. Dum milites conſcriberet, & Principes ad ſacrum bellum cieret, miſit qui inter ſe diſcordantes reconciliaret, fratrem Petrum Bardulii Minoritam, & ad Philippum Pulchrum Regem Gallorum deſtinavit fratrem Joannem Sameſium ejuſdem Inſtituti, rogaturum, ut in ſe ſuſciperet defenſionem Terræ ſanctæ, uſque ad tempus paſ-

ſa-

ſagii generalis. In Germaniam miſit Theodorum Priorem ſanctæ Mariæ Urbevetanæ collectorem, ut pecuniam numeratam mercatoribus in obſequium Terræ ſanctæ traditam, & ab impiis quibuſdam proceribus ereptam, repeteret; & ſcriptis litteris Rodulpho Imperatori, rogavit, ut rebus Palæſtinis compateretur, raptoreſque ſacri æris cogeret ad reſtitutionem. In Angliam amandavit Bartholomæum Groſſetanum Epiſcopum ex Minoribus, uti alias diximus, aſſumptum, atque aliis legationibus functum (quem perperam ex ambiguitate unius dumtaxat litteræ B. in diplomate appoſitæ, Bzovius vocat *Bernardum*, quantumvis ipſe alias *Bartholomæum* ſcripſerit in Epiſtola Pontificia ad Michaelem Palæologum data, in qua hunc ſe Nuntium ſuum, cum aliis mittere Pontifex annunciat) ut læſæ & depreſſæ per injuſtas leges libertati Eccleſiaſticæ ſubveniret. Ad Romanorum Regem Rodulphum miſit Epiſcopos duos Beneventum Eugubinum Minoritam, & Eſinum, ut grave diſſidium circa ſucceſſionem in regno Hungariæ inter potentes viros exortum ſopirent: etenim, Ladiſlao Chuno a Cumanis, quibus familiariter & amice utebatur (uti prælibavimus) occiſo, Andreas Venetus a magna Procerum parte Rex conclamatus eſt, quantumvis legitime devoluebatur regnum ad Carolum Martellum jure hæreditario materno. Rodulphus vero illud ſibi concedi a Pontifice flagitabat, atque interim dum reſponſum expectabat, Albertum filium ſuum Regem Hungaris deſtinavit. Pontifex per legatos hos ei dictum voluit, Regnum Hungariæ in clientela Sedis Apoſtolicæ eſſe, ac proinde ſciret ſe non potuiſſe Regem Hungaris præficere, & Carolum legitimum hæredem ſuo jure privare. In Galliam Legatos deſtinavit Cardinales duos, Gerardum Parmenſem Epiſcopum Sabinum, & Benedictum Caetanum tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano, qui valde inter ſe diſſidentes Eduardum Angliæ Regem, & Alphonſum Aragoniæ ex una parte, & Carolum Claudum, ac Carolum Valeſium ex altera audirent, ac diſceptantes de ruptis icti fœderis conditionibus, quas ſupra expreſsimus, pace ſtabili conjungerent. Legatos ut commendatos haberet Philippus Rex, Pontifex oravit, eoſque ipſe benigne audiret de libertate Eccleſiaſtica oppreſſa dicturos.

Epiſt. 9. — *Epiſt. 41.* — *Ann. 1278. n. 25.* — *Bzov. hoc anno num. 6. & anno ſeqq. n. 1. Idem ann. 1278. n. 4.* — *Epiſt. 45. 52. & 81.* — *Ann. 1288. n. 23.* — *Epiſt. 2.* — *Ann. 1288. n. 25.*

II. Inquiſitionis officium in Syria & Palæſtina hoc anno inſtituit, graſſantibus illic hæreticis & Judæis, quibus bellorum tumultus impunitatem promittere videbatur. Amplo dato diplomate ad Nicolaum Patriarcham Hieroſolymitanum Apoſtolicæ Sedis Legatum, juſſit ut in terris ſuæ legationis Inquiſitores pravitatis hæreticæ, de conſilio Provincialium Prædicatorum & Minorum earumdem partium, vel eorum vices gerentium, deputaret. Duravit aliquot annis in hac regione ſanctæ Inquiſitionis officium, & ſtrenuos habuit Minoritas operarios, quorum nomina ſuis annis occurrent; quamvis nullam hujus Inquiſitionis Ludovicus Paramus mentionem faciat. Juſſit etiam Pontifex Nicolaus ſub eodem ferme tempore, ut Inquiſitores Minoritæ conſtituti in Arelatenſi, Aquenſi & Ebrodunenſi provinciis, necnon in Comitatu Venayſino, de quorum inſtitutione egimus alias, procederent contra quoſdam Chriſtianos, qui pro neceſſitatum, vel periculorum remediis confugiebant ad Synagogas Judæorum, quaſdam ſuperſtitiones exerciturі. Illas ex ipſo diplomate ſcire licebit, cui per omnia ſimile datum eſt ad Inquiſitores Venayſinos.

Inſtituit Inquiſitionem in Palæſtina. — *Epiſt. 524.* — *Tom. 4. an. 1258. n. 3.*

Di-

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Arelaten. Aquen: & Ebrodunen. provinciis per Sedem Apoſtolicam conſtitutis.

Reg. Vat. an. 2. epiſt. 848.

Jubet ut inquiratur contra recurrentes ad Synagogas Judæorum.

III. *AD augmentum Catholicæ fidei, quæ hominum mentes illuminat, ſuiſque cultoribus æternæ beatitudinis gaudia pollicetur, vigilantibus ſtudiis, prout ad noſtrum ſpectat officium, intendentes, peſtem pravitatis hæreticæ, quæ ſuorum corpora ſectatorum infamiæ nota commaculat, & eorum animas tenebris damnationis involuit, ubilibet extirpare ſatagimus, ut fidei Chriſtianæ religio eo magis ſuos fines adampliet, quo ad dictæ peſtis extirpationem omnimodam ſtudium operis adhiberi contigerit potioris. Ad noſtrum ſiquidem pervenit auditum, quod in nonnullis locis veſtræ juriſdictioni ſubjectis, quamplures ſacri renati fonte baptiſmatis utriuſque ſexus per erroris invium incedentes, dum languorum afflictionibus, & tribulationum periculis a Domino viſitantur, ad Judaici ritus vanum auxilium errando recurrunt, in Synagoga Judæorum lampades, & candelas tenentes accenſas, & oblationes inibi facientes, vigilias quoque die præcipue Sabbati protrahunt, ut infirmi recuperent ſanitatem; naufragantes ad portum ſalutis perveniant; exiſtentes in partu, abſque periculo pariant, & ſteriles prolis fœcunditate lætentur, ibi pro his & aliis ſuffragia implorantes dicti ritus rotulo, quaſi per Idololatriæ modum nefarium devotionis & reverentiæ ſigna patentia exhibendo, non abſque multa fidei orthodoxæ injuria, noſtri non modica contumelia Creatoris, ac univerſalis Eccleſiæ gravi opprobrio & contemptu. Volentes igitur hujuſmodi tam funeſtis abuſibus manifeſtis remediis obviare, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus de præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, ac etiam aliis hujuſmodi erroribus diligenter & ſollicite inquiratis, & ſi quos tales inveneritis Chriſtianos cujuſcumque conditionis, aut ſtatus exiſtant, tam contra eos, quam alios, etiam ſi Judæi, vel Chriſtiani eſſe noſcuntur qui eis talia ſuadent, quos nullis privilegiis, ſeu indulgentiis Apoſtolicis, aut aliis quibuſcumque, ſine appellationis obſtaculo, volumus poſſe defendi, procedere tamquam contra Idololatras, ſeu hæreticos pœna canonica nullatenus omittatis, ut ſeveritate juſtitiæ cognoſcant, quantum Chriſtum humani generis Redemptorem offendant, taliter deviando. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem* x. *Kalendas Martii, anno* II.

IV. Ultra hæc relatum Pontifici, pleroſque hæretica pravitate quotidie contaminari in illis Provinciis, & Comitatu, & non paucos a recta fide, atque Evangelica claritate ad Judaicæ perfidiæ tenebras apoſtataſſe; quare Eccleſiarum Prælatis in illis Provinciis, & Rectori, atque Miniſtris ſuis in Comitatu Venayſino ſcribendum duxit, ut Inquiſitoribus per omnia adeſſent ſubſidio & auxilio. Idem eſt tenor litterarum ad omnes ſcriptarum. Præter hæc ſcripſit Rectori Venayſino, ut de redditibus ejuſdem Comitatus pecunias, ſemoto cujuslibet dilationis obſtaculo, pro expenſis factis, vel faciendis in negotio Inquiſitionis miniſtraret Fratribus Bertrando de Cigoterio, & Guillelmo de ſancto Marcello, inſtitutis in eodem Comitatu Inquiſitoribus. Bullas ipſas tranſcripſimus ex Vaticano.

Ve-

Venerabilibus Fratribus Arthiepiſcopis , & Epiſcopis , ac dilectis filiis univerſis Abbatibus , ac aliis Eccleſiarum Prælatis per Aquen. Arelaten. & Ebrodunen. provincias conſtitutis .

V. *ATtendite Fratres & filii , attentis auribus , & devotis mentibus verba Patris ; penſate conſultius , quod vere ipſa honoris veſtri commoda exhortatio paterna proſequitur , etſi fidei orthodoxæ falcimenta proſequi videatur . Noſtis quod inconſutilem tunicam Dei noſtri diſſuere conantur hæretici , contra quos profeſſionis Chriſtianæ Catholici Præſules prælucent nitore ſydereo in orthodoxæ fidei firmamento , & ſunt nihilominus ipſius veluti columnarum ſtabilium fortitudo : nam in virtutem & decorem fidei conſtitutæ cenſentur a Domino perſonæ dignitate Pontificia præpollentes,quæ, ſicut dum illam fulciunt,& ſe operoſos exhibent in illius dilatatione miniſtros , fama creſcunt & meritis ; ſicque ipſis deperit , & ponitur in eorum gloria macula , cum eadem fides vim patitur , & hæreſis laceſſitur morſibus venenoſis . Numquid frequenter errore membrorum caput affligitur , & nonnumquam Principibus pœna , propter peccata plebis infertur ? Inter alios eqaidem , quos nexu paternæ dilectionis aſtringimus , & vos in arce noſtræ mentis ſincera dilectione portamus , cupientes eo potius vos pollere virtutibus , quo eſtis & eſſe debetis ad dilatandos prædictæ fidei palmites , ut acceptum reddatis commiſſum vobis a Domino populum , promptiores . Verum ad noſtrum, non ſine mentis turbatione pervenit auditum, quod in Provinciis vobis ſubjectis , & locis ipſis adjacentibus , multos crimen hæreticæ pravitatis infecit , pleriqae per Apoſtaſiæ vitium ſalutis æternæ loricam , quam eis ſacri baptiſmatis regeneratio contulit , damnabiliter exuentes , tamquam in tenebris , & in umbra mortis poſiti , corruptam tunicam induunt Judaicæ cæcitatis , ac ipſi Judæi noſtræ fidei corruptores , converſos , & baptizatos de ipſis ad fidem noſtram , immo ipſos etiam Chriſtianos inficere , & apoſtatare pro poſſe nltuntur quotidie in contumeliam fidei Chriſtianæ , propter quod eſt non immerito hæſitandum , ne in illis partibus devotionis obnubiletur claritas , & divini nominis cultui miſerabiliter illudatur . Quocirca univerſitatem veſtram rogamus & hortamar attente , per Apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus , quatenus Chriſti operariis , dilectis filiis hujuſmodi pravitatis Inquiſitoribus , in illis partibus per Sedem Apoſtolicam deputatis , & in poſterum deputandis , opportunum favoris , & auxilii præſidium impendentes , ut melias proficere valeant , & commiſſum eis officium ad laudem Divini nominis efficacius exequantur , tam ipſis , & eorum alteri , quam nuntiis eorumdem , quotiens per eos fueritis requiſiti , ad extirpandam herbam mortiferam , quæ meſſem benedictionis extenuat , opportuna ſtudia & efficaces auxilii , favoris , & conſilii veſtri operas liberaliter impendatis , nec permittatis eos aliquatenus ab aliquo in eoram proceſſibus impediri , ut eædem Provinciæ coinquinatorum labe purgatæ , populi earumdem reddantur devotione ſincera Deo placibiles & accepti , voſque per hoc digne valeatis divinæ retributionis præmium promereri . Nam ſi contrarium audiremus , quod abſit , turbaremur ab intimis , & contra delinquentes procedere pœna debita curaremus . Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem* v. *Kalendas Februarii , anno* 11.

Reg. Vat. an. 2. *& epiſt.*783.

Prælati Eccleſiæ ſydera & columnæ.

Epheſ. 6. 14.

Rogat ut auxilientur Inquiſitoribus.

Rectori comitatus Venayſini, vel ejus Viceſgerenti.

Reg. Vat. an. 3. epiſt. 10.

Jubet ut miniſtrentur Inquiſitoribus expenſæ.

VI. *Sollicitudinis noſtræ ſtudium circa fidei culturam libenter impendimus, & ad præſervandam ſinceritatem ipſius continuis deſideriis, & indefeſſis ſtudiis vigilamus. Ut igitur Inquiſitionis officium, per quod pravitas extirpatur hæretica, in Comitatu Venayſino, & aliis partibus circumſtantibus proſpere dirigatur, ne expenſarum defectu patiatur, quod abſit, moræ diffugium, aut in ſuis proceſſibus detrimentum, volumus, & diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dilectis filiis Fratribus Bertrando de Cigoterio, & Guillelmo de ſancto Marcello de Ordine Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, vel eorum alteri, accedentibus eis in ipſo officio, de proventibus præfati Comitatus ad manus tuas pervenientibus, ad requiſitionem eorum, vel alterius ipſorum moderatas expenſas factas, & faciendas per eos, ipſius Inquiſitionis officio opportunas, ſemoto cujuslibet dilationis obſtaculo, uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ exhibere, ac bona ſingula mobilia, & immobilia, quæ per eorumdem Inquiſitorum ſententias fuerant confiſcata, proventibus ejuſdem Comitatus ad opus Curiæ applicare procures; intendimus enim quod ex eiſdem bonis expenſæ hujuſmodi deducantur, & ſcias, quod noſtris affectibus ingratum accederet, ſi propter expenſas dictum officium detrimenta ſentiret. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem II. Nonas Martii anno III.*

VII. Inficiebant ubique Judæi Chriſtianos, inter quos verſabantur, & multos ad ſuam perfidiam callide ſubtrahebant, præſertim in Provincia Romana, quare ad Inquiſitores Minoritas, in illa inſtitutos, dedit Pontifex hoc diploma, ex quo alias dato ad omnes Inquiſitores diximus,
An. 1288. n. 12. Bzovium perperam deduxiſſe propter Apoſtatantes Chriſtianos in Germania Pontificem illud promulgaſſe.

Fratribus Minoribus Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis in Romana Provincia per Sedem Apoſtolicam deputatis, & in poſterum deputandis.

Reg. Vat. an. 3. ep. 379.

Quidam Catholici facti Judæi.

Turbato corde audivimus, & narramus, quod non ſolum quidam de Judaicæ cæcitatis errore ad lumen fidei Chriſtianæ converſi, ad priorem reverſi eſſe perfidiam dignoſcuntur; verumetiam quamplurimi veritatem Catholicæ fidei abnegantes, ſe damnabiliter ad ritum Judaicum tranſtulerunt, quod tanto magis reprobum fore cognoſcitur, quanto ex hoc Chriſti nomen ſanctiſſimum quadam familiari hoſtilitate ſecurius blaſphematur. Cum autem huic peſti damnabili congruis, & feſtinis debeat remediis obviari, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos auctoritate Sedis Apoſtolicæ deſignatos, ſuper præmiſſis tam per Chriſtianos, quam etiam per Judæos, inquiſita diligentius, & ſollicite veritate; contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commiſiſſe, tamquam contra hæreticos, contra fautores quoque, receptatores, & defenſores hæreticorum procedere ſtudeatis. Judæos, autem, qui Chriſtianos utriuſque ſexus ad eorum ritum execrabilem induxerunt, pœna debita puniatis. Contradictores & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Invocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum apud Urbem veterem V. Idus Septembris, anno III.

VIII.

VIII. Ejuſdem Provinciæ Romanæ Inquiſitoribus interrogantibus qualiter diſponendum, vel diſtribuendum eſſet, quod ex mulcta hæreticorum ad eorum manus perveniret, breviter ita reſpondit.

Fratribus Minoribus Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Romana Provincia per Sedem Apoſtolicam deputatis.

Habet veſtræ devotionis aſſertio, quod ea, quæ contingunt interdum ex commiſſo vobis officio provenire, dividuntur de Apoſtolicæ Sedis conſtitutione, ac alias etiam de conſuetudine in tres partes, quarum una Eccleſiæ, alia vero Communi Civitatis, vel loci, ubi fit inquiſitio, & tertia factis per vos in loco eodem Officialibus exhibentur. Quia vero plerumque contingit Officiales hujuſmodi non haberi, petiiſtis quid ſit tunc de prædicta parte tertia ordinandum? Nos autem ſuper hoc poſtulationi veſtræ hujuſmodi reſpondentes prædictam partem tertiam, Officialibus deficientibus ſupradictis, debere eſſe Eccleſiæ, auctoritate præſentium declaramus. Nulli ergo &c. noſtræ declarationis &c. Datum apud Urbem veterem v. *Nonas Octobris anno* III.

Reg. Vat. ep. 449.

Præſcribit qualiter ſint dividenda bona hæreticorum.

IX. Deinde omnibus Inquiſitoribus declaratum voluit, non expirare cum Pontificibus, a quibus deputati ſunt, eorum auctoritatem, ſed ſub eorum ſucceſſoribus etiam permanere: Juvat ad Inquiſitorum auctoritatem confirmandam, & ab antiquis monumentis commendandam hæc diplomata Lectori hic miniſtrare.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputatis, & in poſterum deputandis.

Ne aliqui dubitationem forſan ſollicitam excitantes, in dubium revocent, an proceſſus per vos, ſeu alios Fratres veſtri Ordinis, quibus Inquiſitionis officium contra reſperſos hæretica pravitate infra certos limites extitit ab Apoſtolica Sede commiſſum, in caſibus aliquibus habiti, qui poſt Romani Pontificis obitum, cujus auctoritate vobis idem eſt commiſſum officium, emerſerunt, & in nonnullis aliis, in quibus licet antea emerſiſſent, vivente tamen eodem Romano Pontifice, per vos, vel alios Inquiſitores prædictos non fuerat aliquo modo proceſſum, robur obtineant firmitatis, tenore præſentium in favorem fidei declaramus, decernimus, & etiam ſtatuimus, hujuſmodi proceſſibus per vos, & alios Inquiſitores prædictos taliter habitis nequaquam obſtare, quod tempore Romani Pontificis, cujus auctoritate hujuſmodi officii erat facta commiſſio, non fuerint inchoati, & ne de cetero ſimilem dubitationem moveri contingat, hoc idem in ſimilibus proceſſibus habendis in poſterum, prætextu commiſſionum factarum hactenus, & faciendarum a nobis, vel noſtris ſucceſſoribus decernimus, & ſtatuimus obſervari. Nulli ergo &c. noſtræ declarationis, conſtitutionis, & decreti infringere &c. Datum apud Urbem veterem Nonis Julii anno III.

Reg. Vat. ep. 227.

Declarat manere auctoritatem Inquiſitoris poſt mortem Pontificis.

X. Raymundus Gaufridi Generalis Miniſter nihil ſtatim a ſua electione tam curavit, quam turbas Ordinis, & præſertim provinciæ Picenæ conſopire. Indictis itaque Comitiis Provincialibus, illius tractus Patres objurgavit, quod ita ſenſim, & facile abuſus pleroſque ex nimia in-

Marian. l. 3. cap. 10. Chron. antiq.

Raymundus Miniſter favet Regulæ zelatoribus.

incuria, & extincto zelo ſubrepere in ſubditos permiſerint. Deinde examinavit cauſam, propter quam illi Religioſi viri, quos ſupra diximus, conjecti eſſent in vincula: neque aliam ſolidam reddere poterant illi Patres rationem, quam quod illorum zelus nimius erat, & ſuperſtitioſus circa obſervantiam paupertatis. *Atque utinam*; inquit, *Ego*, *& univerſus Ordo hoc peccato laboraremus*, juſſitque ut ad ſe efferrentur. Accedentes apertis excepit brachiis, affabilia & placida eis loquutus, perſuaſit ut perſequentibus ignoſcerent ea corde, in pio propoſito firmiter perſiſterent, ſeque in obſervantia ſanctæ paupertatis promovenda ſcirent habituros ſedulum adjutorem. Ut vero aliorum perſecutiones effugerent, deſtinandos duxit cum aliis tribus ejuſdem ſpiritus viris, Angelo Clareno, Marco de Monte-lupone, & quodam Petro ad Regem Armeniæ, a quo paulo antea litteras accepit, quibus rogabat, quoſdam ſibi mitti hujus Inſtituti viros, tum propter animæ ſuæ, & ſuorum ſolatium, tum ad inſtituendum populum multum nimis, qui ad Chriſtianorum fidem quotidie accedebant. Hinc ortum murmur contra Generalem, & quorumdam conſpiratio, qui dicebant phantaſticorum, & ſuperſtitioſorum hominum fautorem, nec a concepto ejus odio deſtiterunt, donec ſub Bonifacio VIII. e præfectura deturbarunt. Fratres autem prædictos ab eo miſſos, & ab Armenorum Rege, tamquam Angelos cœli receptos vexare non deſtiterunt. Etenim tunc Guardianum agebat Ptolemaydis Paulus de Marchia ſocius Miniſtri Piceni, qui aderat quando conjecti ſunt in vincula, accuſavitque eos apud Jacobum provinciæ Syriæ Miniſtrum, cui talem indidit de eis opinionem, ut illum compulerit ſiniſtra ſcribere Armeno, eumque admonere, ut ab eis ſibi caveret, tamquam ab hominibus Schiſmaticis, & ab Ordine exciſis. Rex acceptis litteris, intimos adhibuit Conſiliarios, & ex eorum ſuaſu vocatos ad ſe Patres circa multa interrogavit, monuitque ut obedientiales ſibi Prælatorum litteras exhiberent. Ut legit, viditque valde commendatos ab Ordinis Primicerio, ut bono eſſent animo hortatus eſt, expanditque eis litteras Syriæ Miniſtri. Illi ut calumniam diluerent, rem omnem ex ordine narrarunt, qua intellecta, meliorem de eis concepit Rex opinionem, ſcripſitque ad Miniſtrum Generalem, gratias reddens innumeras, quod minime vulgares, ſed perfectos Viros, quos tamquam Chriſti diſcipulos veneraretur, ſibi deſtinare placeret.

An. 1289. n. 24.

Mittit ex eis quoſdam ad Regem Armeniæ.

Alii id ægre ferunt.

Inſequuntur miſſos in Armeniam

Jubet Pontifex inquiri in quoſdam Fratres Provinciæ Narbon.

XI. Per eoſdem dies Pontifex Nicolaus Generali Raymundo per litteras mandavit, ut in quoſdam Galliæ Narbonenſis Fratres, Petri Joannis Olivi ſectatores ageret, qui ceterorum Fratrum ſtatum damnabant, ſeque aliis longe familiarius, præſtantiuſque cum Deo agere prædicabant; deprehenſi tamen ſunt ſeditiones per Provincias, offenſioneſque concitare, tumultus miſcere, nec non abhorrentem a veritate doctrinam, & ſequi & ſerere. Iſtud negotium Raymundus commiſit Bertrando de Cigoterio, quem in Comitatu Venayſino inſtitutum diximus Inquiſitorem, ut de re tota diligenter inquireret, & ſibi referret, ille vero Patrum Senatui, qui Pariſiis in proximo ad comitia generalia erant convocandi. Nocuit horum miſeria & infamia (inventi enim vere ſunt aliqui a veritatis, & pietatis tramite deviantes) aliis piis viris, dum enim quidquam agebant, aut proponebant ad reſtituendam regularem obſervantiam, ſuperſtitioſorum, & erroneum ex tempore ſocii proclamabantur.

Hoc anno n. 4.

Moritur B. Philippinus.

XII. Obiit hoc anno beatus Philippus, ex humilitate, & vili de ſe con-

concepta opinione Philippinus dictus, olim ſancti Antonii Patavini ſocius, e regno Caſtellæ oriundus. Dum Antonius ductus eſt, uti diximus, in Romandiolam a fratre Gratiano Miniſtro, amandatum narravimus fratrem Philippum in Civitatem Caſtelli. Hinc vocatus aſtitit ſancto Franciſco morienti, ejuſque ſacra vulnera flens & dolens palpavit. Celebratis exequiis, ſalutantes ſe invicem, beatus Ægidius abiit Cetonium, Philippus Columbarium, ubi tamquam columba in continuo gemitu & fletu vitam duxit ſanctiſſimam. Admirandam hic accepit ſacræ Scripturæ notitiam, cujus loca difficiliora aliis interpretabatur, & perfectum in animalia irrationabilia obtinuit principatum. Sobrius in verbis arctam poſuit ori ſuo cuſtodiam, ne delinqueret aut offenderet in loquela. Lacrymarum ibidem donum accepit, a quibus non abſtinebat die vel nocte, ut ſi quæ hæſerant in juventute maculæ terrenæ, hac aqua abundediluerentur. Divinis gratiis adauctus, ad conſortia rapiebatur Angelorum, ſupra altiſſimas quaſque arbores elevatus. Viderunt eum aliquando frater Bonaventura de Podio, & ſocius, qui ex alio Conventu eum viſum venerant, junctis manibus, facie in cœlum erecta, immobiliter in aere hærentem ſupra ilices proceras. Dum rem mirandam longo aſpicientes tempore ſtupent, vident in ictu oculi angelico miniſterio ad montem Cetonii XVIII. M. P. diſtantem efferri, ut cum beato Ægidio de quibuſdam rebus divinis colloqueretur. Veluti alter Elias & Moyſes frequenter adinvicem tractabant de exceſſu, quem Chriſtus in paſſione complevit, de ardore caritatis, quo mundum voluit redimere ſui ſanguinis pretio, de ejuſdem benignitate & longanimitate in ſufferendis peccatoribus, atque his ſimilibus.

Marian. cit. Rodul. fol. 128. Tom. 1. an. 1221. n. 11.

Ejus vita & virtutes.

Animalia ipſi obediunt.

Matth. 17. 3.

XIII. Tandem poſt vitam ſancte & miraculoſe tranſactam in ſenectute bona, plenus dierum, annorum octuaginta ſeptem, in eodem Columbarii loco, ad Dominum migravit. Non longe diſtat oppidum hoc a Monte-Alcinoi, vulgo *Monte-Ilcino*, olim Plebs Lucina, cujus populus turmatim confluxit Columbarium, & vi ac arte, quem ſumme in vita dilexerunt, poſt mortem voluerunt poſſidere. Ita Deo & ſancto Viro placuiſſe manifeſtis comprobatum eſt indiciis: etenim ubi reſciverunt Columbarienſes pretioſum ſibi ſubripi theſaurum, inſecuti portitores corporis, quod ſuum erat, volebant repoſcere, eoſque expoſtulare factæ ſibi injuriæ. Immiſit tamen Dominus repente tantam de cœlo pluviam, ut inſequentes ab itinere revocaverit, nulla attingente gutta ſanctum feretrum, neque feretri portitores. Majus adhuc evenit in hac translatione portentum; ceſſante namque copioſo imbre, cucurrerunt plurimi poſt cari pignoris raptores, & in conſpectum illorum venerant, quando ad fluminis Umbronis inter utrumque oppidum dilabentis, & tunc ex inundantia aquarum alvei profundi, ripam perſtiterunt, cogitantes quomodo poſſent tranſvadare, & ſanctum corpus transferre. Dum vero abſque conſilio hæſitant, periculumque inſequentium prope eſſe conſpiciunt, vident magno ſtupore renovari miraculum fluminis Jordanis, Umbronemque fluvium converſum eſſe retrorſum, atque ab inferiore parte dilapſis aquis, appariuſſe aridam, perquam læti feſtinantes tranſierunt ad oppoſitam ripam. Pervenientibus vero qui inſequebantur, & obſtupeſcentibus ad rei novitatem, permiſſæ ſunt aquæ ſuo curſu diffluere, & quæ prius veluti fortiſſimis murorum obſtaculis detineri videbantur, novo impetu cœperunt dilabi. Clauſo itaque tranſitu, quem aliis aperiri conſpexerunt, ita Deum voluiſſe compererunt, ut ipſi vivum, alii

Fertur ejus corpus non ſine miraculis ad Montem Ilcinum.

Joſ. 4. 7.

alii haberent deſunctum. Neſcio an hoc ipſum, vel aliud ſimile ejuſdem
Rodulph. cit. ſancti Viri miraculum voluerit indicare Rodulphus dum ſcripſit: Amnem Oricam (ut alter Moyſes) ſuis precibus diviſit, nt ſuos liberaret ab imminenti diſcrimine. Diverſa fluviorum nomina diſtincta eſſe confirmant: ut ut tamen eſt, ſanctum corpus Montis-Alcinenſis Viri ſuum fecerunt, & in Eccleſia ſancti Marci Fratrum Minorum ipſo ſancti Marci die, ut adnotavit Rodulphus, honorifice condiderunt, ad cujus venerationem univerſa populi multitudo, eo die quotannis confluit cum cereis, & luminibus, aſſervatamque in ſacrario ejus tunicam, quam gerebat in obitu, magno habent in pretio.

Ejus miracula.

XIV. Multa ſigna, & illuſtria patravit miracula publica fide a Notariis Imperialibus exſcripta, & multorum teſtium ſubſcriptione confirmata, ex quibus hic damus potiora, quæ a depoſitionis die uſque ad vigeſimum Maii, perpetravit. Ipſo die, quo allatum eſt corpus, quidam acutiſſima laborans febre, emiſſo voto de honorando ejus ſepulcro, & cerea ſtatua pro ſui corporis menſura apponenda, ſtatim convaluit. Alter vehementiſſimos paſſus ſtomachi dolores, ſimiliter vovit & liberatus eſt. Tertius magno laborans in gutture apoſtemate, per biduum nihil potuit deglutire, donec ſe totum cum reverentia, & devotione beato Philippo devovit, ſtatimque malum omne receſſit. Combuſtam cujuſdam fœminæ manum, puerulum morbo caduco laborantem, ſurdam alteram, juvenculum mutum, Marcellum Notarium renes dolentem, Joannem a Monte-Alcino meſſorem brachii ſiniſtri officio deſtitutum mirabiliter ſanavit. Sacerdotem incontinentem amicæ domum ingreſſum parentes, circumdatis ædibus armato milite, trucidare propoſuerunt; ille in ſummo vitæ diſcrimine, commendavit agonem ſuum Domino, eique promiſit vitam in meliorem ſe commutaturum, ſi præſens evaderet periculum; deinde ſummis votis invocavit beatum Philippum, ut in tanto periculo præſens afferret auxilium, promittens ſe ad ejus ſepulcrum grati animi, & beneficii accepti ſignum appenſurum. His dictis, aperto oſtio, exivit, tranſivitque per medium illorum, qui animam ejus quærebant, neque fuit ex omnibus unus, qui eum videret, aut quidquam objiceret. Mingarda relicta Neri de Vigili, Joanninum filiolum octo dies uno oculo læſum portavit die XIX. Maii ad ſancti Viri tumulum, & ſtatim ſanum reduxit. Altera Mingarda olim conjux Maffei de Monte-Alcino die XX. ejuſdem menſis, poſtquam per ſeptem dies idem viſitavit ſepulcrum, ſana effecta eſt ab apoſtemate, quo ſub ubere laborabat.

Florent in Provincia Tuſciæ multi pii viri. Fr. Andreas de Plano.

XV. Præter Philippum hunc reſplenduerunt & alii Viri ſancti ſub hoc tempore in provincia Tuſciæ: Andreas de Plano Cuſtodiæ Cluſinæ homo vitæ perfectæ, & multorum Fratrum magiſter, ad quem, dum oraret ardenter in ſilva, Chriſtus Dominus in ſpecie Seraph e cœlorum ſublimitate deſcendit, & ſua ei chariſmata communicavit. *Marian. cit. Piſan. confor. 8. Rodul. fol. 105.* Jacet in loco Columbarii ejuſdem Cuſtodiæ Nicolaus de Silvanis Senenſis, crebris clarus prodigiis, cujus habitus particula appoſita puerulo octenni, Nicolai de Bizogo filio, crura contracta, nulla medicorum arte curabilia ſanavit. (Fr. Nicolaus de Silvanis.) Obiit hic paulo ante Petrum Pectinarium, de quo egimus anno præcedenti (*An. 1289. n. 35. & ſequentib.*), Guido de Solvena, aliis de Bolſena, Rodulpho de Wlſinio (quod eſt communitatis ſanctæ Floræ, Marianus dicit, præſidium) (Fr. Guido de Bolſena.) qui cum tirocinium ageret Senis, ductus a ſuo Magiſtro ſimul cum aliis condiſcipulis ad Petrum Pectinarium, ut de ſpiritualibus differentem audirent, ſincere credidit ille, & frater Minnius Altimanni, poſtea pru-

dens

dens Etruſcæ provinciæ Rector, eidem Petro ſuadenti, ut de Deo invicem colloquerentur, fidejubens Chriſtum in medio eorum aſtiturum, juxta illud Evangelicum: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum*. Quare ſummo mane pergentes ambo in hortulum ſecretum Novitiorum, certo credentes Chriſtum affuturum; præparaverunt, quo potuerunt modo, in medio ſui ſcamnum, quo Chriſtus ſederet, mundo ſuperpoſito linteamine, & in circuitu diſperſis herbis odoriferis. Dicebant enim non decere, ut cum ipſis humi ſederet. Deinde cœperunt pie & fervide de Chriſto loqui; qui mox adfuit in forma pulcherrimi pueruli, & in ſcamno ſedit, infundens eis quid ore dicerent, & corde ſentirent. Tam potenter eos conſolatus eſt, ut circa divina myſteria deguſtanda abſorberentur interius, nec quidpiam ſentirent, quod ageretur exterius. Præteriit itaque tempus horam tertiam, & quæ ſubſequuntur officii divini partes, in choro decantandi; elapſum item tempus prandendi, neque movebantur, breviſſimum putantes, quo tantis fruebantur deliciis. Omnia e ſecreto angulo obſervabat Petrus Pectinarius, qui Magiſtrum tironum videns accedentem ut reprehenderet & puniret, quod functionibus defuerint ſtatutis, accurrit moniturus de omnibus quæ acciderunt, rogavitque ut iram deponeret, & veluti caros Chriſti diſcipulos amanter tractaret. Ita fecit inſtructor, & peculiari cura educavit, quos ultra omnes vidit proficere. Huic Guidoni grandævo, & debili providit Deus lautiores cibos; dedit enim felem, qui quotidie ex ſilva volucrem aliquam afferret fratri Franciſco Montis Alcini ejus ſocio, ut præpararet; ipſo vero die, quo Vir ſanctus obiit, ad ejus pedes felis expiravit. Prædixit eidem ſocio ſectam Fratricellorum exorturam poſt paucos annos in magnam Ordinis injuriam & detrimentum. Conditus eſt in loco Columbarii, ubi plures alios præclaræ vitæ viros jacere ſcribit Piſanus.

Matth. 18. 20.

Chriſtus aſſidet de ſe loquentibus.

Piſan. cit.

XVI. Frater Bonaſinius de Senis, cui ſocius ſuus poſt mortem apparuit, dixitque illius precibus, & ſancti Franciſci interceſſione poſt tertium diem ad cœlum ſe evocatum. Plura hic edidit poſt mortem miracula. Bartholomæus Puccii Franciſci, relicta uxore & filiis, hoc tempore factus eſt Minorita; in Ordine devotione & ſanctitate proficiens, miraculis poſt mortem claruit in loco Montis-Politiani Cuſtodiæ Cluſinæ, ubi requieſcit. Frater Bonromeus de Bonromeis Florentinus vir devotus, & ſpiritu prophetiæ clarus, quem ſanctus Bonaventura libenter & avide audiebat; ob continuas lacrymas lumen perdidit oculorum, ſed mentem habuit futurorum perſpicacem. Prævidit & dixit Ordinem in tres partes præſcindendum, earumque fines diſtincte deſcripſit. Hujus conterraneus frater Franciſcus de Maleficiis præcipitatus a diabolo per rupturas, & ſciſſuras altiſſimi montis Alvernæ, de ſcopulo in ſcopulum eliſus, ad terram pertingens, ſanus ſtetit, & Fratribus in latere montis, qui ejus cadaver ibant ſepultum, vegetus & hilaris occurrit. Multa patravit in vita, & poſt mortem miracula, ſepultus in Inſula Corſicæ in loco Nunciæ, ubi ad Deum multas animas reduxit. Frater Guido de Florentia (quamvis aliqui ſint, qui dicant eſſe Senenſem, nam de loco nativo, ut monet Rodulphus, eſt orta contentio) vir perfectiſſimus, & obedientiæ virtute ſingularis, de quo refert Alvarus Pelagius, quod omnino abdicata propria voluntate, peſſima hac magiſtra numquam voluerit uti, ſed promptiſſime regi ad nutum ſuperioris. Numquam petiit ſibi concedi licentiam a ſuis Præfectis, timens propriæ voluntatis inſidias.

Frater Bonaſinius de Senis. Frater Bartholomæus Pucci.

Frater Bonromeus de Bonromeis.

Frater Franciſcus de Maleficiis.

Frater Guido de Florentia.

Pelag. de planc. Eccleſ. lib. 2. c. 69. ad fin.

dias. Illam ſolam legitur a Prælato petiiſſe, ut abſolveretur ab oſtiarii officio, quia Guardianus præcepit ne in veſtibulum intromitteret pauperes, quos gelu & frigore trementes illo introducebat, compatiens eorum miſeriæ, dum eleemoſynam expectabant. *Etenim ex una parte*, inquit, *timeo obedientiæ præceptum, ex altera horreo videre pauperes præ foribus algore rigere*. Prophetiæ ſortitus eſt ſpiritum, prædixitque diem, quo deberet ex hoc mundo decedere.

B. Leonardus Fulginas.

Jacobillus de Epiſcopis Fulginei l. 2. pag. 111. Rodul. fol. 119.

XVII. In Provincia Romana, & Cuſtodia Maritima obiit hoc anno beatus Leonardus Fulginas, ſanctitate, & miraculis clarus, ſepultus Piperni in Eccleſia Minorum ſub altari majori, cujus reliquiæ magna habentur in veneratione. Scribit Rodulphus, a fide digno ſe accepiſſe ante aliquot annos inventam inter ſacra ejus oſſa ſchedam quamdam, minime tamen legibilem, quod ea e ſepulcro educta, vixque aeri expoſita, ſtatim ſint elementa deleta; additque Romæ in Eccleſia ſancti Laurentii extra muros notari hæc verba: *Beatus Leonardus de Fulgineo, mortuus eſt Piperni, & ſepultus eo in loco, de quo iſta feruntur. Puer quidam Jordanus nomine de Caſtro Montis Fortini in Campania apud Pipernum, ubi morabatur, ſigno Crucis ab eo reſtitutus eſt ſanitati. Ægidius de eodem Monte Fortino cæcus a beato Viro ſigno Crucis, cunctis admirantibus, eſt illuminatus*. „ Super altare leguntur hæc verba: *Corpus beati Leonardi de* „ *Fulgineo ſocius ſancti Franciſci in hoc altare requieſcit*.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Frater Thomas Bungejus.

Henr. Willot. de ſcriptor. Minor. Piſeus de Script. Anglic. ad ann. 1290. Marian. l. 3. c. 3.

XVIII. Duo floruerunt hoc tempore in Anglia viri docti hujus Inſtituti profeſſores; Thomas Bungejus, patria Norfolcenſis natus in oppido Bungei ad ripam Avonæ fluminis, Doctor Oxonienſis, & inter ſuos conſodales, decimus Theologiæ profeſſor. Rogerii Bacconis libris uſus, non tam Mathematici, quam Magi opinionem conſequutus in vulgo, graviorem paſſus eſt calumniam; quam ut plene abſtergeret, juvit non parum ejus aſſumptio per libera Fratrum ſuffragia ad regendam Angliæ provinciam. Alius fuit hujus cognominis Minorita ſub Eduardo III.

Fr. Guillelmus de la Mare.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Rogerus Varro.

Secundus ſuit Guillelmus de la Mare Profeſſor & Doctor Oxonienſis, diligens ſancti Bonaventuræ ſectator, ſerius nimis indagator eorum, quæ objicere poſſet contra ſanctum Thomam. „ Tertium habet Pitſeus „ in Appendice, Anglum Doctorem Rogerum Varronem, cujus no„ men æri inſculptum eſt in latere tumbæ Joannis Scoti Doctoris ſubtilis „ Coloniæ Agrippinæ. „ Suam edocebat artem hoc tempore Raymundus Lullus, quo tamen ſructu neſcio; nam & obtinuit hoc anno litteras commendatitias a Raymundo Gauſridi Generali Miniſtro datas apud Montempeſſulanum VII. Kal. Novembris ut benigne reciperetur a Fratribus, quibus ait, aliquando fuiſſe optimum benefactorem, hortaturque Miniſtros Romanum, Apulum, & Siculum, ut permittant Fratribus, qui voluerint, ejus artem audire, commodo & idoneo eis loco ad hoc conſtituto. Litterarum penes me extat exemplar.

Raymundus Lullus ſuam hoc tēpore docet artem.

Frater Lambertus Epiſcopus Veglenſis.

XIX. Creati etiam hoc anno aliqui Eccleſiarum Antiſtites ex Minoritis. Frater Lambertus aſſumptus ad Epiſcopatum Veglenſem in Dalmatia vacantem per mortem Marini, ad quem electi erant duo in diſcordia Canonicorum, Franciſcanus unus, & Dominicanus alter: *Vacante dudum* VIII. Idus Martii. Frater Guillelmus vir doctus, & Papæ Pœnitentiarius ad Reginum Lepidi in Æmilia ſub Archiepiſcopo Bononienſi, per alterius Guillelmi obitum vacantem, non concordantibus electoribus in ſuffragiis: *Inter varia* x. Kal. Julii. Scripſit Pontifex ad Marchionem Eſtenſem, qui tunc fuit Obizo, Azzonis olim illuſtris Marchionis apud

Frater Guillelmus Epiſcopus Reginus.

Mino-

Minores Ferrariæ ſepulti nepos (in ditione etenim gentis Eſtenſis illa Civitas) ut grate admitteret Epiſcopum electum. Frater Henricus ad Clugienſem, alias Cluſienſem in Etruria ſub Archiepiſcopo Senenſi per mortem Stephani paulo ante electi, & diſſidium electorum dudum paſtore viduatam: *Ex ſuſcepta ſervitutis* XV. Kalend. Octobris. Demum Rodericum Minoritam a ſe anno ſuperiori creatum Epiſcopum Marrochitanum, privilegiis multis & facultatibus magnis condecoratum, per univerſam Africam Sedis Apoſtolicæ Legatum inſtituit, datis ad fideles Africanos litteris ſequentibus. Frater Henricus Epiſcopus Clugienſis. Frater Rodericus Epiſcopus Marrochitanus, Africæ legatus.

Univerſis Chriſti fidelibus per Africam conſtitutis.

XX. *Illius, licet immeriti, Vicarii conſtituti, qui pro ſalute humani generis de ſupremis cælorum ad ima mundi deſcendens, diſcipulos, quos elegit, in univerſum mundum tranſmiſit omni creaturæ Evangelium prædicare, nonnumquam viros providos & diſcretos, cum nequeamus locis ſingulis corporali præſentia imminere, inſtructi ejus exemplo in partem ſollicitudinis evocamus pro negotiorum urgentium qualitate, qui prava in directa & aſpera convertentes in plana, rectas faciant ſemitas Dei noſtri, populumque acceptabilem ſibi reddant. Sane de circumſpectione Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Marrochitani, Apoſtolicæ Sedis Legati, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipſum in Africam univerſam ad cultum divini nominis ampliandum, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut juxta datam ſibi a Deo providentiam evellat, & diſſipet, ædificet, & plantet, inhærendo veſtigiis felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui bonæ memoriæ Blanco Epiſcopo Marrochitano prædeceſſori ejuſdem Roderici Epiſcopi ſimilem legationem conceſſit, providimus de Fratrum noſtrorum conſilio deſtinandum. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ipſum Sedis prædictæ Legatum, tamquam perſonam noſtram, vel potius nos in eo recipientes, cum debita reverentia & honore, illius monitis & mandatis plenarie ac humiliter intendere procuretis; ita quod idem ad gloriam Dei, & animarum profectum injunctum ſibi miniſterium exequi valeat inoffenſe, Noſque devotionem veſtram poſſimus exinde merito commendare. Alioquin ſententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.* Datum XV. *Kalend. Martii anno* II. Reg. Vat. ep. 844. Iſa. 40. 4.

Dilectis filiis nobilibus Viris Baronibus, Proceribus, Militibus, & ceteris ſtipendiariis Chriſtianis Marrochitani, Tuniſii, & Tremiſcii Regum ſervitio conſtitutis.

XXI. *Etſi omnes, qui Chriſtianæ fidei cultum tenent, ut ſuas Deo lucrifaciant animas, ad recte vivendi regulam dirigi cupiamus; illos tamen, qui in regionibus Infidelium, & cum Infidelibus converſantur, ut fide, opere, ac veritate perfecti, ſe incontaminatos coram Deo & hominibus exhibentes, laudabilis vitæ meritis & exemplis, Infideles etiam protrahant ad ſalutem, potiori deſiderio exoptamus, omnem in ſeipſos juſtitiam, rectitudinem, & modeſtiam adimplere, ipſoſque abſtinere ab omnibus, per quæ fidei Chriſtianæ religio poſſit in populis blaſphemari. Sane cum illius, licet immeriti, vicem gerentes in terris, qui pro generis humani ſaluto de* Reg. Vat. ep. 845.

ſuæ ſolio majeſtatis a ſummo cœlo in mediam exterminii noſtri terram exiliens, trabea noſtræ humanitatis aſſumpta, ut temporali morte legem mortis aboleret æternæ, pro nobis dignatus eſt proprio ſanguine fuſo mori, & diros crucis perpeti cruciatus, ad animarum profectum intentionis noſtræ aciem totaliter dirigamus; & pro incredulis convertendis, apoſtatis revocandis, confirmandis nutantibus, & fidelibus roborandis omni ſollicitudine laborantes, quia, repugnante natura, præſentialiter diverſis locis ſimul adeſſe non poſſumus, Venerabilem fratrem noſtrum Rodericum Marrochitanum Epiſcopum, virum utique providum & diſcretum, ad partes Africæ commiſſo ſibi plenæ legationis officio, deſtinemus. Nobilitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus eumdem Legatum, & Nuntios ejus devote recipientes, & honeſte tractantes, eis, in iis quæ ad cultum divini nominis pertinent ampliandum, impendatis conſilium & auxilium opportunum, & verba vitæ æternæ, quæ vobis proponent, cum gaudio audientes, eorumque ſalubribus conſiliis acquieſcentes, Chriſtianæ profeſſionis propoſitum firmo ſervetis animo & conſtanti, ut ſic inter incredulos vos exhibere vita & converſatione probabiles ſtudeatis, caritate magiſtra, & pietate præduce, in divinis beneplacitis vos jugiter exercendo, ac abſtinendo ab omnibus, per quæ detrahi valeat nomini Chriſtiano, quod tam fideles, qui in partibus ipſis degunt, quam etiam Infideles ad frugem melioris vitæ veſtro proficiant & informentur exemplo, & nos in veſtris laudibus delectabiliter in Domino gloriantes, vobis pro veſtræ devotionis, & fidei ſinceritate reddamur favorabiles & benigni. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem v. Idus Februarii, anno II.

Ann. 1278. n. 37.

Devotio Petri Infantis erga religionem Franciſcanam.

XXII. Diximus ſuperius, quam dilexerit Minores Petrus Infans, Petri & Conſtantiæ Aragoniæ Regum filius, & Alphonſi III. Regis frater; ſed majus adhuc hoc anno dedit ſuæ devotionis ſpecimen, emiſſo ſolemni voto, præſente Epiſcopo Cæſarauguſtano, de ſuſcipiendo habitu ſancti Franciſci, & tumulando ſuo corpore in Eccleſia Cæſarauguſtana Fratrum Minorum; quod & opere complevit moriens in oppido Tordehumos in regno Caſtellæ, illuc amandatus a Rege fratre, motus bellicos cum Rege Sancio compoſiturus. Ipſius emiſſi voti exemplar ad manus meas pervenit, quod in commendationem tantæ pietatis ſubſcribo.

XXIII. *Noverint univerſi quod* Nos Infans Petrus: *Illuſtris Domini Petri felicis recordationis Regis Aragonum, filius.* Attendentes ſummam eſſe ſapientiam, mortem propriam, ac noviſſima memorari, & ab intimis jugiter meditari, quod nihil eſt certius morte, nihil incertius hora mortis; idcirco volentes mortis inſidiis, & ejuſdem occultis, ſubitis, & inſperatis inſultibus, toto conamine obviare, & ad ſubeundam mortem ipſam Nos totis viribus præparare: provida deliberatione decrevimus alicujus ſacræ, & approbatæ religionis habitum in vita noſtra recipere, & in aliqua Eccleſia Religionis ejuſdem noſtram eligere ſepulturam. Sane advertentes devotionem, quam prædictus Dominus Rex pater noſter, ac recolendæ memoriæ Dominus Alphonſus Illuſtris Rex Aragonum frater noſter ad beatiſſimum ſanctum Franciſcum, Confeſſorem, ejuſque ſacratiſſimum Ordinem habuerunt, penſantes quod Sereniſſima Domina Conſtantia Illuſtris Regina Aragonum mater noſtra, ex ſpeciali devotione, quam ad prædictum Confeſſorem, & ejus Ordinem habuit, habitum ſanctæ Claræ ſuſcepit. Quorum volentes ſequi veſtigia, ipſoſque deſiderantes in ſuis factis, ac piis actibus imitari;

Conſtantia Regina habitum ſuſcepit S. Claræ.

id-

idcirco in manibus veſtris, Venerabilis Pater Hugo, Dei gratia Cæſarauguſtane Epiſcope, promittimus & vovemus, quod ante mortem noſtram habitum prædicti Ordinis ſancti Franciſci recipiemus, & in eodem habitu, cooperante Domino, moriemur, eligentes ſepulturam noſtram in Eccleſia Fratrum Minorum domus civitatis Cæſarauguſtæ, ubi faciemus nos, ſi citra mare deceſſerimus, ſepeliri. Et ut prædicta majori gaudeant firmitate, juramus ad ſancta Dei Evangelia, manibus noſtris corporaliter tacta, prædicta omnia, & ſingula inviolabiliter obſervare. Actum eſt hoc in Refectorio domus Fratrum Minorum civitatis Cæſarauguſtæ, præſentibus præfato Domino Epiſcopo, ac Venerabilibus & religioſis, fratre Paſchaſio de Valle Leporaria Cuſtode, fratre Romeo Ortitii Doctore, fratre Martino Perez de Calatayud Guardiano domus prædictæ, ac fratre Bruno, & aliis Fratribus multis Conventus domus prædictæ; factum. III. Idus Maii anno Domini MCCXC.

Nos Hugo miſeratione divina Cæſarauguſt. Epiſcopus ſupradictis propria manu ſubſcribimus, & noſtrum ſigillum huic Inſtrumento apponi juſſimus, in teſtimonium præmiſſorum.

Mon. MS. Prov. Arag.
Ann. 1285. n. 3.

XXIV. Fidem his addidit Petrus de Mortoriella publicus Notarius, ex quibus conſtat Aragonenſium Regum in Franciſcanos propenſio; confirmaturque, quod de ſuſcepto a Conſtantia Regina habitu ſanctæ Claræ diximus ſuperius. Juxta hoc votum curatum eſt transferri corpus Infantis ab illo loco, quo obiit, in prædictam Eccleſiam a ſe inchoatam, ad latus Epiſtolæ prope altare majus, ubi conditum eſt in ſepulcro marmoreo, ſed donec Templum perficeretur, aliquo tempore depoſitum fuit cadaver in æde capitulari. Legavit ex facultatibus pro reliqua Eccleſiæ ſtructura quinque millia aureorum, & ſupellectilem omnem ſui ſacelli. Ejus affectum erga Fratres illius domus imitatus eſt vir Illuſtriſſimus Petrus Coroñel, dum ipſe cæmentarii ſpeciem, & opus ſuſcepit pro extruendis muris Monaſterii, quod adjuncto quodam horto vicino, ampliatum eſt, male id ferentibus quibuſdam civibus, & Epiſcopo Ximeno de Luna, propter ſublatum viculum intermedium. Erant itaque qui noctu deſtruerent, quod Fratres interdiu extruebant; ſed pietas Coronelli inter cæmentarios laborantis, atque armata militum manus quam adhibuit, contradictores, ut cederent, omnino coegit.

Petri Coronel. erga eam [illegible] affectus.

Conv. Barbaſtri.
Gonza. in Prov. Arag. Con. 9. Monume. MSS. illius Prov.

XXV. Hoc eodem tempore ædificatus judicatur Conventus Barbaſtri prædicti Aragoniæ Regni, non ignobilis civitatis, cujus accolæ deditiſſimi ſunt ſancto Franciſco, curaruntque ædem omnibus numeris abſolvi. Vel in hoc uno eorum elucet pietas, quod viginti unam confraternitates inſtituerunt in Templo hoc Minoritico. Viennæ Allobrogum, ad ſiniſtram Rhodani in Gallia Lugdunenſi ſitæ, circa hunc annum tertio ædificatam Minorum ædem a Joanne urbis Archiepiſcopo aſſerit Gonzaga; quod conſtare nequit; ſub illo enim tempore non Joannes, ſed Guillelmus de Valentia erat Antiſtes, qui Concilium celebravit Provinciale anno MCCLXXXIX. Fuit quidem Joannes de Burnino hujus Sedis Antiſtes, ſed obiit anno MCCLXVI. XV. Kalend. Maii, inter quem, & Guillelmum interceſſerunt Guido de Avernia, & Raymundus Franciſcus. Verum eſt, Joannem hunc Conventum Minorum inſtauraſſe commodiore loco, uti ſcribit Jacobus Fodere in deſcriptione Provinciæ ſancti Bonaventuræ, ſed perperam eum Cardinalem vocat, neque enim in ſerie Cardinalium illius temporis ulla habetur mentio hujus Joannis de Burnino; atque in eo etiam erravit, eumque ſequutus eſt Clandius Ro-

Conv. Viennæ.
Gonzæ. in Prov. S. Bonav. Con. 38.
Fodere pag. 354.

berti, quod primo inſtitutum Conventum hunc dicant anno MCCXII.
Cand. in Gallia Chriſtian. in ſerie Archiep. Viennen.
cum nullum adhuc, neque in Gallia, neque alibi extra Italiam fundatum ſit ſub illo tempore domicilium Minorum, ut ex actis, & chronologia exorientis tunc Ordinis a nobis in primo Tomo exacte diſcuſſa, facile conſtabit. In prima fundatione ſitum obtinuit hoc Monaſterium intra urbis mœnia in platea ſancti Gervaſii, in ſecunda, ultra Rhodanum ad ſanctæ Columbæ plateam, in tertia, eum in quo modo eſt. Si tertia hæc ædificatio tribuitur prædicto Joanni, non poteſt in hunc annum, ut ſcripſit Gonzaga, incidere, ſed anteriorem neceſſe eſt ut dicamus: vel ſi in hoc tempus referenda, ſecunda illa conſtructio ultra Rhodanum adſcribenda eſt Joanni, quem cum patre & matre in hujus Conventus Eccleſia dicit Gonzaga voluiſſe ſepeliri. At non hic, ſed Romanis in Eccleſia Minorum a ſe extructa ſepultum, licet Romæ mortuum, ſcribit Claudius prædictus. De præclaris Dei ſervis in Eccleſia hujus Conventus
Ann. 1287. n. 15.
Viennenſis tumulatis, jam egimus ſuperius.

Conv. Juliæ pacis.
XXVI. Circa hoc tempus ædificari cœpit Conventus Juliæ Pacis in Luſitaniæ Tranſtagana, vulgo *Beja* (quam ita olim a Romanis colonis nuncupatam peculiari probat tractatu vir doctus Andress Reſendius) ſi
Reſendius tom. 2. Hiſpan. illuſtratæ.
Gonza. in Prov. Algar. Con. 12.
Ann. 1284. n. 6.
Vita S. Antonii.
verum eſt, quod Gonzaga ſcribit, loci fundum a Dionyſio Rege fuiſſe conceſſum; nam hic regnare cœpit, uti alibi diximus, anno MCCLXXX. Verum in vita ſancti Antonii apud me MS. & ſæpius in hoc opere citata, refertur ſub hoc tempore fundum dediſſe, & pecunias multas in fabricæ ſumptus erogaſſe Petrum Petri, virum potentem, & divitem indigenam; atque ob hæc, & alia beneficia Minoribus præſtita languenti SS. Franciſcum & Antonium apparuiſſe, & ſalutem reſtituiſſe. Opus adhuc imperfectum commendavit fidelium caritati quidam Archiepiſcopus Compoſtellanus ſub anno MCCCXLVIII. Translatus eſt ad Patres Obſervantes anno MDXLII.

XXVII. Plurimorum occurrit Conventuum memoria ſub hoc anno in regeſto Pontificio, quos ſacris commendavit Nicolaus Indulgentiis, de quibus dum aliunde alia non ſuppetunt monumenta, ſaltim monebimus
Con. Avenionen.
ſub hoc tempore has ædes extitiſſe. Avenionenſem Eccleſiam Minorum, in qua permultæ, inquit Pontifex, Sanctorum reliquiæ reconditæ fore dicuntur, viſitantibus in diebus Aſſumptionis, & ſancti Franciſci, atque
Reg. Vat. ep. 779. ann. 25.
Tom. 3. an. 1247. n. 1.
per octavas aliquot indulgentias elargitur. Diximus alias Avenione celebrata Comitia generalia ab Innocentio IV. ex quibus etiam colligitur habuiſſe tunc in illa civitate Minores domicilium. Maſilienſem Eccle-
Conv. Maſſilien.
ſiam, in qua Hugonem de Dina, & ſororem ſepultos diximus, multis
Ann. 1278. n. 31. ann. 1282. n. 11. Epiſt. 805. n. 2.
ornatam reliquiis Sanctorum aſſerit etiam Pontifex, dum hoc anno Indulgentiis cohoneſtat. Extructus erat Conventus egregio opere extra portam regiam, in eoque tumulatus fuit ſanctus Ludovicus Toloſanus, quem poſtea in Hiſpaniam detulerunt Catalani. Demoliti ſunt funditus cives locum poſt bellum Borbonicum, ne hoſtibus eſſet præſidio, tanta
Ann. 1513. Epiſt. 5. ann. 3. epiſt. 27. 79. 148.
enim loci majeſtas arcem potius, quam Conventum repræſentabat. De altero Monaſterio intra urbem extructo, atque Obſervantibus tradito, ſuo loco ſcribemus. Conceſſæ ſimiliter Indulgentiæ Eccleſiæ ſancti Fran-
Conv. Bobii.
Conven. de Lomolo.
Conv. Petragoricen.
Gonza. in Prov. Aquitan. recent. Con. 30.
ciſci de Aſula Brixienſis diœceſis. Eccleſiæ ejuſdem Sancti, urbis Bobii in Ducatu Mediolanenſi. Eccleſiæ Minorum de Lomolo aliis Limoſo Narbonenſis diœceſis, Petragoriorum urbis Epiſcopalis, non oppidi ut habet Gonzaga, in Aquitania ad illam fluvium, in Duranium poſtea dilabentem. Conventus ab hæreticis in cineres & favillam redactus eſt

anno

anno MDLXXII. Primum ejus lapidem poſuiſſe Rodulphum de Turribus
Epiſcopum Petragoricenſem, qui electus eſt anno MCCXVII. ſcribit
Claudius Roberti. Brageriaci, quod prædictæ diœceſis Petragoricenſis *Claud. de Epiſco. Petrag.*
oppidum eſt; atque hoc domicilium eamdem ſenſit hæreticorum rabiem, *Reg. Vat. ep. 149.*
quam Petragoricenſe, in quo etiam varie paſſi Fratres, ſed ceteris cru- Conv. Brageriaci.
delius frater Petrus Toelatus Sacerdos, ab iniquis prædonibus occiſus.
Eccleſiæ ſancti Severini diœceſis Camerini in Piceno, quam ſub ſancti Conv. S. Severini.
Franciſci ætate conſtructam ferunt Oppidani; quibus adſtipulatur bulla
Innocentii IV. data ſub initio Pontificatus. Eccleſiæ Montis Macella- *Gonz. ibid. Con. 36.*
rum, diœceſis Aſculanæ. Grajacenſi, diœceſis Biſuntinenſis in Burgun-
dia. Liſſordenſi, diœceſis Lauſanenſis apud Latobriges. Vercellenſi in *Epiſt. 313. 314.* *Epiſt. 321.*
Pedemontano Principatu, ubi floruit Magiſter Antonius Vercellenſis, *Epiſt. 340.*
cujus elucubrationes eruditionem teſtantur. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de *Epiſt. 144.* *Epiſt. 370.*
Venetiis, Caſtellanæ diœceſis. Donecaſtriæ, Eboracenſis diœceſis in *Epiſt. 259.*
Anglia. Hiſdinienſi, Morinenſis diœceſis in Gallia Belgica. Sancti An-
geli Papalis in regno Neapolitano, & Vallis Montanæ, Signinæ diœceſis *Gonza. in Prov.*
in Latio, quam a Patribus Benedictinis ad noſtros, ait Gonzaga, transla- *Rom. Con. 15.*
tam per Comitum Illuſtriſſimam familiam.

XXVIII. Similiter cohoneſtavit Eccleſiam Saxoferrati, Nucerinæ Conv. Saxoferrati.
diœceſis in Piceno, ſive (ut aliis, juxta variam provinciarum partitio-
nem placet) in Umbria, oppidi inſignium virorum natalitiis celeberri-
mi, cui adlabitur Sentinus amnis, qui in Miſam fluvium præcipitat,
atque ab hoc amne, vel potius a Sentino urbe, quæ intervallo ſtadiorum
duorum ſupra Saxumferratum, in via quæ Foſſatum Umbriæ oppidum
ducit, olim extiterat, uti notat Perottus, a quibuſdam etiam Sentinum *Perottus in deſcript. March.*
appellatur. Hinc ortus Bartolus Saxoferratenſis illuſtre legum lu-
men, omnium Juriſconſultorum princeps, qui noſtrum Sodalitium gra- Bartolus commendatur.
viſſimo pignore, & æterno amoris monumento ſibi devinxit, ſcriptis an-
no uno ante obitum quatuor libris in ejus defenſionem, & commenda-
tionem, quos *Minoriticas deciſiones* nuncupavit, ubique etiam ejuſdem
tutela ſuſcepta, cui demum ſuum corpus commendavit, tumulatus Peru-
ſiæ anno MCCCLV. in medio Eccleſiæ Minorum, ſepulcro ſoli pavimento
æquali, & marmore occluſo, quod in ambitu ejus habet epitaphium.
Vitam luculenta oratione ſcripſit Joannes Paulus Lancellottus. Illic
etiam nati Alexander Oliva ob virtutem ex Generali Eremitarum ſancti
Auguſtini a Pio II. ultro Cardinalis appellatus, & Nicolaus Perottus
Sipontinus Antiſtes Latinis, Græciſque litteris apprime eruditus, nec
non Pyrrhus nepos, utriuſque idiomatis gnarus, uti volumina eorum
multa, & docta teſtantur. Oppidani contendunt Conventum extructum
ſub ſancti Franciſci ætate, & ſane ante annum MCCXLVIII. extitiſſe pro-
bat bulla Innocentii IV. data anno IV. ſui Pontificatus VI. Idus Aprilis;
quam ad ædis vetuſtatem comprobandam pridie antequam hæc ſcribe-
rem, mihi oſtendit Reverendiſſimus Dominus Torquatus Perottus præ-
dicti Perotti Sipontini Antiſtitis abnepos, Sanctiſſimi D. Urbani VIII.
intimus Cubicularius.

XXIX. Eccleſiæ de Serra ſancti Clerici, Camerinenſis diœceſis, Conv. Serræ.
cujus ſub hoc nomine non invenio veſtigium in antiquis catalogis Con- *Epiſt. 427.*
ventuum; niſi fortaſſis idem ſit cum eo, quem Serræ ſancti Quirici in
Cuſtodia Æſina habent Codices antiqui, qui ante annum MCCLXIII. con-
ſtructus eſt, ut patet ex bulla ibi aſſervata; vel cum alio, quem locum *Piſan. confor. 11.*
de Serra abſolute vocat Piſanus, vel de Serra Petronum Rodulphus, *Rodul. fol. 256.*
re-

reponuntque in Cuſtodia Camerini. Quod ſi hæc illa eſt ædes, ſunt qui contendant ſancto Franciſco coævam, & ab eodem originem accepiſſe. Vixit & obiit hic beatus Joannes de Martello, ſepultus eſt prope aram beati Antonii de Padua. Prima Eccleſia, irruente aquarum torrente, minabatur ruinam; propterea translata eſt ad locum, in quo nunc eſt ſub Joanne XXII. quam reſtauravit Magiſter Joannes Picus Generalis Miniſter, ibique conditus eſt ante prædictam aram ſancti Antonii. Item

Conv. Veglenſis. Eccleſiæ Veglenſi, Cuſtodiæ Arbenſis. Eccleſiæ Variſii, Mediolanenſis

Epiſt. 457. Epiſt. 474. Epiſt. 475. diœceſis, & Cuſtodiæ Contanæ; in Monaſterio contiguo habetur in veneratione puteus, quem ſanctum Antonium Patavinum ferunt conſtruxiſſe. Eccleſiæ Decii, ejuſdem diœceſis, ſed Cuſtodiæ Modoetiæ.

Epiſt. 478. Eccleſiæ Figiaci, quod Aquitaniæ oppidum eſt, Caturcen. diœceſis, pertinebatque olim ad Cuſtodiam Ruthenenſem.

B. Aldemarius. Ibi ſepultus eſt beatus Aldemarius, qui mortuos ſuſcitavit, & multa patravit miracula.

Piſan. citat. Gonz. cit. Con. 23. Epiſt. 480. Hic initiatus eſt frater Bertrandus de Turre vir doctiſſimus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Eccleſiæ Scardeburgenſi, Piſano Scardebrigienſi, Eboracenſis diœceſis in Anglia.

Epiſt. 488. Eccleſiæ Yporienſi, aliis Eporedienſi in Cuſtodia Vercellenſi.

Epiſt. 521. Rodul. fol. 260. Vide anno 1300. Eccleſiæ Anagnienſi, in Cuſtodia Campaniæ, cujus facta eſt translatio ſub Bonifacio VIII. data Guillelmitis Eccleſia Minorum, & his Eccleſia ſancti Matthæi.

Piſan. citat. Hic, ait Piſanus, jacere fratrem Haymonem Anglicum olim Ordinis Miniſtrum, alioſque plures viros præclaros, unde colligi poteſt ejus vetuſtas.

Ann. 1295. Epiſt. 522. Epiſt. 544. Epiſt. 560. Hic initiatus eſt beatus Andreas Anagninus, de quo agemus inferius. Eccleſiæ Caſtri plebis, diœceſis & Cuſtodiæ Cluſinæ. Eccleſiæ Grahanenſi, diœceſis Lincolnienſis, & Cuſtodiæ Oxonienſis. Eccleſiæ Aquaſpartanæ, Tudertinæ diœceſis & Cuſtodiæ, circa hoc tempus a Matthæo Aquaſpartano Cardinale

Epiſt. 557. Epiſt. 598. Epiſt. 609. Ibidem. conſtructæ. Eccleſiæ Eboracenſi, in Anglia. Eccleſiæ Salienſi Cuſtodiæ Biſuntinæ & diœceſis. Eccleſiæ de Ledone, ejuſdem diœceſis & Cuſtodiæ. Eccleſiæ Montis-regalis, diœceſis Reatinæ.

Conv. Tauri. XXX. Eccleſiæ etiam ſancti Franciſci urbis Tauri, vulgo Hiſpanico *Toro*, Zamorenſis diœceſis in veteri Caſtella, in qua alias diximus quoſ-

Epiſt. 560. Ann. 1270. n. 31. Gonza. in Prov. S. Jacob. Con. 55. dam pios viros eſſe ſepultos. Ejus vetuſtatis, aut originis nihil certum invenire ſe potuiſſe fatetur Gonzaga, illudque apud eum primum eſt antiquitatis monumentum, quod nobiles cives Taurini Joannes Roderiquez de Puerto-carrero, ejuſque conjux Beatrix Barreto, anno MCCCCLXIII. reædificarunt majus ſacellum, quorum ſucceſſoribus, atque iis, qui ex affini proſapia de Acunna deſcendunt, in ſepulturam deſeruit. Reſarcitum, ſeu verius arcuato opere iterum ædificatum eſt anno MDXX. a Reverendiſſimo Domino Franciſco de Seſa Almerianorum Epiſcopo; qui etiam teſtamento legavit Eccleſiæ perficiendæ, & ornandæ omnem ſacram ſupellectilem, atque octingentos aureos numeratæ pecuniæ; Fratribus vero inſtructiſſimam pro ratione illius temporis Bibliothecam. Quod reliquum eſt ædificii, pro majori parte adjunxit, vel reſarcivit anno MCCCCLXXX. Reverendiſſimus Dominus Alphonſus a Fonſeca Epiſcopus Oxamenſis. Præter Stephanum de Corvino, quem alias

Ann. 1270. n. 31. diximus, in hoc Monaſterio ſepultum, jacent piiſſimi viri Franciſcus de Villamizar prophetico ſpiritu illuſtratus, & Didacus a Solorzano ex Ineſtroſa oriundus, vir integerrimæ vitæ ad ſacelli majoris latus alterum tumulatus, quorum vitas dabimus tempore opportuno. Floruerunt in hoc Conventu eumque rexerunt Matthæus Ovetenſis, frater Franciſcus

Tom. 3. an. 1254. n. 46. a Soſa, Joannes Rada, quos alias diximus ad inſulas Pontificias aſſumptos,

ptos, & Antonius de Velon, cujus prudentiæ tantum tribuit Philippus II. ut omnium religionum, tunc commotarum ex imprudenti cujuſdam reformatoris clerici ſecularis regimine, cauſas ei commiſerit, quas ex tempore deſideratæ paci reſtituit. Sæpius hoc in Conventu hoſpitio exceptus numquam illum ingreſſus ſum, quin pietatem, & diſciplinæ regularis ſpecimem manifeſte præ ſe ferre mihi videretur. „ Eccleſiæ ſancti Franciſci Zamorenſis in feſtivitatibus Annunciationis, Nativitatis, „ Purificationis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, ac beatorum „ Franciſci, & Antonii Confeſſorum, perque illorum Octavas pias di„ ſtribuit indulgentias unius anni, & quadraginta dierum.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Rodrig. in Bulla 9. ſub Nicol. IV.*

XXXI. Hoc anno VIII. Kalend. Februarii ex commiſſione Pontificis Nicolai anno II. facta Guardiano Avileſii, vulgo Hiſpanico, *de Aviles*, Ovetenſis diœceſis, diſpenſandi cum quibuſdam conſanguineis, ut matrimonio conjungerentur; conſtat jam Minores ibi obtinuiſſe habitaculum, cujus ante annum MCCCLXXX. nullum monumentum vetuſtioris originis ſe percepiſſe fatetur Gonzaga. Extra oppidi muros extructum, ſunt qui ſuſpicentur a Templariis inchoatum, & ad noſtros poſtea devolutum; quo tamen auctore, vel quando, nemo eſt qui dicat. Altari beatæ Virginis Mariæ a dextra majoris ſacelli ſupereminet imago ſancti Antonii a Padua, cui ſubeſt ſepulcrum piorum mercatorum ſancto Antonio addictiſſimorum, qui quotannis in ſancti Patris natalitiis laute Fratres reficiebant, & ſub mortem bonam ſuarum facultatum partem eiſdem legarunt. Horum nepoti Nicolao Alphonſo inter navigandum decidit annulus, quem hæreditario jure a parentibus acceperat; ſed cum inſtante prædicto feſto, quo Fratribus juxta avorum mandatum prandium paraſſet, & aliquot piſcatores, qui piſces ad convivium lautius inſtruendum caperent, ſollicite miſiſſet, extraxerunt unum, in cujus ventriculo amiſſus annulus eſt repertus. Quod ſancti Viri meritis, & miraculo omnes adſcripſerunt, ejuſque memoriam, depicto in imaginis gyro totius rei eventu voluit Nicolaus poſteris proſtare.

Reg. Vat. ep. 770. Conv. Avilleſii. *Gonza. in Prov. S. Jacob. Con. 20.*

XXXII. Facta etiam hoc anno facultas nobili viro Oddoni de Grandiſono ædificandi domicilium Minorum in loco ſuo de Liſſerdone, Lauſanenſis diœceſis, de qua re dedit etiam ad Epiſcopum Nicolaus Pontifex litteras, ut pium hoc opus in ſua diœceſi fieri permitteret, dummodo conſtaret de narrationis veritate: *Expoſuit nobis*, &c. Idibus Decembris. Antea vero Fratres aliquod habuiſſe habitaculum, & Eccleſiam conſtat ex Indulgentiis datis eorumdem Eccleſiæ, uti paulo ſuperius narravimus.

Conv. Liſſerdonis. *Hoc anno n. 26.*

XXXIII. Plurimarum etiam Sanctimonialium ædium ſe offert hoc anno, vel fundatio, vel memoria; quæ vetuſtati eorum indagandæ non nihil inſerviet. Ubetenſem in regno Granatæ in Hiſpania ſub hoc anno, vel paulo prius inceptum ſuſpicandi præbent fundamentum litteræ Roderici Epiſcopi Marrochiorum, & Legati, quem diximus per univerſam Africam, quibus hoc anno exhortatur fideles, ut huic domui conſtruendæ manus porrigant adjutrices. Multæ in hujus loci archivo conſervantur bullæ Pontificiæ, & regia diplomata; ſanctique Andreæ inter Moniales valde accrevit devotio, quod Mariam a Raja Abbatiſſam a ſcrofulis, & Sorores plures a peſte mirabiliter ſanaverit.

Monaſt. Ubetenſe. *Gonza. in Prov. Granat. Mon. 2.*

XXXIV. Ejuſdem temporis cenſetur illa Fulginatenſis, quæ hodie ſanctiſſimæ Trinitatis titulum præfert, quam Berardus Epiſcopus plurimis gratiis affecit, & tertii Inſtituti ſectatricibus deſeruit. Confirmat quæ

Monaſt. Fulginaten. S. Trinitatis. *Jacobil. cit.*

Ann. 1257. n. 23. Epiſt. 26.

quæ ſupra diximus de fundatione Monaſterii de Ghuiſchia, diœceſis Carnotenſis, quod hoc anno conceſſerit Pontifex Iſabellæ de Marchia Dominæ de Cantotheyn, Andegavenſis diœceſis, amitæ Eduardi Regis Anglorum, licentiam illud ingrediendi ter in anno; quippe de propriis bonis, inquit Pontifex, magna ex parte dicebatur illud dotaviſſe. Indulgentias etiam conceſſit Pontifex, Eccleſiæ ſanctæ Claræ Avenionenſis, in qua dicebatur multas eſſe reconditas Sanctorum reliqnias. Religioſiſſimum hoc fuiſſe a principio Monaſterium, ait Gonzaga, ſed temporis decurſu laxioris evaſiſſe diſciplinæ. Collapſam reſtauravit Franciſcus Cardinalis de Claromonte, dum eſſet Legatus Avenionenſis, conſtituta in Abbatiſſam propria ſorore ex Monaſterio Albigenſi evocata, cujus corpus in veneratione habetur a Sororibus. Erectum hic ſepulcrum nobiliſſimæ fœminæ Vicecomitum de Cadeneto, quorum plures hic requieſcunt.

Epiſt. 147.

Gonza. in Prov. S. Lud. Mon. 2.

Reg. Vat. ep. cit. Indid. Con. 8.

Monaſt. Carcaſſonen.

XXXV. Similiter conceſſit Eccleſiæ ſanctæ Claræ Carcaſſonæ, Gallicæ urbis, juxta Pyrenæos montes ad amnem Ataxium extructæ. Sub anno MCCCCLXXVIII. Sorores omnes obierunt ex epidimia; ſed fundum Fratres Minores retinuerunt, & Monaſterium incolis deſtitutum, Regis Ludovici XI. auctoritate, & ſuperiorum permiſſu, occuparunt. Eccleſiæ ſanctæ Claræ Narbonenſi; Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ Eugubinæ; Eccleſiæ ſanctæ Claræ Burdegalenſi, cujus Sorores numero deficientes & victu, conjunctæ ſunt hoc ultimo ſeculo Clariſſis Annunciationis in eadem civitate; Eccleſiæ Clariſſarum ſanctæ Mariæ in Salice de Vallemontana, Signinæ diœceſis; Clariſſis ſanctæ Seraphiæ, Terdonenſis diœceſis. Clariſſis ſancti Nicolai Recineti, ubi aliud ſancto Stephano dicatum narrat Gonzaga, ſed recens extructum, hujus tamen nullam agit ibi mentionem. Clariſſis ſancti Stephani in Burgo Sveſſano. Clariſſis Allarizii, Hiſpanice *Allariz*, diœceſis Auriæ inter Gallecos, quarum Conventum non niſi anno MCCXCII. ait Gonzaga extruxiſse Violantem Caſtellæ Reginam Alphonſi Regis relictam, cum hoc ipſo Nicolaus eis conceſserit regulam, ac Monaſterium jam eſse fundatum a prædicta Regina, eamque deſiderasſe ejuſdem Inſtituti cum illius loci Clariſsis fieri; & ſub habitu regulari, cum eiſdem militare referat in monumento Vaticano; cujus etiam plura diplomata ante hunc annum data ſervari in Sanctimonialium Archivo ſcribit ipſe Gozaga. Quare ante hunc annnm oportet dici ſuiſse inchoatum; fortaſsis illo, quo hic auctor ſcribit anno, complementum accepit. In choro prædictæ Violantis nepotes Philippus & Margareta, inſuper & Rodericus Paez de Biezma, atque Joannes Rodericus a Biezma ambo Mntis-regii apud Gallecos Vicecomites, erectis quatuor mauſolæis, ſepulti ſunt. In altero Eccleſiæ Sacellorum requieſcit beatus Pater Garſias Blandes, præfatæ Reginæ, & Sanctimonialium Confeſsarius, & ſancti Jacobi Provinciæ Miniſter. Ejus meritis plura in dies beneficia Deus fidelibus, præſertim ipſis Monialibus, quarum ad ipſum devotio incredibilis eſt, impartitur. Alias plura ejuſdem geſta narrabimus.

Epiſt. 148. Epiſt. 259.

Epiſt. 297.

Gonza. in Prov. March. Mon. 5. Epiſt. 445. Epiſt. 577.

Mon. Allarizii.

Idem in Provin. S. Jacob. Mon. 5.

Fr. Garſias Blandes.

Mon. de Coſta Granaroli.

Epiſt. 491.

XXXVI. Patriarchæ Antiocheno adminiſtratori Eccleſiæ Januenſis ſcripſit hoc anno Pontifex, ut Virginibus domns ſanctæ Margaritæ de Gratia de Coſta Granaroli prope Januam, quæ nullæ adhuc regulari obſervantiæ erant aſtrictæ, cum ab illis fuiſſet requiſitus, Regulam & Inſtitutum ſanctæ Claræ Apoſtolica auctoritate conederet, non obſtante quod Civitas ipſa eccleſiaſtico erat ſuppoſita interdicto. Eamdem Regulam

Iam conceſſit Monialibus introductis in novum Monaſterium ſancti Mar- *Ep. 600. & 161.*
celli prope Pariſios, cujus fundationem dedimus ſuperius. Virgines in- *Anno 1288. n. 42.*
troduxit Epiſcopus Carnotenſis auctoritate ſibi commiſſa a Joanne Cio-
letti, tituli ſanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinale, tunc in regno Franciæ
Apoſtolicæ Sedis Legato. Indulſit etiam nobili mulieri Beatrici relictæ
quondam Henrici Comitis Lucemburgenſis, ut poſſet ingredi Monaſte- *Ep. 500.*
ria Clariſſarum Aureæ Vallis, Vallis ſancti Lamberti, Alnenſis, Cam-
beronenſis, ac de Hymorede, necnon alia, quorum aliunde nobis
occurrunt veſtigia. Eorum quæ recitavimus, nulla alia ſuppetit noti-
tia.

XXXVII. Indulſit hoſpitali leproſorum ſancti Lazari de Vallencellis *Ep. 817. an. 2.*
Spoletanæ diœceſis, cujus curam gerebant Minores, ut tempore inter-
dicti generalis poſſent divina officia celebrare, & familiaribus, ac famu-
lis ejuſdem hoſpitalis liceret ubicumque in locis, ſeu domibus Ordinis
Minorum audire eadem officia, ac eccleſiaſtica recipere ſacramenta; &
ne tenerentur ad præſtationem procurationum Legatornm Sedis Apo- *Ep. 515. anno 3.*
ſtolicæ, vel Nuntiorum ejuſdem, aut exactionum, vel collectarum, ſeu
ſubſidiorum quorumcumque: *Paupertati veſtræ &c.* Idibus Novembris.
Confirmavit conceſſionem Eccleſiæ ſanſti Petri ſitæ extra muros Civitatis *Ep. 25.*
Dignenſis in Gallia ſactæ Minoribus ejuſdem urbis pro commodiori
conſtructione ſui Templi per bonæ memoriæ B. Epiſcopum Dignen-
ſem: *Sacram Religionem* II. Kal. Martii. Scripſit ad Canonicos duos *Ep. 356.*
Laudunenſes ut Apoſtolica anctoritate facerent, ne Abbates & Mona-
chi Benedictini ejuſdem urbis amplius moleſtarent Minores circa locum
eiſdem conceſſum intra Civitatem per ſanctum Ludovicum: *Petitio di-*
lectorum IV. Non. Septembris. Ratam habuit donationem Eccleſiæ ſan- *Epiſt. 377.*
cti Blaſii Anagniæ, cum omnibus juribus ſuis factam Minoribus provinciæ
Romanæ per Clariſſas ſancti Petri de Vineis Anagniæ: *Cum a nobis peti-*
tur II. Non. Auguſti. Miniſtris Generali & Provincialibus facultatem
Impertivit inſtituendi, ſeu nominandi procuratores, ſyndicos, vel
actores, qui nomine Eccleſiæ Romanæ relicta Fratribus exigerent, vel *Epiſt. 574.*
permutarent; quod & antea diximus Martinum IV. conceſſiſſe: *Religio-* *Anno 1283. n. 14.*
nis favor X. Kal. Septembris. Dedit litteras ad Abbatem & Conventum
Monaſterii Turonenſis Ordinis ſancti Benedicti, ut Minoritis intra ur-
bem ſe transferre volentibus qnaſdam domos ad ſe ſpectantes vendere
vellent pro novæ ædis conſtructione: *Significarunt nobis* IV. Non. De- *Epiſt. 349.*
cemb. Abbatiſſæ & Conventui de Scala lapidis ſanctæ Mariæ Ordinis
ſanctæ Claræ, Cracovienſis diœceſis indulſit, ut de nemoribus & ſilvis,
quæ poſſidebant, decimas ſolvere non tenerentur: *Volentes vobis* X. Kal.
Decembris. Fratres & Sorores tertii Ordinis juſſit ut aſſumerent viſita-
torem ex Minoritis, & qui huic ordinationi reſiſteret, puniretur; quod
adjecit propter quoſdam, qui imprudenter ac temere dicebant non poſſe
ſalvari in hoc Ordine, qui contra conceſſam a ſancto Franciſco liberta-
tem, quemcumque approbatæ Religionis Sacerdotem eligendi in viſita-
torem, ſe adſtringeret jnxta Pontificls conſilium, Ordini dumtaxat Mi-
norum, de quo nos peculiares addidimus notas ad tertii hujus Ordinis *Vide Comment. in*
Regulam: *Unigenitus Dei Filius* VI. Idus Auguſti. *regul. 3. n. 41.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Ex diſcrimine rerum Chriſtianarum in Oriente angitur Pontifex.

Dogl. par. 3. fol. 382.

,, I. Quibus curis, & anxietatibus ſollicitaretur pontificium cor,
,, ob calamitates & infortunia belli, quæ ſubibant Chriſtifide-
,, les in Oriente, haud facile exprimi poteſt, cum ſupra mo-
,, dum, & menſuram ex Ægypto mala in eorum ultimam perniciem
,, inundarent. Perdiderant noſtri omnem fere Terram ſanctam; etenim
,, Soldanus Ægypti plurimo ſtipatus milite validiſſimo, vi armorum
,, Tripolim, Sidonem, & Barutym Phœnicis Civitates claras, amplas
,, & opulentas illis eripuerat, & jam ſola ſupererat Ptolemais, Acri, &
,, Acone nuncupata, in Phœniciæ confinio, media inter Joppen & Tri-
,, polim, utrinque ab illis diſſidens LX. M. P. antiquiſſima, & plurimo
,, referta populo, quæ centum quinquaginta millium Sarracenorum
,, bellicos impetus valide ſuſtinebat, ſed non duratura diu. Hæc inter
,, alia ſunt, quæ dire Pontificis præcordia lancinabant, fortiterque
,, premebant: quamobrem bonus Paſtor ſuis ovibus conſulturus, undi-
,, que in hoſtes Chriſti clamabat ad arma, ac proinde Philippo Franciæ
,, Regi, cui nuntium miſit fratrem Joannem Sameſium, pro quo etiam

Oder. ex Vatic.

,, Breve peculiare expedivit: *Rogavimus &c.* XVII. Kal. Januarii. Item
,, ſcripſit Terræ ſanctæ ſupremas anguſtias enarrans, & valida auxilia

Expedit litteras.

,, poſcens: *Rogavimus &c.* V. Kal. Januarii: replicavit: *Pridem &c.*
,, V. Idus Decembris: tertio pariter: *Gerentes cordi &c.* Nonis Decem-

Indicul. ex Vatic.

,, bris: quarto quoque ad eumdem expedivit: *Cum venerabilem &c.*
,, VIII. Kal. Maii. Eduardum etiam Angliæ Regem in eumdem finem

Litteræ Apoſtol. pluribus Regibus, & aliis.

,, Apoſtolicis diplomatibus excitavit, & primo ipſi Regi, & Regno:
,, *Gaudemus &c.* XV. Kal. Junii: & ſecundo: *In ſuaſionibus &c.* XIII. Kal.
,, Junii, ſcripſit. Rodulpho quoque Regi Romanorum litteras direxit,

Ex Oderico. n. 9. 97. 19. 33. & 49.

,, in quibus pariter commendat fratrem Benevenutum Minoritam:
,, *Conſiderantes attentius &c.* V. Idus Septembris. Gerardo quoque
,, Epiſcopo Sabinenſi Breve deſtinavit: *Paſtoralis officii &c.* X. Kal. Apri-
,, lis. Cajetanis, quos pronos in auxilium Chriſtianorum Paleſtinæ
,, audiverat, Indulgentias, & gratias Terræ ſanctæ conceſſit: *Dum per-
,, ſecutiones &c.* IV. Idus Auguſti. Bonus igitur, vigil, & ſollicitus
,, Paſtor nihil intermittebat operis, ut miſeris inter anguſtias poſitis
,, illarum partium Chriſticolis auxiliaretur; ſed aliud exigentibus pec-
,, catis, peſſimo diſcordiæ ſpiritu exagitati Eduardus, & Philippus Re-
,, ges, a quibus validæ ſuppetiæ ſperabantur, invicem armis decerta-

Principes Chriſtiani inter ſe contendunt.

,, bant. Rodulphus vero a ſeditioſis Thuringiæ in Alemania vexaba-
,, tur, quamobrem viciniori malo ſibi occurrendum erat, a quo ut ſeſe
,, expediret, ſexaginta Caſtella eorum ſolo æquavit; ſed Ptolemais in-

Dogl. cit. ſupra fol. 382.

,, terea, ut Barbaris duobus menſibus reſtiterat, feſſis diutino labore
,, ſuis defenſoribus, & quod plus erat, invicem contendentibus ob
,, Dominatum Patriarcha Conſtantinopolitano, Templaribus, Theu-

Ptolemais cedit Sarraceno.

,, tonibus, Regibus Cypri, & Siciliæ, necnon Piſanis, qui eam defen-
,, debant, tamdem derelicta miſera Civitas habitatoribus vacua, arſa
,, & conſumpta Sarraceno ceſſit: ac ita Chriſtiani Orientalibus oris pri-
,, vati, Cyprum & Ciliciam tantum tenere potuerunt: ob hæc mœrore
,, plurimo afficiebatur ſummus Pontifex, at non conſternabatur.

Aliæ litteræ in favorem aliquorum Conventuũ.

,, II. Plura vero Minoritis conceſſit Nicolaus, vel indulſit, præter
,, ab Annaliſta congeſta: & quidem in favorem Conventus Lucani pro
ſcpul-

,, ſepultura breve expedivit: *Ea quc &c.* Nonis Decembris: Fratribus *Indicul. ex Vat.*
,, ſanctæ Mariæ de Venetiis, ut nonnulla bona alienare poſſent: *Cum ad*
,, *promerenda &c.* Item: *Exhibita &c.* xv. Kal. Septembris: Pro Con-
,, ventu Laudunen: *Petitio dilectorum &c.* iv. Nonas Septembris: Pro
,, donatione cujuſdam loci Fratribus Senonenſibus: *Significarunt &c.*
,, Kal. Decembris: Pro concordia Conventus Cameracenſis: *Quanto ſtu-*
,, *dioſius &c.* xii. Kal. Decembris: Miniſtro Provinciæ ſancti Franciſci,
,, ut poſſit abſolvere a cenſuris: *Dudum &c.* v. Kal Decemb. Miniſtro
,, pariter Aragoniæ, ut poſſit abſolvere: *Ad noſtram &c.* x. Kal. Augu- Facultates quibuſdam Miniſtris
,, ſti: Fratribus vero Guillelmo, & Giraldino licentiam teſtandi fecit,
,, per duo ſimilia Brevia: *Quia præſentibus &c.* Idibus Julii, & Idibus
,, Octobris: Contra Apoſtatas, & receptores eorum leges tulit: *Cum*
,, *ſicut &c.* Kal. Novembria: ſed fratrem Petrum Barbelum cupientem
,, apoſtolicum ſubire laborem inter Infideles libenter dimiſit: *Cum*
,, *ec &c.* Kal. Novembris.
,, III. Plures etiam favores & gratias noſtris Sanctimonialibus con- *Indicul. ex Vat.*
,, ceſſit, ut iis Antiqueræ, qnas a recitatione officii exemit: *Ut Apoſtoli-*
,, *cæ &c.* Nonis Januarii: & omnibus, quas voluit immunes a ſolutione Privilegia pro Monialibus.
,, decimarum: *Quanto ſtudioſius &c.* v. Kal. Februarii: qua gratia Mo-
,, niales etiam in ſpecie Monaſterii de Scala lapide donavit: *Volentes &c.* *Ex Archiv. SS. Apoſt.*
,, x. Kalend. Septembris, & eas Urbisvetanæ: *Religionis &c.* Nonis Octo-
,, bris: erectionem autem Monaſterii de Alarico approbavit: *Cum om-*
,, *nis &c.* v. Idus Novembris: cui etiam nonnullas indulgentias contu-
,, lit: *Licet is &c.* Idibus Decembris: Sed Monaſterio ſanctæ Margaritæ
,, de Gratia de Coſta Granaroli prope Januam, cupientibus Monialibus,
,, Regulam ſanctæ Claræ indixit: *Ex parte &c.* xiv. Kal. Novembris:
,, de quo etiam Wadding. ad hunc annum: & Moniali Criſpinæ quam- *Wadd. ad hunc an. 1290. n. 15.*
,, dam ſingularem gratiam fecit: *Perſonis &c.* vi. Kal. Aprilis: Tamdem Et pro Comi. Bl. ac Iſabella.
,, Comitiſſæ Blancæ, ac D. Iſabellæ ingreſſum Monaſteriorum conceſſit:
,, *Excellentia &c.* xii. Kal. Januar. &: *Pium arbitramur &c.* Nonis
,, Martii; Indulgentias autem per plures, præter a Waddingo aſſigna-
,, tas, collegit Petrus de Alva & Aſtorga, ut eſt videre in ſuo indiculo,
,, ad quem lectorem remittimua.
,, IV. Originem autem earum Monialium, quæ vulgo *Converti-*
,, *tæ &c.* dicuntur, ex Bertrando Toloſanæ hiſtoriæ ſcriptore habemus:
,, is enim ait hoc anno MCCXC. fratrem Vitalem de Furno Toloſatem, Fr. Vitalis Monaſterium excitat ſancti Saturnini.
,, qui poſtea fuit Antiſtes Vaſatenſis, & S. R. E. Cardinalis, Monaſte-
,, rium nobilium Monialium ſub titulo ſancti Saturnini excitaſſe, quæ
,, tunc temporis a meretricio, non re, ſed nomine tenus transfugæ
,, mulieres cognominabantur, non autem ob vitam turpem aut flagitio-
,, ſam. Erant enim revera nobili genere oriundæ virgines, quæ humili-
,, tatis ſtudio in eo Monaſterio vitam religioſe inſtituendam ſuſcepe- Moniales illius dicuntur Convertitæ.
,, runt, ſub nomine Puellarum e mundi lupanari transfugarum. Dein-
,, de vero Antonius Abbas ſancti Saturnini triginta Virgines in eodem
,, Monaſterio ſacro Velo inauguravit, qnas D. Saturnini Canoniſſas ap- Canoniſſæ vocantur.
,, pellari voluit, anno MCCCXIV. ut Monumenta Provinciæ Aquitaniæ
,, antiquioris commemorant. Verum an poſteris temporibus, quod
,, initio ab humilitate deſpectuque mundi, quem vere lupanar dicere
,, poterant, quia revera etiamnum talis experitur, nomen univoce aſ-
,, ſumpſerint eæ, quæ *Convertitæ* nunc dictæ ſunt, aliis diſentiendum re- *Mon. Prov. Aquit. antiq. MSS.*
,, linquo.

ARGUMENTUM.

Capta Ptolemayde a Soldano Ægypti, trucidantur Minoritæ & Clariſſæ. Parat auxiliares copias in Syriam tranſmittendas Pontifex Nicolaus, mittitque Minoritas duos, qui Orientalium Principum implorent auxilium, eoſque ad fidem Chriſtianam amplectendam adhortentur. Multa circa ſanctæ Inquiſitionis negotium decernit, piis locis inſtaurandis exornandiſque incumbit, & Minoritas aliquot facit Epiſcopos. Moritur beatus Lupus ſancti Franciſci diſcipulus, & Nicolaus Lyranus ſe tradit Minoritis. Recenſentur plurimæ Minorum ædes, & privilegia.

Soldanus Ægypti Ptolemaydē expugnat.

I. POTENTISSIMO exercitu ſexaginta millium equitum, & centum ſexaginta millium peditum Melec-Seraf Soldsnus Ægypti obſedit hoc anno die v. Aprilis Ptolemaydem, urbem Syriæ nobiliſſimam, mercatorum Orientis, & Occidentis ditiſſimum emporium, cujus celebris

In libris Machab.

memoria habetur io ſacra Scriptura, eamque obtinuit die iv. Maii, non abſque ingenti Chriſtianorum clade, ex quibus ſexaginta millia deſiderata ſunt, quorum potiorem partem gladius devoravit, partem alteram ignis abſumpſit, tertiam mare deglutivit, pugnante orbe terrarum contra inſenſatos, qui dum pace potiti ſunt, Terram ſanctam ſceleribus, & vitiis contaminarunt, & in belli diſcrimine conſtituti mutuis odiis atque diſſidiis exarſerunt, donec hanc & quindecim alias Civitates perdiderunt, & deleta ſunt in illa regione reliquiæ Chriſtianorum. Vere illis aggravata eſt via Maris trans Jordanem Galilææ gentium; ſed juſtus Dominus & rectus, qui fecit illis ſecundum nequitiam adinventionum ipſorum, propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Miſerum totius rei eventum narrat Rubeus in vita Nicolai IV. ex quo omnem ex-

Rubeus in Nicol. IV.
Brov. an. 1289. n. 1.

ſcripſit Bzovius, ſed duobus antequam contigeris annis. In illo communi exitio ſucceoſa illorum æde, perieruut pleriq ue Minores, ex quibus hi duo notiores ex nomine frater Jacobus Cuſtos Syriæ, & frater Hiere-

Trucidantur Minoritæ.

mias Socius ejuſdem. Quidam vero evaſerunt ex Fratribus cum aliis ſecreta fuga dilapſi; at ex virginibus Clariſſis, nulla; quarum Abbatiſſa virilis

Antonin. tit. 24. c. 9. §. 11.
Chron. antiq. Ord.

pectoris fœmina, cum audiret Sarracenos in Civitatem irrupiſſe, ad tintinnabuli ſonum evocatas omnes Sorores potenti ſermone perſuaſit, ut eſſent fortes io fide Sponſo promiſſa, & virgineum thorum conſtanter vellent immaculatum: *Fœmineum*, inquit, *animum cariſſimæ filiæ, & præſtantiſſimæ Sorores iu certo vitæ & pudicitiæ diſcrimine hic oportet exuere:*

Clariſſarum conſilium.

Præ foribus adſunt, non tam corporis, quam animæ hoſtes, qui poſtquam libidinoſo furore obvias quaſque ſtupris commaculant, gladiis transfigunt: Secundum hoc iu præſenti rerum ſtatu evadere jam non licet, primum avertamus hoc ſecuro, licet duro conſilio. Decor fœminarum plerumque viros capere ſolet, tollamus incentivum hoc, ut unde violandarum Virginum deſumitur occaſio, inde tuendæ pudicitiæ proveniat remedium. Forma corrumpenda eſt, ut pudor integer, incoruptaque permaneat virginitas. Ego exemplo præibo, quæ immaculato ſponſo immaculatæ cupiunt occurrere, operis imitentur magiſtram. His dictis ſtatim novacula ſibi naſum abſcidit, reliquæ vero idipſum intrepide fecerunt, ſpecioſas facies variis

Occiduntur a Sarracenis.

ictibus deformantes, ut ſpecioſæ occurrerent Chriſto, & meliorem invenirent reſurrectionem. Hac ſane ratione impolluta ſervarunt corpora. Etenim Sarracenis dum cruentata facie, & horrendo occurrunt ſpectaculo,

lo, horrori fiunt, non libidini: quare ex ſævo Chriſtiani nominis odio omnes ad unam crudeliter trucidarunt; virginitatiſque gloriæ fortiter conſervatæ martyrii lauream addiderunt. Non ſemel laudat Bzovius iſtud fœminei pectoris invictum robur, ſed longis intervallis errat in anno. Primo loco id refert ſub Clemente IV. anno MCCLXVIII. Secundo, id repetit ſub Nicolao IV. anno ſupra MCCLXXXIX.

Bzov. an. 1268. n° 12.
Idem an. 1289. n. 2.

II. Celebris eſt inter Doctores quæſtio: An liceat cuipiam ſibi ipſi mortem inferre, aut proprias manus injicere? Atque dubium circa has ipſas Sanctimoniales attigit Antoninus, dicens: *Nempe ex eo quod ſe vulneraverunt, niſi excuſentur ex ſpeciali instinctu Spiritus ſancti hoc feciſſe, ſecundum communem legem graviter peccaſſent*. Id ipſum docuit Auguſtinus de Samſone ſibi mortem inferente; etenim poſtquam dixerat nullatenus licere, *ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali cauſa, nobiſmetipſis necem inferamus*, ſubjunxit: *Non autem ipſe occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum eſt gladius utenti. Nec Samſon aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat*. Similiter dixit alibi: *Samſon non ſua ſponte fecit, ſed hoc Spiritui Dei tribuendum eſt, qui uſus eſt eo, ut faceret, quando illi affuit; quod facere non poterat quando idem ſpiritus defuit*. Et de ſanctis fœminis ſe ipſas occidentibus, ut pudicitiæ caverent, aptius ad rem noſtram: *Sanctæ*, inquit, *fœminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum & necaturum ſe flumen projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earumque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur*. Et paucis interpoſitis, ait: *Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere? Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis in crimen vocat? quis obſequium pietatis accuſet?* Laudat Euſebius mulierem quamdam Antiochenam nobiliſſimam, & geminas filias Virgines corporis pulchritudine, & ætate integra præſtantes, quod ſe in profluentem gurgitem projecerint, ne eis abuterentur nefarii ſatellites. Cedrenus id ipſum refert de uxore, & filiabus Adaucti Martyris. Euſebius & Nicephorus referunt, Sophroniam Romanam nobiliſſimam & caſtiſſimam, ne duceretur ad impium Maxentium libidinoſe abutenda, gladio ſe ipſam transfixiſſe. Mirifice laudant Ambroſius, & Chryſoſtomus Pelagiam Virginem, cujus illuſtris eſt mentio in actis Luciani Martyris & Presbyteri Antiocheni, quæ e tecto altiſſimo ſe dejecit, timens violatum iri ſuam pudicitiam. Hujus Pelagiæ mater, & ſorores ſe præcipitarunt in flumen, uti narrat Ambroſius, & largius proſequitur, examinatque hiſtoriam Baronius. Magna vero veneratione colebatur Antiochiæ, & Conſtantinopoli hujus ſanctæ Pelagiæ memoria. Plurima ſunt hujuſmodi exempla illuſtrium fœminarum in Eccleſiaſticis tabulis commendatarum, atque ultra omnes ſanctæ Apolloniæ, cujus natalitium ſolemniter celebratur, quæ ſe in flammas ultro projecit; atque inde in Eccleſia hæ laudantur, quod Domino jubenti obſequutæ credantur; qui enim laudabiliter manus continent ab homicidio, quia Dominus vetuit occidere, non ſunt condemnandi dum occidunt, ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere. Non illa in hac re difficultas; an liceat necare præeunte dominico præcepto? ſed, an ille ſit, qui ſecreto præcipiat, cujus lex manifeſta vetuit quempiam occidere? Videatur prudenter, & examinetur exacte, utrum di-

Theologi ad 2. 2. q. 64. art. 5. Canoniſtæ ad 23. q. 5. c. Si non licet. Antonin. cit.

An liceat alicui ſibi manus inferre.

Aug. lib. 1. de Civit. Dei c. 20.

Judic. 16.
Idem c. 21. & habetur 23. q. 5. c. Si non licet.
Idem l. 1. con. Gauden. c. 31.

Idem l. 1. de Civit. Dei c. 25.

Euſeb. l. 8. hiſt. Eccleſ. c. 24.

Plures fœminæ illuſtres ſe occidunt.

Cedrenus fol. 229
Euſeb. l. 1. de vita Conſtant.
Nicephor. l. 7. c. 21.
Ambroſ. l. 3. de Virg. & epiſt. 7. ad Simplician.
Chryſoſt. hom. duab. de ſanct. Pelag.
Baron. an. 303.

divina juſſio nullo nutet incerto, & non potius ille qui ſe transfert in Angelum lucis, ſub ſpecie melioris vitæ, quæ poſt mortem ſperatur, callide ducat in miſerrimam, dum certum ſit reos ſuæ mortis meliorem poſt mortem vitam non ſuſcipere. Neque certam in his ſecretis impulſibus, & motibus internis audemus Regulam præſcribere; nos per aurem conſcientiam convenimus, occultorum nobis judicium non uſurpamus: *Nemo ſcit quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.*

1. Cor. 2. 11.

Pontifex ſuccurrere cupit Chriſtianis in Syria.

Ex litteris Curial. arch. Vatic. ep. 10. & 41.

III. Redeo ad afflictos in Syria Chriſtianos. Nicolaus Pontifex, audito calamitoſo eorumdem ſtatu, majori quam unquam ſtudio ſubſidium parabat, & conſcribi milites cruceſignatos ſtudebat, amandata cura Provincialibus Minorum, & Prædicatorum in Angliæ, & Hiberniæ, aliiſque Europæ Regnis, & Provinciis, ut per ſe ſuoſque ubique Crucis verbum prædicarent, & Chriſtianos ad transfretandum ſuaderent. Deinde ad Europæ Principes converſus, ſingulos hortatus eſt, ut hanc Provinciam liberandæ ab hoſtibus Syriæ magno animo ſuſciperent, quando totum ſere robur Chriſtiani nominis ſecum deferrent, eorumque muneris eſſet, ipſa arma, quæ tam acriter vibrabantur inter illos pro fidei Chriſtianæ propugnatione, adverſus impios hoſtes convertere. Neque ſolum Europæos Principes ad ſacrum hoc bellum ciebat, verum & ab Orientalibus quibuſque poſtulavit auxilium. Habeo ejus litteras magna animi teneritudine ſcriptas ad Andronicum Imperatorem Græcorum, ad Imperatorem Trapeſundæ, ad Argonem Regem Tartarorum, ad Regem Armeniæ, ad Regem Hiberorum, & ad Regem Georgianorum, ut opem & operam pro viribus impendant ad hujuſmodi negotium celeriter & feliciter promovendum. Quibus annunciat Eduardum Anglorum Regem vivificæ Crucis jam aſſumpſiſſe ſignaculum, & brevi, auctore Domino, transfretaturum. Ad hæc gravi edicto, velut hoſtes Eccleſiæ notavit, diriſque devovit, qui non modo arma, ligna, ferrum, quod jam pridem fuerat interdictum, ſed quaſcumque merces Alexandriam, vel ad alia Ægypti loca Sultano ſubjecta, deveherent, quemadmodum adhuc legitur inter conſtitutiones juris Pontificii. Cardinales duos Gerardum Parmenſem, & Benedictum Cajetanum in Gallias miſit, ut compoſita inter Aragonium, Siculum, & Gallum Reges, Philippum Franciæ, & Eduardum Angliæ adverſus Sarracenos animarent. Eduardo jam Cruceſignato, & potiorem belli molem in ſe ſuſcepturo, centum millia marcarum Sterlingarum ex decimis fructuum Eccleſiaſticorum, & reliquam ex piis legatis, atque votorum redemptionibus collectam pecuniam in uſum hujus belli conceſſit; ſed ille petebat ſibi aſſignari quidquid erat in illo Regno cenſus Eccleſiæ Romanæ. Egit etiam per Internuntium cum Rodulpho Rege Romanorum, ut copias auxiliares una cum ceteris Principibus tranſmitteret; ne etiam Cyprus & Armenia minor, olim Cilicia dicta, quæ ſolæ in fide pro Chriſtianorum rebus conſtanter remanſerant, in Sarracenorum poteſtatem venirent. Sed parum prævaluit apud hos Principes Pontificis auctoritas, & pium Chriſtianis ſubveniendi deſiderium, dum Gallum magis urgerent domeſticæ cum Hiſpanis diſſenſiones; Anglus pecuniis potius coacervandis, quam ſuppetiis mittendis inhiaret; Rodulphus vero, qui præ ceteris Pontificiis mandatis incumbere videbatur, dum Spiram ad Comitia pro hac re indicta properaret, ſenio & ægritudine in itinere deceſſerit in oppido Spirenſis agri, Germanis Kayn, pridie Kalen. Octobris.

Epiſt. 44. & ſeq.

Ibid. ep. 50.

Vide extr. Multa mentis. *inter extrav. commun. Ibid. ep. 89. Epiſt. 3.*

Epiſt. 90.

Mittuntur Minoritæ ad Principes Orientis.

IV. Duos etiam miſit Pontifex Minoritas Guillelmum de Cherio

Po-

Pœnitentiarium ſuum, & Matthæum de civitate Theatina Lectorem, multis & magnis privilegiis munitos, qui præſentes excitarent Principes Orientis, ut Chriſtiano nomini ſuccurrerent, & ſerius agerent cum Argone Tartarorum Rege (quem perperam Jacobus Gordonus ex Sabellico obiiſſe affirmat anno MCCLXXXVIII.) ut cum duobus filiis Sarone & Caſſiano ſacrum ſuſciperet baptiſma, quibus pium præbuerat exemplum filius alter Nicolaus. Paulo ante receperat ab eo Pontifex litteras per nobilem virum Chaganum Nuntium, quibus ita reſpondet.

Gord. an. 1288. Sabel. Enea. 9. l. 7.

Magnifico viro Argoni Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ ducat ad gloriam in futuro.

V. *Solita benignitate recepimus litteras, quas nobis per dilectum filium nobilem virum Chaganum, tuum Nuntium direxiſti, & ea quæ continebantur in ipſis pleno collegimus intellectu. Nos autem Celſitudinis Regalis affectibus, quos in beneplacitum Domini dirigi cupimus, annuentes ſuper contentis in litteris ſupradictis favorabiles & affectuoſas litteras, prout a nobis inſtantius poſtulaſti, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Eduardo Illuſtri Regi Angliæ duximus dirigendas. Sane Princeps magnifice, ſalutem tuam ſinceris affectibus diligentes penes Magnitudinem Regiam per alias noſtras litteras, quas ſincera caritas produxit in medium, duximus hactenus inſiſtendum, ut ſacrum baptiſma reciperes, teque Chriſtianæ fidei titulis inſignires, ut in conſpectu Regis altiſſimi, qui virtutum omnium operator cæleſtia ſimul, & terrena diſponit, gratus & acceptus occurreres, honor regius incrementa ſuſciperet, & augeretur in populis gentium nomen tuum, tuque fama & viribus creſceres laudando Chriſtianorum conſortio copulatus. Cum autem noſter hujuſmodi circa te tuamque ſalutem affectus exuberet, teque ipſis fidei aggregari cultoribus cupiamus, Magnitudinem tuam, ſicut iterum, ſic attentius & inſtantius rogandam duximus & hortandam, tibi ex intimo cordis affectu nihilominus ſuadentes, quatenus diligenter conſiderans, & prudenter advertens, quod cum dilectum filium nobilem virum Nicolaum natum tuum, quem affectione ſincera diligimus, & favore proſequimur ſpeciali, feceris non ſine laudum amplo præconio baptizari: dignum & decens fore dignoſcitur, ut & ad tuæ laudandæ intentionis propoſitum apertius exprimendum præfatum baptiſma ſub mentis devotione recipias, & Chriſtianam fidem, quæ humana illuminat pectora, & ſine qua placere Deo nemo poteſt, ſubmotis quibuſvis obſtaculis, & impedimentis quibuslibet eminus relegatis, promptus aſſumas conſtantibus animis obſervandam, ac univerſos Chriſticolas in terris tui dominii conſiſtentes, habens favorabiliter commendatos, eiſque te reddens in favore munificum & benignum, ipſos tuæ potentiæ brachio tuearis, ut per bonorum exercitium operum, poſt vitæ præſentis excurſum, quæ nullius certitudinem ſtatus habet, ad ſupernæ beatitudinis patriam perducaris, æternis gaudiis cum electis ceteris potiturus. Ceterum ſi ea, quæ per eumdem Nuntium tibi poſtulaſti tranſmitti, non mittimus, Celſitudo Regia non miretur, quoniam nos perſonæ uti Eccleſiaſticæ uſum talem non habemus. Ad hæc dilectos filios fratres Guillelmum de Cherio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum de civitate Theatina Ordinis Minorum latores præſentium, quos ad præſentiam Regiam pro tua tuæque gentis ſalute deſtinamus, pro Apoſtolicæ Sedis & noſtra reverentia, benigne recipias, & favorabiliter proſequaris, illoſque diligenter audias, & conſiliis ipſorum ſalubribus efficaciter acquieſcas. Dat. apud Urbem veterem* XII. *Kal. Sept. an.* IV.

Reg. Vat. ep. 51.

Invitat Argonem ad baptiſmum.

Commendat ei Chriſtianos.

Scri-

VI. Scripſit deinde ſub eodem tenore ad duas Reginas Tartarorum Anichohaminem, & Dathanaticatum, ut omni ſtudio laborarent pro reducendis duobus ſupradictis filiis Argonis ad fidem Catholicam, qua ipſæ erant imbutæ, addidit etiam ad eoſdem filios aliam epiſtolam exhortatoriam, & ad Nicolaum Chriſtianum jam factum, tertiam congratulatoriam.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Anichohamini Reginæ Tartarorum Illuſtri ſalutem.

Reg. Vat. ep.67. *GAudemus in Domino, a quo univerſorum charifmatum dona manant, quod tu, ſicut habet fide digna relatio, Chriſtianæ fidei radio illuſtrata, ipſam & intentis obſervas ſtudiis, & ad ejus agnitionem, ac terminos ampliandos attenta & ſollicita exhibes opem, & operam efficacem. Revera, cariſſima filia, per hujuſmodi laudanda opera, & ſalubria ſtudia in conſpectu Regis æterni grata redderis & accepta, & dilatabuntur in ſeculo ſonora præconiis famæ tuæ. Excitamus igitur in Domino magnitudinem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus obſequiis ſalubriter adhæſiſti, præmiſſa de bono ſemper in melius proſequaris, ut eo gratior & præmiis digna majoribus occurras Domino Deo tuo, quo uberiores bonorum operum in ejus horreum manipulos introduces. Ceterum cum nobiles viros Saronem & Caſſianum fratres, filios viri magnifici Argonis Regis Tartarorum Illuſtris, ad aſſumendam fidem Catholicam per noſtras exhortatorias litteras excitemus, eos ut precibus noſtris animis promptis obtemperent, prudenter inducere ſtudeas, prout tibi Dominus miniſtrabit. Cum autem dilectos filios Fratres Guillelmum de Cherio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum de civitate Theatina Ordinis Minorum latores præſentium, ad partes ipſas pro ſalute gentis ipſarum fiducialiter deſtinemus, ipſos pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, benigne recipias, & favorabiliter proſequaris, eis ſuper commiſſis ſibi negotiis tuum favorem, & auxilium, cum ab eis requiſita fueris, impenſura. Nos enim benedictionem noſtram tibi tenore præſentium in tuorum remiſſionem dirigimus peccatorum. Datum apud Urbem veterem Idibus Auguſti anno* IV. In eumdem modum cariſsimæ in Chriſto filiæ Dathanicatum Reginæ Tartarorum Illuſtri.

Nobili viro Saroni nato magnifici viri Argonis Regis Tartarorum Illuſtris, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Reg. Vat. ep.68. VII. *PAſtoralis officii commiſſi nobis a Domino debitum exigit, ut te ad ea quæ tuæ ſalutis profectus, & honoris incrementa reſpiciunt, tibique in orbe terrarum laudum titulos afferunt, ſollicitis inducamus ſtudiis, & affectuoſis exhortationibus excitemus. Sane tuæ Magnitudini cupimus aperiri, quod Salvator noſter Dei Filius Jeſus Chriſtus de ſummis cœlorum ad ima mundi, ut hominem, quem plaſmaverat, de nexibus ſervitutis eriperet, in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio, clementi dignatione deſcendens, veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit, ut proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, at ſuos mortis æternæ tenebris obvolutos, vitæ perennis efficeret poſſeſſores. Qui mundum ſalutaribus inſtitutis informans, tamdem poſt ſanctæ converſationis & operationis exempla, poſt evangelicæ inſtructionis eloquia, ad doctrinæ ſalutaris effectum, diræ mor-*

mortis ultro ſupplicium ſubiit, & die tertia reſurrexit a mortuis glorioſus, qui priuſquam pateretur, Regni cælorum claves beato Petro Apoſtolorum Principi, & per eum ſuis duxit ſucceſſoribus committendas, per hoc eis tam ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens, ut quodcumque ſuper terram ligatum redderent, ligatum haberent in cælis, & quodcumque ſolverent ſuper terram, ſolutum exiſteret in eiſdem. Unde nos, licet inſufficientibus meritis, Chriſti Vicarii, & ejuſdem ſancti Petri ſucceſſores in terris, diſponente Domino, conſtituti affectu deſideramus eximio, ut fidei Chriſtianæ cultores ſalutaribus actibus immorentur, ac ii, quos fides eadem non agnovit, ad rectitudinis ſemitam, auctore Domino, revocentur, eamdemque ſollicite ſervent fidem, cum ipſa ſit vera fides & recta, ſine cujus comitante ſuffragio placere Domino nemo poteſt, quæ reatas expurgat, ſalutis commoda tribuit, quæve corda menteſque purificat, & infidelitatis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis. Excitamus itaque nobilitatem tuam, & attentius exhortamur, ſano & ſincero tibi conſilio ſuadentes, quatenus ſedula meditatione recogitans, quam ſit fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quantis expoſita caſibus, quam inſtabilis ſtatus ejus; Conſiderans etiam quod magnifici Principis Argonis Regis Tartarorum Illuſtris tui patris affectio ſincera dirigitur ad Chriſtianam fidem, prout lætantes accepimus aſſumendam, quodque dilectus filius nobilis vir Nicolaus frater tuus, de ſua ſalute ſollicitus, & divinis beneplacitis ſe coaptans, ſacrum baptiſma ſuſcepit; ſeduloque recogitans, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, cum omne quod naſcitur neceſſario moriatur; promptus aſſurgas, præſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei, ac ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum ad laudem divini nominis, tuæ ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtratus, te ſolerter exerceas ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœniſve graviſſimis evitatis, æternæ baatitudinis præmia perpetuis duratura temporibus conſequaris, & extollatur glorioſe in ſeculo nomen tuum, Ad hæc multæ benignitatis affectum, quem Chriſtianis in partibus illis morantibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis proſequentes, petimus ut hujuſmodi affectum tua Nobilitas continuet circa illos. Ceterum dilectos filios Fratres Guillelmam de Cherio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum de civitate Theatina Ordinis Minorum latores præſentium, quos ad tuam præſentiam deſtinamus, pro tua, tuæque gentis ſalute, pro Apoſtolicæ Sedis, & noſtra reverentia, benigne recipias, & favorabiliter proſequaris, illoſque diligenter audias, & ſalubribus ipſorum conſiliis efficaciter acquieſcas. Datum apud Urbem veterem x. *Kalend. Septembris anno* IV.

In eumdem modum Nobili viro Caſsiano nato Magnifici viri Argonis Regis Tartarorum Illuſtris, & Nobili viro Tagharzar Duci exercitus Tartarorum.

Dilecto filio nobili viro Nicolao nato Magnifici viri Argonis Regis Tartarorum Illuſtris.

VIII. *EXultat cor noſtrum in Domino, a quo univerſorum chariſmatum dona manant, quod ſicut fide dignis aperitur affatibus, tu ſupernæ claritatis radio illuſtratus, & cæleſtis gratiæ benedictione præventus ad fontem baptiſmatis, non ſine laudum ſonora præconio, promptis animis convolaſti, quod eo acceptius & gratius noſtris accedit affectibus, quo te ſince-* *Reg. Vat. ep. 72.*

rius gerimus in viſceribus caritatis, tuæque ſalutis & honoris augmentum votis ferventibus affectamus. Rogamus igitur nobilitatem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus circa dona & laudabilia opera & virtutes, per quæ cælorum regnum acquiritur, tamquam benedictionis filius vigilantibus, & continuis ſtudiis te exercens, Chriſtianam fidem, cujus præcelſis inſigniis te ſalubriter decoraſti, ſub mentis conſtantia, & ſinceræ devotionis affectu ſtudeas obſervare, ut clara tuæ profeſſionis inicia obſervationis continuæ laudabilis commendet effectus, ceterique tuo ſalubri exemplo inducti ad ejuſdem aſſumptionem fidei propenſius excitentur, tuque poſt vitæ præſentis curricula, quæ nullius certitudinem ſtatus habent, æternæ beatitudinis præmia, quæ ſuis electis reſervavit Altiſſimus, conſequaris. Ceterum tibi affectuoſe conſulimus, & attentius ſuademus, quod in habitu ſeu veſtibus vel victu, ne inde materia diſſenſionis aut ſcandali contra te forſitan in gente tua valeat ſuboriri, nullam mutationem facias; ſed in ea conſuetudinem illam ſerves, quam ante baptiſmi lavacrum obſervaſti. Ut autem ipſius fidei ſeries tibi plenius innoteſcat, eam tibi annotatam inferius deſtinamus, quæ talis eſt. Credimus ſanctam Trinitatem &c. ut ſaperius in bulla Clementis IV. uſque quibuſcumque aliis ſemper ſalva. *Ceterum dilectos filios Fratres Guillelmum de Cherio Pœnitenciarium noſtrum & Matthæum de civitate Theatina Ordinis Minorum latores præſencium, quos ad tuam præſentiam, & etiam ad partes tuas pro gentis tuæ ſalute dirigimus, pro Apoſtolicæ Sedis, & noſtra reverencia, benigne recipias, & favorabiliter proſequaris, impendendo eiſdem ſuper commiſſis ſibi negotiis, cum ab eis fueris requiſitus, auxilium conſilium & favorem. Datum apud Urbem veterem* XII. *Kal. Septembris, anno* IV.

Vult ut in veſte cum cetatis conveniat.

Tom. 4. an. 1267. n. 2.

IX. Eamdem etiam Chriſtianæ doctrinæ inſtructionem, præmiſsa digna laude fidei Catholicæ, miſit ad Georgium Imperatorem Bulgarorum, necnon ad Archiepiſcopum illius gentis, hac ad eumdem data epiſtola, in qua ei revocat in mentem, quatenus unionem cum Eccleſia Romana profeſsus ſit publice in Palatio Blachernio Conſtantinopolitano, cum aliis Orientis Prælatis, uti nos alias enarravimus.

Ann. 1274. n. 2.

Archiepiſcopo Bulgarorum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Reg. Vat. ep. 22.

M*Iſericors, & miſerator Dominus, pia miſeratione attendens humanum genus mortis perpetuæ nexibus, in quos ipſum impegerat inimici doloſa ſuggeſtio, miſerabiliter obvolutum, ut eam a morte liberaret perpetua, & æternæ vitæ beatam conſtitueret poſſeſſionem, de excelſo ſolio ſancto ſuo ad ima mundi deſcendit, ubi veſtem noſtræ mortalitatis indutus, ultro morti ſe obtulit, & poſtmodum die tercia reſurrexit, mortem noſtram deſtruens moriendo, & vitam reparans feliciter reſurgendo; deinde de mundo aſcenſurus in cælum, ne gregi Dominico tanti aſperſione cruoris redempto tura deeſſet paſtoris, beatum Petrum Apoſtolorum Principem, & poſt eum omnes ejus in perpetuum ſucceſſores Vicarios ſuos in terris conſtituens, eis decrevit ſui gregis curam & ſollicitudinem committendam. Sane cum nos, licet inſufficientibus meritis, ſimus ipſius Dei omnipotentis Vicarii, & ejuſdem Apoſtolorum Principis ſucceſſores, ex debito paſtoralis officii jugi ſollicitudine attenti reddimur ut univerſi, quos per propagationem carnis humanæ naturæ produxit in eſſe, ii potiſſimum, quos ſacri baptiſmatis unda conſper-*

ſperſit, actus ſuos diſponant in lumine veritatis, & per rectam mandatoram Domini gradientes ſemitam, æternæ beatitudinis gaudia conſequantur. Porro ad hanc beatitudinem aſſequendam neceſſario exigitur, ut fides Catholica, quam tenet, profitetur, & docet ſacroſancta Romana Eccleſia, mater fidei, & magiſtra, cui licet immeriti præſidemus, firmiter & inviolabiliter teneatur. Commēdatio fidei. *Hæc enim caritatis eſt vinculum, & totius religionis ſanctiſſimæ fundamentum. Hæc reatus expurgat, mentes purificat, tenebras infidelitatis fugat, nubem erroris eliminat, commoda ſalutis impendit, & æternæ vitæ gaudia ſuis ſectatoribus repromittit. Hæc quippe alibi ad ſalutem haberi non poteſt, quam in communione ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ divinis & Apoſtolicis oraculis univerſis Eccleſiis eſt prælata, & ſuper omnes ſummum & præcipuum obtinet principatum.* Principatus Romanæ Eccleſiæ. *Quia vero nos ea, quæ ſalutis tuæ ac populi cui præes, incrementam reſpiciunt, totis deſideriis affectamus, fraternitatem tuam rogandam duximus, & in Chriſti viſceribus exhortandam, quatenus fidem hujuſmodi, quam ſicut præmiſimus, Romana tenet Eccleſia & obſervat, inconcuſſe prædices & teneas, ipſam promptis affectibus amplecti ſtudeas, & Magnificum Principem Georgiam Imperatorem Bulgarorum Illuſtrem, cui ſaper hoc ſalutem zelantes ipſius, noſtras litteras exhortatorias deſtinamas, necnon & populos tuæ, ac ipſius ditioni ſubjectos, ad fidem tenendam eamdem efficaciter dirigas & inducas. Tenet enim probabiliter noſtra credulitas, quod in iis, juxta Dei & noſtrum beneplacitum proſequendis exhibebis te voluntarium, facilem atque promptum, cum tu (ſi tamen ille ſis, qui tunc erat Archiepiſcopus Bulgarorum) alim coram quondam Magnifico viro Michaele Palæologo Imperatare Græcorum Illuſtri eo tempore Conſtantinopoli reſidente, profeſſus fueris in Palatio de Blachernia, deinde coram nobis, ſicut a tua excidiſſe memoria non credimus, oraculo vivæ vocis te Papæ Romano immediate ſubeſſe dixeris, tuncque ad hoc, ad quod te nunc inducimus, diſpoſitus videbaris. Exhortationem igitur hujuſmodi, frater cariſſime, quæ de caritatis radice procedit, devote ſuſcipias, & ſtudio efficaci adimplere procures, ut in retributione juſtorum extrema, tanto remunerari donis potioribus merearis, quanto in horreum Patris familias uberiores in te, ac aliis bonorum operum manipalos introduces. Ceterum ut fides & ejus forma fraternitati tuæ plenius innoteſcat, ipſas fecimus præſentibus annotari, quæ talis eſt: credimus ſanctam Trinitatem &c. ut ſupra in litteris Clementis IV. Datum apud Urbem veterem* x. *Kalend. Aprilis anno* IV. *Tom.4.an.1267. n.2.*

X. Singulis etiam datis litteris ad Conſtantiam olim Petri Aragonii Regis conjugem, ad Andronicum Palæologum Græcorum Imperatorem, ad Imperatorem Trapeſuntiæ, ad Regem Armeniæ, ad Archiepiſcopum Trapeſuntiæ, ad Berſaumam Epiſcopum in partibus Orientis, ad Epiſcopum Tauriſii, ad S. Catholicum Armeniæ, ut Nuntios hos Sedis Apoſtolicæ benigne reciperent, & per ſuas terras tranſeuntes digno proſequerentur honore, laudatis etiam per alias epiſtolas Catholicis viris, qui Regi Argoni adſtabant, & propagandæ fidei Catholicæ ſolerter intendebant, Nobilibus viris Ozolo de Piſis, de quo nos ſupra, Joanne de Boneſtra, & Xancto cuſtode perſonæ Regis Argonis: ampliſſimis privilegiis & gratiis affecit ipſos, quos mittebat Nuntios Minoritas, *Epiſt.42.* quæ ejuſdem inſtituti ſectatoribus in eaſdem Terras proficiſcentibus conceſſit Alexander IV. & nos alias exſcripſimus. *Tom.4.an.1258. n.2.*

XI. Neque inter tot rerum turbines, & gravium negotiorum mole-

Inſtituitur Inquiſitio in regno Boſnenſi.

ſtias neglexit fidei conſervandæ, & contra hæreticos procedendi ſtudium; etenim ad preces Stephani Regis Serviæ inſtituit in Principatu Boſnæ fidei læſæ Inquiſitores, datis ad Provincialem Minorum litteris, ut duos ex ſuis ſubditis viros prudentes, huic operi idoneos, & idiomatis illius gentis gnaros, auctoritate Apoſtolica deputaret fidei Judices, ad quos etiam aliud dedit diploma, quo ampliſſimam tribuit eiſdem facultatem. Ejuſdem tenoris inſtrumenta dedimus alias pro inſtitutis in Francia, & alibi Inquiſitoribus; & hæc illa ſunt quæ aſſervari ait Gonzaga in Conventu Jaderenſi, citatque Parama de inſtituta Inquiſitione in Boſna. Litteras ad Regem datas hic offerimus Lectori.

Epiſt. 24. & 25. Tom. 3. an. 1255. n. 14. Tom. 4. an. 1257. n. 18. Ann. 1288. n. 15. Param. de origine Inquiſ. lib. 2. c. 28.

Stephano Regi Serviæ Illuſtri.

Reg. Vat. ep. 23.

XII. *Quoniam inter cetera mentis noſtræ deſideria, illud inſiſtit potiſſimum cordi noſtro, ut fides Catholica, quam tenet, profitetur, & docet ſacroſancta Romana Eccleſia, mater univerſorum fidelium & magiſtra, votivum & Deo acceptum ſuſcipiat, eo propitio, noſtris temporibus incrementum. Grandi nimirum exultatione perfundimur, cum ad noſtrum pervenire contingit auditum, quod mundi Reges, & Principes Regis æterni, cujus negotium geritur, principalius in hac parte ſe beneplacitis coaptantes, ad ampliandum cultum fidei orthodoxæ Magnitudinis ſuæ colla ſubjiciunt, & aſcendentibus ex adverſo virtute induti ex alto, promptæ ſollicitudinis ſtudio ſe opponunt. Sane cum tu, fili cariſſime, zelo fidei, ac devotionis accenſus, per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibaren. tuæ celſitudinis Nuntium, Apoſtolatui noſtro duxeris humiliter ſupplicandum, quod cum in partibus Boſnæ tuæ ditioni ſubjectis, ſint quamplurimi hæretica pravitate infecti, qui a ſemita veritatis averſi, per falſitatis devium damnabiliter oberrantes, in æterni Regis contemptum, animarum ſuarum evidens periculum, & ſcandalum fidelium, fidem Catholicam depravare, pernicioſis ſeu peſtiferis ſuis aſſertionibus multipliciter moliuntur, aliquas perſonas idoneas, regionis illius idiomatis non ignaras, quarum converſatio, cum ſalutari eorum doctrina concordans, intuentibus normam honeſte vivendi tribuat, & exemplum puritatis, mittere dignaremur ad partes eaſdem, ut hujuſmodi erroris eliminata caligine, miniſterio earumdem habitatores illarum partium ad agnitionem veræ fidei, ſuperni luminis irradiante gratia, ſalubriter reducantur, tuum offerens conſilium & auxilium ad errorem eumdem de dictis partibus radicitus extirpandum. Nos qui, licet immeriti, Jeſu Chriſti Regis æterni humani generis Redemptoris vices gerentes in terris, grandi deſiderio ſingulorum ſalutem appetimus, & ad ampliandum cultum fidei Chriſtianæ, ſubmotis quibuslibet obſtaculis, totis deſideriis aſpiramus, de hujuſmodi tuo laudabili & ſalubri propoſito intra mentis noſtræ præcordia exultantes multiformiter, & Regi Regum proinde ad gratiarum actiones ſupplices aſſurgentes, ſupplicationi hujuſmodi ex fervore magnæ devotionis, & integritate fidei procedenti, favorabiliter duximus annuendum. Dilecto filio Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Sclavoniæ, qui perſonarum ſui Ordinis plenam habet notitiam, dantes per alias noſtras litteras in mandatis, ut auctoritate noſtra duos eligat ex eodem Ordine Fratres ad prædicta idoneos, qui ſint vita & converſatione probati, litterali ſcientia præditi, & regionis illius idiomatis non ignari, quos ad memoratas partes dirigat pro eliminanda ex eiſdem partibus hæretica pravitate, ac fide Catholica inibi, divina cooperante gratia,*

tia, ſalubriter amplianda. Magnificentiam itaque tuum rogamus, monemus, & in Jeſu Chriſto noſtræ ſalutis auctore, cujus negotium geritur, attentius exhortamur, quatenus Fratres prædictos ad proſecutionem prædicti negotii per dictum Miniſtrum, auctoritate noſtra, ut præmittitur, eligendos, cum ad te pervenerint, intuitu Dei omnipotentis, & ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, atque noſtram, qui te velut benedictionis filium cariſſimum, ſincera in Domino proſequimur caritate, benigne, ut Regiam decet celſitudinem, recipias, ipſoſque recommendatos habeas, & in proſecutione præfati negotii favorem, conſilium, & auxilium eiſdem impendas, ut dexteræ Magnitudinis tuæ freti, dictum negotium ad Dei laudem, Chriſtianæ fidei exaltationem, & tui nominis honorem efficaciter & ſalubriter perducere valeant ad effectum, tuque a retributore bonorum omnium, qui pro minimis grandia recompenſat, poſt vitæ præſentis exitum æternæ beatitudinis præmia proinde conſequaris. Datum apud Urbem veterem x. *Kalend. Aprilis, anno* IV.

XIII. Eumdem Regem Stephsnum, Reginam Helenam, regnum cum civitatibus, caſtris, terris, villis, & bonis omnibus, quæ legitime poſſidebant, ad illorum inſtantiam ſub beati Petri, & ſua protectione ſuſcepit. Reginæ vero ſequentes ſcripſit litteras, quibus pium ejus laudavit conatum, quo Georgium Imperatorem Bulgarorum, ſtudebat ad fidem reducere Catholicam, rogavitque impenſe, ut quod pie propoſuit, conſtanter exequeretur. In eiſdem commemorat, ſe a nobis ſuperius datas ſcripſiſſe ad Archiepiſcopum, & Regem illius gentis, ut conjunctis ſuis cum Reginæ præcibus, efficacius hujus ſequeretur converſio.

Epiſt.17.

Hoc anno n.9.

Helenæ Reginæ Serviæ Illuſtri.

Reg. Vat. ep.20.

Rogat eam ut impenſius agat de converſione Imperatoris Bulgarorum.

GAudemus, filia cariſſima, & Patri luminum proinde ad gratiarum aſſurgimus ſupplices actiones, quod ſicut per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibaren. tuæ celſitudinis Nuntium, læta mente ſuſcepimus, tu lumine fidei Catholicæ divinitus illuſtrata, ipſam non ſolum obſervare devotis affectibus comprobaris, ſed alios etiam ad illius agnitionem, & ejus terminos propenſius dilatandos opem & operam, multæ ſollicitudinis ſtudio, non deſinis exhibere: propter quod in conſpectu Dei omnipotentis, cujas cauſam proſequeris, te nimium reddis acceptam, & attollis in gentibus multipliciter nomen tuum. Sane cum dilectus Archidiaconus nobis ex parte tuæ celſitudinis duxerit ſupplicandum, ut magnifico Principi Georgio Imperatori Bulgarorum Illuſtri, cum quo ſuper reductione ipſius ad devotionem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ad fidei Catholicæ unionem proponis habere colloquium hac æſtate, noſtras exhortatorias litteras ſcribere dignaremur. Nos hujuſmodi tuæ Serenitatis ſalubre propoſitum condignis laudum præconiis attollentes, eidem Imperatori, juxta præfatæ ſupplicationis oraculum, necnon & venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Bulgarorum, qui ut noſtris ac tuis in hac parte deſideriis ſatisfiat, poteſt exiſtere plurimum fructuoſus, noſtras exhortatorias litteras, prout expedire vidimus, duximus dirigendas. Celſitudinem itaque tuam, filia cariſſima, rogamus, & in Jeſu Chriſti viſceribus, paternis affectibus, ſinceriſque mentibus exhortamur, quatenus ad eum, qui poteſt facere mundum de immundo, quique montes, *viros videlicet eminentes, de ſuæ dignitatis faſtigio præſumentes*, tangit, *co-*

Pſ.103.32.

eorum cordibus ſanctæ inſpirationis gratiam miſericorditer influendo, & ſumigant, *Deo devotionis ſacrificium offerendo, erigens oculos tuæ mentis, & in ipſo ponens anchoram tuæ ſpei, negotium hujuſmodi tam laudabile, tamque ſalubre ad Dei laudem, Catholicæ fidei exaltationem, & tui honorem nominis viriliter proſequaris, ut quanto in horreum dominicum uberiores bonorum operum manipulos in te ac aliis reportaveris, tanto a retributore bonorum omnium remunerari donis potioribus merearis. Datum apud Urbem veterem* x. *Kalend. Aprilis, anno* IV.

Varia Inquiſitionis monumenta.

XIV. Inſtituerat Pontifex Inquiſitorem in Marchia Tarviſina, ac civitate & diœceſi Veronenſi fratrem Bonajunctam de Mantua, quem in eodem officio & loco alii præceſſerunt Minoritæ, uti ſuperioribus annis retulimus, ſed illi acriter ſe oppoſuerunt frater Paganus Ordinis Prædicatorum, tunc in partibus Lombardiæ Inquiſitor, & frater Vivianus ejuſdem Ordinis, & inquiſitoris Vicarius; & eouſque proceſſum eſt, ut multæ turbæ excitarentur in urbe Veronenſi, opuſque habuerit Pontifex contradictores hos ad ſuum convocare conſpectum. Auditis quæ allegare pro ſua poterant defenſione, valde exceſſiſſe judicavit, quare ab Inquiſitionis officio eos in perpetuum abſolvit, aliaſque addidit pœnas quas Epiſcopo, Poteſtati, & Civibus ſcripſit Veronenſibus. Aliis Inquiſitoribus Minoritis conſulentibus eum ſuper eiſdem dubiis, quæ propoſita fuiſſe retulimus Alexandro IV. reſpondit eodem tenore verborum. Fratri Joanni de Peruſio Inquiſitori in civitate & diœceſi Spoletana, cujus prædeceſſores ibidem commemorantur frater Angelus de Tuderto, & frater Galganus de Eugubio, ſcripſit de abſolvendis quibuſdam qui injuſte calumniam paſſi erant de patre hæretico. De ſimili materia alias dedit litteras ad fratrem Leonardum de Tibure Inquiſitorem in Provincia Romana, in quibus fit mentio fratris Sinibaldi, ad Melfienſem Epiſcopatum, & Fratris Simonis, ad Aſſiſiatem aſſumptorum, necnon Angeli Reatini ejuſdem Leonardi prædeceſſorum. Per alia etiam plura diplomata ad varia dubia alias a ſe, vel a ſuis prædeceſſoribus ſoluta per peculiarium regionum Inquiſitores propoſita plene reſpondit. Ex uno horum diplomatum habetur, fratrem Bartholomæum Epiſcopum Groſſetanum Inquiſitorem egiſſe in Urbevetana civitate, & provincia Romana, ſed hoc anno mortuum, poſtquam tamen legationem perfecit Anglicanam (quam ſubiiſſe diximus anno ſuperiori) & in Concilio Londinenſi ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam facta revocari coegit, & Regem Eduardum ipſe, ſimul cum fratre Joanne Beccano Archiepiſcopo Cantuarienſi, juſte & pie reprehendit.

Epiſt. 506. 574. 575. & 576.

An. 1258. Epiſt. 15.

Epiſt. 56.

Epiſt. 121.

Epiſt. 447.

Templa ornavit Nicolaus.

XV. Præter hæc pietatis & religionis officia, res civiles prudenter adminiſtrari curavit, Urbis ſplendorem pulcherrimis ædificiis adauxit, vias aperuit, plateas fecit nobiliores, Templa reſtituit; atque ex his potiſſimum Baſilicas ſancti Salvatoris in Laterano, & ſanctæ Mariæ Majoris in colle Exquilino reſtauravit; Lateranenſis Templi anteriorem poſterioremque partes ruinoſas fortiſſimis repagulis additis, firmavit; partem aliam a fundamentis erexit, & abſidam ſive tribunam egregio opere muſivo exornavit. Quæ omnia in tabula ad abſidæ dextram muſivis carminibus exprimuntur, præfixis illis de viſione nocturna Innocentii III. conſpicientis pauperculum humeris Eccleſiam Lateranenſem ſuſtentantem. Illa nos exſcripſimus ubi de hac viſione erat tractandum, cetera hic ſubjungimus.

Fran-

Franciſci proles, primus de ſorte Minorum,
(Hieronymus, quarti Nicolai nomine ſurgens)
Romanus Præſul, partes circumſpicit hujus
Eccleſiæ certa jam dependere ruina,
Ante, retroque levat, deſtructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremo, quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis, facies hæc integra ſiſtens.
Quo fuerat, ſteteratque ſitu, recolatur eodem.
Præſulis ecce tui, Deus, hæc complectere vota,
Quæ tibi perſolvit, domus hujus amando decorem;
Serva, vivifica cælo, terraque beatum
Effice, nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui.
Ingrediens populus devotus munera ſumat,
Quæ bonus hic Paſtor dedit indulgendo benigne,
Et larga pietate Pater peccata remittens.
Anno ab Incarnat. Domini noſtri Jeſu Chriſti M. CC. XCI.
Pontificatus ejuſdem Domini Nicolai an. IV.

XVI. In alia tabula ad lævam abſidæ muſivis etiam characteribus deſcripſit, & enumeravit præcipua ſanctuaria & reliquias, quæ in ambitu Baſilicæ conſervabantur. Omnia exſcripſit Onuphrius Panvinus in deſcriptione hujus ſacræ Baſilicæ, & quæ præter hæc addita ſunt, adjunxit. Totam item Baſilicæ abſidam e muſivo, beatæ Virginis, & aliquot Apoſtolorum imaginibus depictis ornavit, quemadmodum etiam liquet ex hoc elogio in abſidæ faſcia ſub muſivo exarato: *Partem poſteriorem & anteriorem ruinoſas hujus Templi a fundamentis reædificari fecit, & ornari opere muſaico Nicolaus Papa IV. filius ſancti Franciſci, & ſacrum vultum Salvatoris integram reponi fecit in locum, ubi primum miraculoſe populo Romano apparuit, quando fuit iſta Eccleſia conſecrata anno Domini M. CC. XCI.* Ad latus dextrum ſuper faſciam ſubtus Apoſtolorum imagines, exprimitur nomen artificis, quem Minoritam fuiſſe aſſerit Marianus, de quo ego dubitaverim; neque enim in hac abſida, aut in illa Baſilicæ ſanctæ Mariæ Majoris *Fratris* prænomen affigitur, neque alium habeo hujus rei coaſſertorem; quare non hunc, ſed ſocium dixerim Franciſcanum, ut ipſæ denotant inſcriptiones. A latere enim dextro ita habetur: *Jacobus Torriti pictor cum ſocio hoc opus Moſyacum fecit*; A ſiniſtro vero ſub depicta parvuli fraterculi effigie: *Frater Jacobus de Camerino ſocius magiſtri operis recommendat ſe miſericordiæ Chriſti, & precibus ſancti Joannis.* Hemicyclum uſque ad Tophorum, ubi in tholi ſpeciem incurvatur, totum e nobiliſſimo marmore ſectis tabulis incruſtatum eſt, in cujus medio eſt Sedes Pontificis Romani emblematibus, & quibuſdam figuris ornata, ac ſex marmoreis gradibus impoſita, de qua antiqua hæc carmina leguntur.

Hæc eſt papalis Sedes & Pontificalis:
Præſidet & Chriſti de jure Vicarius iſti.
Et quia jure datur, Sedes Romana vocatur.
Nec debet vere niſi ſolus Papa ſedere,
Et quia ſublimis, alii ſubduntur in imis.

Totam chalcidicæ teſtudinem muſivo exornarunt prædicti artifices, atque ante omnia inter quatuor feneſtrarum interſtitia novem Apoſtolos depinxerunt. In abſidæ vero curvitate ſub ſancti Salvatoris facie, quæ populo

Panvin. in 4. baſilica.

pulo Romano apparuit, crux eſt elegantiſſima, a cujus utroque latere extant beatæ Virginis Mariæ, ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ, & Joannis Evangeliſtæ, ſanctorum Franciſci & Antonii de Padua, & hujus Nicolai Papæ IV. ſimulacra. A parte exteriori hemicycli pulchre exarari fecit effigiem beatæ Virginis, & prope eamdem ſanctæ Claræ Virginis imaginem.

XVII. Similiter exorſus eſt adornare ſanctæ Mariæ Majoris baſilicam eiſdem adhibitis artificibus; ſed morte præventus non potuit perficere. Ultimam manum appoſuit Jacobus de Columna Diaconus Cardinalis, in quem, & in univerſam familiam Columnenſem, multa contulit Nicolaus beneficia. Abſolutum eſt opus anno tertio ab obitu Nicolai; ita enim habetur in abſidæ curvitate a latere dextro: *Jacobus Torriti hoc opus fecit*, a ſiniſtro vero. *Anno* M. CC. XCV. Ampliſſimis Indulgentiis baſilicam affecit, quæ partim muſivis tabulis abſidæ lateribus affixis exprimuntur. Bullas conceſſionum datas anno I. ſui Pontificatus, nobis curavimus tranſcribi.

Cardinalis Aquaſpartanus fit Epiſcopus Portuenſis.

Fr. Joan. Archiepiſc. Jadrenſis.

XVIII. Aſſumptus hoc anno menſe Decembri, ſecunda Cardinalium creatione a Nicolao facta, Matthæus Aquaſpartanus, ex Cardinale tituli ſancti Laurentii in Damaſo, ad dignitatem Epiſcopi Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Ruffinæ. Ad Archiepiſcopatum Jadræ (quæ inſula eſt & urbs primaria Liburnorum ditionis Venetæ, corpore ſancti Symeonis, qui Chriſtum ulnis excepit, commendatiſſima) per obitum L. paſtore vacantem frater Joannes Minorita: *Ad univerſalis Eccleſiæ* II. Idus Februarii. In eadem ditione Veneta Epiſcopatui Feltrenſi, & Bellunenſi unitis, præfectum fratrem Jacobum Minoritam, conſtat ex quodam diplomate Nicolai hoc anno dato, quo ei concedit licentiam teſtamentum condendi; reſervat tamen ea bona, quæ prius erant Ordinis Minorum, cujus, inquit, profeſſor extitiſti. Data adminiſtratio Epiſcopatus Aliſani, aliis Alliphani, in regione Samnitum, Archiepiſcopo Regino in Calabria Minoritæ Gentili, quem ſuperius ad dictam ſedem diximus evectum. Conceſſa ei ampla poteſtas abſolvendi a cenſuris omnes tam Clericos, quam laicos, qui auxilio vel conſilio fuerunt Petro Aragonio vel ejus hæredibus contra utrumque Carolum Siciliæ Regem. Miſſo tamen Genuam pro negotiis Terræ ſanctæ, amandatum eſt ei, ut cum Carolo Rege illuc ituro ageret, eique eſſet adjutorio, honeſtis conſiliis, digniſque favoribus & auxiliis pro eo apud Genuenſes, inter quos pollebat auctoritate, ſolerter agendo; iiſque prohiberet ne quidquam haberent cum Siculis commercii.

Epiſt. 143.

Fr. Jacobus Epiſcopus Feltrenſis Frater Gentilis Archiep. Reginus adminiſtrator Aliſani.

An. 1279. *Ep.* 75. 76. & 736.

Mittitur Genuã ad res ſerias.

Moritur beatus Lupus.

Chro. antiq. hiſtor. MS. Prov. Burgen. Con. 1.

XIX. Obiit circa hunc annum beatus Pater Lupus ſancti Franciſci diſcipulus, in Conventu Burgenſi, ſepultus in ædicula primæva ſancto Franciſco ſacra, quæ, extructa auguſtiori Eccleſia, Sacellum ſancti Franciſci vocabatur. Jacuit ibi humi, licet non ſine Fratrum reverentia, crate ferrea contectus, uſque ad annum MDCIV. quo ædis præfectus Balthaſſar de la Hoz, ſancta oſſa miro odore fragrantia exhumavit, & in decentiorem tranſtulit locum. Hinc tranſlata anno MDCXV. per Antonium de Villacre tunc Guardianum ad honorificum reconditorium eminentiori loco paratum, ad latus Evangelii in Sacello majori.

Nicol. de Lyrã fit Franciſcanus.

Gonz. in Conv. Pariſien.

XX. Suum nomen Minoribus dedit venerabilis, & omnium calamis commendatiſſimus Doctor Nicolaus de Lyra hoc anno vel ſequenti, modo conveniat computatio chronologica mortis, quam Gonzaga ex Epitaphio exſcripſit, cum illa quam aſſignavit Joannes Rioche, & Petrus Rodul-

dulphus annorum, quos in Religione tranſegit. Mortuus eſt enim, ut habetur in ſepulcrali lapide, anno MCCCXL. In Religione vixiſſe XLVIII. habent citati Doctores, quod veroſimilius puto, quam quod ſcripſit Gonzaga, Minoritam egiſſe annis LXVIII. erroremque puto contigiſſe in notis, atque pro XLVIII. ſcriptum LXVIII. Quare ſi ab anno, quo mortuus eſt, retro connumeres, & demas quadraginta octo, recurret annus, quo initiatus eſt in hunc vel ſequentem. Quo fit, ut minus probabile ſit quod Genebrardus innuit, circa annum MCCXL. factum Franciſcanum, & quod Gonzaga ſcribit, Monaſterium Minorum Vernolienſe in Normannia inchoatum, ſeu Franciſcanos illa urbe exceptos anno deeimo poſt milleſimum ac tercenteſimum. Etenim ſi hoc in loco apud Franciſcanos initiatus Lyra, ut aſſeritur in ejus epitaphio, aſſeritque non ſemel Gonzaga, idque hoc anno, ut ſtatuimus, vel prius, uti computum infert Gonzagæ, neceſſe eſt ut ante hoc tempus in illa urbe locum obtinuerint Minoritæ. Hebræum hunc genere fuiſſe conſtantior eſt fama, an item profeſſione & fide ante ſuſceptam Chriſtianam, non ita conſtat. Suadet fuiſſe ultra multorum teſtimonia dicentium, prius celebrem Judæorum Rabbinum, ſeu Magiſtrum e Judaiſmo ad fidem Chriſtianam converſum, ejus peritia in lingua, idiotiſmis & moribus Hebræorum, ex quibus paſſim pro eis convincendis argumenta deducit. Diſſuadet quod refert Gonzaga, matrem eum parturientem ſummis doloribus cruciatam a Chriſtianis mulieribus perſuaſam voviſſe, ſe ſuamque prolem Chriſto ſacraturam, modo e perículoſiſſimo liberaret puerperio; & continuo Nicolaum hunc feliciſſime enixam, vota ſua confeſtim reddidiſſe: certe ejus epitaphium clare dicit non diu in mundo hæſiſſe, ſed cito ad Religionem convolaſſe. Vernerus in faſciculo temporum ſub Nicolao III. aliorum innuit opinationes, aitque frequentaſſe ſcholas Hebræorum, vel ab amicis Judæis eorumdem linguam didiciſſe.

Rieche in compend. temp. l. 3. par. 3. c. 92. Rodul. fol. 127.

Quo certo anno.

Genebr. in chronol. ſub Cæleſt. IV.

Gonz. in Prov. Franc. Con. 26.

Idem utroque loc. cit.

An fuerit Hebræus.

Idem in Con. Pariſ.

XXI. Patria ejus clarius deſcribitur in ſepulcrali lapide, quam quod dubitandi ſubſit anſa iis, qui ſuum velint, aut Batavum, Flandrum, vel Anglum fuiſſe cauſentur. Aperte enim Cænotaphium (quod ſub mortis annum dabimus opportunius) ortum ait in oppido Lyræ, Ducatus Normanniæ, & in urbe ejuſdem Provinciæ Franciſcanum habitum induiſſe. Statim ab ingreſſu in Ordinem commentari cœpit aliqua volumina ſacræ Scripturæ. ,, Primum caput Geneſis explicavit anno MCCCXXII. ut ipſe
,, indicat ad illa verba: *Et replevit carnem pro ea*, totum autem librum
,, non niſi poſt magnos labores, & longum tempus interpretatus eſt.
,, Commentarios in Iſaiam, non, ut aliqui autumant anno MCCXCIII.
,, decepti iſtis calculis, quos in caput 2. Iſaiæ Lyranus adbibuit, ſed
,, anno MCCCXXVI. illos enim annos numeravit a morte Chriſti, quibus
,, ſi triginta tres annos, quibus vixit, adjicias, conficient hæ notæ
,, numerum prædictum annorum MCCCXXVI. verba Lyrani ad illa Iſaiæ:
,, *Et erit in noviſſimis diebus præparatus Mons domus Domini*, hæc ſunt,
,, *Et ſic in noviſſimis diebus littera hujus partis eſt implenda. Dies autem*
,, *Jeſu Nazareni non fuerant noviſſimi, quia poſt mortem ejus fluxerunt*
,, *multi anni ſcilicet* MCCXCIII. Pervenit autem ad commentationem ca-
,, pitis 42. non niſi anno ſequenti ſcilicet MCCCXXVII. ut ipſe teſtatur ad
,, finem ejuſdem capitis, ad illa verba. *Facti ſunt in rapinam, nec*
,, *eſt qui eruat*. ,, Ad univerſa Biblia commentaria jam addidiſſe ſub anno MCCCXXX. probat humilis illa ejuſdem deprecatio ſua manu ſcripta in Conventu Vernolienſi, in quo initiatum diximus, & ſervantur multa

Ejus patria.

Quando ſcripſit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

ejus autographa, quorum unum ita concluſit: *Ego Deo Optimo Maximo gratias ago, qui mihi gratiam ſcribendi, ſecundum modulum ingenii mei, ſuper omnes libros in Biblia contentos dedit; & quoniam probabiliter timeo in pluribus defeciſſe, tum propter magnitudinem operis, tum propter ſcientiæ meæ parvitatem, ideo de defectibus veniam poſtulo, &* de aliis ad laudandum Deum mecum legentes invito, deprecans humiliter & devote, ut apud Dominum me velint ſuis orationibus adjuvare. Quod actum eſt Pariſiis anno Domini* MCCCXXX. Ex his ejuſdem autographis, & aliis aliunde acceptis, atque inter ſe collatis, frater Franciſcus Fevardentius, Joannes Dadræus, & Jacobus de Guilly opera ejus accurate, & ex ordine diſpoſita evulgarunt anno MDXC. quæ poſtea limatiora & auctiora prodiere Duaci cum objectionibus Pauli Burgenſis, ſeu de ſancta Maria, ex Judæo Chriſtiani, qui multa ex profeſſo ſtuduit in Lyrano carpere. Sed frater Matthias Doring conatus eſt Lyranum ab importunis hominis objectionibus defendere. Unde factum eſt, ut in eiſdem codicibus attexantur & illius objectiones, & hujus reſponſiones. Multa alia ſcripſit præter gloſſam litteralem & moralem, opuſcula, quæ partim circumferuntur, partim adhuc latent, quorum aliqua penes me habeo. Piam ejus contemplationem de vita & geſtis ſancti Franciſci, quam nos edidimus ſimul cum opuſculis ejuſdem ſancti Patriarchæ, ſcripſiſſe poſt elucidatam ſacram Scripturam ipſe monet in principio. Judæos ſummo ſtudio laboravit ad agnitionem veritatis reducere; verbis, ſcriptis, ſermonibus eorum confutabat errores, neque quidpiam intermiſit, ut protervam gentem a cæco errore revocaret.

Eum graves quique ſcriptores commendant.

Eyſengren. ſub an. 1315.

XXII. Ejus nomen & ſcripta magnis & variis elogiis plures commendarunt auctores, quorum præcipua hic offerre operæ pretium putamus. Guillelmus Eyſengrenius in catalogo teſtium veritatis eum *ſanctum* vocat, deinde ſubjungit: *Philoſophus, Rethor, & Theologus, divinus certe vir, atque in diſciplina monaſtica exercitatus, fide Catholicus, in lege Dei atque ſacris ſcripturis doctiſſimus, Hæbreo, & Latino inſtructus eloquio, ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus, Religioni Chriſtianæ, ac divino honori conſulens, ita vixit, ut uſque ad tempora noſtra vix parem habuerit, nedum ſuperiorem vel ſanctitate vitæ, vel doctrina, & ſcriptis. Scripſit &c.* Joannes Trithemius: *Vir*, inquit, *in ſcripturis ſanctis ſtudioſiſſimus, & longa exercitatione peritus, Hebraica lingua ad perfectum inſtructus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus, nec minus converſatione quam ſcientia venerandus. Scripſit in ſacris voluminibus multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis devenit. Quæ quam utilia, quamque neceſſaria ſint omnibus ſacram Scripturam diſcere cupientibus, nemo melius novit, quam qui ſe in eorum lectione exercitavit. Sunt enim, qui eum ob eloquii ſimplicitatem æſtiment contemnendum, qui mihi videntur & vani & imperiti, ac ſacræ ſcientiæ ſalutari philoſophia indigni, quoniam & ſimplicitatem Eccleſiaſticam vituperant, & verba non res amplectuntur. De opuſculis autem hujus devoti & eruditi viri &c.*

Trithem. ſcriptor.

Henricus Willot. *Nicolaus Lyranus, non arrogato, ſed meritis ſuis conveniente titulo*, Doctor planus alias utilis *vocitatus, genere Judæus, Hebraicarum litterarum ab incunabulis ſtudioſus, & plene inſtructus, Bibliorum ſubtiliſſimus expoſitor, Scholaſticæ Theologiæ profeſſor, tanta quoque divinarum Scripturarum vera, pura, ac germana intelligentia præditus, ut in eis exponendis nullum eruditiſſimorum Theologorum ſui temporis habuerit parem: quique primus glaciem fregit, poſteriſque Henrico, Toſtato, Rickelio teſte,*

Willot in Athenis Franciſcan.

ad

ad univerſa biblia aditum paravit: ut nullus ſatis doctrinæ ubertatem, qua ſe per tot libros effudit, venerari queat. Edidit in ſingula tam veteris quam novi Teſtamenti volumina, Scholaſticæ poſtillæ libros 85. ſtudioſis ſacrarum litterarum, ac præcipue tironibus ad majora properantibus non utiles ſolum, ſed & maxime neceſſarios. In horum prioribus 50. univerſum ſacræ Scripturæ corpus abſque orationis lenocinio, & verborum involucris, brevi, nudo & aperto ſermone expoſuit; ſumma in ſingulis diligentia aperiens litteræ ſenſum divinæ Scripturæ ſenſibus ut præſtantiorem, ita difficiliorem, allatis in id veterum Eccleſiæ Patrum expoſitionibus, & Rabbinorum ſententiis, quarum præcipua eſt apud Judæos auctoritas: Quo expleto, in 35.
,, *poſterioribus libris, utrumque inſtrumentum illuſtravit.* ,, Et quidem
,, ipſe ille ejus antagoniſta, & impugnator Burgenſis multis in locis di-
,, gniſſime hominem laudat, maxime in prologo ſuarum Additionum, &
,, Epiſtola dedicatoria ad Alphonſum filium. *Poſt illa*, inquit, *Nicolai*
,, *de Lyra tam ſui recentia, quam digna celebritate clareſcit, qui utcum-*
,, *que teſtamentum ſtudioſe diſcurrens, litteralem ſenſum, qui inter ceteros*
,, *præcipuus eſt, copioſa luculentia tradidit.* Et infra. *Cum ergo poſt il-*
,, *lam hanc diſcurriſſem, ſolemniſſime, & miranda copioſitate ſcriptam con-*
,, *ſpicio.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

XXIII. Prædicaverat frater Thomas de Averſa, religioſi cujuſdam Sodalitii concionator in provincia Tuſcana de laudibus beati Petri Martyris, atque eo ſtudio extulit vulnera ſancto Martyri inflicta, ut ſancti Franciſci ſtigmatibus detrahere videretur, atque his inani quadam diſtinctione præferre illa, quæ præclarus fidei Agonotheta conſtanter pro ejuſdem confeſſione ſuſcepit. Indignati & commoti aliqui ad futilem & odioſam comparationem, rem detulerunt Pontifici, qui hominem ad ſe vocatum corripuit, ejuſque ſuperiorem delicti, atque impoſitæ admonuit pœnitentiæ. Ejus Sodalitium quantumvis in diplomate expreſſum, ego tamen reticeo, nullum enim vel in minima re offendere vellem, neque occaſionem ullam præbere querelæ religioſis inſtitutis, quorum ſingula ſumme diligo, & debita proſequor veneratione. Ipſum etiam præterirem diploma, niſi tantopere conduceret ad noſtri Inſtitutoris, ejuſque ſtigmatum commendationem.

Reprehenditur quidam detrahens ſtigmatibus ſancti Franciſci.

Priori . . . . . Provinciali Fratrum Ordinis . . . . . . Provinciæ Tuſciæ.

XXIV. *CUm ad aures noſtras inſinuatione multiplici perveniſſet, quod frater Thomas de Averſa tui Ordinis, cum in die feſtivitatis beati Petri Martyris publice prædicaret, ſuis terminis non contentus in obtrectationem Stigmatum Crucifixi, quibus beatus Franciſcus certo & ſingulari dono inſignitus fuiſſe dignoſcitur, temeraria objurgatione prorupit, ut ſigna Dei vivi beato Petro Martyri, & beato Franciſco mortui Dei ſigna, & hæc ſuperficialiter ſicut cernitur in picturis, aſcriberet. Nos ſuper his non ſine admiratione commoti, hoc diligenter attendimus, quod ſancta Romana Eccleſia de beato Franciſco, & Stigmatum ejus infixione ſollicita, illa in carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in interiora per carnem, & nervos, & oſſa in quinque partibus manuum, pedum, & lateris in certos & congruos fines ingreſſa; ita ut non virtute naturæ, ſed miraculoſa gratiæ dono ſic fieri, vel eſſe potuerit, per teſtes legitime comprobatum accepit, & ut ſic de Stigmatibus ipſius beati Franciſci teneatur, & venerabiliter obſervetur, irrefragabili ſanctione firmavit, ex quo ambiguum videri non poteſt*

Reg. Vat. ep. 596.

Ponderoſum Eccleſiæ teſtimonium de Stigmatibus S. Franciſci.

ſacrilegii ſubire diſcrimen, quicumque negare, vel improbare audeat, quod ipſa mater Eccleſia tantæ ſanctimoniæ ſpiritu, non omiſſo humanæ juſtitiæ molimine confirmavit. Propterea fratrem ipſum, ut ex ore ejus ſcire poſſemus, ſi ſecundum ea quæ nobis inſinuata fuerant, facti veritas ſe haberet, ad noſtram præſentiam duximus evocandum, qui poſtmodum in noſtra præſentia conſtitutus, poſt aliquam diſcuſſionem fuit ſponte confeſſus, quod de ſignis hujuſmodi prædicaverat ea in martyre præfato viventis Dei fuiſſe, non mortui, & quæ in beato Franciſco fuerant, fuiſſe Dei mortui & non viventis. Nos igitur dicti fratris aſſertionem improbam, & temerariam attendentes, qua de Salvatore, & Stigmatibus ejus periculoſe diſtinguens, Chriſtum in ſanctis ſuis aſſeruit nunc mortuum, nunc viventem, cum tamen qui manet in æternum Chriſtus, non minus, aut plus viveret Martyri, cum illum ſigno Martyrii coronaverit, quam Militanti Confeſſori, qui crucem ſuam tulerat, & nudus nudum ſequebatur, cum dedit illi, ut Stigmata ſua, excellentiſſimo privilegio, in carnis ſuæ materia præſentaret, quæ quidem vivo adhuc ipſo Confeſſore, ac poſtmodum diem functo humanis oculis, & tactui patentiſſime claruerunt: memorato fratri Thomæ, ut juxta ea, in quibus pernicioſa ſubtilitate deliquerat, pœnam agnoſceret, pro noſtra quidem patientia ſuo demerito leniorem, prædicationis officium, ac docendi miniſterium uſque ad ſeptennium nos interdixiſſe cognoſcas. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus interdictum noſtrum hujuſmodi circa ipſum fratrem Thomam procures, & facias inviolabiliter obſervari, & tu ovem tuam cognoſcens, ac morbum ejus, & appoſitam medicinam, ſic illam boni paſtoris more cuſtodias, ut ipſa & aliis per exemplum, & ſibi per meritum obedientiæ convaleſcat, & ex hoc tuæ cuſtodiæ rectitudo digne poſſit a nobis in Domino commendari. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem XII. *Kal. Decembris, anno* IV.

XXV. Admirabilem prorſus, & pene incredibilem Ordinis jam ſub hoc tempore fœcunditatem nihil tam mihi probavit, quam regeſtum Pontificis Nicolai, qui dum Sodalitium temporalibus non potuit, ſpiritualibus uberius affecit beneficiis: etenim omnibus ferme Fratrum, & Sororum domiciliis multas conceſſit indulgentias, quarum tranſumpta nos apertius deducunt in notitiam Cœnobiorum, quæ tunc extiterunt, licet auctores & fundationis tempus omnino nos lateant. Præter illa, quæ per ſingulos annos hucuſque diſtribuimus, tot ſunt ſub hoc uno regeſto domicilia, ut tædium & confuſionem paritura non dubitaverim, niſi clariori methodo, & faciliori ordine diſponerentur, quam inter ſe habeant in prædicto regeſto. Illum præ omnibus elegi, ſingula per diœceſes diſtribuere, atque has ipſas clara methodo alphabetica recenſere. Illarum ædium quarum ſubſunt aliqua monumenta, vel MSS. vel penes probatos auctores, ampliorem dabimus notitiam, ceterarum vero dabimus eam ſolam, quæ ex Pontificiis Indultis poſſit hauriri: ad ſingulas adjungemus notam epiſtolæ, ſeu numerum, ſub quo exſcribitur diploma in regeſto, ut monumentum quodcumque ex his perquirenti facilius occurrat. Illud monemus ſub eodem numero & formula, variarum ædium Indulgentias quandoque adnotari; & confundi domos Minorum, cum Monaſteriis Clariſſarum, quæ tamen nos dabimus ſeparatim.

CON-

CONVENTUS FRATRUM.

Aginnenſis diœceſis in Gallia ad Garumnam fluvium.

Con. Aginnenſis.

Gonza. in Prov. Aquit. antiq. Con. 11.

Mon. MSS. illius Prov.

XXVI. AGinnenſis diœceſis ab Aginno, vulgo Gallico *Agen*, urbe Nitiobrigum, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi nuncupata ſequentes habet Conventus; Aginnenſem currupte apud Gonzagam Agerienſem, a prima origine extra urbis mœnia erectum, & ex deauratis Eccleſia, & clauſtro *deauratus Conventus* vulgo nuncupatum, juſſu Philippi Valeſii Gallorum Regis, ne Anglis Aquitaniam vaſtantibus arcis loco pro expugnanda urbe deſerviret, ſolo æquatum, anno MCCCXXXVIII. Arnoldo tunc urbis Epiſcopo, & loci Guardiano fratre Bertrando Dorteille. Totius marmorei clauſtri materia collata eſt Canonicis Eccleſiæ matricis ſancti Stephani, ex qua alterum perpulchrum ſibi conſtruxerunt. Conceſſo Fratribus intra urbem hoſpitali ſancti Georgii, ex Regis, Conſulum, piorum, & Domini de Mompezat eleemoſynis ædificatus eſt alius Conventus circa annum MCCCXLIV. Conniventibus Fratribus ſtatuit ſibi in chori medio anno MDLXXVI. ſepulcrum, & primus ſibi fundatoris nomen vindicavit Franciſcus de Mompezat, Dominus de Laugnac. Tranſivit hic locus a Patribus Conventualibus ad Obſervantes anno MDXVII. Anno vero MDLXI. in primis Galliæ tumultibus ab hæreticis excitatis, capta urbe ſtructo ex libris, ſacra ſupellectile, imaginibus, atque altaribus in media Eccleſia rogo, majori ex parte domus exarſit. Recuperata deinde civitate, redditus eſt Fratribus Conventus, & reſarcitus ex piorum eleemoſynis. Quotannis in prima Dominica Quadrageſimæ ad illam ædem fit publica & ſolemnis proceſſio ab utriuſque Eccleſiæ Collegiatæ Capitulis, & urbis Magiſtratibus pro reddendis gratiis ſancto Franciſco, quod aliquando ad publicas & inſtantiſſimas civium ſupplicationes urbem a depaſcente lue liberaverit. Ad lævam altaris majoris extat mauſolæum Dom. de Monluc Aginnenſium, & Condomenſium Seneſcalli, acerrimi Chriſtianæ fidei defenſoris. Conceſſit huic Eccleſiæ Pontifex Nicolaus Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum pro feſtivitatibus Annunciationis, Purificationis, Nativitatis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ, SS. Franciſci, Antonii, & ſanctæ Claræ v. Kal. Octobris anno IV. Habetur diploma ſub num. 514.

Conv. Marmanden.

Indid. Con. 19.

Mon. MSS.

Fr. Joannes Goſſonius martyr.

Fr. Raymundus Roiſſellius martyr.

XXVII. In eumdem modum VI. Kal. Octobris ſub numero 553. habetur conceſſio pro Eccleſia Conventus de Marmanda ejuſdem diœceſis, quem Reges Angliæ, dum rerum potiebantur in Aquitania, conſtruxiſſe anno MCCLXV. vetuſta quædam teſtatur membrana, eoque anno in die Nativitatis beatæ Virginis Fratres eamdem ædem inſtructiſſimam, & undique abſolutam inhabitare cœpiſſe. Translatus eſt a Conventualibus ad Obſervantes anno MDXXII. & ab hæreticis anno MDLX. circa feſtum ſanctæ Catarinæ magna ex parte dirutus, Fratribus partim Reolam, partim Burdigalam dimiſſis. Secundo, anno MDLXIX. ſub menſe Martio iterum a Novatoribus urbe capta, Conventus etiam igni traditus eſt. Paſſi ſunt ibi frater Joannes Goſſonius ſeptuagenarius primum ad palum in medio foro alligatus, deinde plumbeis ſphærulis tranſverberatus, quia Chriſti fidem, hoſtibus inſtantibus, renuit abnegare; frater Raymundus Roiſſellius ab hæreticis gladio transfixus, dum ad preces Domini de Vajamond Aginnenſis, & Condomenſis Seneſcalli ad locum, qui vulgo *Bel-*

Digitized by Google

F. Predufour miſere illuſus ab hæreticis.

Bel puy dicitur, ſacris operaturus abibat. Illud de fratre Predufour loci Guardiano patientiæ exemplar refertur, quod cum ad oppidum *Gountant* M. P. III. a Marmanda in ſolemnibus Nativitatis Dominicæ prædicaret de altiſſimo Incarnationis myſterio, hæretici miniſtri comprehenſum ad palinodiam eorum, quæ catholice prædicaverat per vim cogere nituntur; ſed dum conſtanter recuſat, habitu ad nates truncato, & verendis denudatis, Marmandam poſt illata vulnera dimittunt.

Con. Condomienſis.

Idem in Provin. Aquitan. recent. Con. 15.

Fr. Raymundus Roedanus martyr:

Conv. Neyriaci.

Indid. Con. 17.

XXVIII. Pro eiſdem diebus ſub numero 517. habetur Indulgentia pro Eccleſia Condomienſis Conventus, eujus auctorem, ſcribit Gonzaga Joannem Anglum Condomienſium Comitem; deſtructum vero & ſpoliatum ab hæreticis anno MDLXIX. Ibidem paſſus eſt frater Raymundus Roedanus impio hæreticorum mucrone transfixus. Ex parte reædificatum hunc locum aliquot Fratres inbabitant. Pro eiſdem, ac ſancti Jacobi Apoſtoli diebus ſub numero 553. indultum eſt Conventui de Neyriaco, cujus auctorem vult Gonzaga Albretenſium Comitem, ab eoque ædificatum anno MCCCLXVII. Sed ex hoc Vaticano monumento priorem ejus ætate fuiſſe conſtat: fortaſſis alio tranſlati, vel reædificati ſub illo anno hic Comes extitit fundator.

Albienſis diœceſis in Gallia ad auriferum Tarnem.

Con. Caſtrorum.

Idem in Provin. Aquitan. antiqu. Con. 4.

Monum. MS. illius Prov.

XXIX. Sub numero 294. habetur Indulgentia pro feſtivitatibus Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ, ac SS. Franciſci, & Antonii pro Eccleſia Conventus Caſtrorum Occitaniæ civitatis. Certam hujus loci originem non eſt qui ſcribat, licet Gonzaga, & Monumenta Aquitaniæ antiquioris dicant parum a morte S. Franciſci conſtructum ab ejuſdem civitatis Comitibus. Ab hæreticis ſemel atque iterum combuſtus anno MDLXI. ita dirutus fuit, ut ſeminibus terræ mandandis ad annum MDC. deſerviret. Quo tempore ſub Henrico IV. cœpit reædificari, & a Fratribus inhabitari. Paſſus eſt ibidem beatus Joannes Tranquerius Clariſſarum confeſſarius, cum reliquis Fratribus carceris pedorem, inediam, & anguſtias: ceteris tamdem dimiſſis, hic quia ferventius in hæreticorum perfidiam invehebat, extra Civitatem actus, gladiis confoſſus, & glandibus tormentariis oppetitus, glorioſum abſolvit martyrium. Nec inultum reliquit Deus, ultionum Dominus, hoc flagitium; nam immiſſa graviſſima peſte, adeo civitas ipſa Caſtrenſis ab hæreticis tyrannice poſſeſſa atque occupata, deformata eſt, ut nihil diverſum a mortis imagine in ea per longum tempus apparuerit; ita ut vix vigeſima ejus accolarum pars ſuperfuerit.

Fr. Joann. Tranquerius Martyr.

Conv. Lautrici.

Idem Prov. Aquitan. recens. 22.

XXX. In eumdem modum, & ſub eodem numero memoria habetur Conventus Lautrici Aquitaniæ urbis, quem recentem nimis facit Gonzaga, & anno MDL. a Petro Lautricenſium Vicecomite conſtructum aſſerit: intelligendus forte de reſtaurato, vel noviter reædificato Cœnobio, cujus Eccleſiam monet conſecratam fuiſſe anno MDLIII. Sæviſſime in hunc locum, & ſex accolas Franciſcum Pellicerium eruditum doctorem, & diſertum concionatorem, loci Guardianum, Antonium de Rupe, Hieronymum Grayſetum, Alexium Sanſonem, Rogerium Viguerium, & Joannem Richardum anno MDLXVIII. debacchati ſunt hæretici: nam & ipſum locum funditus everterunt, & præfatos Patres ſupra modum cruciatos, crudeliſſimo mortis genere affecerunt: attamen reædificatus locus poſtea a Fratribus eſt reaſſumptus.

Sex Minoritæ martyres.

Amerinæ diœceſis in Umbria & Provincia Romana.

XXXI. Pro iiſdem diebus beatæ Virginis, & feſtivitatibus ſanctorum Franciſci, Antonii, & beatæ Claræ habetur ſub numero 264. Indulgentia pro Eccleſia Conventus ſanctæ Illuminatæ prope Serram Alviani in Umbria. In ea jacent beatus Tentialbene, de quo nos alias, & beatus Joannes de Alviano miraculis clari. In eumdem modum habetur ibidem pro Eccleſia Conventus Luniani. Uterque locus ſpectabat ad Provinciam ſancti Franciſci, & Cuſtodiam Tudertinam.

Conv. Serræ Alviani. *Rodul. fol.* 254.
Tom. 2. *an.* 1252. *n.* 24.
Conv. Luniani.

Ardmachanæ diœceſis in Hibernia in Provincia Ultoniæ.

XXXII. In ipſa Metropoli Ardmachana, in qua & prima ſedes, nobilis erat olim Conventus Minorum, piorum virorum ſeminarium, cujus fundatorem quidam volunt Principem quemdam ex domo Onellia, alii Mac Domhnaill Galloglach. Habetur ſub numero 615. II. Non. Januarii, anno III. Pontificatus Indulgentia pro prædicti Conventus Eccleſia in feſtivitatibus Annunciationis beatæ Virginis, ſanctorum Franciſci & Antonii Conſeſſorum, ac ſanctæ Claræ Virginis, & per octo diea feſtivitates eaſdem immediate ſequentes, necnon in anniverſario die Dedicationis ipſius Eccleſiæ. In eo Conventu communi conſenſu admiſerunt reformationem Patres Conventuales in virtute litterarum Apoſtolicarum pro univerſa Provincia reformanda conceſſarum, Miniſtro tunc Provinciali Gualtero Mac-Vad, & negotium urgente Principe Joanne Onellio circa annum MDXVIII. In poſtremo bello adverſus Anglos deſtructus eſt hic Conventus, & religioſi tutiora petierunt loca, in quibus quantum licet, ſemper conati ſunt ſui Inſtituti legibus inhærere. Illic comprehenſi per quemdam Donaldum hæreticum frater Rogerius Mac Congail, frater Conatius Macvaria, & frater Fergallus Bardeus, & habitibus denudati crudeliter flagris cæſi per publicas urbis plateas anno MDLXV. Magno ſui relicto deſiderio & communi ſanctitatis opinione ibidem deceſſerunt duo Fratres laici Felemeus Ocora ſenex, & Henricus Fremlamhaidh.

Conv. Ardmachanus.
Monum. MSS. Prov. Hiberniæ.

Aſlojenſis diœceſis in Norvegia ſub Archiep. Nidroſien.

XXXIII. Sub numero 517. anno IV. Idibus Septembris habetur Indulgentia pro prædictis feſtivitatibus, & octavis, & anniverſario die dedicationis Templorum pro Eccleſiis Aslojenſis, Meſtranenſis, Tunsbergenſis, & Konolengis Conventuum, quorum nullum ſuppetit aliunde monumentum, niſi quod Asloenſis fundator mihi conſtet ex eodem Nicolai regeſto, in quo ſub numero 589. refert Pontifex eum fundaſſe, & fundum conceſſiſſe nobilem virum Aquinum Ducem Norvegiæ, atque ad eamdem civitatem ſuæ ditioni ſubjectam, conſentiente S. Rege Norvegiæ, Fratres Provinciæ Datiæ evocaſſe, quos tamen vehementer moleſtarunt E. Epiſcopus, & Simon Archipresbyter Asloenſis, non obſtantibus contrariis Indultis Pontificiis. Quare in hac controverſia eo uſque proceſſum eſt, ut Pontifex utrumque ad Curiam citaverit, miſſo diplomate ad Abbatem Monaſterii ſancti Michaelis, & Præpoſitum, ac Bardonem Serglorum canonicum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Bergenſis.

Varii Conventus in Norvegia.

Atre-

Atrebatenſis diœceſis in Gallia Belgica.

Conv. Bethuniæ. *Gonz. in Prov. S. And. Conv. 8.*

XXXIV. Similis habetur Indulgentia ſub numero 294. pro Eccleſia Conventus Bethuniæ, Comitatus Artheſiæ oppidi, maxime Catholici, & ſuo Regi fideliſſimi. Ejus ſtructores, dicit Gonzaga fuiſſe nobilem virum Robertum gubernatorem, & Blancham conjugem, idque ſub anno MCCCXXX. Ex hoc monumento conſtat vel errorem eſſe in numeris, vel hos non fuiſſe primos hujus loci auctores. Unicum eſt Monaſterium in hoc oppido, quo fit, ut Fratres magis diligantur ab oppidanis. Conſecrata eſt Eccleſia ſanctæ Agneti, & dedicationis dies anniverſaria celebratur in Dominica infra octavam Apoſtolorum Petri & Pauli. Floruerunt in hoc Monaſterio, etſi parvo, plurimi viri pietate & doctrina conſpicui.

Balneoregienſis diœceſis in Provincia Romana, & ditione Pontificia.

Conv. Balneoregii.

XXXV. Eadem Indulgentia habetur ſub numero 413. & III. Idus Auguſti pro Eccleſia Conventus Balneoregii, vulgo Italico *Bagnerea*, ortu ſancti Bonaventuræ celebris. Spectat hic locus ad Cuſtodiam Urbevetanam Patrum Conventualium. In eadem diœceſi eſt locus Montisflaſconis, quem ſub hoc tempore præextitiſſe conſtat ex monumento Vaticano, quo Pontifex Nicolaus Idibus Januarii anno III. ſub num. 639. donat ejuſdem loci incolis quemdam hortum Eccleſiæ Romanæ, ſuæ domui vicinum.

Conv. Montisflaſconis.

Bergenſis diœceſis in Norvegia.

Conv. Bergenſis.

XXXVI. Sub num. 517. anno IV. habetur Indulgentia pro Eccleſia Conventus Bergenſis urbis, quæ Norvegiæ emporium eſt, in feſtivitatibus prædictis beatæ Virginis Mariæ, & ſancti Olavi Martyris, in cujus honorem Eccleſia illa fuerat conſtructa, necnon ſanctorum Franciſci & Antonii, & beatæ Claræ, & per octavas, ac in anniverſario die dedicationis Templi. Spectabat hic locus ad Provinciam Daciæ, olim florentiſſimam, & Cuſtodiam Norvegiæ; ſed ſimul cum reliquis omnibus Minorum Conventibus per illam regionem longe lateque graſſante hæreſi, fuit deſtructus.

Biſuntinæ diœceſis in Burgundiæ comitatu.

Conv. Grayacenſis.

XXXVII. Sub numero 640. anno III. habetur Indulgentia pro prædictis quatuor feſtivitatibus beatæ Virginis earumque octavis pro Eccleſia Conventus Grayacenſis, qui olim erat Provinciæ Burgundiæ, & Cuſtodiæ Biſuntinæ.

Bononienſis diœceſis in Italia in regione Romanulæ.

Conv. Riccardinæ.

XXXVIII. Sub numero 126. anno III. habetur ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Riccardinæ pro dictis beatæ Mariæ feſtivitatibus, ſanctorum Franciſci & Antonii, & beatæ Claræ Virginis earumque octavis. Hunc locum illuſtravit magiſter Franciſcus Caſtellus concionator

nator celebris, & illuſtribus dotibus præclarus. Fundatorem aſſerit Petrus Rodulphus Accurſium de Accurſiis Bononienſem Legum gloſſatorem; quo tamen certo tempore non dicit. *Rodul. fol.167.*

Burgenſis diœceſis in Hiſpania in Caſtella veteri.

XXXIX. Sub numero 331. anno IV. Indulgentia pro dictis feſtivitatibus, & ſanctorum Franciſci & Antonii, earumque octavis pro Eccleſia Minorum urbis de Frias. Primævus Conventus ſancto Juliano ſacer longiuſcule diſtabat a Civitate, ſed ſubjectus inundationibus cujuſdam rivuli, & rumori garrularum lotricum, quæ illuc ob aquarum penuriam lotum ibant: quare ſub Sancio Rege (quoto tamen non ſcribit Gonzaga) aliæ Fratribus ædes conceſſæ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ dicatæ, & Leproſis curandis prius deſtinatæ. Idem Sancius, & aliquot ex ſucceſſoribus privilegiis affecerunt ſyndicum Fratrum. *Conv. de Frias. Gonzag.in Prov. Cantab. Con.16.*

XL. Sub numero 341. ejuſdem anni Indulgentia pro eiſdem, & ſanctæ Claræ feſtivitatibus in Eccleſia Conventus Caſtri de Ordiales, quem ſancto Franciſco coævum volunt oppidani. Constructus eſt ex diverſis accolarum, & exteriorum mercatorum, quibus olim oppidum florebat, eleemoſynis. *Conv. Caſtri de Ordiales. Ibid. Conv. 10.*

Caſtellanæ diœceſis in Italia in finibus Umbriæ.

XLI. Sub numero 264. ejuſdem anni ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Motonis, aliis Montoni, quem Fratribus conceſſum ait Rodulphus anno MCCCVIII. die XXIX. Aprilis ſub Clemente V. cum aſſenſu Concilii Viennenſis. Quo pacto hoc intelligendum ſit, neſcio, dum conſtat ex hoc monumento jam Fratres hunc locum poſſediſſe; niſi fortaſſis novus ſit ſub illo tempore locus conſtructus, vel ille ipſe, qui extabat, translatus ſit ad illos, qui ſe puriores regulæ ſectatores ſub Clemente prædicabant. Floruiſſe ibidem multos viros inſignes ſcribit idem auctor, quorum memoria deſideratur. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus oppidi Citernæ, in quo alias diximus ſanctum Franciſcum unum atque alterum egregium miraculum perpetraſſe. Ubi Fratrum extructum eſt domicilium, præexiſtebat oratorium ſub invocatione ſanctæ Mariæ. Annexa eſt huic loco capella ſancti Antonii, quæ fundata eſt in Eccleſia ſancti Jacobi. Sub numero 517. ſimiliter pro Conventu Mercatelli, oppidi trans amnem Neſtorem dum a Peruſio deſcenditur. Hujus loci mentionem habes apud Rodulphum in recenſu Conventuum Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, ſub Cuſtodia Feretrina. Eum aſſerit acquiſitum ſub Joanne XXII. ſed ex hoc loco conſtat antiquiorem eſſe, imo ex quadam bulla Innocentii IV. ibidem aſſervata infertur constructum ante annum MCCXLIV. *Conv. Motonis. Rodul. fol.154. Tom.I. an.1215. num.8. Conv. Mercatelli.*

Caſtrenſis diœceſis in Italia in Provincia Romana.

XLII. Sub numero 184. Similiter pro eiſdem, necnon ſanctæ Crucis feſtivitatibus Indulgentia pro Eccleſia Conventus Montis-alti. Spectat ad Patres Conventuales Provinciæ Romanæ, & Cuſtodiæ Viterbienſis. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Ciceſtrenſi Conventus in Anglia, quem tamen longe antiquiorem eſſe nobis conſtat ex quadam commiſſione fa- *Conv. Montis-alti. Conv. Ciceſtren.*

cta Epiſcopo Wintonlen. Decano, & Guardiano Ciceſtrienſibus per Innocentium IV. anno II. ſui Pontificatus XVI. Kal. Octobris, & habetur in ejus regeſto num. 181.

Cornuetenſis diœceſis in Italia ad littus maris Tyrrheni.

Conv. Cornuetanus.

XLIII. Ibidem in eiſdem feſtivitatibus, excepta illa ſanctæ Crucis, pro Eccleſia urbis Cornuetanæ, vulgo *Corneto*, tempore æſtivo aeris inſaluberrimi: olim celebris civitas, & magnorum ædificiorum, nunc pene deſerta ob aerem infeſtum. Unitus eſt Epiſcopatus cum diœceſi Montisflaſconis. In hac Civitate ſanctus Franciſcus puerum oppreſſum ante veſtibulum Eccleſiæ cum omnium ſumma admiratione a mortuis ſuſcitavit.

Ebroicenſis diœceſis in Normannia.

Conv. Vernolii.

Gonzag. in Prov. Franc. Conv. 26.

Hoc anno n. 20.

XLIV. Vernolii Conventus eaſdem ibidem habet Indulgentias: Cujus origo quantumvis apud Gonzagam referatur ad annum MCCCX. & auctorem Ludovicum Franciæ & Navarræ Regem, conſiſtere non poteſt; quippe præterquam ſub illo anno non Ludovicus ullus, ſed Philippus Pulcher regnabat in Gallia, atque ex iis, quæ ſupra diximus de initiato Nicolao Lyrano in hoc Conventu, neceſſario refertur, ante hunc annum Cœnobium præextitiſſe. Fortaſſis poſtea Ludovicus X. qui ſucceſſit Philippo Pulchro, & regnare cœpit anno MCCCXIV. refecit vetuſtum, vel novum conſtruxit. Anno MCCCCXIII. motu Anglorum totus pene Conventus eſt in cineres redactus; verum paulo poſt reædificatis ædibus, introducta eſt reformatio diſciplinæ regularis, prodieruntque ex hoc loco præter prænominatum Lyranum, viri præſtantiſſimi.

Eſculanæ ſive Aſculanæ diœceſis in Italia in Provincia Marchiæ.

Conv. Amatricis.

XLV. Sub numero 264. Indulgentia in feſtivitatibus prædictis beatæ Virginis, ſanctorum Franciſci & Antonii, & beatæ Claræ, necnon in die anniverſario dedicationis pro Conventu Amatricis, nobiliſſimi in Samnitibus oppidi infra Truenti fontem, ſupra quem altiſſimi montes elevantur. Prior loci titulus erat ſub nomine ſanctæ Mariæ, habetque aliam ædiculam ſub titulo ſanctæ Mariæ de Filetta ab univerſitate oppidanorum Patribus Conventualibus conceſſam; donationem confirmavit Capitulum ſancti Joannis Lateranenſis die XXIX. Januarii anno MDLXIX. ſub Pio V. ſolvuntque Fratres annuum cenſum. Aliud etiam habet hic locus membrum ſub titulo ſancti Pauli *da Toci* datum ab eadem univerſitate anno MDLXVIII. Ibidem ſimiliter Indulgentia pro Conventu Accumuli, honeſti oppidi in finibus Piceni prope Nurſinos montes. Prius ibi erat Eccleſia quædam deſerta ſub titulo ſanctæ Mariæ, quam reædificarunt oppidani, & Fratribus donarunt. Uterque hic locus pertinet ad Provinciam ſancti Franciſci, & Cuſtodiam Regni.

Con. Accumuli.

Eugubinæ diœceſis in Italia in Umbriæ regione.

Conv. Eugubii.

XLVI. Similis Indulgentia habetur ibidem pro Eccleſia Conventus Eugubii, urbis in Umbria, lanificio & corpore ſancti Ubaldi celebris,

de

de qua nos alias locuti ſumus. Jacet apud Minores beatus Thomas miraculis clarus, & ibidem docti graveſque viri floruerunt. *In appar. Annal. §. 2. n. 2.* Similiter habetur pro Eccleſia Conventus oppidi de Caprione, Piſano de Capricorno, Rodulpho de Caprignano, quem conſtructum ait a Comitibus de Caprignano; de quo rogatus Ser Franciſcus Peruſinus. Conv. de Caprione. *Piſan. confor. 11. Rodul. fol. 254.*

Firmanæ diœceſis in Italia in regione Piceni.

XLVII. Sub numero 7. habetur Indulgentia in feſtivitatibus prænumeratis beatæ Mariæ Virginis, ſancti Franciſci, & ſanctæ Crucis pro Eccleſia Conventus de Penna ſancti Joannis. Conv. de Pennâ S. Joannis. Aliquot ante hunc aonis extructum ferunt, ſed ad annum MCCCCLXIV. translatus eſt ad interiora oppidi, uti patet ex inſcriptione anterioris lateris Eccleſiæ. Primi loci adhuc perſeverat Eccleſia extra oppidi portam. Floruit hic beatus Joannes de Penna prædicator veneratione & admiratione dignus, cujus plures virtutes & prodigia alias latius retulimus; de quo & illud refert admirandum Rodulphus, *Tom. 4. an. 1271. n. 9.* qud dum in die Aſcenſionis Dominicæ cantaretur hymnus: *Jeſu noſtra redemptio*, *Rodul. fol. 257.* gradatim & ſucceſſivo motu ad ſingulos verſiculos & ſtrophas ille viſus ſit ab omnibus circumſtantibus in altum elevari. Sub nnmero 517. in eiſdem feſtivitatibus, necnon in diebus ſanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ eorumque octavis habetur Indulgentia pro Conventu Maceratæ, urbis Piceni, legati totius Marchiæ Conv. Maceratę. ea celebris regione, ſed tunc Epiſcopatus Firmani. Floruit ibi M. Bartholomæus de Macerata, olim Commiſſarius generalis in Luſitania. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus Muri, in quo floruit frater Joan- Conv. Muri. nes de Muro Ordinis Generalis Miniſter, ut alias dicemus, & S. R. E. *Anno 1296.* Cardinalis. Ad inſtantiam Fratrum Conventus Ripæ Tranſonis, de quo Con. Ripæ Tranſonis ampliatur. nos alias egimus, conceſſit Pontifex, ut Eccleſia parochialis ſancti Salvatoris valde vicina, *Tom. 3. an. 1250. n. 16.* & quæ erat impedimento officium divinum rite, & quiete celebrandi, transferretur ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Valle prædicti Oppidi; eaque translata, ſolum & terra vicina cederent in ampliationem prædicti Conventus. Rei executionem commiſit hoc anno *Anno 3. Pont. ep. 687.* IV. Idus Februarii, Matthæo Canonico Aſſiſinatenſi, Marchiæ Anconitanæ in ſpiritualibus Rectori.

Florentiæ diœceſis in Italia in Etruriæ regione.

XLVIII. Sub numero 660. anno III. habetur Indulgentia pro Eccleſia Minorum Burgi ſancti Laurentii de Mugello in feſtivitatibus ſancti Conv. Burgi S. Laurentii. Andreæ Apoſtoli, in cujus honorem eadem Eccleſia conſtructa eſt, & ſanctorum Franciſci & Antonii, atque in eorum octavis. Coævus ſancto Franciſco hic locus; quippe Rodulpho teſte, in eo habitavit Vir ſanctus, *Rodul. fol. 261.* ibique ſerunt fuiſſe ſedile, in quo aliquoties ſederat, quod in ſumma habebatur reverentia.

Jaderenſis diœceſis in Inſula primaria Liburnorum, ditionis Venetæ.

XLIX. Sub nnmero 149. anno IV. Indulgentia pro quatuor præcipuis feſtivitatibus beatæ Virginis, & ſanctorum Franciſci & Antonii, Conv. Jaderenſis. earumque octavis in Eccleſia Jaderenſia Conventus. Floruit hoc in loco Magiſter Michael de Jadera Provincialis Dalmatiæ, Inquiſitor hæreticæ pra-

pravitatis, & Epiſcopus Aſſarenſis. Spectabat olim hic Conventus ad Provinciam Dalmatiæ, & Cuſtodiam Jaderenſem Patrum Conventualium, ſed poſtea tranſivit ad Obſervantes. Traditio eſt illius populi, ſanctum Franciſcum, quando abiit in Ægyptum illac tranſiiſſe, & locum hunc fundaſſe. Crevit in magnam molem, donec Veneti, quod erigendo cuidam fortalitio impedimento eſſet, ſolo majori ex parte adæquarunt, ita ut anguſtius, quam par eſſet, evaſerit.

Laonienſis diœceſis in Hibernia in Provincia Momoniæ.

Monum. MSS. Prov. Hiberniæ.
Conv. Enatenſis.

L. Sub numero 209. anno IV. habetur Indulgentia in feſtivitatibus ſanctorum Franciſci, Antonii, & Brandani Confeſſorum, & ſanctarum Claræ & Brigidæ Virginum; in die etiam dedicationis Eccleſiæ, & per octavas prædictorum feſtorum pro Eccleſia Minorum Oppidi *Aonagh*, ſeu Enatenſis in patria dicta *Urnubhan*, cujus olim Dominus O-Kinnedy, qui & creditur fundator fuiſſe Conventus; nunc autem ſpectat ad Comitem Ormoniæ. Fratrum domicilium totum corruit, habuitque olim ſub Patribus Conventualibus multa prædia. Ego hunc ipſum Conventum eſſe puto, quem Piſanus corrupto nomine vocat *Venatenſem*, & cuſtodiæ caput conſtituit; quare & ego annotavi in margine, fortaſſis debere dici *Enatenſem*.

Limiricenſis diœceſis ibidem.

Conv. Limiricenſis.
Monum. MSS. ejuſdem Prov.

LI. Sub numero 81. ejuſdem, Indulgentia pro quatuor ſupra nominatis feſtivitatibus beatæ Virginis, & ſanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ, earumque octavis in Eccleſia Minorum Limiricenſis urbis, quæ circumcingitur flumine Synan. Fertur fundatores habuiſſe Dominum Baronem de Caſtel-Connel, alioſque hujus piæ proſapiæ. Situs eſt ſub mœnibus civitatis ad Orientem prope flumen inter Monaſterium ſanctæ Crucis ad Auſtrum, & alterum ſancti Dominici ad Septemtrionem extructum. Pomaria habebat & fundos ſatis commodos, ſed ædes corruerunt, remanentibus dumtaxat parietibus. Quidam Seſnan, olim a Secretis Proregi Chicheſtrio, modo locum occupat, introduxitque in eumdem irreverenter officinam coriariam. Sepulturam accepit in Eccleſia anno MCCCXVIII. Dominus Richardus de Clare; & frater Thadæus Dalæus anno MDLXXVI. poſt multa tormenta glorioſi martyrii lauream confecutus eſt in hac urbe. Suſpenſum ſcribit Gonzaga, alii tamen aſſerunt capite plexum; illudque abſciſſum, totum illum protuliſſe verſiculum: *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Ibidem comprehenſi anno MDLXXIX. frater Patricius Hely Epiſcopus Mayonenſis, & frater Connacius O-Ruereche, de quorum paſſione ſub illo anno amplius agemus.

Fr. Thadæus Daly martyr.
Gonz. in Prov. Hibern.

Mazariæ diœceſis in Inſula Siciliæ.

Conv. Mazariæ.
Rodul. fol. 252.

LII. Ibidem ſimilis habetur Indulgentia pro Eccleſia Mazariæ, cujus fundationis nullum ſe reperiſſe veſtigium ait Rodulphus, ex traditione tamen ſatis vetuſtum eſſe, idque indicare antiquæ fabricæ materiam: quod & ex quibuſdam ſcripturis probatur, in quibus legitur, Comitem quemdam Ugonem reliquiſſe huic loco uncias viginti quinque, ſummam videlicet monetæ.

Mima-

Mimatenſis diœceſis in Gallia in Provincia Gabalorum .

LIII. Sub numero 290. anno III. Indulgentia pro Eccleſia Mimatenſi, aliis Miniatenſi, in diebus Aſſumptionis beatæ Virginis, ſanctorum Franciſci & Antonii, eorumque octavis. Spectabat olim ad Provinciam Provinciæ, & Cuſtodiam Aleſti. Non eſt unde habeamus ampliorem hujus Conventus notitiam. Conv. Mimatenſis.

Narnienſis diœceſis in Italia, & Umbriæ regione .

LIV. Sub numero 264. anno IV. Indulgentia pro quatuor illis præcipuis feſtivitatibus beatæ Virginis, ſanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ, earumque octavis in Eccleſia Conventus prope caſtellum Stronconii. Anno MCCCXXVIII. extructum ab oppidanis ſcribit Gonzaga, ſed ex hoc loco vetuſtiorem eſſe colligitur; niſi, quod ſæpius monui, illud intelligendum ſit de ſecunda ædificatione, vel translatione. Poſt aliquot annos illum dereliquerunt Patres Conventuales, quod minus inſerviret commodæ incolarum habitationi. Locum reaſſumpſit beatus Paulus de Trincis Obſervantiæ regularis præcipuus reſtaurator, piiſque Patribus inhabitandum conceſſit. Habetur ibidem magna in veneratione miraculoſa imago Virginis Deiparæ. Similiter ibidem pro Eccleſia Conventus de Corbio, de quo nihil amplius invenio, niſi quod olim ſpectaverit ad Provinciam ſancti Franciſci, & Cuſtodiam Narnien. Conv. Stronconii. *Gonzag. in Prov. S. Franc. Con. 22.* Conv. Corbii.

Naulenſis diœceſis in Italia, in Provincia Liguriæ .

LV. Sub numero 365. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Nauli urbis, in ora maritima ſeptimo lapide a Finario commodo portu, & frequenti mercatura olim celebris. Piſanus nullatenus hujus loci meminit; Rodulphus vero reponit ſub Cuſtodia & Provincia Genuæ. Inveni in hoc regeſto Nicolai ſub numero 540. diploma datum III. Idus Septembris anno IV. ad Abbatiſſam & Conventum Nauli, Monialium ſanctæ Mariæ de Rivo Ciſtercienſis Ordinis, in quo eis conceditur perpetuum jus Monaſterii, in quo tunc vivebant, & in quo præextitiſſe Fratres Minores, atque ſancti Franciſci vocabulo inſignitum fuiſſe dicit ipſa diplomatis narratio. Credibile eſt, hoc relicto loco, ad alium ſe tranſtuliſſe Minoritas. Conv. Nauli.

Nepeſinæ diœceſis in Italia in Provincia Romana .

LVI. Ibidem ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Campaniani, vulgo *Campagnano*, oppidi ab Urbe P. M. XVI. diſtantis. Locum conſtruxerunt oppidani in accliviori quodam loco P. CC. ab ipſo oppido, dedicaruntque beatæ Virgini de Prato. Tranſiit ad Obſervantes anno MCCCCLXXXVIII. erga quos Campiniani magno feruntur affectu, necnon devotione erga beatum Stephanum Fratrem laicum ibidem honorifice ſepultum. Conv. Campaniani.

Othonienſis diœceſis in Dania .

LVII. Sub numero 626. ſimilis Indulgentia pro Eccleſiis Ottonienſi, Suineburgenſi, & Ninſthaldenſi, quæ olim erat Provinciæ Datiæ & Cuſtodiæ Ottonienſis, quorum aliud non ſuppetit veſtigium. Con. Ottonien. Suineburgen. & Ninſthalden.

Peru-

Peruſiæ diœceſis in Italia in Provincia Romana:

Conventus Marſciani. Conv. Agelli. Conv. Civitellæ. *Rodul. fol. 253.* Conv. Cibattolii *Gonzag. in Prov. S. Franc. Con. 44.* *Piſan. confor. 11.*

LVIII. Sub numero 264. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus ſanctæ Margaritæ de Caſtro Marſciani. Locum dedit quædam Domina Margarita filia Vernerii de eodem caſtro, fratri Matthæo Laurentii Peruſino. Similiter pro Eccleſia Conventus Agelli, in quo beatus Ægidius ſemel elevatus eſt a terra a veſperis ad gallicinium, & tanto lumine irradiatus eſt, ut circumfulgente ſplendore, Lunæ lumen ſubobſcurarit. Similiter pro Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ de caſtro Civitellæ. Ædem conſtruxit, ait Rodulphus, anno MCCCLXXXI. ſed vetuſtiorem hinc eſſe probatur. Fortaſſis error irrepſit in notas numerorum, & ſcribendum erat MCCLXXXI. ſimiliter pro Eccleſia ſancti Bartholomæi prope Cibattolium, quem Gonzaga ait conſtructum anno MCCCCLXXX. & exinde perperam redarguit eos, qui dixerunt originem accepiſſe ſub beato Bonaventura; cum ex hoc monumento verius hoc eſſe comprobetur, quam quod ille aſſerat de poſteriori conſtructione. Conſtruendæ porro ædis occaſionem deſumptam ait ex miraculo a ſancto Ludovico Rege perpetrato, dum juvenem innocentem de homicidio accuſatum mirabiliter a morte, & vinculis liberavit. A quo tempore magno in honore hic Sanctus habetur, qua de cauſa dixit Piſanus: *In hoc loco ſanctus Ludovicus noſter claret ſignis, & miraculis glorioſus*.

Conv. de Monte Peruſii. *Gonza. in Prov. S. Franc. Con. 4.* *Tom. 4. an. 1262. n. 13.* *Tom. 3. an. 1237. n. 9.* *Tom. 4. an. 1262. n. 3.* Bernardinus a Gualdo. Ludovicus Theuto. Conven. de Pregio.

LIX. Similiter ibidem pro Eccleſia ſancti Franciſci de Monte extra portam ſancti Angeli juxta civitatem Peruſii. Aliquot annis ante hunc conſtructus eſt hic Conventus; quippe hic longo tempore habitavit beatus Ægidius, eumque viſum illuc venit ſanctus Ludovicus Gallorum Rex, uti alias diximus, ibique habetur puteus miraculoſus, cujus aquam beatus Ægidius, ut perpetuo ſalubris eſſet (quod alibi opportune narravimus) effecit. Locus eſt amænus ſatis, contemplationi, & litterarum ſtudio aptus, unde perpetua eſt ibidem Theologiæ Academia. Pervenit in poteſtatem quorumdam exoticorum virorum, qui ſe Franciſcanos fingebant, neque tamen ſane circa fidem ſentiebant, quorum errores detexit, & revicit beatus Paulucius Trincius. Ejectis itaque illis, cives Peruſini huic, ejuſque ſectatoribus, & veris Franciſcanæ regulæ obſervantibus Cœnobium tradiderunt. Jacent hic beatus Ægidius, cujus ſanctiſſimam vitam alias deſcripſimus; Bernardinus a Gualdo olim Provinciæ ſancti Franciſci Miniſter, cujus anima e corpore egrediens Bartholomæo de civitate Caſtellana, Provinciæ Vicario a ſe ante mortem conſtituto, fulgentiſſima apparuit, & de futura mox beatitudine reddidit certiorem; Ludovicus Theutonicus homo ſanctiſſimus, ob ſingulares virtutes, paupertatem præſertim, caſtitatem, divinique officii zelum Deo gratiſſimus: a terra elevabatur, & in altum inter condenſas arbores efferebatur: cujus etiam animam cœlos petentem in ipſo tranſitu vidit beatus Franciſcus Papienſis. Servatur hoc in loco guttula ſanguinis Chriſti Domini, cujus veritatem varia comprobarunt miracula. Similis etiam Indulgentia conceditur ſub num. 299. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ oppidi de Pregio, ſitæ in tractu Collicelli, in agro Amerino.

Reatinæ diœceſis in Italia in Provincia Romana.

Conventus de Monticellis.

LX. Sub numero 264. Similis Indulgentia habetur pro Eccleſia Conventus de Monticellis, cujus Rodulphus & Piſanus meminerunt ſub Cuſto-

ſtodia Regni. Ibidem in eiſdem & ſancti Matthæi feſtivitatibus pro Eccleſia ſancti Matthæi Conventus Mabilonenſis. Sub num. 271. Indulgentia babetur pro feſtivitatibus beatæ Virginis, & dedicationis Eccleſiæ, earumque octavis pro Eccleſia Montis-regalis ſub eadem Cuſtodia intitulata *ſanctæ Mariæ de Platea*, & data Fratribus per Reverendos Canonicos & Capitulum ſancti Joannis Lateranenſis; erat enim Oratorium cujuſdam confraternitatis. Conventus Mabilonen. Conventus Montis-regalis.

Ripenſis diœceſis in Dania, in Provincia Cimbriæ.

LXI. Sub numero 517. Indulgentia pro Eccleſia Kaldengenſi in dictis feſtivitatibus beatæ Virginis, & SS. Franciſci, & Antonii, & beatæ Claræ Virginis, earumque octavis. Et ibidem ſimiliter pro Eccleſia Tundrenſi: utramque reponunt corruptis aliquantum nominibus Rodulphus & Piſanus ſub Provincia Daciæ, & Cuſtodia Ripenſi. Conventus Kaldengen. Conventus Tundrenſis.

Roſchildenſis diœceſis, ibidem in Inſula Zelandiæ.

LXII. Sub numero 662. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Neſtwitb, de quo aliud non reperio veſtigium, niſi quod eum reponant Rodulpbus & Piſanus ſub eadem Provincia Datiæ, & Cuſtodia Roſchildenſi. Conventus Neſtwith.

Rutenenſis diœceſis in Gallia, in conſpectu Averionis fluvii.

LXIII. Sub numero 216. Indulgentia in eiſdem feſtivitatibus, & die ſancti Michaelis pro Eccleſia Conventus ſancti Africani, quem a devotis inquilinis extructum deſtruxerunt ejuſdem oppidi truculentiſſimi hæretici hoc infeliciſſimo ævo, & ſolo adæquarunt. Sub numero 259. Indulgentia in illis ipſis diebus, præter unum ſancti Michaelis, pro Eccleſia Conventus oppidi de Amiliano, quod ſanctum Milianum vocat Gonzaga, quem pii quidam Angli, & Britones ædificaverunt; ſed hæretici deſtruxerunt, expilarunt, & combuſſerunt anno MDLXXX. Fratribus carceri mancipatis, & transfixo mucrone præ foribus Cœnobii fratre Maturino de Pulchro-viſu gravi ſene, & vero Minorita. Conventus ſancti Africani. *Gonza. in Prov. Aquitan. recent. Con.* 24. Conventus Amiliani. *Indid. Con.* 14. Maturin. de Pulchro-viſu, martyr.

Salamantinæ diœceſis in Hiſpania in Caſtella veteri.

LXIV. Sub numero 584. Indulgentia pro feſtivitatibus beatæ Virginis, ſancti Franciſci, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ, octaviſque earumdem in Eccleſia ſancti Franciſci in monte Salamantinæ (inquit diploma) diœceſis, cujus certe Conventus, licet per aliquot annos Salmanticæ commoratus ſim, nomenque meum Provinciæ ſancti Jacobi dederim, inveſtigare non potui ullum veſtigium, nec ſcire quis hic mons, a quo nomen deſumpſerit. In labili humanarum rerum ſtatu facile res mutantur, & oppida delentur, humilique deſeruit aratro fundus, in quo excelſæ turres prius conſpiciebantur. Conventus ſancti Franciſci in monte.

Savonenſis diœceſis in Italia in Liguriæ regione.

LXV. Sub numero 127. Indulgentia in feſtivitatibus beatæ Virginis, SS. Franciſci, Antonii, & Claræ, pro Eccleſia Conventus Savonæ, urbis di- Conventus Savonen.

ditionis Genuenſis, ad oram maritimam, vetuſtæ, locupletis, præclariſſimorum virorum & plurium ſummorum Pontificum ortu commendatiſſimæ. Ex noſtra familia multos produxit præſertim Sixtum Papam IV. Petrum Rierium, & Marcum Viguerium Cardinales. ,, Conventum

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, hunc ſancto Franciſco coævum dicunt incolæ, & probant ex diplo-
,, mate, quod ſervant Gregorii IX. quo invitat fideles ad benefacien-
,, dum Fratribus, & altero ejuſdem argumenti Innocentii IV. dato an-
,, no IV. ſui Pontificatus. Alexander IV. anno MCCLIX. ſcribit Epiſcopo
,, Savonenſi, ut benigne & abſque contradictione permittat Fratribus
,, domicilium inundationi fluminis Vaniolæ ſubjectum, urbi inferre.
,, Fundum emit gens Buſſeria anno MCCLXVIII. a Gandulpho Naſo. Ec-
,, cleſiæ fabricam, & dormitorium inchoavit Vivaldus Draperius. Hor-
,, tum Cœnobio contignum donavit Anſaldus Buſſerius: domum vici-
,, nam dono dedit Franciſca Formica genitrix fratris Petri Formicæ; &
,, avia fratris Pauli Formicæ, illius Conventus Alumnorum: & alteram
,, Pizzardus Corſus, ſoluto pretio, munifice erogavit. Danius Marchio
,, Ponzonis multas contulit eleemoſynas, & ſupellectilem Eccleſiaſticam.
,, Alios multos Fratrum benefactores, videre eſt in monumentis Cœ-
,, nobii, qui vel ſacella in Eccleſia, vel Conventus partem ſtruxerunt,
,, & redditus auxerunt. Præter jam nominatos viros Illuſtriſſimos hu-
,, jus ædis alumnos, ibidem floruerunt Clemens Groſſus Cardinalis; fra-
,, ter Marcus Viguerius, altera ſupranominato, Epiſcopus Nolanus, Six-
,, ti IV. præceptor; frater Bartholomæus Roverius Julii II. Germanus,
,, Sixti IV. nepos, Epiſcopus Ferrarienſis, & Patriarcha Antiochenus;
,, frater Joannes vir doctiſſimus, Archiepiſcopus Spalatenſis, mox The-
,, banus, & Epiſcopus Trevicenſis; frater Philippus Buſſerius Nuncius
,, ad varios Principes; frater Laurentius Guillelmi Traverſanus, & alii,
,, de quibus alias opportunius.

Slevicenſis diœceſis in Holſatia ad Sliam fluviam.

Conv. Slevicen. & Flensburgen.

LXVI. Sub numero 517. ſimilis Indulgentia pro Eccleſiis Conventuum Slevicenſis, & Flensburgenſis; recenſebantur olim ſub Provincia Datiæ, & Cuſtodia Ripenſi.

Spoletanæ diœceſis in Italia in Umbriæ regione.

Conv. Trevii, & Jani. Convent. Montis Leonis. Conv. de Tuſſo. Conv. de Valle & Caſſiæ. Conv. Cerreti. Conv. Occoſii. Conven. Montis S. Martini. Conve. de Eremita Arnulphorum. Conv. de Arrone. Conven. Montiſflaſconis.

LXVII. Sub numero 158. ſimiliter pro Eccleſiis Conventuum Trevii, & Jani ſub Cuſtodia Vallis Spoletanæ. Sub numero 264. Montis Leonis ſub Cuſtodia Regni, quem ſub Martino IV. ære publico comparatum ſcribit Rodulphus. Conventus de Tuſſo, aliis de Viſſo; Conventus de Valle; Conventus Caſſiæ conceſſus Fratribus, inquit Rodulphus, anno MCCXLVII. & in quo frater Pax, uti habet Piſanus, multis virtutibus, & miraculis claruit; Conventus Cerreti in oppidi ſuburbio; Conventus Occoſii, quem cum Conventu Caſſiæ confundit Rodulphus, ſed diſtinctos facit Piſanus; Conventus Montis ſancti Martini; qui omnes recenſentur ſub Cuſtodia Montanorum. Conventus de Eremita Arnulphorum, quem ſanctum Franciſcum conſtruxiſſe monent Rodulphus & Piſanus, locumque eſſe devotiſſimum, & perpetuo ibi floruiſſe veram regulæ obſervantiam, ſub Cuſtodia Tudertina. Conventus de Arrone ſub Cuſtodia Narnienſi. Conventus Montisflaſconis, qui prius erat extra

Digitized by Google

tra muros; ſed cum tempore Benedicti XII. ſupplicarent Fratres, ut propter ingruentia bella admitterentur intra mœnia, Pontifex conſtituit Bertrando Archiepiſcopo Elbreodunenſi Apoſtolicæ Sedis Nuncio ut admitteret pro Camera Apoſtolica ædes Fratrum, & intra muros eis provideret commodum locum. Datum eſt diploma apud Pontem Sorgiæ diœceſis Avenionenſis XVIII. Kal. Junii Pontificatus anno II. Hæc vero deputatio facta eſt anno MCCCXXXVI. die XXIV. Auguſti. Floruerunt hoc in loco Viri inſignes, inter quos beatus Joannes Theutonicus, quidam Epiſcopus Anonymus, & Clemens Bontadoſius Epiſcopus Neocaſtrenſis. Felix Inquiſitor Utini, præter alios juniores. Conventus oppidi Alevanii, aliis Bevaniæ, ubi unum aut alterum miraculum feciſſe ſanctum Franciſcum, retulimus. Uterque hic Conventus ſpectat ad Cuſtodiam Spoletanam.

Conv. Bevanii.
Tom. 1. an. 1212. n. 8.

Suanenſis diœceſis in Italia, & Etruriæ regione.

LXVIII. Sub numero 469. Indulgentia ſimilis pro Eccleſia Conventus Pitiliani in Tuſcia in regione Phaliſcorum, nobilis oppidi Urſinorum, illuſtris familiæ Romanæ, titulo Comitatus inclyti, de quo Rodulphus & Piſanus mentionem agunt ſub Cuſtodia Urbevetana Provinciæ Romanæ.

Conv. Pitiliani.

Sutrinæ diœceſis in Italia in Provincia Romana.

LXIX Sub numero 365. Indulgentia ſimilis pro Eccleſia Conventus Sutrii, urbis in eadem regione phaliſcorum pervetuſtæ, & antiquis Coſmographis celebris, quam Etruriæ clauſtrum, ob loci ſitum & belli adverſus Etruſcos gerendi opportunitatem, Livius appellat: hac tamen ætate longe defecit a priſca nobilitate. Hujus loci meminere citati auctores ſub Cuſtodia Romana.

Conv. Sutrii.
Livius lib. 9. ad ann. 443.

Taurinæ diœceſis in Italia in regione Pedemontana.

LXX. Sub numero 127. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Montiſcalerii, oppidi pernobilis multis Italiæ haud cedentis in Lombardia Ciſpadana, in Provincia Montis-Ferrati. Et ſub numero 352. pro Eccleſia Conventus de Secutia, Rodulpho Suſæ. Utriuſque loci meminit hic auctor, & Piſanus ſub Cuſtodia Pedemontana. Aliumque addit Rodulphus Conventum Caſſini ſub Cuſtodia Montis-Ferrati hoc ipſo anno extructum.

Conve. Montiſcalerii.
Conv. de Secutia.
Conv. Caſſini.

Tiburtinæ diœceſis in Italia in Latio.

LXXI. Sub numero 700. anno III. ſimilis Indulgentia pro Conventu Sublaci, aliis Solagii, quibuſdam Sublaquei, oppidi in Latio inter Æquicolas, ſancti Benedicti, qui ibidem ſanctiſſimam vitam egit, memoria inſignis. Ab oppidanis extructum fuiſſe Conventum certis indiciis colligi putat Gonzaga, quo tamen tempore incertum. Locum nunc inhabitant Patres ſtrictioris obſervantiæ, deſeruitque juvenum tirocinio. Sub numero 190. anno IV. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Vicovarii, quem ſimul cum præcedenti reponunt prædicti auctores ſub Cuſtodia Tiburtina.

Conv. Sublaci.
Gonza. in Prov. Rom. Con. 13.
Con. Vicovarii.

Toloſanæ diœceſis in Gallia, in Provincia Narbonenſi.

LXXII. Sub numero 370. ejuſdem anni ſimilis Indulgentia pro Ecclesia Conventus Apamiæ, Togatæ Galliæ urbis, a civibus ut creditur exſtructi, nunc vero omnino deſtructi. Duplici irruptione hæretici ſacrum locum profanarunt, in prima religioſiſſimos Patres Petrum de Pulchro-monte egregium Eccleſiaſten. Joannem Rauletum, & quoſdam alios conſodales prius crudeliſſime trucidatos, in puteum projecerunt. In ſecunda vero Petrum a Molerio virum doctrina & pietate conſpicuum pollicitationibus, blanditiis, minis, verbis & verberibus ad ſuam perfidiam attrahere, dum fruſtra laborarunt, tamdem ad poſtem alligatum ſæviſſime cædunt, deinde verenda abſcindunt, mox ventrem aperiunt, uncino inteſtina exhauriunt, & cor evellunt, Chriſti athleta interim patientiſſime orante, & pie exclamante: *Jeſu miſerere mei, atque illis ignoſce*, quibus in verbis Deo animam reddidit. Deſæviit tamen in mortuum quidam nebulo, qui caput ad humeros uſque in duas partes diſcidit. Magno cum fletu lamentabile ſpectaculum intuentes Catholici, ſequenti die multa cum reverentia & devotione ſanctum corpus ſepelierunt.

Conv. Apamiæ. Fr. Petrus a Molerio martyr.

Tuamenſis diœceſis in Hibernia in Provincia Conaciæ.

LXXIII. Sub numero 685. anno III. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Clare vulgo Hibernico *Baileanchair* oppidi ruralis, in Comitatu Galviæ, ab ea urbe M. P. IV. diſtantis Septemtrionem verſus recta qua itur Roſſrylam, a qua etiam diſtat M. P. VIII. Oppidum cum territorio adjacenti pertinet ad Comitem Clainricardi. Habebat Conventus ſub Patribus Conventualibus quædam prædia ruralia, & jus paſcuarium pro certo numero animalium: modo tamen totius ædis ſoli ſupeſſunt parietes. Olim erat diœceſis de Anaghluan, quæ nunc unita eſt Sedi Archiepiſcopali Tuamenſi.

Conv. Clare.

Tuſcanenſis diœceſis in Italia in Tuſciæ regione.

LXXIV. Sub numero 584. anno IV. eadem Indulgentia pro Eccleſia Conventus Tuſcanæ, vulgo Italico *Tuſcanella*, tunc ſeparatæ diœceſis, nunc unitæ cum Viterbienſi in regione Phaliſcorum in Tuſcia. Hac in urbe ſanctus Franciſcus filium cujuſdam nobilis ſanitati reſtituit, eodemque in Conventu beatus Guillelmus de Cordella, vir miraculis, & vitæ probitate clarus ſæpius prædicavit.

Conv. Tuſcanæ.

Tuſcanæ diœceſis in Italia, in Provincia Romana.

LXXV. Sub numero 365. eadem Indulgentia pro Conventu Montis Compatrum, in quo plures Viri ſancti floruerunt, præſertim beatus Angelus a Monte-Leone, & beatus Raynaldus Reatinus. Spectat ad Provinciam, & Cuſtodiam Romanam.

Conventus Montis-Compatrum.

Vaſatenſis diœceſis in Gallia in Vaſconia.

LXXVI. Sub numero 348. Indulgentia pro feſtivitatibus Aſſumptionis beatæ Virginis, ſancti Franciſci, & beatæ Claræ, earumque octa-

Anno Christi 1291.	Nicolai IV. anno 4.	Rodulphi Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 84.

octavis pro Eccleſiis Conventuum Vaſatenſis, & Villæ de Regula, quorum monumenta omnia deperierunt, nec eſt unde ſciri poſſit fundationis tempus, aut aliud quidpiam notabile; hæretici etenim omnia peſſundederunt.

Conve. Vaſaten.

Gonza. in Prov Aquitan. recens Con. 11.

Urbevetanæ diœceſis in Italia in Tuſciæ regione.

LXXVII. Sub numero 707. anno III. Indulgentia in quatuor feſtivitatibus præcipuis beatæ Virginis, ſancti Petri Apoſtoli, SS. Franciſci, Antonii, & Claræ, earumque octavis pro Eccleſia Conventus Bolſenæ oppidi haud obſcuri, aut infrequentis ad Volſinum lacum, ſanctæ Chriſtinæ corpore inſignis. Floruit hoc in loco Magiſter Angelus, quem Pius II. deſtinavit ad Franciſcum Sfortiam Mediolanenſem Ducem, ut ad pacem & ſerenam mentem reduceret, dum Eccleſiæ & Pontifici multa minaretur; hujus tamen oratione lenitus, quievit. Sub numero 264. anno IV. ſimilis Indulgentia, excepta feſtivitate ſancti Petri, pro Eccleſia Conventus Montis-Jovis, cujus memoriam tamen non invenio apud Rodulphum aut Piſanum. Hæc ſunt quæ de Fratrum domiciliis hoc vel anteriori, incerto tamen tempore, extructis ſcire vel colligere licuit ex Monumentis Vaticanis: modo ſubminiſtramus Sororum Monaſteria.

Conv. Bolſenæ.

Conven. Montis-Jovis.

CLARISSARUM MONASTERIA.

Aginnenſis diœceſis.

LXXVIII. Sub numero 553. anno IV. Indulgentia in feſtivitatibus prænominatis beatæ Virginis, & ſanctæ Claræ pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ Condomii Aquitanorum oppidi, cujus aliud non reperio veſtigium.

Monaſt. Condomii.

Aſſiſienſis diœceſis.

LXXIX. Sub numero 127. in eiſdem, necnon SS. Franciſci, Antonii & Sebaſtiani oppidi de Cannario, de quo ſimiliter aliam non invenio memoriam.

Monaſt. Cannarii.

Biſuntinæ diœceſis.

LXXX. Sub numero 331. pro eiſdem diebus feſtis, præterquam in illo ſancti Sebaſtiani, Indulgentia pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ de Monte-nigro, cujus tamen apud noſtros auctores nullam invenio memoriam.

Monaſt. de Monte-nigro.

Burgenſis diœceſis.

LXXXI. Sub numero 703. anno III. Indulgentia in ſingulis feſtivitatibus beatæ Mariæ, & SS. Franciſci, & Claræ pro Eccleſia Monaſterii celebris oppidi Santander in Cantabria. Ejus fundatricem ſcribit Gonzaga Mariam Guitarte, relictam ſtrenui Ducis Gonſalvi Garſiæ a Santander, qui ſub Alphonſo patre, & Sancio filio meruit in bello navali contra Mauros. A fundamentis erexiſſe, & redditibus locupletaſſe circa annum MCCCXXIII. aſſerit, quod ſi verum hoc, neceſſe eſt, ut alia præextiterit ædicula, ſeu Monaſterium, cui hoc anno conceſſa hæc Indulgentia, vel illa fundatio fuit vetuſtior. Aliquot ibi aſſervantur Pontificum & Regum privilegia. Sub numero 341. anno IV. habetur ſimilis In-

Monaſt. Santander.

Gonza. in Prov Cantabr. Monaſt 6.

Indulgentia, pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Marinæ Burgenſia urbis, inquit diploma: neque tamen invenio apud Gonzagam, neque in monumentis Provinciæ Burgenſis ad me miſſis, hujus Monaſterii veſtigium, niſi fortaſſis illud, quod ſanctæ Claræ Monaſterium modo vocatur Burgia, quod prius diceretur ſanctæ Marinæ, etſi Gonzaga aſſerat a principio uſque ad mortem ſanctæ Claræ titulo, non ſanctæ Marinæ, ſed ſanctæ Mariæ inſignitum. Facile potuit accidere æquivocatio in nomine, vel mutatio in primis ſedibus, ut prius illam Eccleſiam habuerint parochialem glorioſæ Virgini, poſtea alteram ſanctæ Mariæ dicatam; deinde temporis tractu novæ Eccleſiæ, vel veteri reædificatæ nomen impoſuiſſe ſanctæ Claræ. Quod vero ait Gonzaga, eas ſub mortem ſanctæ Virginis hoc nomen aſſumpſiſſe, conſtat ex hoc diplomate non ita eſſe, dum adhuc ſub hoc anno retinuerit illud Monaſterium titulum ſanctæ Marinæ.

Caſtellanæ diœceſis.

Monaſter. Preſagnoli. LXXXII. Sub numero 517. anno iv. Indulgentia pro feſtivitatibus beatæ Virginis, & ſanctæ Claræ in Eccleſia Monaſterii de Preſagnolo. Ad quam Provinciam ſpectaverit, vel an adhuc extet, quoque tempore fundatum, non potuit aliunde expiſcari:

Faventinæ diœceſis in Italia in Æmiliæ regione.

Conv. de Virginibus prope Faventiam. LXXXIII. Sub numero 11. Indulgentia pro enumeratis feſtivitatibus beatæ Virginis, & ſancti Martini, earumque octavis in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Virginibus juxta Faventiam: neque hujus etiam aliud occurrit monumentum.

Feltrenſis diœceſis in Italia in Ditione Veneta.

Monaſt. S. Fecati. LXXXIV. Sub numero 679. anno iii. Indulgentia pro feſtivitatibus Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, SS. Franciſci, & Antonii, necnon ſancti Fecati, & pro octavis in Eccleſia Monaſterii Clariſſarum Feltrenſis, ſub titulo ſancti Fecati conſtructa.

Firmanæ diœceſis.

Monaſt. Civitatis novæ. LXXXV. Ibidem Indulgentia in feſtis SS. Franciſci, Antonii, & Mariæ Magdalenæ pro Eccleſia Monaſterii Clariſſarum Civitatis novæ in honorem ejuſdem divæ conſtructa. Sub numero 145. anno iv. Indulgentia pro omnibus feſtivitatibus beatæ Virginis Mariæ, & ſanctæ Claræ, Monaſt. S. Elpidii. atque octavia in Eccleſia Monaſterii oppidi de ſancto Elpidio. Sub numero 595. ejuſdem anni Indulgentia in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Mar- Monaſte. Firmanum. garitæ urbia Firmanæ pro feſtivitate ejuſdem ſanctæ Margaritæ, & per octavas.

Florentinæ diœceſis.

Monaſt. Prati. LXXXVI. Sub numero 105. Indulgentia in feſtivitatibus quatuor ſæpius enumeratis beatæ Virginis Mariæ, & SS. Petri & Pauli, ac Joannis Evangeliſtæ, earumque octavia pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Mariæ de

de Prato prope Florentiam. Neſcio an idem ſit cum illo, quod ſancti Georgii Prati ſub numero 16. enumerat Gonzaga in recenſu Monaſteriorum Provinciæ Tuſciæ. Potuit facile evenire, ut Sancti tutelaris fieret mutatio.

Jaderenſis diœceſis.

LXXXVII. Sub numero 149. Indulgentia in feſtivitatibus ſancti Nicolai, & ſanctæ Claræ, earumque octavis pro Eccleſia Monaſterii ſancti Nicolai, urbis Jaderæ, cujus nullum aliud potuimus invenire monumentum.

Monaſt. Jaderen.

Interamnenſis diœceſis in Italia in Umbria.

LXXXVIII. Sub numero 703. anno III. Indulgentia pro feſtivitatibus ſanctorum Pauli Apoſtoli, Stephani Protomartyris, & beatæ Claræ, earumque octavis pro Eccleſia Monaſterii ſancti Pauli de Galleto prope civitatem Interamnenſem, cujus nos meminimus ſuperius, monumentumque in eodem loco ſtipulatum lectori nbtulimus opportunius.

Monaſt. Interamnenſe.

Tom. 4. an. 1264. n. 4.

Milenſis diœceſis in Saxonia ad Albim fluvium.

LXXXIX. Sub numero 654. ejuſdem anni Indulgentia pro feſtivitatibus Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, ac ſancti Nicolai, ſanctæ Crucis, & ſanctæ Claræ, earumque octavis, & in anniverſario die dedicationis pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ de Suſelez. Ibidem Indulgentia pro feſtivitatibus Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis beatæ Mariæ Virginis, ſancti Joannis Baptiſtæ, ſanctæ Cucis, & ſanctæ Claræ, & per octo dies immediate ſequentes prædictas fſtivitates, & in anniverſario die dedicationis in Eccleſia Monaſterii Treſdenſis in honorem ſancti Joannis Baptiſtæ conſtructa.

Monaſt. Suſelez.

Montiſpeſſulanæ diœceſis in Gallia, in Volcis Arecomicis.

XC. Sub numero 717. ejuſdem anni Indulgentia pro prædictis feſtivitatibus beatæ Virginis, ſanctorum Franciſei, Antonii, & Claræ, earumque octavis in Eccleſia Monaſterii de Paradiſo Montiſpeſſulani, de quo nos aliud miniſtravimus monumentum, ex quo cnnſtat pluribus ante hunc annis fuiſſe conſtructum.

Monaſt. Montiſpeſſulani.

Tom. 3. an. 1251 n. 68.

Nicoſienſis diœceſis in Cypro Inſula.

XCI. Sub numero 11. anno IV. Indulgentia in ſingulis beatæ Mariæ Virginis, & beatæ Claræ, & ſanctorum Franciſci, & Antonii Confeſſorum feſtivitatibus in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ Nicoſienſis.

Monaſt. Nicoſiæ.

Norembergenſis diœceſis in Germania.

XCII. Sub numero 654. anno III. Indulgentia pro feſtivitatibus Annunciationis beatæ Mariæ, ſancti Nicolai, ſanctæ Crucis, & ſanctæ Claræ, & pro octo diebus feſtivitates has immediate ſequentibus, & in anniverſario dedicationis Eccleſiæ, pro Monaſterio ſancti Nicolai de Wicenzelis.

Monaſt. Wicenzelen.

Rea-

Reatinæ diœceſis.

Monaſt. Mabilonen.

XCIII. Sub numero 190. anno IV. Indulgentia in ſingulis feſtivitatibus beatæ Mariæ Virginis, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſancti Franciſci, earumque octavis pro Eccleſia Monaſterii ſancti Franciſci de Mabilone. Ibidem Indulgentia pro eiſdem, & ſanctæ Luciæ, & ſanctæ Claræ feſtivitatibus pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Luciæ de Colle alto.

Roſchildenſis diœceſis.

Monaſt. Roſchilden.

Hoc anno n. 62.

XCIV. Sub numero 626. Indulgentia pro eiſdem feſtivitatibus, excepto die ſanctæ Luciæ, pro Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ Roſchildenſis civitatis. De Conventu Fratrum hujus urbis egimus ſuo loco.

Segovienſis diœceſis in Hiſpania.

Monaſt. Segovienſe.

Gonzag. in Prov. Concep. Mon. 2.

XCV. Sub numero 341. Indulgentia pro feſtivitatibus Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, ſanctæ Claræ, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ, earumque octavis in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ Segovienſis. Primam hujus loci fundationem ignorari aſſerit Gonzaga ob exuſta monimenta. Id dumtaxat ſcribit conſtare ante annum MCCCCXXX. Clariſſas Segoviæ fuiſſe, nam circa illud tempus illarum primum habitaculum magno exarſit incendio, & Joannes Hurtado a Mendoza, atque Maria a Luna proprias ædes in parochia ſancti Michaelis ſitas cum adjacentibus hortis liberaliſſime donarunt. Redactis ædibus in formam Monaſterii ſub titulo ſanctæ Claræ novæ ad diſtinctionem vetuſti, quod exarſit (quamvis ex hoc diplomate conſtet, dicatum ſanctæ Mariæ Magdalenæ) anguſtius evaſit Monaſterium, quam ut adventantes juvenculas poſſet excipere. Quare Eliſabetha Regina Ferdinandi Catholici conjux, regiam ad alterius Monaſterii ædificationem ex Apoſtolica Innocentii VIII. auctoritate anno MCCCCLXXXVIII. præfatis Sororibus conceſſit. In regias itaque has ædes, in Monaſterium ſub S. Antonii regii nomine mutatas, decennio poſt donationem elapſo, nempe anno MCCCCXCVIII. ſe tranſtulere. Diximus alias, Fratres prius in hoc loco habitaſſe, antequam Sororibus concederetur, vel ipſi transferrentur ad eum, quem modo poſſident, Conventum. Inſerviunt hujus Monaſterii Sororibus novem Fratres, quorum unus præeſt titulo Vicarii, ceteri ſacellani nuncupantur. Gravis hic viget vitæ regularis diſciplina.

Tom. 3. an. 1252. n. 29.

Theatinæ diœceſis in Italia in Regno Neapolitano.

Monaſt. Guardiæ.

XCVI. Sub numero 115. Indulgentia pro quatuor prædictis feſtivitatibus beatæ Mariæ Virginis, & per octavas in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ de Guardia.

Velitrenſis diœceſis in Italia in Latio.

Monaſt. Velitrenſe.

XCVII. Sub numero 289. Indulgentia pro prædictis, ac ſanctæ Claræ feſtivitatibus, & per octo dies eas immediate ſequentes in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ Velitrenſis. Hec ſunt, quæ de his Monaſteriis, ædibuſque Fratrum, ac Sororum, de quarum certa origine nihil certo conſtat, ſub hoc anno ex regeſto potuimus colligere.

Varia

Digitized by Google

Varia item conceſſit hoc anno Fratribus, & Sororibus privilegia.

XCVIII. Fratrem Guidonem de Marchia filium Hugonis Comitis Engoliſmenſis, & Marchiæ, qui litterarum ſcientia, honeſtate morum, & aliis virtutum donis pollebat, ad inſtantiam Miniſtri Generalis quibuſdam gratiis affecit. Archiepiſcopo Ardmachano, Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum de Ponte in Hibernia commiſit, ut exacte viderent & examinarent privilegia, & Indulgentias Apoſtolicæ Sedis conceſſa Priori & Fratribus hoſpitalis ſancti Joannis Dublinienſis Ordinis ſancti Auguſtini, eaque ad ſe ipſum tranſmitterent. Ad preces Guardiani & Fratrum Conventus Cameracenſis confirmavit conceſſionem ſibi factam a Guillelmo Hannonio Epiſcopo Cameracenſi, ejuſque prædeceſſore Ingeramo, aliis Ingelrano de Crequy, qua liberam eis, eorumque uſui eſſe voluit omnem aquam Scaldis fluvii, infra clauſuram dicti Conventus decurrentis, quantumvis ad hujuſmodi Epiſcopi donationem non acceſſerit conſenſus Capitularium Eccleſiæ matricis, ad quam ſpectabat fundus, ſeu locus, in quo conſtructus erat dictus Conventus, & a qua congrua recompenſatione facta Præpoſito & Capitulo Eccleſiæ, illum Fratres acceperunt ſub Nicolao de Fontanis ejuſdem urbis Epiſcopo. Prædicta habentur in litteris Pontificiis: *Cum a nobis petitur*; datis V. Kal. Julii: quare in eo dumtaxat ſenſu verum eſt, quod Gonzaga habet, ſcilicet fundum liberaliter conceſſum a generoſo equite Joanne de Flos, nimirum ſi hic a prædicto Capitulo locum emerit, & deinde Fratribus donaverit; cujus etiam expenſis, ait præfatus auctor, anno MCCLXII. inſigne ſuperædificatum Monaſterium. Concordat ſane hic annus cum tempore quo Pontificatum retinuit Nicolaus Epiſcopus, ſub quo diximus fundum acquiſitum, hic enim mortuus eſt anno MCCLXXII. Accepit Conventus breviſſimo tempore magnum incrementum, Summorum Pontificum, & multorum Principum favore, quod vel ipſæ litteræ & diplomata eorumdem, quæ in Fratrum archivo ſervantur, confirmant. Templum conſecratum ad Dei honorem ſub titulo ſanctæ Crucis, ſancti Franciſci, & omnium Sanctorum anno Domini MCCCIII. a Guidone Epiſcopo Cameracenſi, quem de Colomedio cognominat Claudius Roberti. Multam meretur laudem Conventus hic ex graviſſimis, quos habuit Patribus, a ſtructura, ab amplitudine, a diſciplina regulari.

> Privilegia Fratribus conceſſa.
> *Ep. 686. an. 3.*
> *Ep. 65. an. 4.*
> Donationes factæ Conventui Cameracenſi.
> *Ep. 306. an. 4.*
> *Gonzag. in Prov. S. And. Conv. 13.*
> *Claudius Rober. in Epiſc. Cameracen.*

XCIX. Ejuſdem Cameracenſis diœceſis Minoritis de Valenzenis deprecantibus, ſcripſit Pontifex ſemel & iterum Abbati & Conventui Monaſterii ſancti Joannis in Valenzenis Ordinis ſancti Auguſtini, ut prædictis Fratribus anguſto in loco viventibus venderent pro juſto pretio domos quaſdam eiſdem vicinas, in quibus publicas ſcholas habebant, a prædicto Conventu Auguſtiniano ſemotas, in quibus ſcholares ſuo ſtrepitu erant valde moleſti Minoritis. Ea vero ratione ſcripſit ſecundo de hac re Pontifex, ut niſi ad ejus preces id peragere vellent, eodem tempore commiſſionem dederit ad Cantorem Cameracenſem, & Scholaſticum Tornacenſem, ut ita fieri auctoritate Apoſtolica curarent: *Significarunt nobis*. VI. Kal. Julii. Plura diximus alias de hac Minorum æde Valenzenenſi. Confirmavit etiam Pontifex donationem Eccleſiæ parochialis ſancti Laurentii de Arari cum cœmeterio, domibus, platea ante ipſam Eccleſiam exiſtente, & aliis quibuſcumque pertinentiis a Franciſco Epiſcopo, Pandulpho presbytero, & Capitulo Urbevetanis factam Fratribus Mino-

> Pro ampliando Monaſterio Valenzenenſi.
> *Tom 2. an. 1321. num. 49. & an. 1231. n. 42.*
> Item pro Urbevetano.

Minoribus ejuſdem urbis, cum quibuſdam conditionibus in diplomate expreſſis: *Exigentibus veſtræ religionis*. v. Kal. Octobris. Alias deinde adjecit litteras ad Jacobum ſanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, & Magiſtrum Nicolaum Camerarium, & Notarium Apoſtolicum, & ad Abbatem Monaſterii ſancti Severi prope Urbem veterem, ut introduceret Fratres in poſſeſſionem prædictorum. Ad Arcbidiaconum Socenſem in Eccleſia Auxitana, aliis Auſcenſi, ſive Auguſta Auſcorum vulgo *Auch* in Gallia, aliud miſit diploma, ut mederetur gravibus injuriis, quas Monachi Cluniacenſes intulerunt Fratribus Minoribus, quos
Conv. de Medicino. ad villam de Medicino per Communitatem vocatos, & commodo habitaculo donatos, prædicti Monachi in manu potenti, & brachio excelſo male affectos, & vulneratos inde expulerunt: *Significarunt nobis*. Idibus Septembris. De qua re ejuſdem tenoris alias graviſſimas dedit litteras ad Abbatem Monaſterii Cluniacenſis, ut rem amicabiliter componeret: *Graviter noſter animus*. x. Kal. Decembris.

Ep. 733. C. Scripſit ad Archiepiſcopum Brunduſinum, ut peremptorie citaret ad Curiam quoſdam Clericos, qui injurias multas, verbera & vulnera intulerunt Fratribus Bitonti, ſuum domicilium fabricantibus ex relictis ſibi domibus, & turri per nobilem mulierem Conſtantiam de Caſtanea; eripueruntque mortuos in Eccleſia Fratrum ſepeliendos. Licentiam impertivit Archiepiſcopo Terraconenſi ut decentem partem fundi ſiti juxta
Conv. Villæ Francæ Pœnitentium. Conventum Minorum Villæ Francæ Pœnitentium, diœceſis Barchinonenſis, quem ille ab Eccleſia Romana ſub annuo cenſu obtinuit, eiſdem Fratribus in arcto loco habitantibus, pro ampliando ſuo Monaſterio aſſignaret: *Sua nobis dilecti filii*. vi. Non. Octobris. Non immerito ita-
Gonzag. in Prov. Catalon. Con. 17. que dicit Gonzaga, locum hunc originem habuiſſe ante annum MCCXCIX. traditionemque aſſerit eſſe, eum extruxiſſe quemdam Archiepiſcopum; ab oppidanis vero deinde auctum, & ampliatum. Ad Fratres Obſervantes devolutus eſt locus anno MDLXVII. erga quos ob crebra miracula magna feruntur Villa-francenſes devotione.

Privilegia Clariſſarum. CI. Clariſſis etiam in pluribus favit. Scripſit ad Priorem & Fratres Hoſpitalis Hieroſolymitani Pariſienſis, ut Abbatiſſæ & Conventui ſanctæ Claræ prope Pariſios, quaſdam terras & domos cenſivas prope earum Monaſterium ſitas pro competenti venderent pretio, ad ampliandum ſuum domicilium: *Super iis quæ pietatem*. II. Non. Januarii anno III. Clariſſas univerſas abſolvit a ſolutionibus quibuſcumque, Legatis, vel Nunciis Sedis Apoſtolicæ faciendis, atque ab omnibus aliis oneribus, tributis, ſeu exactionibus, quod & alios Pontifices eis indulſiſſe dixi-
An. 1285. n. 22. mus ſuperius: *Quanto ſtudioſius*. xv. Kal. Februarii anno III. Clariſsis
Ep. 487. ann. 1. de Collazzone confirmat privilegia a Bonifacio Epiſcopo, & Capitulo
Tom. 2. an. 1235. n. 37. Tudertino conceſsa, quod & Gregorium IX. feciſse diximus ſuperius.
Clariſſis Montis Martiani Adurenſis diœceſis facultatem fecit, ut conſi-
Ep. 350. an. 4. derata earum paupertate, redimere poſſent decimas de manibus Laicorum, uſque ad valorem ducentarum librarum Turonenſium in redditibus annuis in parochiis alienis. Scripſit Barenſi & Brunduſino Archiepiſcopis, & Epiſcopo Montis Viridis, ut Clariſſis Cuſentinis ſumma egeſtate laborantibus, provide ſubvenirent, & providerent de loco tuto, donec ad priorem ſuum poſſent redire: *Sua nobis dilectæ*. Kalend. Octobris. Matthæo Rubeo Urſino ſanctæ Mariæ in Porticu Cardinali Ordinis Protectori facultatem dedit per ſe, vel per alium conſenſum præſtandi in quibuſcumque pactis, conventionibus, vel obligationibus,

ſeu

ſeu aliis quibuſcumque juribus Monaſteriorum Clariſſarum : *Ut tu cui Monaſteriorum*. IV. Kalendas Octobris.

CII. Fratribus Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſive de Pœnitentia, poſtquam habitum & regulam præſcripſit Pontifex (quam ipſe in diplomate fatetur eamdem eſſe, quam a ſancto Franciſco receperunt, ſicut & nos in procemio ad eamdem probavimus, dum ſancti Viri opuſcula edidimus) Epiſcopus Florentinus Andreas Madius graves intulit moleſtias, propter reaſſumptum habitum genuinum, quem alias dimiſerunt : juvabit diploma ad intelligenda primordia illius ſodalitatis : *Ad audientiam noſtram*. XII. Kalend. Octobris.

De habitu Fratrum Tertii Ordinis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. INter utroſque hos annos MCCXC. & MCCXCI. quam peſſime res
,, Chriſtiana ſe haberet in partibus Orientalibus, ab hiſtoricis
,, refertur : & Waddingus Viragines Clariſſas Ptolemaidis, ob tutan-
,, dam pudicitiam virginalem, quam Jeſu Chriſto ſuo Sponſo prælecto
,, conſecraverant, ſeſe uſque ad ſanguinem deformaverant, ac tamdem
,, nihilominus martyrium ſubierant, enarrans huic anno inſcribit; quod
,, nos præterito proxime ob hiſtoriæ continuationem anno dare teneba-
,, mur : id autem parum vel nihil eſt, cum non ad ſcrupulum temporis,
,, ſed rei ad veritatem incumbamus : apud ipſum ergo ea legatur quæ-
,, ſtio, an ſacræ præfatæ Virgines ea arte rite potuerint ſeſe martyrio
,, addicere? Pulchra ſiquidem eſt, & auctore digna. Ceterum Cypri
,, Nicoſia ſicut ex Pontificio Vaticano regeſto indulgentiarum, ipſi Wad-
,, dingo occurrit, ita & nobis occurrens, eam Cypriorum antiquam in
,, noſtrum Ordinem Seraphicum pietatem commemorandam exhibet.
,, Trina ſunt diplomata Indulgentiarum ſub anno IV. Pontificatus Nico-
,, lai IV. a Petro de Alva & Aſtorga indicata, quorum duos Fratres,
,, ſed tertium Moniales, indicant ante hæc tempora tam Sanctimonia-
,, lium, quam Fratrum Nicoſiæ Cœnobia conſtructa fuiſſe : & quidem
,, pro Fratribus ambo ejuſdem tenoris : *Vitæ perennis &c.* ſed unum
,, II. Kal. & alterum VII. Idus Julii, quibus Indulgentia conceditur :
,, tertium vero pro Monialibus in eumdem finem, & ſub eadem formula
,, VII. Idus Martii expeditum fuit.

In Oriente Chriſtianorū res peſſime habentur.

Moniales Ptolemaidis martyres.

Indicul.

Cœnobiorum Nicoſię antiquitas.

,, II. In medio Iſſici ſinus inter Ciliciam, & Siriam jacet in undis
,, Cyprus, Inſula Paphia, Amathuſia, & Salaminia nuncupata, Græco-
,, rum, necnon Latinorum Poetarum geniali carmine perpetuo celebris,
,, & pluribus naturæ gratiis commendata. Inſula amnis ſub propitio
,, cœlo miræ fertilis, etiam ſmaragdo, cryſtallo, & alumine dives & no-
,, bilis, plurimo ære gaudet, a cujus copia nonnumquam dicta fuit æroſa,
,, & ob ſupra modum inundantes delicias, Veneri dedita : muliebrem
,, ſexum extollit venuſtas, at plerumque deprimit luxus, ſicut virilem
,, verboſa mollities. Salaminam, Paphum, & Palepaphum urbes olim
,, clariſſimas habuit : & quidem Salamis in amœniſſimo ſitu Orientalis
,, littoris habena trajectum ex Siria commodiſſimum, cum mercatoribus
,, in eam confluentibus, Paulum, Barnabam, & Marcum etiam excepit,
,, & ab ipſis Evangelium didicit; ſed fatali temporum decurſu mutata
,, ſorte, omnes præfatæ Nicoſiæ, & Famauguſtæ primas ceſſere. Suo
,, Olympo gloriatur Cyprius, monte præcelſo, quem *Todron* vocat,
,, frequentia Monaſteriorum celebrem. Nicoſia in Mediterraneis ad

Cyprus, Salamis, & Nicoſia deſcribuntur. *Vide Petr. Bertium in deſcript. Cypr. fol. 561.*

Act. 13.

Fr. & Mon. noſtri ante annum 1291.

,, marginem fluvii, urbs omnino civilis & regia, omnibus bonis abun-
,, dans, a Famaugusta littorali quadraginta milliaribus Italicis diſtat.
,, Ceterum in univerſum Inſula octingentos quinquaginta pagos nume-
,, rat; his parce ad animi ſolatium aliquale præmiſi. Regeſto Vaticano
,, indicante, noſcimus Cypri Nicoſiam longe ante annum MCCXCI.
,, Religioſos Minoritas nedum, ſed & ſorores Moniales Clariſſas ha-
,, buiſſe; non eſt autem facile demonſtrare tempus præciſum, quo cœ-
,, perit habere, & difficillimum eſt prodere quo auctore: nullo immobili
,, clavo memoriæ poſterorum præterita hujuſmodi acta, cum nemo con-
,, fixerit, quem hucuſque liceat ſcire, præter indicem Provinciarum
,, D. Bonaventuræ in Capitulo generali Narbonæ anni MCCLX. confe-

Duæ in ea Cuſtodiæ ab anno 1260.

Vide Har. ad an. 1540. n. 19.

,, ctum: in eo ſiquidem lego in numero Provinciarum Ordinis eam
,, Terræ ſanctæ trigeſimam ſecundam, & omnium penultimam duas ha-
,, buiſſe Cuſtodias, primam Nicoſiæ in Inſula Cypri, ſecundam vero
,, Sarajæ; ex quo teſtimonio legitime infertur, longe ante eum annum
,, noſtros Nicoſiæ ædes habuiſſe; quibus præſidens titulo Cuſtodis aliis
,, in eadem Inſula Fratribus imperaret.

,, III. Interea attente, qui legit, Waddingum ad hunc annum, non
,, poteſt non admirari ſummi Antiſtitis paſtoriciam ſollicitudinem non
,, tantum cuſtodiæ, ſed etiam multiplicandis ovibus Chriſto maxime

Laborat Pontifex pro Servis, & Bulgar. convertendis.

,, incumbentem, eamque ſonoro & digno præconio extollere, dum Ser-
,, vios, & Bulgaros ad caulam Domini reducere ſatagit. Stephano Regi,
,, & Helenæ ejus Conſorti digniſſimæ paterno plenas affectu, miſſis dila-
,, toribus Minoritis, litteras ſcripſit, ut apud Annaliſtam habet lector;
,, ſed non ſemel, etenim præter eas, alias expedivit in eumdem finem

Indic. ex Vatic.

,, præfato Regi: *Quanto devotiori &c.* Idibus Martii: & Helenam in eroi-
,, co labore Georgium Imperatorem Bulgarorum ad obedientiam Ro-
,, mani Pontificis reducendum, aſſumpto, ut foveret, atque incenderet,
,, ejus Confeſſario pariter ſcripſit: *Quanto perſonam &c.* Idibus Martii:
,, nec ipſum Imperatorem oblitus deſtitit invitare, & Apoſtolica voce
,, allicere, & ipſi epiſtolas direxit: *Ad curam &c.* x. Kal. Auguſti: ine-

Angitur Pontif. pro Paleſtinæ jactura.

,, narrabili vero dolore ex altera parte urebatur ob triſtem Chriſtiano-
,, rum Paleſtinæ jacturam: quamobrem ubique milites Cruceſignatos
,, conſcribebat, ſubſidia colligebat, & ſuppetias, ut opem ferret miſe-

Ex Oder. num. 2. & 6.

,, ris, omni ſtudio, & nullo intermiſſo labore parabat. Præter in Anna-
,, libus relata, Eduardo Regi Angliæ pro ſubſidio Terræ ſanctæ ſcripſit:
,, *Ferventis deſiderii &c.* II. Idus Februarii: & in eumdem finem Mini-
,, ſtro Provinciali Minorum in eodem Regno: *Terræ ſanctæ &c.* XV. Kal.
,, Aprilis: ac etiam univerſis Chriſtifidelibus: *Cum terra ipſa &c.* IV.
,, Kalendas prædicti menſis. Dum vero in Lupos Sarracenitos excitat

Litter. Apoſt. pro Inquiſitoribus Italiæ ad eam purg.

Wadd. hoc anno n. 12.

,, canes, alios venatorios in hæreticos pecudes morbidas ovile Chriſti
,, ſecrete, vel palam corrumpentes movet; hinc ſunt diverſis Inquiſi-
,, toribus plura diplomata hoc anno expedita, ut Tuſciæ, bina ejuſdem
,, tenoris: *Cum ſicut &c.* ac tertium Italiæ: *Cum dilectus &c.* ſub III.
,, Kal. Junii: ſunt etiam bina alia, quorum unum Inquiſitoribus Mar-
,, chiæ: *Cum ſicut &c.* XII. Kal. Auguſti: alterum vero iterum pro præ-

Ex Vatic.

,, latis Italiæ: *Quod ſuper nonnullis &c.* V. Nonas Martii: & ſub eadem
,, data tertium Joanni Gneſio: *Sua nobis &c.* Miniſtro etiam Provinciali
,, Sclavoniæ, ut habetur in epiſtola ad Stephanum Regem, a Waddingo
,, relata, ſcripſit pro Inquiſitione: *Præ cunctis noſtri &c.* ac etiam pro
,, Inquiſitione Boſnæ ſub eodem tenore, ac data X. Kal. Aprilis.

IV. Præ-

„ IV. Præter vero duas executoriales, quarum prima eſt ad Epi-
„ ſcopum Jaderenſem Minoritam: *Dum nobis &c.* xv. Kal. Maii, & al-
„ tera ad Guardianum Rugaſinuw: *Pridem nobis &c.* v. Kal. Junii: per-
„ plures Indulgentias tam Eccleſiis Fratrum, quam Sanctimonialium a
„ Petro de Alva, & Aſtorga indicatas, ultra eas, quas habet Anna-
„ liſta, conceſſit, ut eſt videre in ſæpius citato indiculo; ex quo tan-
„ tum referam voluiſſe ſanctæ Claræ Monaſterium prope Pariſios exem-
„ ptum, datis ob id binis diplomatibus: *Licet ea &c.* x. Kal. Junii: &
„ *Romana Eccleſia*. IV. Nonas Julii; Monaſterium vero ſancti Elpidii,
„ ne ſubjaceat interdicto: *Ut in veſtro &c.* & ne ſolvat ſubſidia: *Pauper-*
„ *tati &c.* cui pariter Indulgentias elargitus eſt: *Ad promerenda &c.*
„ datis brevibus ſub IV. Nonas Maii.

Variæ executoriales in favorē Ordinis. Indicul.

„ V. Tamdem Julianus Britonis Religioſus pietate, & doctrina ce-
„ leberrimus, qui ob præclaras animi ſui dotes in directorem, & con-
„ feſſarium Sereniſſimæ Francorum Reginæ Mariæ aſſumptus fuerat,
„ idque muneris laudabiliter expleverat, hoc anno Pariſiis ultimam la-
„ bilis vitæ periodum attingens, in æternitatem fœliciter translatus eſt.

Julianus Britonis pietate, & doctrina celebris. *Mon. Tur. antiq. MSS.*

ARGUMENTUM.

Rex Armeniæ mittit ſuos Legatos Minoritas ad Pontificem, & Reges Europæos, ut ſuas & Chriſtianorum anguſtias ſignificent, auxiliumque petant adverſus Sarracenos. Pontifex Inquiſitionem contra hæreticos instituit in Comitatibus Viennenſi & Albonenſi, inſtitutamque Venetiis conſolidat: Romandiola aliiſque terris ad obedientiam Eccleſiæ redactis, moritur, cohoneſtaturque ſumptuoſo Mauſoleo. Rex Romanorum creatur Adolphus Naſſovius. Moritur Michael Palæologus Imperator Græcorum, necnon Joannes Peccamus Archiepiſcopus Cantuarienſis, beata Cunegunda uxor Boleslai Pudici, & Alfonſus Aragonius. Celebrantur Comitia generalia, in quibus quædam utiliter ſtatuuntur. Præficiuntur aliquot Eccleſiis Minoritæ. Commemorantur plura Monaſteria & privilegia.

I. SUPERVIXIT etiam hoc anno aliquot menſibus Nicolaus Pontifex, quibus magna quæque in Eccleſiæ Romanæ, & Chriſtiani Orbis incrementum moliri, & excogitare non deſtitit. Sarraceni ſub hoc tempore in maximas redegerunt anguſtias Armenos, quos alias Catholicos, & Romanæ Eccleſiæ ſubjectos, diximus, eamque belli cauſam refert Continuator Belli ſacri, quod deleta, uti ſupra diximus, Antiochia, Sarraceni præda onuſti in Armeniam irruperint: at Armenii cum hoſtem efferatiorem per æqua iniquaque diſcurrere, prædam congerere, omnia diripere viderent, contractis copiis improviſo eos adorſi ſint. Sarracenus ab omni latere circumventus prædam abjicere, ad ſigna coire compulſus: Bandogabar Princeps ſuis auxilio occurrens, ſagitta in incertum emiſſa vulneratus; paulo poſt ex vulnere cum obiiſſet, Nelpin ſucceſſorem habuit: hic parentis mortem ulturus iterum Armenios aggreditur. Innumero & potentiſſimo exercitui, atque efferæ genti dum viribus impar ſe reſiſtere non poſſe judicabat Armenus, miſit ſuos Legatos fratres Thomam de Tolentino, & Marcum de Monte Lupone, ac nobilem virum Gaufridum Comitiſſæ, ut Pontifici, & Regibus Galliæ & Angliæ ſignificarent, quam in miſerabili ſtatu res ſuæ, & Chriſtianorum, bar-

An. 1290. n. 10. Contin. belli ſacri l. 5. c. 2. Tom. 4. an. 1268. n. 2.

Sarraceni redigunt in anguſtias Armenos.

Rex mittit Legatos ad Pontificem.

baræ Sarracenorum feritati undique expoſitæ, ſe baberent. Miſertus eſt Pontifex tantæ calamitatis, injunxitque per peculiares litteras omnibus Prædicatoribus Crucis a ſe deputatis ad convocandam manum validam, & copias auxiliares magnas nimis (quas ſtatuit *mittere in Terræ ſanctæ ſubſidium ſub feſto Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ anno MCCXCIII.) ut cierent Reges, & Principes, atque alios quoſcumque, ut prædicto Chriſtianorum angulo in medio perverſarum nationum poſito, chriſtiane & ſolerter vellent ſuccurrere. Ipſos etiam Nuncios tranſmiſit ad Reges Galliæ, & Angliæ, datis his litteris.

* *Ita babetur in litteris Cameral. an. 4. n. 10.*

Compatitur Pôtifex calamitati.

Regi Franciæ Illaſtri.

Reg. Vat. ep. 85.

Rogat Pontifex ut Gallus Armeno opituletur.

II. *Pia Mater Eccleſia ſuper filios in manus impiorum datos tenera dilectione deplorans, ſi quas invenit illorum reliquias non conſumptas, illas conſervare conatur, & maternæ pietatis auxiliis confovere. Sane Regni Armeniæ ſtatum miſerabilem attendentes, & eidem materno compatientes affectu, dilectos filios fratres Thomam de Tolentino, ac Marcum de Monte Lupone Ordinis Fratrum Minorum, ac nobilem virum Gaufridum Comitiſſæ, latores præſentium, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Armeniæ Illuſtris Nuncios tuæ Magnificentiæ in Domino commendamus, rogantes quatenus eoſdem ad Celſitudinis veſtræ præſentiam accedentes, pro divina & Apoſtolicæ Sedis reverentia benigne ſuſcipias, & in negotiis præfati Regis, quæ tibi expoſuerint, prout Regiam decet manſuetudinem, aurem pietatis adhibeas, & animum Regiæ propitiationis impendas. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem* x. *Kal. Februarii anno* IV.

III. In Comitatibus Viennenſi, & Albonenſi, atque in aliis Civitatibus, & locis infra terminos Viennenſis Provinciæ conſtitutis, H. Dalphino Comiti dictorum Comitatuum, & bæredibus ejus ſubjectis, & in tota ipſa Provincia Viennenſi, adeo inſidelitatis error hoc tempore invaluit, quam plutibus ibidem hæreticis ſubdole malæ doctrinæ zizania tritico veræ fidei ſuperſeminantibus, ut conſultum judicavetit ſanctus Pontifex eorum doloſis artibus occurrere, conſtituendo in dicta Provincia Inquiſitores hæreticæ pravitatis. Scripſit itaque v. Idus Martii litteras ad Miniſtrum Provincialem Minorum in adminiſtratione Provinciæ ejuſdem tenoris, quibus creavit alias Inquiſitores in Provinciis Arelaten. Aquen. & Ebrodunen. aliiſque terris ibidem recenſitis; per quas jubet ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ duos in dictis Comitatibus ex Minoritis inſtituat Inquiſitores.

Inſtituitur Inquiſitio in Provincia Viennenſi.

Ep. 24. an. 5.

Tom. 4. an. 1257. n. 19. An. 1288. n. 17.

IV. Frater Bonajuncta de Mantua, & frater Julianus de Padua Minoritæ, Inquiſitores a Sede Apoſtolica inſtituti in partibus Venetis, admonuerunt Pontificem non licere ſibi libere uti officialibus neceſſariis ad officii ſui executionem; neque obſervari aut admitti a Duce Venetorum, qui tunc erat Petrus Gradnnicus (ex cujus familia & progenie clariſſima babemus hic in Urbe Illuſtriſſimum Dominum Auguſtinum Gradonicum Epiſcopum Feltrenſem; & ab Urbano VIII. electum Patriarcham Aquilejæ, noſtrum optimum benefactorem & amicum) aut a Conſilio vel Communi ejuſdem Reipublicæ Apoſtolicas aut Imperiales conſtitutiones contra hæreticos editas, & publice promulgatas: monendos itaque ſerius Pontifex judicavit, & jubendos ut deinceps prudenter corrigerent quod euuſque forſan minus laudabiliter egerunt. Epiſtola hæc habe-

habetur in regeſto ſub num. 11. eamdemque ipſam citat Abrahamus Bzovius, ſed diverſum nimis exſcribit ex ea argumentum ſub his verbis: *Petrus Gradonicus Venetorum Princeps, cum multas leges contra hæreticos ſanxiſſet, grati animi litteras laudatorias apud ſanctam Mariam Majorem v. Idus Martii a Nicolao Pontifice datas, emeruit.* Ego potius increpatorias, quam laudatorias dixerim, atque in proemio prioribuſque lineolis Bzovium ad alia properantem hæſiſſe; propereaque in Inquiſitores Minores non impegiſſe. Lectorem ipſum, poſito ob oculos diplomate, judicem conſtituo. *An. 1292. n. 1.*

Duci, & Conſilio, ac communi Venetorum.

V. *Grata nobis admodum habet aſſertio, quod oblectabilius ſuper aurum & topation vobis exiſtit fidem Catholicam, velut ipſius ſinceri profeſſores intra clauſtrum cordis & mentis, ſicut pupillam oculi cuſtodire, ne illam fermentent fermento nequitiæ labia veneno hæreticæ pravitatis corrupta. Sed proh dolor! hujaſmodi oblectationis tepeſcente fervore, vos ſicut ex parte dilectorum filiorum Bonajunctæ de Mantua, & Juliani de Padua Ordinis Minorum, quos Sedis Apoſtolicæ Inquiſitores pravitatis hujuſmodi deputavit in illis partibus, extitit intimatum, aſſerentes, per eamdem Sedem ordinatum, quod tu fili Dux penes aliquem a vobis communiter deputatum, deponas pecuniam Inquiſitorum, nomine prædictorum, tradendam eiſdem poſtmodum pro executione hujuſmodi officii facienda, prætextu ordinationis hujuſmodi dilectos Inquiſitores, quo minus Officiales, ſine quorum miniſterio hujuſmodi officii executio nequit efficaciter adimpleri, aſſumere valeant, impeditis pro veſtræ libito voluntatis, quod reprehenſioni ſubjacet graviori, quo tam Apoſtolicas, quam Imperiales conſtitutiones contra hæreticos editas, & publice promulgatas admittere denegantes, earum auctoritate Inquiſitores non patimini procedere memoratos; ſicque ipſius fidei hoſtium præſumptio damnabilis invaleſcit, & erroris ſpinæ pullulant conculcantes, heu! lilia veritatis. Quia igitur hæc ſi veritati deſerviant, derogant ſinceritati vobis attributæ in fide, ac ſubſequenter maculant nominis veſtri famam; nos penſato multo dilectionis affectu, quem ad vos habet Sedes eadem, cupientes ut fidelitas, quam in exaltatione fidei in azymis ſinceritatis & veritatis ſervaſtis, ſemper in vobis floreat operum claritate, ac per conſequens in hac parte famæ veſtræ gloria dilatetur, ac firma credulitate tenentes, quod corrigetis prudenter, quod forſan egiſtis minus laudabiliter in præmiſſis. Univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus illius Regis intuitu, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, & ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, prædictos Inquiſitores illarum venatores vulpium quæ clandeſtinis ſtudiis baſem conantur demoliri Eccleſiæ, ac corrodere tranſlatam Domini vineam ex Ægypto, infra ſpecialis dilectionis brachia & reverentiæ ſpiritum continentes, prædictas conſtitutiones reverenter admittatis, & inconcuſſe ſervetis eaſdem, Inquiſitores ipſos, permittentes illis uti libere, quotiens neceſſitas officii præmiſſi expoſcit, & quod Officiales ad executionem ipſius officii faciendam iidem Inquiſitores aſſumere valeant, & habere concedatis eis omni difficultate ceſſante, ſuper hoc ipſum manu valida favorabiliter aſſiſtendo. Hanc autem precum, & mandati ſeriem veſtræ ſalutis bajulam & honoris, adimplere ſtudeatis efficaciter devotis animis & ſinceris: nam ex hoc proculdubio æterna gaudia conſequemini, & præconia po-* *Reg. Vat. ep. 11.*

Jubet ut adſint in omnibus Inquiſitoribus.

populorum, ſæpe fatæ Sedis gratiam munificam largius vobis conſtituetis in veſtris juſtis deſideriis adimplendis, ordinatione circa depoſitionem pecuniæ facta, ut præmittitur, in ſuo robore duratura. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem v. *Idus Martii, anno* v.

VI. Totam jam Romandiolam, aliaſque terras ad obedientiam Eccleſiæ reduxerat Nicolaus Pontifex, conſtituto earumdem gubernatore Epiſcopo Reatino, & ſacræ Urbis tumultus, Principumque factiones ſedaverat, ſecumque ſtatuerat, reliquum vitæ in extructis a ſe ædibus in Exquiliis ad ſanctæ Mariæ Majoris Baſilicam tranſigere, quando civibus inteſtinis bellis, & civilibus armis inter ſe furentibus, ferro, flammaque omnia vaſtantibus, rebus Chriſtianorum in Oriente quotidie in

Moritur Nicolaus Pontifex. pejus labentibus, animi tædio & paterno dolore, pie, & magna ſanctitatis opinione occubuit pridie Non. Aprilis, poſtquam ſanctam rexit Eccleſiam laudabiliter, & communi omnium commendatione annos quatuor, menſem unum, dies xiii. uti Chronologi plerique recenſent, & in ſepulcri epitaphio videtur inciſum. Plures dies ſupervixiſſe mihi probat ejus regeſtum, quippe xi. Kal. Maii datæ inveniuntur epiſtolæ, uti peculiariter obſervavi, niſi fortaſſis dicatur calami, ſeu ſcriptoris vi-

Ejus commendatio. tium, quod non ita facile licet, ne cetera eadem facilitate revocentur in dubium. Utcumque res ſe habeat, Nicolaus magnum ſui reliquit deſide-

Antonin. tit. 20. c. 7. rium, reputatus, uti habet Antoninus, rectus, & ſanctæ converſationis, cui gratus, & dignitate plenus aſpectus, majeſtatem conciliabat, optima mens, & integritas vitæ ſingularis amorem. Nullius quantumvis ſanguine, vel amicitia propinqui ſtudium, neque cœcutientis ambitionis decus tranſverſum egit, ſed immaculata juſtitia, ſumma diligentia, & in exequendis omnibus officii partibus vigilantia, optime meritus de Republica Chriſtiana. Totius carnalis affectus vinculo expeditus, eo facilius omnes curas ſuas in communibus Eccleſiæ commodis curandis defigebat. Multas diſcordias inter Chriſtianos Principes auctoritate ſua ſuſtulit, eoſque ſacro fœdere devinxit; jura Eccleſiæ ab aliis occupata armis etiam repetiit; fidei candorem, inſtitutis multis in locis hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, plene reſtituit; Academiam in Monte Peſſulano erexit, cujus fundationis diploma habetur in ejus regeſto anno ii. Sepultus eſt ad caput Baſilicæ verſus cornu Evangelii, humili ſepulcro in pavimento ex porphyreticis lapidibus ornato, hoc inciſo Epitaphio ex rudi, & inconcinno carmine.

Hic tumulus tumulat Humilem, qui faſcibus auctum,
Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
Hunc Franciſcus alit, Cardo ut ſit, Almaque Petri
Sedes magnificat, gratia Dei beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis ædem
Hanc lapſam reficit, ſitque vetuſta nova.
Petrus Apoſtolus Socium, Franciſcus Alumnum
Protegat, Omnipotens Matre rogante beet.

VII. Corpus ejus ultimo hoc ſeculo, dum chorus reficeretur, repertum, frater Felix Perettus a Monte-Alto Ordinis Minorum Cardinalis ſancti Hieronymi Illyricorum, qui fuit poſtea Papa Sixtus V. nobili honeſtavit mauſolæo, variis diſcoloribuſque lapidibus exornato, appoſita in medio marmorea ejus ſtatua, ſummæ ipſius dignitatis majeſtatem, & pa-

Digitized by Google

Anno Christi 1292.	Sedis Vacantis anno 1.	Adolphi Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 85.

& pacis zelum, quo vivens flagrabat, referente. Hinc inde alia duo minora ſimulacra marmorea, unum a dextra, alterum a læva Juſtitiam ejus commendant. Supra Pontificis caput hæc verba leguntur.

NICOLAO IV. ASCULANO PICENO
PONT. MAX. CUM IN NEGLECTO
DIU SEPULCRO FERE LATUISSET,
F. FELIX PERETTUS CARDINALIS DE MONTE-ALTO
IN ORDINEM ET PATRIAM PIETATE
POSUIT M.D. LXXIV.

In baſi inciſæ hæ litteræ magnarum Nicolai virtutum teſtes ampliſſimæ.

NICOLAUS IV. ORDINEM MINORUM PROFESSUS, PHILOSOPHUS, ET THEOLOGUS EGREGIUS, CONSTATINOPOLIM A GREGORIO X. MISSUS; GRÆCOS AD R. E. COMMUNIONEM, TARTAROS AD FIDEM REDUXIT, POST S. BONAVENTURAM GENERALIS, SANCTITATE ET DOCTRINA, ORDINEM PROPAGAVIT, NICOLAI III. NUNTIUS INTER FRANCORUM, ET CASTELLÆ REGES PACEM CONCILIAVIT. SANCTÆ PUDENTIANÆ CARD. LEGATUS HONORII IV. IN GALLIAM SENATORIAM P. R. DIGNITATEM SEDI APOSTOLICÆ RESTITUIT. FACTUS PONTIFEX REMP. SUBLATIS DISCORDIIS COMPOSUIT. CHRISTIANOS PRINCIPES SACRO FOEDERE JUNXIT. PTOLEMAIDEM COPIIS ADJUVIT. FLAMINIAM IN PONTIFICIS ITERUM DITIONEM REDEGIT. PUBLICUM IN MONTE PESSULANO GYMNASIUM INSTITUIT. PROBOS ET ERUDITOS IN COGNATORUM LOCO TANTUM HABUIT. LATERANEN. ET HANC BASILICAM STRUCTURIS ET OPIBUS AUXIT. TANDEM JUSTITIA ET RELIGIONE ORBEM TERRÆ MODERATUS, MAGNA SANCT. OBIIT PRIDIE NON. APRIL. M. CC. XCII. PONT. SUI AN. V.

VIII. Natus eſt Arminilao Tineo patre, honeſtæ conditionis viro, apud Aſculum Piceni urbem, uti communiter tradunt Scriptores, & ipſum ſepulcri Epitaphium docet, aſſeritque ſuperpoſita inſcriptio Cardinalis Peretti, oppido Monte-alto in Piceno oriundi, dum ait ex pietate in Patriam & Ordinem ſe hoc monumentum Pontifici Minoritæ, & in Piceno orto erexiſſe. „ In Italia paſſim Minoritæ a nativitatis ſede co-„ gnominantur: ſi vero obſcuro loco naſcuntur, cognomen ſuſcipiunt a „ viciniori urbe, vel oppido inſigni. Nicolaus hic vocatur Aſculanus, „ non quod in ipſa Aſculana civitate, ſed prope eamdem in agro „ Aſculano, in viculo Liſciani, ſecundo ab urbe lapide natus ſit; uti ex „ vetuſtis monumentis Provinciæ Marchiæ, & accurato vitæ ejuſdem „ Nicolai ſcriptore, ferme coævo, mihi certius apparet. „ Quare admiror unde errorem hauſerit Alfonſus Ciaconus, ut Regnicolam vocet, & non Aſculo Picenorum, ſed Aſculo altero Picentinorum, qui Campaniæ felicis in regno Neapolitano populi ſunt, ortum dicat; verum eſt Leandrum Albertum, & alios ſecundum varias rationes diſtinguendarum regionum Italiæ, & præſcriptos ab antiquis Coſmographis fines Aſculum Picenum in Aprutii finibus, & agro Prætutino comprehendere; atque ex hac urbe ait Nicolaum hunc, non Nicolaum III. uti perperam dixit Blondus, originem duxiſſe: addit vero Aſculum alterum regni Neapolitani, Principatus titulo inclytum ab hoc longe diſſitum,

Nicolai IV. patria.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Ciacon. in Nicol. IV.

Leander Alber. in Samnitibus Prætutinis, & in Apulia Daunia.

Blond. in regione Piceni in fine, vide tamen eumdem dec. 2. l. 8. ſub hoc anno.

Aſcu-

Aſculum Satrianum cognominari ad differentiam conſtituendam ab Aſculo Piceno. Non eſt itaque cenſendus Nicolaus hic Picentinus, ſed Picenus, nec Aſculo Satrianus, aut Regnicola, ſed Aſculo Picenus, aut Marchianus. Primus hic fuit Pontifex ex Ordine Minorum aſſumptus, licet aliqui apud Genebrardum, & Ferreolum Locrium ſcribant Honorium IV. fuiſſe Minoritam: atque in eo magis errat Jacobus Gordonus, quod primum dicat Cardinalem ex Ordine Minorum, cum eumdem, uti narravimus, præceſſerint Vicedominus Placentinus, Gregorii X. nepos, & ſanctus Bonaventura. „ Pontificem hunc nimis ſuæ Religioni addi„ ctum fuiſſe, & multa privatim conceſſiſſe, quæ Minores ſuperbire fe„ cerint, pro ſuo in Mendicantes livore ſcribit Thomas Walſingamus: „ ſed ei objicio illius temporis ſcriptorem Eberardum Ratiſponenſis „ Eccleſiæ Archidiaconum, qui in ſuis Annalibus apud Caniſium ita „ ſcribit: *De hoc Nicolao non intellexi, quod Fratribus quondam ſui Or-„ dinis aliquas gratias fecerit ſpeciales: & tempore ſuo noluit diſcutere „ quæſtiones, quas Fratres Prædicatores & Minores contra Epiſcopos ha„ buerunt, ut per ipſum neutra partium gravaretur.* Addo hic nuper „ mihi miſſum teſtimonium gratitudinis populi, & urbis Anconitanæ, „ erga hunc Pontificem; quo memoratum volunt beneficium erga ſe col„ latum. Vaſtaverant enim Sarraceni per mare Adriaticum irruentes, „ civitatem. Anno MCCXCI. reſtituit, damna reſtauravit, populo an„ nonæ, aliarumque rerum ſubſidium præſtitit ſumma caritate Nico„ laus.

Genebr. ad ann. 1288.
Locri. ad eumd. ann.
Gordon. ad eumd. ann.
Ann. 1271. n. 11. & ſeq.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Eberardus ad annum tom. 2. Caniſ.

Eligitur in Regem Romanorũ Adolphus Comes Naſſoviæ.

IX. Aliquoto tempore ante mortem Nicolai VIII. Idus Januarii Francofurti (aliquibus Helenopolis dicti) electus eſt in Regem Romanorum virtute & induſtria ſui conſanguinei Gerardi Moguntini Archiepiſcopi, Adolphus Naſſoviæ Comes, vir quidem inſignis, ſed milite & opibus haud ita potens; ita ut interregnum duraverit menſes dumtaxat tres, dies ſeptem. Prolixius, non ſine magno rei Chriſtianæ diſpendio, fuit inter-Pontificium; vacavit quippe Sedes Apoſtolica annis duobus, menſibus tribus, diebus duobus, juxta tempus mortis Nicolai communiter ab hiſtoricis ſtatutum. Cardinales ut liberius eligere poſſent, Peruſiam ſe contulere, ſed animis diſſidentibus, nihil loci mutatio profuit; neque precibus ullis Chriſtianorum Principum adduci poterant, ut ſanctam Eccleſiam viduitatis mœrore tabeſcentem vellent conſolari. Partem unam ducebat Matthæus Rubeus de Urſinis, qui aliquem Caroli Regis Neapolitani amicum creari cupiebat: partem alteram Jacobus Columnenſis regebat, qui minime eam ſequebatur factionem, ſed rebus ſuis proſpiciebat, & ex ſuæ ſequelæ hominibus quempiam volebat. Quærentibus itaque his factionum capitibus, quæ ſua erant, non quæ Jeſu Chriſti, Eccleſiæ hoſtes tempus nacti damna quæque inſerebant & fidem orthodoxam laceſſebant. Quibus Carolus permotus Peruſiam abiit, & Cardinales ſæpius ad electionem fruſtra cohortatus, videns ſe nihil proficere, Neapolim conceſſit.

Inter-Pontificiũ longum, & quare.

Moritur Michael Palæologus, ſed quo anno.

Bellarm. in Chronolog.
Stem. Lotharing. tom. 5.
Sabel. Enead. 9. lib. 7.
Æmil. in Philip. lib. IV.
Genebrard. ſub ann. 1294.
Ciac. in Nicol. IV.
Naucler. gen. 44.
Gordo. in Chronolog.
Bzov. ann. 1283. n. 15.

X. Sub hoc tempore obiiſſe Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, de quo toties egimus ſuperius, ſcribit Marianus noſter, cui concordant alii graves hiſtorici, aſſerentes eum deceſſiſſe ſede vacante poſt mortem Nicolai IV. Ita Bellarminus, Stemmata Lotharingiæ, Sabellicus, Æmilius, Genebrardus, Ciaconus, Nauclerus, ſed vivente adhuc Nicolao; anno videlicet MCCXCI. Prius obiiſſe volunt alii Jacobus Gordonus & Abrahamus Bzovius ex Nicephoro Gregora, videlicet anno

no MCCLXXXIII. & Panvinus anno precedenti. Verum eſt, Gregoram Græcorum more ſupputare tempus mortis Imperatoriæ ab annis mundi conditi, & dicere eam incidiſſe in annum ſexies milleſimum, ſeptingenteſimum, nonageſimum primum; an vero hic coincidat cum illo anno a Chriſto nato hoc illud dubium? Adeo variæ ſunt annorum ab Orbe condito numerandorum rationes, ut quam ſequatnr hoc in loco Gregoras non ſit facile explorare. Sanctus Antoninus dum agit de Martini IV. Pontificatu, eum electum refert anno Chriſti MCCLXXXI. (duobus ſcilicet annis, antequam hi poſteriores Auctores velint mortuum Michaelem) ſed ab orbe condito duos ſupputandi modos ſubjungit: ab initio vero mundi, inquit, quinquies milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto; ſecundum vero majorem computationem ſexies milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimo primo. Neutra tamen ex his computatio poteſt cohærere cum Gregoræ numerandi ratione, neque ad illam longo intervallo poteſt attingere: aliorum etiam plurimorum adeo diverſæ ſunt ſententiæ in calculandis annis ab orbis origine, ut licet tam Latinorum, quam Græcorum ingens ſit numerus, qui tempora ſupputarint, nullus fere, qui alteri in omnibus conſentiat (uti admonuit Baronius) invenìatur. Illinc vero facile aſſequi poſſe hujus dubii ſolutionem quis poterit judicare, quod ex ipſorum Græcorum computatione, quam ſuperius dedimus ſuffixam Epiſtolæ hujus Michaelis, conſtet annum ſexies milleſimum ſeptingenteſimum octuageſimum quintum, incidiſſe in annum Chriſti MCCLXXIV. vel anteriorem; & ex illo ſi quis numeraverit facile ſciet, in quem annum Chriſti incidit illa Gregoræ computatio annorum orbis conditi, ſub qua dixit obiiſſe Michaelem: atque neque hoc etiam modo conſtat mortis ejus tempus; ſi quis enim ad annum Chriſti MCCLXXIV. & Orbis conditi octuageſimum quintum, ſupra ſexies milleſimum ſeptingenteſimum adjungat, numerum illum Gregoræ incidet in annum Chriſti MCCLXXXI. quo tamen vivebat Imperator; etenim anno ſequenti MCCLXXXII. in die Aſcenſionis Dominicæ Martinus Papa fulminavit contra eum in fide promiſſa nutantem, & Latinos injuſte in Oriente vexantem, graviſſimas cenſuras, aliaſque refert ibidem latas contra eum, & lectas in platea majoris Eccleſiæ Urbis veteris in die Cœnæ Dominicæ; & ex aliis monumentis hujus Pontificis conſtat eo anno ſupervixiſſe. Nequaquam itaque iſti Auctores ex Gregora deducere poſſunt ſcite annum, quo hic obiit Imperator. Mortuum vero ante Nicolaum Papam, neque perveniſſe ad Inter-Pontificium illud, quod inter hunc & Cœleſtinum V. magno Orbis incommodo protractum eſt, mihi conſtat ex litteris ipſius Nicolai ad Andronicum ſcriptis, tamquam ad abſolutum & ſolitarium Imperatorem, qui prius erat conſors patris in Imperio: quare etſi Marianus dicat, unionem factam in Concilio Lugdunenſi duraſſe ſub hoc Imperatore annis ſexdecim vel ultra, Genebrardus etiam aſſerat, ejus Imperium ab expulſo Balduino II. ſub anno MCCLIX. duraſſe annis triginta quinque; & Sabellicus cum Æmilio dicant eum obiiſſe ſub Sede Vacante poſt mortem Nicolai; attamen prius ego judico deceſſiſſe, neque vero ſub illo tempore, quod præfigunt Gordonus, Bzovius, aut Panvinus; ſed aliquanto poſterius: annum tamen omnino certum haud potui ex Hiſtoricis colligere.

Panvin. in Chronolog. — *Anton. tit. 20. c. 4. in princ.* — *Baron. in notis Martyrol. ad 15. Decembr.* — *Ann. 1274. n. 3.* — *In Reg. Vatic. Nicol. ep. 66. inter litteras Curiales.* — *Marian. cit. c. 8.*

XI. Quicumque ille fuerit, locum mortis, & infelicem, atque inhonorum obitum omnes concorditer ſcribunt ex Gregora, præcipuo hujus rei relatore: *Prope Lyſimachiam*, inquit hic auctor, *juxta pagum, qui in-* Locus mortis & modus.

inter Pachomium & Allagem, ductis Scytharum & Romanorum exercitibus contra Joannem Theſſalum Sebaſtocratorem, morbo cordis correptus eſt, qui brevi mortem denunciavit, & medicorum omnia judicia confudit, turbavitque, & artis aſpernatus eſt præſidia. Fato functum filius ejus Imperator Andronicus, quamvis adeſſet, patrem Imperatoria ſepultura adeo non honoravit, ut ne plebeja quidem ſit dignatus; præterquam quod juſſit, ut noctu pauci quidam cadaver procul a caſtris abductum, multa terra obruerent; id moda cavens, ne Imperatorium cadaver a feris diſcerperetur. Non aliam hujus rei cauſam aſſignat hic auctor, quam quod Latinorum amplexus ſit fidem, & unionem utriuſque Eccleſiæ ſummo ſtudio viſus ſit appetere, & promovere: an vero reconciliatus ſit Eccleſiæ, & a cenſuris per Martinum Pontificem illatis abſolutus, incertum. Filius autem Andronicus, defuncto patre, unionem ſtatim reſcidit, a patre pulſos in priſtinos gradus reſtituit, Joannem Beccum Patriarcham, & ſi quos alios recte ſecundum fidem Œcumenicam Lugdunenſis Concilii ſentientes, ſuis ſedibus deturbavit, eo ſola fine, ut ſuis placeret, relictumque ſibi a patre Imperium ſtabiliret. Inde vero fluctuare cœpit, quod ſupremum rerum omnium Imperatorem hoc ſchiſmate graviter offenderit; ſcidit enim in varias partes Imperium, deditque Tartaris, & Sarracenis, & tamdem inconſtans, alias illuſtris, Paleologi progenies, perfidia regnare volens, potius malis artibus perdidit quam conſervavit Imperium.

Minime honoratur a filio.

Poſt ejus morte Andronicus filius recedit ab unione E. R.

Ann. 1279. n. 13.

Moritur Joannes Peccamus.

Weſtmonaſt. ſub hoc anno.

Harpsfeeld. ſeculo 13.

Et frater Bernardus de Colle. Item B. Kinga.

Maria. l. 3. c. 10.
Ann. 1279. n. 5.
Cromer. lib. 10.

XII. Mortuus eſt hoc anno frater Joannes Peccamus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus acta largius ſupra retulimus. Mortuus etiam venerabilis frater Bernardus de Colle Provinciæ Tuſciæ ſacræ Theologiæ Magiſter, in ſacris litteris verſatiſſimus, & egregius concionator. Obiit etiam eodem anno beata Kinga, ſive *Kunegunda*, prius uxor Boleslai Pudici, deinde Inſtitutum ſanctæ Claræ profeſſa, de qua nos egimus ſuperius, atque ſub hoc anno ita loquitur Cromerus: *Inſignis*, inquit, *eſt hic annus morte ſanctæ & religioſæ fœminæ: quæ nullius unquam viri experta concubitum, poſt mariti mortem, diſtributis in uſus egenorum, & in cultum divinum omnibus facultatibus ſuis, in Sandecenſi Monaſterio plus duodecim annis duram exegit vitam. Sanctimonia vero ejus multis & ſtupendis miraculis cum ab ea vivente, tum poſt mortem ad ſepulcrum ejus editis divinitus comprobata fuiſſe a Dlugloſſo memoratur.* Hoc etiam anno obiiſſe Alfonſum III. Aragoniæ Regem diximus alias ex Gonzaga, dum loqueremur de Conventu Barchinonenſi; ſed mortem hanc incidiſſe ſcribunt illius gentis hiſtorici in octavum decimum diem Junii anni proxime præteriti, cum Eleonoram Eduardi Anglorum Regis filiam advocare pararet, plenaque omnia lætitia eſſent. Defunctus eſt in ætatis flore viginti ſeptem natus annos, ſi vita longior contigiſſet, Rex celeberrimus futurus, ut datum multarum virtutum ſpecimen pollicebatur. Erga Minorum ſodalitium ſumme erat propenſus, quod & demonſtravit in obitu, dum corpus ad divi Franciſci ædem in veſte Minoritica voluit ſepeliri, in feriis patrio more magnifice celebratis.

Et Alfonſus Aragoniæ Rex.

Gonza. in Prov. Catalon. an. 2.
Tom. 1. an. 1214. n. 30.
Zurita l. 4. c. 22.
Joann. Mariana lib. 14. cap. 14.

Capitulum Generale 29.

Chron. anti. Marian. c. 11.
Antonin. tit. 24. c. 9. §. 11.
Marc. l. 5. c. 25.

Et interfuit Petrus Joannes Olivi.

XIII. Hoc eodem anno indixit Raymundus Miniſter Conventum generalem die xxv. Maii, idque Pariſiis, rogante Philippo Pulchro Rege, qui cupiebat tot graves & ſanctos Viros, qui tunc in Ordine florebant, in unum collectos videre. Interfuit huic cætui frater Petrus Joannes Olivi, & in controverſia quæ verſabatur inter ipſum & communitatem Ordinis, ſæpiuſque mota eſt per viros doctos & pios, de qua præ ceteris eruditiſſime egit Antonius Cordubenſis: *An videlicet Fratres teneantur*

ad

ad ſtrictum & pauperem uſum rerum? præmiſſa quadam diſtinctione uſus pauperis, ita coram Patribus affatus eſt: *Ego frater Petrus Joannes dico & profiteor, Fratres Minores non teneri ad aliquem uſum pauperem neque ad alium vivendi modum ultra contentum in declaratione Regulæ facta a Domino Nicolao III. & eum quem univerſitas, ſeu communitas Fratrum obſervat; neque huic meæ publicæ atteſtationi quippiam dixi aut ſcripſi contrarium; quod ſi aliquid tale mihi exciderit (quod minime credo) plane nunc revoco & deteſtor; neque velim ut ullus adhæreat meæ qualicumque aſſertioni, quæ his contradicat; & bona fide promitto me nullatenus adhæſurum, neque fauturum quoquo modo aſſerenti contrarium*. Quibus dictis, & a Patribus Capitularibus admiſſis, in pace fuit dimiſſus. Puniti ſunt tamen plures hujus Petri ſequaces, quos culpabiles reperit frater Bertrandus de Cigoterio, cui ſuperius diximus commiſſam eorumdem cauſam examinandam per Miniſtrum Generalem, Apoſtolica tamen auctoritate. Hi valde nocuerunt prædicto Petro, cujus ſe profitebantur ſequaces; quamvis enim ille liber dimiſſus ſit ex comitiis, neque judicatus ſit in doctrina ſua peccaſſe; tamen hi in univerſa illa Provincia tot excitarunt turbas & ſchiſmata, ut tamquam cervicoſi nimis & tumultuarii fuerint plectendi, & doctrinam illius, quem ſuum prædicabant Magiſtrum, odioſam valde reddiderint Ordinis communitati. Zelum quemdam indiſcretum, ut communiter in hujuſmodi rebus ſit, ſub devotionis colore præferebant, nec poterant a ſuis opinionibus revocari, atque hinc ſecuta quædam ſcandala, & prohibita fuit doctrina fratris Petri ob aliorum periculum; quam tamen multos poſt annos Sixtus IV. fecit examinari, & nullo adinvento errore, libere legi permiſit.

Corduba in regul. c. 6. q. 14. & ſeq.

Satisfacit Patrib. Capitularibus.

Puniuntur aliqui ex ſequacibus.

Ann. 1290. n. 11.

XIV. Raymundum Generalem voluit Philippus Rex digno aliquo proſequi honore; quare dum adhuc duraret Capitulum, obtinuit ei nihil tale cogitanti cathedram magiſtralem; neque tamen hæc in eum Regis benevolentia adeo aperto indicio demonſtrata ſufficiebat, ut præcipui aliqui Patres abſtinerent ab eodem traducendo & accuſando in publico conſeſſu; nimirum quod Fratres ſchiſmaticos, a Religionis corpore recedentes, impenſe dilexerit, eoſque uti ſupra narravimus, tranſmiſerit ad Regem Armeniæ, quo honore viſus eſt illorum approbare contumaciam: ſed hoc ipſo tempore ſupervenerunt ex ipſis Fratribus duo, & nobilis ille vir, quos paulo ante diximus miſſos Legatos a prædicto Rege ad Pontificem, & Reges Galliæ & Angliæ, qui porrectis litteris eidem Miniſtro, multas reddiderunt Regis nomine gratias de miſſis ad eumdem Fratribus, quos tamquam Angelos Dei venerabatur. Id ipſum continebant porrectæ litteræ, quas Miniſter fecit in publico legi conſeſſu, & plura addidit nobilis ille Legatus plenam faciens fidem de vitæ integritate, & optimis Fratrum prædictorum moribus, per quæ inanis evaſit conatus eorum, qui Generali adverſabantur.

Confertur Generali Cathedra Magiſtralis. Traducitur a quibuſdam.

Anno 1290. n. 10.

Hoc anno n. 1.

XV. Decretum fuit in hoc Capitulo Generali, quod & olim ſtatuerat ſanctus Bonaventura, ut ſinguli Miniſtri in ſuis Provinciis exacte curarent colligi, & regeſtis peculiaribus excipi ſanctorum Fratrum vitas & geſta, præclarorumque virorum memorias, deinde recte diſpoſita ſecum deferrent ad comitia generalia. Secundo, juſſum ut peculiaribus hymnis celebraretur feſtivitas ſanctæ Claræ, vel iis, qui jam inſerti erant proprio ejuſdem officio, vel aliis a perito quodam hymnographo per Miniſtrum Generalem aſſignando componendis. Tertio, renovata fuit con-

Decreta hujus Capituli.

conſtitutio facta ab ipſo Inſtitutore ſancto Franciſco, & repetita a ſancto Bonaventura, uti ſuis locis narravimus, de cantando ſolemni ſacro quolibet die Sabbati, vel altero, ſi hic dies eſset impeditus, in honorem Virginis Immaculatæ. Quarto, conſtitutum quod notabiles quique Fratrum exceſsus, graviores culpæ, vel fide dignæ accuſationes, ſententiæ latæ in peccantes, & inflicta ſupplicia propriis libris adnotarentur, in Provinciæ Archivis conſervarentur, & futuris ſucceſsoribus fideliter conſignarentur. Quinto, prohibitum eſt Cuſtodibus ne viſitent ſecreto Cuſtodias aut Conventus ſibi commiſsos, niſi ex ſpeciali mandato Miniſtrorum, atque eiſdem aperire & tradere deberent integras viſitationes ſeu ſcrutationes ex eorum commiſſione factas. Sexto, præceptum eſt univerſis Miniſtris, ut in unaquaque Provincia inſtituerentur Collegia, ſeu deputarentur Conventus aliquot, in quibus adoleſcentes educarentur religioſe & ſerio ſtuderent.

Tom. 4. an. 1269. n. 4.

XVI. Sancti Antonii Ulyſſiponenſis efficaciam in prædicando, & uberes in populo fructus in memoriam revoco hoc monumento. Retulit hoc anno grandævus quidam vir Roma rediens obvio in itinere Minoritæ, ſe cognoviſſe ſanctum Antonium, undecimque habuiſſe commilitones prædones, qui in ſilvis & nemoribus latitabant ad ſpoliandos viatores: audiiſſe vero a multis hujus ſancti Viri energiam in dicendo, & aliquoties ultra viginti & plura millia ad ejus ſermones avide confluxiſſe; ſeque valde cupiiſſe oculis videre, quod auribus perceperant: *Perreximus*, inquit, *omnes mutato habitu, & variata prout licuit facie; hominem audivimus ignita eloquia promentem, linguam tamquam facalam conſpeximus ardentem, & corda noſtra ſenſimus tamquam ceram in conſpectu ignis, liquefieri. Compungi & cœteri vehementer cœpimus de reatibus commiſſis, veluti ſi cœleſtis ipſe ille prædicator manu corda comprimeret, & ad ſingula verba novis nos pungeret aculeis. Doluimus, flevimus, ingemuimus, ad prædicatorem ipſum acceſſimus, confeſſi ſumus univerſa noſtra facinora, & cœleſtis doctrinæ, ſalutariſque exhortationis reportavimus antidotum: explicare velim, ſed non poſſum quam pie, quam paterne nos excepit, quam ſalubriter inſtruxit, quam ſalutaria adhibuit documenta, & quam ſerio & graviter æterna præmia bona deinceps facientibus promiſit, & ad vomitum redeuntibus hujus & futuræ vitæ inaudita minatus eſt ſupplicia. Redierunt ex his pauci ad priſtinam vitam, quos ipſe paulo poſt horribilibus vidi cruciari, & occidi tormentis; ceteri, me ſolo excepto, ſancto fine quieverunt. Mihi præ aliis pœnitentiis injunxit, ut duodecies limina ſanctorum Apoſtolorum viſitarem; ultima jam hac vice impoſitam compleo pœnitentiam, & lætiſſimus ex ſacra Urbe redeo, ſperans in me complendum Viri ſancti promiſſum, cujus doctrinam quantum fragilitas humana permiſit, hactenus ſervavi.*

Vita MS. S. Ant. c. 45. Prædones duodecim S. Antonius convertit.

XVII. Eccleſiæ Albinganenſi, aliis Albingaunenſi vulgo *Albenga* in Liguria ſub Archiepiſcopo Genuenſi præfecit hoc anno Nicolaus Pontifex quemdam fratrem Nicolaum Minoritam, dum poſt mortem L. Epiſcopi ſedes illa diutius vacaret, electis una vice Roberto Ordinis Minorum, qui electioni de ſe factæ noluit præbere conſenſum, & Benedicto de Nigro Canonico Tripolitano, qui aſſumpta hujuſmodi cura, mox obiit; ſecunda vero vice fratre Cherubino Ordinis Prædicatorum, qui noluit etiam electioni acquieſcere; & quodam Ottobono Canonico Catalaunenſi, de quo ad hanc dignitatem admittendo controvertebatur coram Patriarcha Antiocheno, qui ex ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ cu-

Fr. Nicolaus Epiſcopus Albinganenſis.

ram gerebat, & adminiſtrationem Eccleſiæ Januenſis: *Ad univerſalis Eccleſiæ*. v. Kal. Februarii. Fratri Gentili, quem Archiepiſcopum diximus ſuperius Rhegienſem, cui etiam Pontifex adminiſtrationem conceſſit Epiſcopatus Alifani, vulgo *Aliſe* inter Samnites in regno Neapolitano, dedit hoc anno poteſtatem abſolvendi quoſcumque fautores Petri, quondam Regis Aragonum, ejuſque hæredum detentorum regni Siciliæ: *De tuæ circumſpectionis*. XVI. Kal. Februarii. „ Miſſus eſt a Bonifacio VIII. „ ſub annum MCCXCV. legatus ad Adolphum Germaniæ Regem, ſimul „ cum Epiſcopo Senenſi, ut eum hortaretur ad pacem ſtabiliendam cum „ Rege Galliarum, & anno ſequenti MCCXCVI. deſtinatus eſt legatus „ ad Urbevetanos. Alterius autem Minoritæ fratris Petri, Archiepi- „ ſcopi etiam Rhegini mentio habetur ſub annum MCCC. in monumentis „ Regiis Caroli II. in tabulario Neapolitano. Delegarat Cœleſtinus V. „ Thomam tituli ſancti Marcelli, & Petrum ſancti Euſtachii Cardinales, „ ut providerent quibuſdam Eccleſiis vacantibus de viris idoneis. Illi „ hoc anno Eccleſiæ Melphetenſi, ſive Molfettenſi in Apulia ſub Archie- „ piſc. Barenſi deſignarunt fratrem Paulum Minoritam. Ratam habuit „ electionem Bonifacius VIII. anno I. Pontificatus.

An.1279. n. 27.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Gentilis Archiepiſc. Rheg. Legatus ad Imperatorem.

Fr. Petrus Archiep. Rhegin.

Fr. Paulus Epiſc. Melphiten.

XVIII. Pluribus etiam Fratrum Conventibus dedit hoc anno Nicolaus varias Indulgentias, quorum dum aliunde inveſtigare non liceat originem, ſaltim ex illorum recenſu conſtabit lectori vetuſta eſſe Cœnobia; quippe ante hunc annum conſtructa. Majoris claritatis gratia omnia per ſuas diœceſes, uti præcedenti fecimus anno, facilius diſtinguemus.

CONVENTUS FRATRUM.

Æſinæ diœceſis in Italia in regione Piceni.

XIX. SUb numero 3. anno v. Indulgentia unius anni & quadraginta dierum pro quatuor præcipuis feſtivitatibus beatæ Virginis, videlicet Annunciationis, Purificationis, Nativitatis, & Aſſumptionis, ſancti Marci Evangeliſtæ, & ſanctorum Franciſci & Antonii Confeſſorum, earumque octavis pro Eccleſia Conventus Æſini, ſancto Marco dedicata, & extra urbem extructa. Originem accepiſſe hunc locum ante annum MCCXLIV. creditur ex bulla ibidem aſſervata Innocentii IV. Tranſlatus fuit ad urbis interiora ad annum MCCCCXLIV. ut patet ex bulla Eugenii IV. ibidem extante; accepitque titulum ſancti Floriani, cum prius Dominus Cyprianus Gentilis Æſinus, tunc Rector Eccleſiæ ſancti Floriani, de conſenſu Epiſcopi conceſſerit eamdem Eccleſiam Fratribus Minoribus commorantibus in prædicto loco S.Marci anno MCCCCXXXIII. die VI. menſis Auguſti: rogatus Joannes Paulus de ſancto Juſto Cancellarius Communitatis. Floruit in priori loco frater Creſcentius J.U. Doctor, & Miniſter Generalis Ordinis, de quo nos ſuo tempore, quem etiam ſummam juris ſcripſiſſe commemorat Piſanus.

Conv. Æſini.

Tom. I. an. 1244. n. 8.

Anconitanæ diœceſis in Italia in eadem regione.

XX. Sub numero 730. anno IV. habetur in regeſto Nicolai ſimilis Indulgentia in quatuor prædictis feſtivitatibus beatæ Virginis, necnon ſanctorum Franciſci & Antonii Confeſſorum, & beatæ Claræ Virginis, in harumque feſtivitatum octavis pro Eccleſia Conventus Minorum Caſtri Mi-

Conv. Caſtri Milii.

Milii, qui olim ſpectabat ad Cuſtodiam Anconitanam Patrum Conventualium, modo vero eumdem incolunt Patres Obſervantes.

Civitatis ſancti Angeli Papalis olim diœceſis in Italia.

Conv. S. Angeli Papalis.

XXI. Sub numero 749. eodem anno ſimilis Indulgentia in feſtivitatibus ſanctorum Angelorum, ac beatæ Mariæ Magdalenæ, & ſanctæ Crucis feſtivitatibus, & per octo dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes in Eccleſia Minorum civitatis ſancti Angeli Papalis. Supponit regeſtum, Civitatem hanc Epiſcopalem eſſe, neque tamen Epiſcopatum hunc modo reperio inter recentiores cenſores Epiſcopatuum, neque inter Coſmographos expreſſam notitiam hujus Civitatis. Leander Albertus civitatem ſancti Angeli, ſive Angoli oppidum eſſe ait inter Marrucinos Samnites, non procul a portu Adriæ. Noſtri etiam Scriptores, qui antiquos Conventus obſervarunt, locum civitatis ſancti Angeli in Provincia Pennenſi, & Cuſtodia Adrienſi repoſuerunt, ſed non cum hoc additamento Papalis. Sunt qui dicant, urbem hanc non aliam eſſe, quam ea, quæ modo Callium vocatur in Ducatu Urbinate.

Aretinæ diœceſis in Italia in regione Etruriæ.

Conv. Lucignani.

XXII. Sub numero 692. ejuſdem anni Indulgentia ſimilis in quatuor feſtivitatibus prædictis beatæ Virginis, necnon ſanctorum Franciſci & Antonii Confeſſorum, beatæ Claræ Virginis, & ſanctæ Crucis, earumque octavis, pro Eccleſia Conventus Minorum de Lucignano, Cuſtodiæ Aretinæ Patrum Conventualium, quem poſteriori hac ætate illuſtravit Magiſter Bartholomæus Baſſius ſacræ Theologiæ apud Ticinenſes Profeſſor, qui tranſiit ad Congregationem Minorum Capuccinorum, paulo poſt vita perfunctus.

Ariminenſis diœceſis in Italia in Romanula.

Conv. Formiſini.

Conv. Ariminenſis.

XXIII. Sub numero 696. ejuſdem anni ſimilis Indulgentia pro prædictis omnibus feſtivitatibus, earumque octavis in Eccleſia Conventus de Formiſino, cujus tamen apud noſtros haud reperio veſtigium. Ibidem habetur ſimilis Indulgentia in prædictis feſtivitatibus, & anniverſario dedicationis Eccleſiæ pro Conventu ipſius civitatis Ariminenſis, cujus fundatio præceſſit Pontificatum Alexandri IV. Pertinebat enim ad Abbatiam Pompoſianam Ordinis ſancti Benedicti, emeruntque Fratres certa ſumma pecuniæ a benefactoribus erogata, domum quamdam & hortum prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Trebio, quam Dominus Jacobus Epiſcopus Ariminenſis pia liberalitate Fratribus donavit, quia propinqua valde erat Eccleſiunculæ ſanctæ Crucis, quam prius Fratres inhabitabant, donationemque confirmavit Alexander IV. Minoribus ſumme addictus; & poſſeſſionem accepit quidam frater Dominicus tunc loci Guardianus. Sub Pio V. dato Patribus Prædicatoribus in illa urbe ſanctæ Inquiſitionis officio, deſiderarunt ſibi conferri prædictam Eccleſiam ſanctæ Crucis, ut commodius ibidem injunctum exercerent officium; ſed reſtiterunt Patres Conventuales Minoritæ, præſertim Magiſter Andreas Ariminenſis, probaruntque ad ſe ſpectare dominium ejuſdem Eccleſiæ, quantumvis a ſuo Conventu ſeparatæ, deductis in hanc rem pluribus argu-

gumentis, ſed præcipuo ex marmoreo quodam lapide ad fores Oratorii affixo, cui hæc inciſa memoria: *Anno* MCCCXLVIII. *a Kalendis Junii uſque ad Kalendas Novembris in loco Fratrum Minorum de Arimino. ut notatum eſt a fide dignis, ſepulta ſunt circa* XXIV. *centenaria hominum utriuſque ætatis, pro quorum animabus extructum eſt Oratorium.* Attamen vel error eſt in notis, vel tunc non potuit extrui, ſed potius reædificari Oratorium, ſi verum eſt quod in hac Eccleſiuncula prius habitarunt Minoritæ ante acceptam ab Epiſcopo Eccleſiam ſanctæ Mariæ. Demum ab Illuſtri Malateſtarum familia (cujus originem & propagines intra Ariminum brevi compendio complexus eſt Leander Albertus in deſcriptione illius urbis) conditum eſt Minoritis ſumptuoſum Templum, cujus frons compaginata eſt ex ſectis quadratiſque lapidibus miræ magnitudinis ſine cæmento ullo mirabili connexione inter ſe cohærentibus. Præcipuus conditor fuit Sigiſmundus Malateſta, plus a corporis, quam ab animæ dotibus commendandus, militari gloria, rara eloquentia, & corporis robore clarus; ſed fœdis moribus, & converſatione haud ita Chriſtiana obſcurus: cujus vitam ſcripſit Pius II. ſive Æneas Sylvius, nihil ſcelerum aut male actorum prætermittens, de quo etiam agit in ſua de Europa hiſtoria. Ædem dedicavit ſancti Franciſci memoriæ; ſed ita Gentilibus fabulis, & profanis emblematibus univerſam delineavit, ut non Sanctorum Templum, ſed Ethnicorum videatur delubrum. Ad hæc minus chriſtiane addidit ſuæ amaſiæ Mauſolæum opere & materia pulcherrimum, adjecto Gentili more hoc epitaphio: *Divæ Iſottæ Sacrum. Septuageſimum annum exceſſit; ſortem vicit communem: injurius eſt, qui plus ſibi deberi cenſet.* Ante fores Eccleſiæ jacet Robertus Malateſta Sigiſmundo per omnia diſſimilis, quem ætatis anno vigeſimo ſancti Franciſci habitum aſſumpſiſſe ait Rodulphus, & angelicam potius quam humanam vitam duxiſſe, ejuſque vitam ſcripſiſſe Magiſtrum Nicolaum Theologum Ariminenſem: neſcio an hic ille Robertus, quem tantopere laudat citatus Leander, Sigiſmundi frater, qui ante eumdem Principatum obtinuit, quemque ait caſtitate inſignem fuiſſe, & impollutum ad extremum vitæ perveniſſe, in conſortio tamen uxoris, quam ſororis loco colebat; vita etiam integerrimum, adeo ut pro ſancto ab omnibus haberi laudarique mereretur. Alium, etſi plures fuerint Roberti, non recenſet in proſapia, qui ſe Minoribus adſcripſerit; vel fortaſſe quod de habitu ſcribit Rodulphus, non ita intelligendum ſit, ut ex religioſo vitæ genere; ſed ex devotione illum aſſumpſerit.

Lean. in Romanula.

Sylvius de Europa c. 62.

XXIV. Floruerunt in Ariminenſi Conventu beatus Joannes Baroncius, & beatus Andreas miraculis clari; Joannes a Paterna Piſaurienſibus accitus in ſuum Epiſcopum anno MCCCCLI. & anno MCCCCXXXIII. Franciſcus Ariminenſis Scholaſticis diſciplinis egregie doctus, & Joannes Epiſcopus Feretrinus anno MCCCCXXIV. quod inciſum eſt in baſi cujuſdam calicis, qui ſervatur in ſacrario. In Templo eſt egregium ſacellum ſancto Sigiſmundo ſacrum, cujus primum jecit lapidem Magiſter Bartholomæus Malateſta Epiſcopus. Sanctus Franciſcus receptus eſt hoſpitio ad ſanctum Bartholomæum, ubi nunc commorantur Clariſſæ in loco dicto Vallis, & in hujus hoſpitii memoriam extructum eſt ibi Oratorium. De ipſis Clariſſis earumque æde commodius ſermo alias inſtituetur. Paulus II. diro ſubjecit anathemati Ariminum, tunc fulgure exarſit ſacrarium, & ſacræ ſupellectilis, ac reliqua jactura ad aureos quinque mille acceſſit: Sixtus IV. benigne a cenſuris abſolvit. Plurimi con-

connumerantur viri præclari Ariminenſes, qui illuſtrem ſuam patriam reddiderunt, Gregorius Ariminenſis Eremita Auguſtinianus, Petrus & Jacobus fratres Petroleonii, cum Græcis, tum Latinis litteris eruditiſſimi, Petrus Meltius vir doctus & curioſus, aliique viri præſtantes, quos longum foret recenſere: his addo Reverendiſſimum Dominum Petrum Pavonium Pauli V. & Gregorii XV. Summorum Pontificum Cubiculi Præfectum, morum maturitate, vultus majeſtate, & humaniori litteratura commendatiſſimum: Aulicam pertæſus vitam, ſibi dum vivere ſtatuit, obiit anno proxime elapſo MDCXXVI. Kalend. Decembris, corpuſque ſuum huic noſtro commendavit Collegio, noſtratum prius liberalis benefactor: viri illuſtres Hieronymus & Franciſcus Pavonii germani fratres ex teſtamento hæredes ſacellum beatæ Virgini immaculate conceptæ, & ſanctis Franciſco & Patritio ſacrum condendo corpori extruxerunt, nobileque poſuerunt monumentum. Paulo poſt Petrum mortuus eſt Reverendiſſimus Dominus Cyprianus, germanus frater Epiſcopus Ariminenſis, & ante utrumque Julius Eques Militiæ ſancti Jacobi.

Auximanæ diœceſis in Italia in Piceni regione.

Rodul. in Prov. Marchiæ Cuſtodia Anconit.

An. 1284. n. 30.

XXV. Sub numero 730. Indulgentia in prænumeratis feſtivitatibus beatæ Virginis, & ſanctorum Franciſci & Antonii, atque Mariæ Magdalenæ in Eccleſia Minorum Auximana, quorum ædem volunt Auximates ſub ipſo ſancto Franciſco extructam, imo & ipſum Divum primum lapidem poſuiſſe: ſub Innocentii IV. anno quarto v. Idus Aprilis originem accepiſſe inſinuat Rodulphus; ſervatur tamen ibidem bulla Gregorii IX. quæ indicat ante annum MCCXXXIII. hanc domum fuiſſe extructam. Addit Rodulphus in eo claruiſſe beatum Catalanum altiſſimæ paupertatis zelatorem (an alium ab ipſo ſocio, quem diximus, Petri de Arcanano Martyris, vel eumdem neſcio) & Magiſtrum Nicolaum, qui quædam reliquit poſteris ſui ingenii monumenta. Ibidem ſimilis Indulgentia in prædictis feſtivitatibus, excepta illa ſanctæ Mariæ Magdalenæ, pro Conventu de Tonazano, Rodulpho & Piſano de Tornefano, de quo in vetuſta reperio ſcriptura mutatum hunc Conventum ad oppidum Montisphilotrani ante annum MCCCC. prioris tamen loci aliqua adhuc remanent veſtigia. Hæc duo loca ſpectant ad Cuſtodiam Anconitanam.

Conv. Tonazani.

Camerinæ diœceſis in Italia in eadem regione.

Conv. de Monticulo.

XXVI. Sub numero 730. anno IV. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus de Monticulo, in quo floruit quidam frater Petrus ſanctitate & verbi divini prædicatione præclarus. Eccleſia, quæ nunc eſt, fuit conſtructa anno MCCC. ut patet in quodam lapide tribunæ in parte inferiori exterius: ſed ante hanc fuit alia Eccleſia in atrio, in qua prædictus Petrus ſæpius prædicavit. Sub num. 3. anno v. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus de Piro, Piſano de Pira, Rodulpho de Apira, in Cuſtodia Æſina.

Conv. de Piro.

Fanenſis diœceſis in eadem regione.

Conv. de Saltaria.

XXVII. Sub numero 696. anno IV. ſimilis Indulgentia in eiſdem feſtivitatibus pro Eccleſia Conventus de Saltaria in agro Fanenſi, quem a ſancto Franciſco conſtructum volunt incolæ, probantque certis indiciis,

ciis, & præcipue a quodam fonte, cui ſancti Franciſci inditum nomen. Eccleſiam ſancti Franciſci de Revereto nuncupatam ſcribit Rodulphus. *Rodulph. in Cuſt. Faven.*

Feretrinæ diœceſis in Ducatu Urbini.

XXVIII. Sub numero 749. anno IV. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Leonani, aliis Lunani, ſiti in mote Illuminato, ita dicti, ut a quibuſdam fertur, quia ſanctus Franciſcus ibi illuminavit quemdam cæcum. Eccleſia fuit conſecrata anno MCCCXXV. ſub Joanne XXII. die XXVI. Maii. Ibidem ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus ſancti Marini, in quo floruerunt beati Dominicus & Petrus de monte Ulmi, & Gratianus viri ſancti, & prædicatores egregii. Primum Fratrum habitaculum erat extra oppidum, ſed translatum eſt ad interiora oppidi anno MCCCLXII. In hoc recentiori floruerunt Magiſter Franciſcus de Tonſis Epiſcopus Fanenſis, qui compilavit Commentarium ſuper Dantem, quemlibet verſiculum egregie interpretatus; Magiſter Martinus Madronius Epiſcopus Sebaſtenſis; Magiſter Joannes Pilo Regens Paduæ, qui ſcripſit quoſdam Commentarios in Moral. Ariſtotelis; Magiſter Anaſtaſius Turoneus Provincialis Marchiæ; Magiſter Joannes de Gabrielis, inſignis concionator; Magiſter Julianus Paſinus, de quo ait Petrus Bembo: *Audivimus*, ait, *Magiſtrum Julianum coram Adriano Pont. Max. perdoctè orantem*; & quidam alius Magiſter Petrus, qui fuit Vicarius Epiſcopi Fani. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus ſancti Leonis arcis munitiſſimæ Doctoribus dictæ Leopolis, quem ſanctum Franciſcum conſtruxiſſe ferunt. Id ſaltim conſtat, vetuſtum ſatis eſſe; quippe campana minor fuſa fuit anno MCCLXX. Floruit hic Magiſter Guidus, ſuo tempore Doctor inſignis.

Conv. Leonani. — BB. Dominicus & Petrus de monte Ulmi. — B. Gratian. — *Bembus ep. 10.* — Conv. S. Leonis.

Forl-Sempronienſis diœceſis ibidem.

XXIX. Sub numero 696. anno IV. Similis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Forl-Sempronii, vulgo *Foſſambruno*, cujus Piſanus & Rodulphus meminerunt ſub Cuſtodia Fanenſi. Vetuſtatem loci ſatis exprimunt variæ imagines ibidem depictæ. Con. Forl-Sempronii.

Humanatenſis diœceſis, nunc unitæ Anconitanæ in Piceno.

XXX. Sub numero 730. anno IV. Indulgentia pro Eccleſia Conventus de Camerano, aliis Camurano: prius hic habitaſſe quaſdam Sanctimoniales ſcribit Rodulphus, & in ingreſſu impluvii hæc verba haberi: *In nomine Domini, Amen. Anno* MCCCXXXI. *tempore Domini Joannis XXII. hunc locum plurimum exornat ſua præſentia Magiſter Blaſius Anconitanus.* Ibidem ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Caſtrificardi. Mutarunt Fratres locum ſuum ad ipſum oppidum, & ad priorem in quo vivebant extra oppidum, pergunt incolæ in ſupplicationibus triduanis rogationum. Spectant hæc duo loca ad Cuſtodiam Anconitanam.

Con. Camerani. — *Rodulph. cit. in Cuſtod. Anconit.* — Conv. Caſtrificardi.

Piſaurienſis diœceſis in Italia, in Ducatu Urbinate.

XXXI. Sub numero 696. ejuſdem anni Indulgentia in prædictis feſtivitatibus, ac ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum in Eccleſia Con- Conv. Piſaurienſis.

ventus Piſaurienſis, uti habetur in regeſto, aliis communiter Piſaurienſis. Ereptis ſcripturis in bellorum turbulentis motibus, non eſt unde certo conſtet ejus origo; ſed ex vetuſtis imaginibus, & depictis Fratribus primævo Ordinis more inferunt aliqui, erectam ædem ante Miniſteriatum ſancti Bonaventuræ. Sub numero 730. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus de Scotoneto, in quo floruit & jacet beatus Sanctes frater laicus aſſiduis miraculis inſignis.

Conv. Scotoneti.

B. Sanctes jacet Scotoneti.

Salernitanæ diœceſis in regno Neapolitano.

Conv. Eboli.

XXXII. Sub numero 730. anno IV. ſimilis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Eboli, nobilis oppidi X. M. P. a civitate Salerni, haud procul amne Silaro. Conventum hunc fundaſſe Illuſtrem familiam de Aquaviva, ait Rodulphus, apparere ex inſignibus affixis in tribuna, additque, Guillelmum Sanſeverinum, Archiepiſcopum Salernitanum conceſſiſſe locum ſancti Laurentii Fratribus Ebolitanis anno MCCCLXX. ſed jam præextitiſſe aliud Fratrum habitaculum conſtat ex hoc monumento. Floruit ibidem Antonius Romanus, qui prædicans ante Vigiliam Annunciationis, prædixit horam ſui obitus; dixitque auditoribus ſuis: *Dicite unum* Pater noſter, *quia hora vigeſima ab humanis diſcedam*; quod ita evenit.

Rodul. in Prov. Terræ labor. in Cuſtod. Princ.

Antonius Romanus.

Senogallienſis diœceſis in Ducatu Urbinate.

Conv. Senogalliæ.

XXXIII. Sub numero 3. anno V. Similis Indulgentia pro Eccleſia Conventus Senogallienſis, qui tunc intra mœnia urbis conſiſtebat ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus Montis-novi, in quo floruit Magiſter Baldus ſub Pio II. anno MCCCCLXII. Scripturas Conventus non ſine vetuſtatis injuria combuſſit Generalis Geſualdus, ob quaſdam contentiones & prætenſiones moleſtas Syndicorum. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus Serræ Comitum; necnon pro Eccleſia Conventus de Rocca Contradæ, quem anno MCCLXV. ſub Clemente IV. extructum fuiſſe, ejuſdem bulla ibidem aſſervata teſtatur. Ibidem pro eiſdem, & ſancti Marci feſtivitatibus pro Eccleſia Montis-Podii, quem ad annum MCCCLXXII. die XXVI. menſis Februarii incepiſſe indicat Rodulphus. Sed hoc monumentum probat vel errorem eſſe in notis, & pro MCCCLXXII. reponendum eſſe MCCLXXII. vel deceptum auctorem, ſi fortaſſis illud tempus non referatur ad loci reædificationem, vel translationem. Huic Conventui donavit Bonaventura Carolus Fabrianenſis quemdam agrum in ora Putei Maſſæ. Sub numero 696. anno IV. Indulgentia in eiſdem feſtivitatibus, excepta illa ſancti Marci, pro Eccleſia Conventus Corinaldi, qui ſub Pio V. tranſivit a Patribus Conventualibus ad Obſervantes. Locus eſt opportunus & commodus Fratrum habitationi. Spectabat olim ad Cuſtodiam Fanenſem, cetera vero quæ recenſuimus hujus diœceſis loca ad Cuſtodiam Æſinam. Ex hoc oppido oriundus frater Bartholomæus Cimarella, qui recentiorum Sanctorum Ordinis vitas duobus tomis complexus eſt, & nobis fuit adjutorio in colligendis, atque ex tenebris eruendis plurimis monumentis vehementer neglectis, & hinc inde diſperſis, qui hoc anno deceſſit Venetiis.

Conv. Montis-novi.

Conv. Serræ Comitum.

Conv. Montis-Podii.

Conv. Corinaldi.

Terra-

Terracinenſis diœceſis in Italia in Provincia Romana.

XXXIV. Sub numero 752. anno IV. Indulgentia in feſtivitatibus ſanctorum Franciſci, Antonii, Laurentii, beatæ Claræ, & Aſſumptionis beatæ Virginis, & per octo dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes in Eccleſia Conventus Terracinæ, in quo pauci Fratres inhabitant ob aeris intemperiem. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus Piperni, ubi requieſcit beatus Leonardus Fulginas, ſicuti alias diximus, ad aram majorem. Narratur, quod dum Fratres in hac urbe de more peterent panem, quædam mulier avara dare neglexit: quare divino judicio condemnata eſt avaritia ejus; dum enim filius ejus in agrum ferret panem agricolis, atque ab eiſdem frangeretur, inventus eſt totus ſanguinolentus: mulier hoc ſpectaculo reſipuit, ſecumque decrevit non negare amplius Fratribus eleemoſynam, & ſtatim color ille ſanguineus abſceſſit. Ibidem ſimiliter pro Eccleſia Conventus Setiæ, Piſano Seccie, in quo poſterioris ætatis floruiſſe quoſdam Rodulphus recenſet. Spectant hæc tria loca ad Provinciam Romanam & Cuſtodiam Maritimæ.

Conv. Terracinæ.
Conv. Piperni.
An. 1290. n. 17.
Conv. Setiæ.

Velletrenſis diœceſis in Italia in Provincia Romana.

XXXV. Sub numero 752. anno IV. Indulgentia in feſtivitatibus ſanctorum Franciſci, Antonii, beatæ Claræ, ſancti Pancratii Martyris, & ſanctorum Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ, harumque octavis in Eccleſia Conventus Nymphæ oppidi ad Aſturam amnem in Latio, de quo aliud non ſupereſt monumentum.

Conv. Nymphæ.

CLARISSARUM MONASTERIA.

Sancti Angeli Papalis diœceſis.

XXXVI. Sub numero 3. anno V. Indulgentia in feſtivitatibus ſancti Andreæ Apoſtoli, ſanctæ Claræ, & beatæ Agnetis Virginum, & in diebus octo feſtivitates ipſas immediate ſequentibus pro Eccleſia Monaſterii ſancti Andreæ civitatis ſancti Angeli Papalis, de qua diximus paulo ſuperius.

Monaſt. S. Angeli Papalis.

Camerinæ diœceſis.

XXXVII. Sub numero 4. ejuſdem anni Indulgentia in die dedicationis Baſilicæ Salvatoris, & dedicationis beati Michaelis Archangeli, & ſanctæ Claræ feſtivitate, atque per octo dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes, pro Eccleſia Monaſterii ſancti Salvatoris de ſancto Severino. Adjuncta eſt priori Eccleſiunculæ alia major ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ; prima inſeruit Sanctimonialibus dumtaxat: ſecunda, quam conſtruxiſſe ferunt quemdam ex Comitibus ſancti Severini, inſeruit ſecularibus. Hic habitarunt primitus religioſæ & veræ Clariſſæ; deinde Tertiariæ; tertio Clarenæ; quarto demum rediit ad Clariſſas. Ibidem Indulgentia in feſtivitatibus Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, beati Martini, & ſanctæ Claræ, & per octavas in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Mariæ Camerinenſis urbis.

Monaſt. S. Severini.
Gonzag. in Prov. March. Mon. 7.
Monaſt. Camerini.

Factæ ſunt hæ Sorores ſicut & illæ ſancti Severini Tertiariæ; ſed ad pri-
Indid. Monaſt. 8. ſtinum Inſtitutum redierunt anno MCCCCXIX. Quibuſdam, quæ non voluerunt laxius illud vivendi genus dimittere, proviſum eſt de alio loco a nobiliſſima Sorore Baptiſta Varana Camerinenſium Ducis germana ſorore. Cohabitavit pientiſſima hæc Soror aliquibus annis Clariſſis Sororibus Monaſterii Urbinatis, quoad uſque videlicet ſacra hæc ædes ex propriis ſuis facultatibus in meliorem formam redigeretur, qua tamdem redacta, adductis ſecum duabus ex illis, quæ ſeipſam, ceteraſque inſtruerent, communem vitam atque Regulam profeſſa eſt. Cujus fœliciſſimis auſpiciis eo dignitatis atque magnitudinis devenit hoc Monaſterium, ut inter totius Provinciæ Marchiæ præcipua non immerito connumeretur. Aliud etiam ibidem Tertiariarum Monaſterium a devota quadam Sophia nobili Camerinenſi fœmina extructum, quod ſuperiori antiquius aſſerit Gonzaga, de cujus tamen antiquitate non eſſe unde exacte ſciri poſſit, plane fatetur. Ego tamen illud Clariſſarum vetuſtius eſſe putem, atque illud ipſum, cui Nicolaus Pontifex hanc Indulgentiam conceſſit.

Firmanæ diœceſi in Piceno.

Monaſt. Montis Sancti.

XXXVIII. Sub numero 4. anno v. Indulgentia pro quatuor præcipuis feſtivitatibus beatæ Virginis, beati Thomæ Apoſtoli, & beatæ Claræ, & pro octo diebus feſtivitates ipſas immediate ſequentibus, necnon in anniverſario die dedicationis ipſius Eccleſiæ Conventus Clariſsarum de Monte ſancto, de quo aliud non ſuppetit monumentum.

Fulginatenſis diœceſis in Umbria.

Monaſt. Fulginaten. de Virginibus.

XXXIX. Sub numero 696. anno IV. Indulgentia pro eiſdem feſtivitatibus beatæ Virginis, ac ſancti Jacobi Apoſtoli, & pro octo diebus feſtivitates immediate ſequentibus in Eccleſia Monaſterii beatæ Mariæ de Virginibus prope muros Fulginatenſes, quod ad annum MCCXXV. initium ſumpſiſse ſub Ægidio Epiſcopo, ædificata eis Eccleſia ſub titulo ſanctæ Catarinæ, ſcribit Jacobillus, & regulam, normamque vivendi Sororum ſancti Damiani Aſſiſiatis accepiſſe a Cardinale Ugolino, dicto poſtea Gregorio IX. Vocabatur prius Collegium Virginum, poſtea Monaſterium ſanctæ Mariæ de Virginibus Ordinis ſancti Damiani, quam appellationem adhuc ſub hoc anno retinebat, uti conſtat ex hoc monumento.

Jacobil. de Epiſcop. Fulginaten. ſub Ægid. p. 115.

Tornacenſis diœceſis in Flandria.

Monaſt. de Bello-loco.

XL. Sub numero 679. anno IV. Indulgentia in feſtivitatibus ſanctorum Franciſci & Antonii Confeſſorum, atque beatæ Claræ Virginis, earumque octavis pro Eccleſia Monaſterii Clariſſarum de Bello-loco ſupra Sclandam. Hujus item Monaſterii Sororibus hoc ipſo anno conceſſit Pontifex ut nullus, quacumque auctoritate fulgeret, poſſet eas compellere ad recipiendum aliquam in Monacham ſeu converſam. Indulſit etiam ne tenerentur ad præſtationem procurationum, exactionum, collectarum, & ſubſidiorum Legatis Apoſtolicæ Sedis, & quibuſcumque aliis faciendam, Cardinalibus dumtaxat exceptis. Demum alterum dedit privilegium, ne extra diœceſim Tornacenſem trahi poſſent in cauſam,

Epiſt. 677. *Epiſt. 678.* *Epiſt. 694.*

ſam, vel ad judicium evocari per Apoſtolicæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras, non facientes de hoc indulto expreſſam mentionem.

XLI. Pie & grate ſe geſſit erga ſuum ſodalitium Nicolaus Pontifex in tot Indulgentiis conceſſis plurimis Monaſteriis Fratrum & Sororum omnium ferme Provinciarum, præſertim Marchiæ Anconitanæ, in qua educatus eſt, & quæ mirabiliter in paucis annis ultra communem hominum fidem excrevit. Ad evitandam confuſionem ſequutus ſum clariorem ordinem diœceſum in ipſis bullis expreſſarum. Multa ex his Cœnobiis iam deſtructa ſunt, & limites multorum Epiſcopatuum, quos hic recenſuimus adeo mutati ſunt, ut quæ ad illos tunc temporis ſpectabant nunc pertineant ad alios. Quare non commoveri, aut admirari debet Lector, ſi quæ nunc ſunt alicujus diœceſis oppida, nos alteri adſcripſerimus; retulimus etenim quæ tunc erant, & expreſſe ita habentur in Bullis Pontificiis.

XLII. Præter hæc quorum aliqualem memoriam ex tabulis eruimus Pontificiis, aliorum ſub hoc anno meminit Petrus Rodulphus. Eccleſiam Montis-Luponum in Piceno, & Cuſtodia Camerini ait hoc anno conſecratam; vetuſtiorem tamen eſſe ipſum Conventum probant duæ Bullæ Innocentii IV. ibidem aſſervatæ: hinc oriundus Marcus de Monte-Luponum, quem ſuperius diximus miſſum Nuntium a Rege Armeniæ ad Pontificem, & Reges Galliæ & Angliæ. Floruit etiam ibidem Dominus Joannes Archiepiſcopus Neopatrenſis, qui Eccleſiam ſancti Franciſci Montis-Ulmi conſecravit anno MCCCXCIII. Hoc eodem anno extructum ſcribit Conventum Argentinæ, Caſtelli in Romanula Tranſpadana ſub Magiſtro Daniele Provinciali. Primum jecit lapidem quidam frater Guidus, primus etiam ejuſdem loci Guardianus: In eo tamen errat Rodulphus quod hæc acta dicat hoc anno ſub Bonifacio VIII. non enim adhuc ad Pontificatum aſcenderat. Similiter Rhodigii in eadem Romanula Tranſpadana, & Inſula magna Poleſini, ſeu Polyneſi, uti ſcribendum monet Sabellicus, pernobilis oppidi, Ludovici Cælii Rhodigini præter alios memoria dignos, ortu notiſſimi. Conventus hoc anno extructus ab Illuſtri Domino Obizone Marchione Ateſtino pro quinquaginta Fratribus victuris ſub obedientia Miniſtri Provincialis Bononiæ. Hoc etiam anno ſcribit Nicolaus Harpſfeeldius in Catologo religioſarum ædium extructarum Londini extra *Algate* Monaſterium Clariſſarum per Blancham Reginam Navarræ, ejuſque conſortem Edmundum Comitem Lancaſtriæ, Leceſtriæ, & Darbiæ, fratrem Eduardi primi Regis Anglorum, quod amplius confirmabunt quædam monumenta; quæ dabimus ſub anno 1. Pontificatus Bonifacii VIII. Scripſit etiam Pontifex ad Epiſcopum Vercellenſem, ut ageret cum Archidiacono Vercellenſi de danda Fratribus Minoribus ejuſdem urbis, nimis anguſto domicilio habitantibus, Eccleſia ſancti Salvatoris de Mercatello cum domibus, cœmeterio & platea contiguis; iſque Epiſcopus in concambio daret eidem Archidiacono Parochialem Eccleſiam de Villa-nova; de quo etiam dedit litteras ad ipſum Archidiaconum: *Pridem dilectis filiis*. XVIII. Kal. Februarii.

Rodul. in Prov. Marchiæ in Cuſtod. Camerini.

Conve. Montis-Luponum.

Ann. 1292. n. 1.

Conv. Argentinæ.

Idem in Provin. Bonon. & Cuſtod. Ferrar.

Conv. Rhodigii.

Idem in Prov. S. Anton. & Cuſtod. Paduæ.

Sabell. lib. 1. dec. ad 4. rerum Venet.

Monaſt. Londini.

Harpsfeel. de Monaſt. Londini.

Epiſt. 686. n. 4.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Obitum Palæologi Imperatoris, quem hic Meliſſanus iiſdem cũ circumſtantiis refert ſicut ſuperius retulimus, iterum narrare piget.

„ I. OBiit hoc anno Rodulphus in Occidente Imperator honoribus
„ conſuetis cohoneſtatus: & Francofurti VIII. Idus Januarii
„ ab Electoribus ſucceſsorem Adolphum Naſsoviæ Comitem, induſtria ſui

Novus Imperator eligitur.

,, ſui conſanguinei Gerardi Archiepiſcopi Moguntini, non tamen ſine
,, tumultu habuit; at interea Eduardus Angliæ, & Philippus Franciæ
,, Reges invicem peſſime diſſidebant: his componendis quam inſudaret

Inſudat Pontifex pro componendis Regibus.

,, Nicolaus Summus Pontifex, qui Chriſtiani orbis Rempublicam diri-
,, gebat, ejus deliquia cordis demonſtrabant: nec tamen a ſuo paſtorali
,, officio, vel minimum deficiebat: etenim præter ea, quæ in Annalibus
,, cuique ſunt expoſita, ſuper arduis, & emergentibus chriſtianæ Rei-
,, publicæ Januenſibus ſcripſiſſe, commemorando fratrem Nicolaum de
,, Camplis Minoritam reperio: *Quamvis perſecutionibus &c.* XI. Kalen.
,, Martii: inſuper pro Monaſterio noſtrarum Sanctimonialium de Prato

Indic. ex Oder. n. 13.

,, Florentiæ, quamdam Indulgentiam conceſſiſſe: *Licet is &c.* Kal. Mar-
,, tii: & quia in Comitatu Provinciæ mala fidei ſemina audiebat ſuboriri,
,, hujuſmodi rei Inquiſitores deſtinavit: *Præ cunctis &c.* V. Idus Mar-

Obiit Pontifex.

,, tii: ſed tamdem gravatus annis fatiſcens, glorioſiſſime fato ceſſit pri-
,, die nonas Aprilis, in Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris ſepultus, poſt-

Ex Vatic.

,, quam ſediſſet annos IV. menſem unum, & dies XIV. ſi verus computus
,, apud Scriptores fuit.
,, II. Nicolai Pontificis præconia, licet ſumme prolectent, ſcribere
,, non audebo, cum in Annalibus deſcripta ignaviæ meæ ſuperare datum
,, miniime agnoſcam: hoc unum dicam, Minoritam omnibus numeris vi-
,, rum abſolutum Nicolaum ſuo obitu Eccleſiæ defeciſſe; ut Sedes
,, ipſa Petri longe viduata ſeſſore teſtis eſt: at hæc ſunt imperſcrutabi-

Capitulum generale Pariſiis.

,, lis ſcientiæ, & ſapientiæ Dei conſilia. Hæc inter Philippus Francorum
,, inclytus Rex, Religionis Minoriticæ amator, cum ſummopere concu-
,, piiſſet, a Raymundo Miniſtro generalis Conventus ſub die XXV. Maii
,, Pariſiis congregatus fuit; verum in eo diſcuſſa, ab aliis enarrata præ-
,, terimus; at glorioſiſſimum Cunegundis obitum, aliqualiter ab Anna-
,, liſta, ſed parce nimis, ut videtur, ſignatum, expanſo magis calamo
,, enarrare, eaque occaſione potiora ſuæ admirabilis vitæ opera, nude
,, ac ſine fuco deſcribere, vel ex aliis fide dignis referre viſum eſt.

Vide Surium in ejus vita cap. 1.

,, III. Cunegundis filia *Belæ* Regis Hungariæ, & Mariæ filiæ Alexii

Cunegund. Progenies, ortus, & ſanctitas.

,, Græcorum Imperatoris, quæ, & quanta fuerit apud Deum, & homi-
,, nes, plurimi ſuis monimentis conſignarunt; ejus ortus & ſanctitas
,, fuerunt divinitus clara voce Genitrici prædicta, arrhamque illius ma-
,, ter accepit in qusdam conſolatione cœlitus immiſſa, dum prægnans
,, tædio, & mœrore affecta, audivit ſe incolumem parituram; in lucem
,, edita non more communi fletum, ſed claro ſermone bene articulato
,, hungarice hæc verba protulit: *Ave Regina Cælorum, Mater Regis Ange-*
,, *lorum*; quartis, & ſextis feriis ſemel tantum nutricis ubera ſugebat,
,, ut ſanctus Nicolaus feciſſe perhibetur. Quoties infans inter brachia
,, nutricis Miſſæ Sacrificio intererat, oculos in Cœlum figere, & ad no-
,, mina ſanctiſſima Jeſus & Mariæ caput inclinare ſolebat.
,, IV. Tempore lactis elapſo, ut ætate ita & pietate creſcebat: tota
,, genuflexionibus, jejuniis, eleemoſynis erogandis, aliiſque piis ope-
,, ribus erat intenta; ut adolevit, a Boleſlao Poloniæ Duce (nondum

Nubit Boleſlao.

,, enim Polonia, Regni honore privata ob audacis Boleſlai exceſſum,
,, jus regale antiquum recuperaverat) in conjugem expetita, primo re-
,, ſtitit, ſed parentum minis & præcibus inducta, conſenſum præbuit.
,, V. Anno Domini MCCXXXIX. Cracoviam perducta ſuam virgi-

Inducit Sponſum ad ſervandam continentiam.

,, nalem pudicitiam præcibus aſſiduis, cum lacrymarum profuſione Deo
,, enixe commendabat: & ut altera Cæcilia prima nocte pio & ſupplici
elo-

„ eloquio, junctis terroribus, ſponſum induxit, ut ſe intactam relinque-
„ ret: ad tempus quidem primo, ſed poſtea ſemper ſe eam in ſua pudi-
„ citia conſervaturum promiſit; quod ſancte etiam præſtitit: unde Bo-
„ leslaus, *Pudicus* dici promeruit: immo Boleslaus, & Cunegundis
„ conſortes in Eccleſia, & in manibus Epiſcopi Cracovienſis ambo pu-
„ blico, & ſolemni voto ad perpetuo ſervandam caſtitatem virginalem
„ ſeſe Deo obſtrinxerunt.

Amboque ſolemniter vovent caſtitatem.

„ VI. Cunegundis Sanctimoniæ teſtimonium apparet in Oppido
„ tunc Pago Bokniæ quinto a Cracovia milliari diſtante: cum enim Re-
„ gem inviſendi Patrem cauſa, annuente marito, in Hungariam perre-
„ xiſset, ibi dum loca inſigniora, & inter ea ſalis fodinas luſtraret,
„ unam illarum a Patre ſibi condonari petiit, libenter vero filiæ petitio-
„ ni annuens Pater, illa ex tempore annulum aureum ex digito extra-
„ ctum, cavernæ, quam ſibi elegerat, injecit: tunc factum forte riden-
„ dum fuit: at paulo poſt cum in Regnum Poloniæ regrederetur Cune-
„ gundis, in eo quem diximus Pago, ſal ex improviſo emerſit, quod cum
„ more lapidum cœpit excavari, in uno ſalis fruſto, annulus nuper in
„ hungarico ſolo projectus repertus eſt, ac eum etiamnum Sandeciæ in
„ virginum Monaſterio conſpici, ait Martinus Baronius: res memoria
„ digna, quam Hungarici initio deſiderent; in hanc tamen uſque ætatem
„ Poloni divino utuntur munere; dum ſal multis effoſſum cavernis per-
„ petuas divitias ſubminiſtrat, & Coronæ redditus adauget.

Inſtitutum Clariſſarum amplectitur in Monaſt. quod fundavit.

Ejus fuga a Tartar.

Mart. Baron. in Catal. SS. f. 187. de B. Cuneg.

De hujuſmodi Salinis lege Petr. in deſcrip. Poloniæ.

„ VII. Acceptis a marito pro dotalitia recompenſatione quibuſdam
„ poſſeſſionibus in confinio Hungariæ ad antiquam Sandeciam, nobile
„ ibidem conſtruxit Clariſſarum Monaſterium, cooperante eodem Bo-
„ leslao, in quod, cum ſub ipſis viduitatis auſpiciis ſe cum ſorore Jo-
„ lenta reduxiſset, idem Clariſſarum Inſtitutum profeſſa eſt: at poſt-
„ modum Tartarorum incurſionem declinatura, ſimul cum reliquis So-
„ roribus ſeptuaginta ad munitiſſimam arcem Pieninam confugiens, in
„ petra quadam dura prope Villam Charthoreæ ad fluvium donaret
„ ſitam, feſſa ex itinere quieſcere volens, dextri pedis veſtigium, ve-
„ luti in molli cera preſſum, reliquit, quod uſque ad hæc tempora con-
„ ſpicitur.

„ VIII. At majus miraculum eſt, quod mox enarro: cum in præ-
„ fato Monaſterio Clariſſis nomen dediſset, Sororeſque aquæ penuria
„ laborarent, earum miſeriis compatiens ad fontem vivum perrexit, a
„ Monaſterio paſſus mille diſtantem, ex quo fluviolus Puſyſietnica ma-
„ nabat, verſuſque Villam Sarciceæ decurrebat; atque immiſſum bacu-
„ lum, quo utebatur in fluviolum non longe a ſcaturigine fontis, do-
„ mum rediens per terram toto traxit itinere: res omnino mira & con-
„ tra naturam! aqua dimiſſo priori curſu, quo deorſum fluebat, mon-
„ tem verſus Oppidum Sandeciæ aſcendentem ſequebatur, alveumque
„ ſibi ipſa efficiebat, quaſi præeunte, & ducente bacillo uſque ad oppi-
„ dum, & clauſtrum Monaſterii: eumdem adhuc curſum ſervat fluviolus
„ per Oppidum, & Monaſterium, prout ipſa deſiderabat, decurrens,
„ aquam Oppidanis abundanter miniſtrans, & agitandis molendinis ſuf-
„ ficienter inſerviens. Simili miraculo, infixo baculo, venam deduxit
„ aquarum viventium, quæ variis morbis medendis etiam nunc mirabi-
„ liter inſerviunt.

Duo miracula.

„ IX. In Monaſterio divinis apparitionibus aſſueta, Prophetiæ do-
„ no, & miraculorum gloria illuſtris, poſtquam annos tredecim Mona-

Divinæ apparitiones.

ſticæ

ſticæ profeſſionis peregiſſet, & quadam ferme gravi ægritudine vexaretur, mortis hora divinitus præcognita, devotiſſime vitam abſolvit anno MCCXCII. honorifice ſepulta in eo Monaſterio die XXIV. Julii, ut refert Baronius. Chriſtianus Canonicus Viſlicenſis vir devotus dum oraret eo tempore, eam niveo candore amictam in cœlum progredientem vidit, agminibus Angelorum canentibus illud: *Regnum mundi & omnem ornatum ejus contempſi*, quod cum admiraretur, dictum eſt illi beatam Cunegundem ea hora corporis ergaſtulo ſolutam eſſe.

Mart. Baronius ſupr. citat.

Obiit hoc anno.

X. Pluribus miraculis poſt obitum corruſcare cœpit: ab anno MCCXCII. quo migravit ad ſuperos uſque ad annum MCCCXXIV. octuaginta mortui meritis ipſius, priſtinæ vitæ reſtituti ſunt: ſexaginta cæci illuminati: quindecim captivi a vinculis ſoluti: ſeptingenti a variis ægritudinibus liberati, plurima ex his, & alia recentiora miracula, picturis, & votivis tabellis ad ſepulcrum appenſis indicantur: præter hæc appoſitæ ſunt etiam penſiles imagines, quarum plures argenteæ, quibus inſculptæ beneficiorum memoriæ habentur: in univerſo Regno Poloniæ pro Patrona, ac tutelari proclamatur, ejuſque ſepulcrum magna devotione inviſunt die SS. Trinitatis, cui Eccleſia dedicata eſt non tantum Poloni, ſed etiam Provinciæ Sceputienſis Incolæ, Germani, Rutheni, Sileſii, Moravi, & Hungari, magno omnis generis & ætatis concurſu, & qui vota ſua ad ſepulcrum pro beneficio aliquo conſequendo deponunt, diem Lunæ ſanctæ Cunegundi fatalem, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus ſacrare non omittunt. Ejus itaque dies ſolemniter celebratur, & quot annis in die obitus ſui fit ſolemnis ejus commemoratio, recitata Antiphona: *Veni Sponſa Chriſti &c.* cum oratione ſequenti: *Oremus Deus, qui inter cetera gratiæ tuæ dona etiam in ſexu fœmineo tua operaris magnalia, concede propitius, ut beatæ Cunegundis Virginis tuæ apud tuam miſericordiam patrocinia ſentiamus; cujus non ſolum caſtitatis irradiemur exemplo, verum etiam miraculorum gloria jucundemur, per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.*

In cœlum progrediens videtur.

Miraculis coruſcat.

Patrona, & Tutela Poloniæ veneratur.

XI. Ad ſepulcrum orantibus expoſita eſt in tabella hæc deprecatio, quam omnes communiter recitant, ut quæ petunt beneficia, conſequantur: *Venerabilis atque fœlix Duciſſa, urbis Sandacienſis utriuſque Provinciæ, ſanctaque Kunegundis, Ordinis ſanctæ Claræ, quæ multis modo refulges hic, & coruſcas miraculis, & multis Chriſtifidelibus ſexus utriuſque, tam infirmis, quam morbidis, claudis, cæcis, leproſis, caducis, febricitantibus, obſeſſis, in aquis ſubmerſis, atque hydropicis, paralyticis, & quamplurimis languidis, tuum corpus fœliciſſimum, ac tumbam hic viſitantibus, & vota facientibus, manifeſte & aperte divino mediante auxilio, pie miſericorditerque ſubvenis: te igitur venerabilis & fœlix Kunegundis indigni peccatores obſecramus cernui, ut nos ab inſtantibus, & ſupradictis infirmitatibus, atque malis accidentibus, univerſiſque tam præſentibus, quam futuris, & hanc civitatem, cum omnibus noſtris benefactoribus, atque parentibus, amiciſque, & proximis noſtris benefacientibus, ab omnibus periculis liberare, ſalvare, defendere, & omni tempore protegere digneris, & de poteſtate omnium inimicorum noſtrorum viſibilium, atque inviſibilium, atque malignorum ſpirituum potenter nos cum dictis, ut ſupra, eripias, & cuſtodias, ne nos in hoc ſeculo, nec in mortis articulo ſuis cum complicibus perturbent, nec coram Majeſtate divina minus juſte nos accuſent: ſed a nobis confuſe re-*

Deprecatio ad implor. ejus auxilium.

Digitized by Google

,, *recedant : & ſancti Archangeli Dei omnes , & Cuſtodes noſtri , nos ab eis*
,, *ubique locorum , & poſt vitæ noſtræ exilium protegant , & ad æterna*
,, *gaudia fœliciter , illeſæ , lætæ , pariterque cum glorioſa Virgine Maria ,*
,, *& omnibus Sanctis , per te , ſancta Clara , & fœlix Kunegundis , nos perducant . Amen .* ℣. *Ora pro nobis &c.* ℟. *Ut digni efficiamur &c. Oratio*
,, *ut ſupra . Deus , qui &c.*
,, XII. Sacellum in quo ſepulta fuit , ſeorſim ad latus Eccleſiæ ſitum, Sacellum in quo ſepelitur ubi.
,, ambitu Monaſterii ad quod nulli patet aditus, niſi ſolis Monialibus .
,, Super ſepulturæ locum erexit altare Cardinalis Radcivilus, in quo
,, adſervantur ejus oſſa , Scriniolo argenteo per Cardinalem *Macziowiski*
,, incluſa : & caput argentea theca ſeorſim reconditum . Aſſervatur
,, etiam tunica interior ſub diligenti Cuſtodia Abbatiſſæ, in qua illud Tunica ejus adhuc intacta, ægrotis mirifica.
,, obſervatur , nullam pati læſionem tribus integris ſeculis , quibus frequenter diſtrahitur, & defertur ad varias ægritudines depellendas.
,, Habetur inſuper cochlear, quo communiter utebatur , & annulus a
,, Boleslao ſponſo , arrhæ loco immiſſus . Conſpicitur denique ibidem
,, religioſiſſimæ Virginis imago lignea, ipſa adhuc vivente dolata , quæ
,, perhibetur membrorum accuratam delineationem , & veram corporis
,, menſuram præferre , habitu quidem communi Clariſſarum , ceterum
,, ſacro capiti Principis impoſita corona, dextra tenet Monaſterium a ſe
,, fundatum , ſiniſtra pixidem , vel thecam reliquiarum .
,, XIII. Mira de hac imagine paſſim deprædicant, utpote per quam Imago lig. varia dat ſigna.
,, non obſcure ſigna impendentium Monaſterio conſolationum , ſive incommodorum præmittuntur, uſu rerum magiſtro comprobante, ad
,, adventum rerum proſperarum ſtatuam illam colorem roſaceum induere : contra futuræ calamitatis pallere, prout recens, anno ſcilicet
,, MDCXXIV. accidit; præces ad illam ſtatuam fundebant ardentes de-
,, vote Virgines in arduis Monaſterii neceſſitatibus: res mira! ſtatuæ
,, illius facies rubicundior ſolito comparuit : attonitæ ſtatuam manibus
,, contrectant, baſiaque certatim figentes, faciem & naſum calentem
,, expertæ ſunt : exponitur publicæ venerationi in feſto SS. Trinitatis,
,, quo die diximus ad ſepulcrum Sanctæ confluere gentes. Ceterum Cu-
,, negundæ glorioſæ res , geſta , prodigia , portenta , dona , miracula ,
,, aliaque mirabilia ſcripſit Benedictus Gononus; de ea pariter egerunt *Bened. Gonon. in chron. SS. Deiparæ ſecul. 13. ad ann. 1323.*
,, Duglosius, Bielſcius , Annales Poloni , Herburtus , & alii , quos ci-
,, tat Martinus Baronius , ac etiam Waddingus, & Caſimirus , cum aliis .
,, XIV. Demum continuo miraculorum ſplendore excitati Poloni, Sollicitatio canonizat.
,, præſertim Illuſtriſſimus Dominus Martinus *Szlſzkorcki* Epiſcopus Cra-
,, covienſis, qui examinatis, & compertis quamplurimis hac noſtra ætate *Mart. Baron. in Catal. SS. f. 187.*
,, patratis miraculis, plurimum ſategit, ut ejus canonizationem pro-
,, moveret : & ſereniſſimus Sigiſmundus Poloniæ Rex eam ſummis votis *Wadd. ad hunc ann.*
,, a SS. D. N. Urbano VIII. datis epiſtolis, quarum tenorem ſubjicimus, *Caſim. Biern. ar. 20. n. 2.*
,, efflagitavit. Litterarum tenor.

Sanctiſſimo , ac beatiſſimo in Chriſto Patri , ac Domino , Domino Urbano divina providentia Papæ VIII. ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo Domino Clementiſſimo.

,, *Poſt oſcula beatorum pedum Sanctitatis veſtræ , mei , ac meorum re-* Epiſtol. ad Urb. PP. VIII.
,, *gnorum humillimam commendationem , quod toti regno meo Polo-*
,, *niæ , dominiiſque eis annexis non poteſt non eſſe glorioſum , & ſalutare .*

,, *Ita veneratur religioſo obſequio ſanctitatis olim ſuæ Kunegundis, ut æ*
,, *ternis & amplius ſeculis, divam, Tutelarem, & Patronam ſuam (con-*
,, *ſentientibas votis) eam nuncupent. Quæ autem hæc aut quanta extite-*
,, *rit Heroina, vel inde palam eſſe poteſt, quod inter regalis, ſummæque*
,, *fortunæ delicias, & obſequia, conjux ſimul, & Virgo ſupra omnem mor-*
,, *talitatem egerit: & marito poſtmodum, ſeu Boleslao pudico Poloniæ Prin-*
,, *cipi ſuperſtes, erogatis in pauperibus Chriſti facultatibus, divi Franciſci*
,, *Inſtitutum amplexa faerit. Emicat hæc ipſa ſanctitatis perpetuis, illu-*
,, *ſtribuſque conteſtata documentis ad ſacrum ejus ſepulcrum, ubi diverſo-*
,, *rum membrorum victa ſæpius contamacia, aliaque ſtupendæ virtatis*
,, *edita opera, ad vicinas quoque gentes famam ejus ſanctitatis cum reli-*
,, *gione loci commendarunt. Hanc igitur communi, conſtantique opinione*
,, *ſanctam, ut Apoſtolicæ cenſuræ auctoritate Beatorum numero ſanctitas*
,, *veſtra adſcribere velit, univerſa pene ſanctitati veſtræ per me ſupplicat*
,, *Polonia: attulerit ea res cælo triumphum, Regno meo, accenſis publico*
,, *ſanctitatis veſtræ decreto ad devotionem animis, firmiſſimum præſidium,*
,, *utrique eximium decus, & ornamentum: in primis vero ad Dei gloriam*
,, *pertinebit, qui in ſanctis ſuis amat venerari. Quod reliquum eſt, me*
,, *Regnoque mea gratiæ ſanctitatis veſtræ diligentiſſime commendo. Datum*
,, *Varſaviæ die* XXII. *menſis Martii anno Domini* MDCXXVIII.

Ejuſdem Sanctitatis veſtræ obſequentiſſimus filius
Sigiſmundas Rex Poloniæ.

,, XV. Piorum Lectorum cujuſcumque generis, & fortunæ animis
Congregat. Provinciæ Boemiæ. ,, propoſito Cunegundis exemplo, nonnulla, quæ dilatationem Ordinis
,, concernunt, ſubjicienda reſtant. Theodoricus Provinciam Boemiæ,
,, & Poloniæ regens tempore glorioſiſſimi obitus Cunegundis, Bitomii
,, in Sileſia comitia habebat in feſto ſancti Michaelis die XXIX. Septem-
Obornic. Oppid. ,, bris: in iis vero Obornicii oppidi celebris in majori Polonia Primores
,, ſummopere deſiderabant apud ſe Minoritas, quorum doctrinæ & reli-
Caſim. Biern. ar. 20 n. 1. ,, gioſitatis optimam famam audierant: quamobrem ad eorum inſtan-
,, tiam quem obtulerant ad conſtruendum & inhabitandum locum admit-
,, tere decretum fuit. Expediti nunc a rebus Polonis, calamum conver-
Virodun. C. E. deſcribitur. ,, timus ad Virodunum in Gallia Belgica: eſt autem Virodum, ſeu
,, Verodunum, vulgo *Verdun*, Civitas Epiſcopalis ad Moſam fluvium
Topogr. Ferrer., ,, preterfluentem, ubi navigabilis eſſe incipit in Lotharingiæ finibus,
,, inter Barrum Ducis, & Metim, a Barro in ortum æſtivum V. M P.
,, gallic. quot fere a Metis in occidentem hibernum, a Tullo vero in
,, Corum VII. & a Naſio XII. diſtans. Eam urbem admiſiſſe Clariſſas,
Wadd. ad ann. 1293. n. 9. ,, ex Gonzaga docet Waddingus enarrans Monaſterium Sanctis Claræ,
,, & Barbaræ nuncupatum, a pietate ſex mulierum, videlicet Agathæ,
Agatha, & Margar. Gindor Coleta, & Agnella Sara de Friavilla, & Mauldis, primiceriæ Monaſt. ,, & Margaritæ *Grindor* filiarum cujuſdam Martelli Virodunenſis, viri
,, clariſſimi: Coletæ, & Agnellæ ejus filiæ, Saræ de Friavilla, & Mauldis
,, Cerebellæ, ea in urbe conſtructum fuiſſe; arctam vero nimis hanc
,, enarrationem aliquantiſper ad rei ſufficientem notitiam, ut ratio ex-
,, poſtulat, & curioſitas deſiderat, ampliabimus. Igitur prænominata-
,, rum ſex, tres primæ, videlicet Coleta, Agnella Cavaria, dicta Aga-
,, tha Martelli, & Margarita ejus ſoror, erant eæ præcipuæ, quæ hu-
,, juſmodi negotium pietatis, & religionis, maxime ſub directione Fra-
,, trum inſtanter promovere ſtudebant: de quo certior factus Miniſter
,, Provinciæ Franciæ, nil remoratus dare manus, ut ſibi licebat, Cu-
ſto-

„ ſtodi Lotharingiæ, Guardiano, & Lectori Virodunenſis Cœnobii, in „ earum favorem litteras expedivit ſub xx. Julii mccxcii. quamobrem „ ea ex parte roboratæ piæ fœminæ diligenter lucrari mentem vel ani- „ mum Antiſtitis procurabant. Eam Eccleſiam digniſſime regebat Illu- „ ſtriſſimus & Reverendiſſimus Jacobus Lombardi, vir pietatis, & Re- „ ligionis amator, qui ut rem exacte cognovit, boc eodem anno ſub „ die xxiii. Auguſti, licentiam illis conceſſit, ut ſibi oratorium & ædes „ ad inhabitandum, & in quibus Deo ſanctius famulari poſſent, con- „ ſtruere liceret. Comprobavit pium opus ſubinde (Apoſtolica Sede „ vacante) Matthæus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, ſub „ datis Romæ Kalend. Junii anno mccxcii. litteris. Interim cum nihil „ mibi ſit pro anno mccxciii. eo præterito, ad annum mccxciv. tran- „ ſeo.

Jacobus Lombard. Epiſcop. Viroduni.

Annal. recol. S. Dionyſ. in Gal.

Vide infra ad ann. 1299. n. 5.

ARGUMENTUM.

Impenſius agitur de conſcribendis Crucesignatis, & coadunandis religionibus militaribus in Terræ ſanctæ ſubſidium. Urget hæc indefeſſe Raymundus Lullus apud Pontifices & Reges Europæos. Referuntur quædam pietatis exempla. Floret ſub Clariſſarum Inſtituto Euphemia filia Rodulphi Imperatoris. Ædificantur aliquot Minorum babitacula.

I. VACANTE etiam boc anno ex pertinaci diſcordia Cardinalium Sede Apoſtolica, nulla nobis ſuppetunt monumenta Vaticana ſeu Archivi Pontificii, ex quibus ſeries dicendorum, ſeu memoria præclare geſtorum poſſit deſumi: illud tamen occurrit memorabile, quod nequaquam prætermiſſum ſit ſtudium conſcribendi milites Cruce ſignatos ad præſcriptum ſancti Pontificis Nicolai, pro tranſmittendis copiis auxiliaribus in Syriam, tempore ſuperiori anno præfixo. Elapſo tamen termino, non deſtiterunt Prædicatores Crucis ab excitandis Principibus & Prælatis ad ſacrum bellum; id præ ceteris referunt Hiſtorici Mediolanenſes in Concilio Provinciali illius urbis inchoato xxvii. Novembris, præſente Ottone Vice-Comite, Archiepiſcopo & Suffraganeis Epiſcopis in Eccleſia ſanctæ Teclæ prædicaſſe poſtridie Miniſtrum Fratrum Minorum, & fratrem Stefanardum Ordinis Prædicatorum, qui ad obſervationem & executionem trium diplomatum Nicolai Pontificis in Synodo prælectorum, omnes qui in Aula aderant, efficaciter exhortabantur. Primum, miſerum ſtatum Terræ ſanctæ lugubri explicabat ſtylo, & chriſtiane omnes compellabat, ut neceſſarium ferrent ſubſidium. Secundum, injungebat Eccleſiarum Prælatis, ut negotium boc pium & ſanctum quam efficaciter urgerent in ſuis Provinciis; monerentque ſanctam Sedem de rerum eventu. Tertium, ſignificabat unionem a ſe intentam duorum Ordinum Militarium, Templariorum, & Hoſpitalariorum Hieroſolymitanorum. Non inaniter ſuaſerunt, ſed efficaciter perſuaſerunt prædicti Concionatores; ita ut in vigilia ſancti Andreæ mature rebus diſcuſſis, unanimiter conventum ſit de ferendo prædicto ſubſidio, & ſacro bello promovendo. In bunc finem aliquot neceſſaria edita ſunt decreta, quæ ad ſanctam Sedem remitti deberent; examinanda tamen ſerius & diſponenda gravius per prædictum Archiepiſcopum, per Epiſcopos Vercellenſem, Brixianum, Laudenſem, & Sabaudum (fortaſſis Taurinum) Prio-

Cientur fideles ad ſacrum bellum.

Ann. 1292. n. 1.

Bernardi. Corius de rebus Mediol. par. 2.
Franciſcus Beſozzus in hiſt. Ponti. Mediol. ſub Archiep. 98.
Rubeus in vita Nicol. IV.

Tria Nicolai Pô. tificis diplomata pro hoc negotio.

Priorem Prædicatorum, Guardianum Minorum, & Priorem Eremitarum; deputatis etiam Syndicis Cleri & Populi pro hac re omnino peragenda, Epiſcopo Novarienſi, Priore de Pontida, & Matthæo Vice-Comite: idque inſuper conſtitutum, ut non ſolum ex prædictis binis Ordinibus Militaribus; verumetiam ex adjuncto tertio Theutonicorum una coaleſceret concors viribus & concordia potens militia; cujus magnus Magiſter a ſummo Pontifice inſtitueretur.

Epiſt. 51. dat. 10. Kal. Septemb. Epiſt. 4. dat. 4. Kal. April. Epiſt. 60. dat. 5. Kal. Septemb.

Cupit Pont. unire ordines militares.

II. Et quidem prædictas litteras ſcripſit Pontifex anno IV. ſui Pontificatus, primas & ſecundas ut convocaret Europæos, eiſque animos adderet ad ſacrum bellum, inſtitutis ubique ex Minorum & Prædicatorum Ordinibus viris præcipuis, qui de cruce prædicarent: Poſtremis ſignificabat Templarios, & Hoſpitalarios militia inſignes; ſed perpetuis diſſenſionibus inter ſe laborantes, magna præſtituros, ſi in unam militiam coaleſcerent, & ſub uno præſide iiſdem legibus regerentur. Eam rem ſibi a quibuſdam perſuaſam Andronico Græcorum Imperatori, Regibus Galliarum & Angliæ, Prioribuſque utriuſque Militiæ ubilibet locorum renunciavit: Quanquam enim certum ſibi eſſet, eos milites ſi in unam militiam coaleſcerent, ſub unius vinculum caritatis & pacis eo modo poſſe facilius adduci, & contra hoſtes fidei Catholicæ tantò animoſius, quanto conjunctius bellum poſſe agi; quid tamen ipſi de hac re ſentirent, non tam conſenſum, quam judicium eorum requiſivit. Ultra omnes laborabat in hoc ultimo perſuadendo Pontifici & Principibus Chriſtianis Raymundus Lullus Majoricenſis, de quo nos ſupra ſumus præfati: Tria enim urgebat Romæ apud Honorium IV. & Nicolaum IV. apud Philippum Pulchrum Regem Galliæ, apud Reges Siciliæ, Majoricarum, & Cypri, in Rebuſpub. Piſana & Genuenſi, mira animi conſtantia, & improbi laboris perſeverantia hinc inde diſcurrens, ut illa perſuaderet, quorum ipſe ſæpiſſime memoriam agit in pluribus libris a ſe conſcriptis; de quibus ita Carolus Bovillus vir doctus, & Benedictus Gononus Monachus Cœleſtinus in ejus vita: *Tria a ſummo Pontifice, & Cardinalium conſeſſu petebat: Primum, ut per mundum varia juberentur extrui Monaſteria, in quibus Viri ſancti ac devoti pro Chriſto mori nihil formidantes, varios ſermones docerentur, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, utque eorum prædicatione fieret ex cunctis gentibus unum ovile, ſicut & unus eſt jam paſtor. Secundum, ut de cunctis religioſis militibus, qui diverſorum Ordinum ſunt, fieret unus Ordo, qui trans mare aſſiduis bellis Sarracenos laceſſeret: donec ſancta Terra Chriſtiano pareret Imperio. Tertium, ut auctoritate ſanctiſſimi Patris Romani Pontificis, cunctorumque Cardinalium, inhiberentur ſcripta Averrois legi in ſcholis Chriſtianorum, eo quod in pluribus fidelium mentes a ſinceritate & veritate fidei nutare cogunt, & ad impietatem perducunt. Harum autem trium ſupplicationum cauſa libellum edidit de natali pueri: quem Magnifico Regi Franciæ Philippo dedicavit, in cujus calce caſdem ſupplicationes inſeruit, & eidem Regi cum ſuo libro porrexit. Librum hunc, ſimul cum alio de laudibus beatæ Mariæ ejuſdem auctoris Jacobus Faber Stapulenſis de re Chriſtiana & Theologica bene meritus, publici fecit juris.*

An. 1287. n. 2. & ſeq.

In libro diſputationis cum Homero Sarraceno in fine. In lib. de Natali. puer. cap. 28. In lib. cui titulus Cleric. in fine. In lib. Phantaſt. c. 1. & 6.

III. Sub hoc anno e Tuniſio, ut diximus, per opprobria, & verbera pulſus hærebat Raymundus Neapoli, atque hæc perſuadebat Carolo Regi, donec electus eſt Cœleſtinus V. & poſt eum Bonifacius VIII. quibus hæc eadem inculcare non deſtitit, necnon eorum ſucceſſoribus, Benedicto XI. & Clementi VI. in Concilio Viennenſi, ad quod dum per-

Papyr. Maſſon. de Epiſcop. Urb. in Bonif. VIII.

Digitized by Google

pergeret, librum diſputationis cum obvio Clerico anno MCCCXI. ſcripſit, in cujus limine tria hæc tamquam neceſſaria fidei propagandæ, & Sarracenis e Chriſtianorum ſedibus deturbandis præmittit; deinde ſubdit, brevem vitæ ſuæ rationem Clerico redditurus: *Homo fui in matrimonio copulatus, prolem habui, competenter dives, laſcivus & mundanus: omnia ut Dei honorem, & bonum publicum poſſem procurare, & ſanctam fidem exaltare, libenter dimiſi, Arabicam didici, plaries ad prædicandum Sarracenis exivi, propter fidem captus fui, incarceratus, verberatus; quadraginta quinque annis ut Eccleſiæ Rectores ad bonum publicum, & Chriſtianos Principes movere poſſem, laboravi: Nunc ſenex ſum, nunc pauper ſum, in eodem propoſito ſum, in eodem uſque ad mortem manſurus, ſi Dominus ipſe dabit.*

Marian. l. 3. c. 2. Chron. antiq.

Vilis habitus virtus.

IV. Quædam pietatis exempla, quæ ſub hoc tempore evenerunt hic addere licebit. In Provincia Caſtellæ fuit quidam religioſus ex Minoritis, placidæ & laudabilis converſationis inter Fratres, qui licet nobilis genere, & priuſquam Minoribus nomen ſuum dederit, fuerit Canonicus Palentinus, vili & pauperrimo ſub habitu ſemper delectabatur incedere. Pie mortuus ſuo Confeſſori, poſt aliquot dies tranſactos in purgasorio, apparuit in pretioſiſſima veſte cœlum conſcenſurus, dicens non parum ſibi profuiſſe pauperem ac lacerum habitum, quem in Ordine gerebat, ad depellendas flammas purgatorii, & pretioſam illam veſtem obtinendam.

Indidem: Marc. 2. p. lib. 4. c. 18.

Singularitas in religioſis periculoſa.

V. In Hiſpaniæ regione quidam ex tironibus ſingularem ſibi vitam præſcripſit, nec in pietatis aut humilitatis officiis cum ceteris volebat convenire. Reprehenſus a magiſtro, proprium ſequutus arbitrium nolebat acquieſcere, indiſcretis ſemper abſtinentiis in ſecretis latibulis intentus. Oranti ut liberaretur a magiſtri moleſtiis, liceretque quidquid pro macerando corpore liberet, apparuit dæmon in ſpecioſiſſima forma Dei Genitricis. Protinus adoranti, & interroganti quid eum facere vellet? reſpondit falſa Virginis imago: *Perſevera, fili, in tuis pœnitentiis & abſtinentiis, neque credas Magiſtro contraria ſuadenti: ego tui curam & magiſterium geram; quando expedierit ut carnem vel aliud obſonium omittas, faciam ut e regione loci, in quo ſedes, appareat tibi manus, quæ illud indicet; quare quod illa prohibuerit ne tangas, quantumvis Magiſter præceperit ut manduces.* Hinc ſingularior & obſtinatior factus adoleſcens, commovit in ſe ædis Præfectum, qui Magiſtri monitis reluctantem gravius corripuit. Temere nimis ille reſpondit, potiori ſe obedire Magiſtro, neque contra hujus præceptum quidquam ſe facturum, quantumvis alii aliter juberent. Apparens denuo ficta Deipara laudavit miſelli conſtantiam, atque ut perſeveraret, admonuit. Tertio, ſe conſpiciendam præbuit in majori ſplendore, tempuſque adeſſe, dixit quo ei fruendus eſſet filius ſuus Chriſtus; *nihilque aliud eſt*, inquit, *impedimenti, quam ut eodem, quo ille, mortis genere vitam conſummes: Quare, ut quantocyus ad filii conſortium accedas, acceptetque libentius hunc tuum præclarum ex mundo receſſum, non alii, quam tumetipſe, adhibendi ſunt crucifixores: Dum Fratres alto ſterterint ſomno, tu ſanctum hoc offer ſacrificium in loca omnium humillimo, in culina, ibique tranſverſis lignis, infixiſque clavis ita age, ut vere cruci te figas.* Credidit miſellus dicenti, modumque quo faceret edoctus, hora præfixa ſe crucifixit. Fuit qui ictus & tumultum perciperet, & oſtium ab illo fortiter clauſum extra cardines faceret, qui dum vidit ita ex cruce pendentem, pulſata campana, expergefactiſque

Fra-

Fratribus e ligno depoſuit. Lethaliter illę vulneratus, & ſemimortuus nulli pœnitentiam, aut delictorum confeſſionem ſuadenti obſequi voluit, pertinaciſſime aſſerens non alium, quam beatam Virginem ſibi apparuiſſe, etſi Fratres dicebant Satanam ſe transfiguraſſe in imaginem lucis. Mirabile ſane! dum remedium omne depellit, & ſalutaria quæque monita contemnit, quod ſuum erat, rapuerunt dæmones in ictu oculi, neque amplius quidquam de eo ſciri potuit in illa regione.

Mirabiliter providit Deus Minoritis.

VI. In Provincia ſancti Jacobi, Cuſtodia vero Eborenſi, & conventu Extremi, vulgo Luſitanico *Eſtremoz*, dum Fratres nihil haberent quod in craſtino manducarent, Guardianus vir pius hortatus eſt, ut bono eſſent animo, & ſolemnius illa nocte canerent matutinum, Deumque ut præſenti ſuccurreret neceſſitati, inſtantius orarent. Fecerunt ita, Deuſque illorum preces exaudivit, excitato a ſomno quodam Petro Boni, illius villæ incola locuplete, ſed avaro, & erga pauperes, præſertim Minores, valde crudeli. Vidit hic ſuper tectum Templi viginti novem candelas accenſas optimo ordine diſpoſitas, & aliquando duas, aliquando unam, deinde alias ultra ceteras aſcendere; ita quod egregie ordinata videretur viciſſitudo candelarum aſcendentium. Admiratus valde uxorem expergefecit, quæ pie interpretata viſionem, ſuaſit ut die ſequenti aliquid Fratribus erogaret. Acceſſit ille poſtridie ad loci Præfectum, interrogavitque quot haberet domi Fratres? qui reſpondit viginti novem eſſe incolas Monaſterii; quos cum intellexiſſet candelarum numero adæquari, non immerito judicavit, per eaſdem deſignatos in choro pſallentes; & per aſcendentes indicari, qui mentis elevatione, aut majori attentione divinum pſallebant officium. Miſit itaque protinus quod illo die manducarent, & deinceps fuit illorum benefactor ſingularis.

Tom. 3. an. 1254. n. 33.

Euphemia filia Imperatoris Clariſſa.

Antonin. tit. 24. c. 9. §. 7.

VII. Præter Regias Virgines Clariſſas, quas ſupra diximus, Iſabellam Gallorum, & Joannam Navarræ Regum filias, florebat etiam hoc tempore ſub eodem inſtituto Euphemia Rodulphi Imperatoris filia in Tulnæ Monaſterio Sanctimonialis facta, quam ſancto Franciſco & beatæ Claræ ex devotione obtuliſſe antequam crearetur Imperator, ſcribit Antoninus, & ſub hoc arcto vivendi genere perpetuo dedicaſſe.

Conv. Caſtri novi Darii.

Gonzag. in Prov. Aquit. recent. Con. 5.

Con. Politii.

An. 1260. n. 42. Tom. 4.

Rodul. in Prov. Siciliæ & Cuſt. Agrigentina.

VIII. Aliquot ædificata hoc anno Monaſteria, unum pro Minoribus in Caſtro novi Darii in Aquitania per nobilem virum Arnaldum Martinum de Bordis; Alterum etiam hoc anno vel circa hoc tempus conſtructum in Politii urbe in Sicilia, corpore beati Gandulphi, uti diximus illuſtri. Campana inſcriptum habet ſuæ fuſionis annum MCCC. neſcio an prius ædes Fratrum conſtructa, quantumvis vetus monumentum MS. provinciæ Siculæ ita indicet. Auctores ſcribit Rodulphus, ipſos cives, & Reginam Blancham: quod ſi illam Martini Regis conjugem, & Navarræi Regis filiam, quæ nonniſi poſt annum MCCCCII. prædicto Regi nupſit, hic auctor intelligat, nonniſi ante plurimos annos extructum reſarcire, vel reædificare potuit Monaſterium.

Mon. Verduni.

Gonzag. in Prov. Franc. Mon 4.

Idem in Prov. Bætica Mon. 1.

IX. Ante hunc annum, ut patet ex libro quodam ipſius Monaſterii, fundata fuit ædes Clariſſarum Verduni in Gallia per nobilem quamdam heroidem, *Agatha* nuncupatam, quæ etiam ibidem religioſum habitum ſuſcepit. Poſt aliquot annos domum refecit Soror altera, *Sarra* dicta. Eccleſiam conſecravit Reverendiſſimus Franciſcus Chalcedonenſis Epiſcopus Minorita anno MCCCCLXXIX. in honorem beatæ Claræ Virginis, & ſanctæ Barbaræ Virginis & Martyris. Hoc anno Sancius Caſtellæ Rex Hiſpalenſes ædes ſui Avunculi Friderici Principis, Ferdinandi III. filii,

quas

quas ex teſtamento reliquit adaptandas in Monaſterium Clariſſarum, convertendas duxit in pium hunc uſum. Ferdinandus deinde IV. Sancii filius Monaſterium valde egenum annuis redditibus locupletavit. Subfuit regimini Patrum Conventualium uſque ad annum MCCCCXCV. deinde translatum ad Obſervantes. Jacent ibidem Alvarus Pelagius vir doctus Minorita, & Leonora Guſmana nobilitate & ſanctitate præclara, de quibus alias agendum opportunius. Aliud circa hoc tempus inſtitutum in Germania ſuperiori Monaſterium, juxta oppidum Imperiale Hailbrun, in quadam villa dicta Flein, in ſolo & dominio nobilium de Talheim, qui pauperculis Sororibus plura bona temporalia intuitu divini amoris contulerunt, prout in litteris deſuper confectis ſub hoc ipſo anno reperitur. Creditur autem, Sorores primas ex Seſſlingenſi & Phullingenſi Monaſteriis, de quibus alias diximus, diſciplinam & inſtitutum ſanctæ Claræ ibidem plantaſſe. Procedente autem tempore ob bellorum incommoda, & loci penuriam ad oppidum Hailbrun ſunt translatæ cum omni ſupellectile & attinentiis ſuis, ubi Monaſterium quoddam humile & exiguum in angulo civitatis ædificantes, in penuria Domino famulabantur. Quibus tamdem inibi morantibus, iterum domicelli Nobiles de Talhaim donaria in certis poſſeſſionibus dederunt; prout litteræ ſub anno Domini MCCCXXXI. deſuper confectæ teſtantur. In quo loco adhuc manent Domino famulantes.

Mon. Hiſpalenſe

An. 1115.
An. 1579.

Mon. Hailbrunen.

Tom. 4. an. 1258. num. 16. & 1250. n. 12.
Idem in Prov. Argentina mon. 7.
Chron. MS. Provi Argent.

ARGUMENTUM.

Petrus de Murrhone Eremita fit Pontifex Maximus dictus Cœleſtinus V. ſed ut invitus dignitatem admiſit, ita perquam libenter depoſuit paucis menſibus tranſactis. Creatur deinde Bonifacius VIII. antea Benedictus Caetanus nuncupatus. Separant ſe quidam ab Ordine ſub Eremitarum nomine, ægre id ferente univerſo Sodalitio. Hayto Rex Armeniæ fit Franciſcanus, & multiplicantur Cœnobia.

I. Jam tamdem hoc anno poſt diuturnam & pernicioſam Cardinalium diſſenſionem, qua annis duobus, menſibus tribus, & diebus duobus ſanctam Eccleſiam mœrore afflictam, & paſtore orbatam fecerunt, convenerunt in creando Pontificem non aliquem ex ſuo Collegio, in quo nullus erat, qui ſummam non ambiret dignitatem; ſed Eremitam, ſeu Monachum pium & ſanctum, Petrum de Murrhone, ita cognominatum a monte, quem ex ſolitudinis & pacatioris vitæ deſiderio inhabitabat P. M. II. a Sulmonis civitate, patria Iſernienſem, patre Angelerio, matre Maria honeſtis & probis oriundum. Neque diu deliberandum eis fuit circa hominis probitatem, aut vitæ merita; quinimo ſtatim ubi ex inſperato aut fortuito de eo verba fecerat frater Latinus Cardinalis Oſtienſis, Collegii Decanus, qui hominem ex familiari commercio probe noverat, reliqui Electores, quaſi divinitus inſpirati, non ſine lacrymis unanimiter, nemine diſcrepante, in eumdem conſenſerunt die V. menſis Julii; ſtatimque electionis decretum ad ſanctum Virum humillime de ſe cogitantem, inſtitutis tanti Nuncii latoribus, deſtinarunt. Rem gratiſſimam Lectori me præſtiturum puto, ſi ipſius electionis tabulas, & epiſtolam ad ſanctum Virum a Cardinalibus miſſas ex archivo Monaſterii ſancti Spiritus de Mugella, ab ipſo ibidem conſtructi, acceptas hic producam. Ita porro ſe habent.

Creatur Cœleſtinus V.

IN

Decretum electionis.

In Nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

Nos miſeratione divina frater Latinus Oſtienſis, Gerardus Sabinenſis, Joannes Tuſculanenſis, & frater Matthæus Portuenſis Epiſcopi: Hugo tituli ſanctæ Sabinæ, Petrus tituli ſancti Marci, & Benedictus tituli ſancti Martini Præsbyteri: Matthæus ſanctæ Mariæ in Porticu, Jacobus ſanctæ Mariæ in via lata, Neapoleo ſancti Adriani, & Petrus ſancti Euſtachii Diaconi Cardinales,

Notum facimus, quod anno Domini MCCXCIV. *menſe Julii, die Lunæ,* v. *menſis ejuſdem, Apoſtolica Sede per obitum felicis recordationis Nicolai Papæ IV. vacante: poſt diverſos tractatus diverſis temporibus habitos per nos ſuper electione ſummi Pontificis, quibus non acceſſit effectus, in communi Conſiſtorio ſolito more convenimus, abſente venerabili fratre noſtro Petro tituli ſancti Marci Presbytero ſupradicto, qui erat in hoſpitio ſuo infirmitate ſeu debilitate detentus: demum inter nos ex inſperato ſeu improviſo de venerabili ac religioſo Patre fratre Petro de Murrhone Ordinis ſancti Benedicti, celebris ſanctitatis viro, habita mentione, omnes qui tunc præſentes eramus in Conſiſtorio ſupradicto, ad perſonam ejus intentæ conſiderationis intuitum dirigentes, in ipſum quaſi divinitus inſpirati, non ſine lacrymarum effuſione, nullo prorſus diſcordante, conſenſimus; & venerabiles Fratres noſtros, Dominos Joannem Epiſcopum Tuſculanenſem, Hugonem, & Jacobum prælibatos, ad præfatum Petrum Præsbyterum Cardinalem tranſmiſimus, ad perſcrutandum ſuper hujuſmodi negotio votum ſuum; qui ejuſdem fratris Petri audito nomine, devote conſenſit ſimiliter in eumdem, prout iidem Cardinales ad eum tranſmiſſi, ſicut præmittitur, in noſtra præſentia retulerunt. Noſque volentes efficacius procedere in hac parte, venerabili fratri Epiſcopo Oſtienſi prædicto eligendi ſuo, & omnium noſtrum nomine memoratum fratrem Petrum de Murrhone in Eccleſiæ Romanæ Pontificem & Paſtorem, plenam & liberam viva voce conceſſimus poteſtatem. Qui poteſtate ipſa recepta, nobis præſentibus, ut præmittitur, eam illico efficaciter adimplevit, eumdem ſuo & noſtro nomine ex poteſtate ſibi tradita, in Romanum Pontificem eligendo, ac nos electionem de dicto fratre Petro factam per eumdem Epiſcopum Oſtienſem ratam habentes, eumdem fratrem Petrum de Murrhone, licet abſentem, devote recipimus in noſtrum, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum & Paſtorem. In cujus rei teſtimonium, & evidentiam pleniorem, præſentem ſcripturam fieri fecimus, noſtriſque muniri ſigillis, & ſubſcriptionibus roborari. Actum Peruſii anno, menſe, & die prædictis.*

Sanctiſſimo Patri, & Domino Reverendo fratri Petro de Murrhone, Ordinis ſancti Benedicti, Divina providentia in Romana Eccleſia ſummo electo Pontifici.

Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſacroſanctæ Eccleſiæ Cardinales pedum oſcula beatorum.

Epiſtola tranſmiſſa ad Electum.

II. *Si diffuſam facti memoriam ſolliciti calami proſequeremur officio, & præſentis negotii qualitatem condigna ſerie ponderaremus, prolixi uti-*

utique telam dictaminis nos ordiri contingeret, amplique tenoris formare paginam, veſtræ Sanctitatis clementiæ dirigendam: ſed ne prolixitate verborum, aut multiplicatis eloquiis veſtram prægravemus auditum, proceſſum per nos in eodem negotio habitum, vobis ſub compendio reſeramus. Vacante ſiquidem Apoſtolica Sede per obitum felicis recordationis Domini Nicolai Papæ IV.; Nos per diverſos tractatus, diverſis temporibus per noſtræ ſollicitudinis ſtudium ſuper electione ſummi Pontificis habitos, quibus optatus non acceſſit effectus, in communi Conſiſtorio ſolito more conveuimus, & tandem inter nos ex inſperato ſeu improviſo, de vobis habita mentione, omnes ad perſonam veſtram, meritorum virtute conſpicuam, intentæ conſiderationis aciem dirigentes, in vos operante illo, qui fidelium mentes unius efficit voluntatis, non ſine lacrymarum effuſione conſenſimus, prout in decreto ſuper hoc facto plenius & ſerioſius continetur. Cum itaque decretum ipſum vobis per venerabilos fratres Archiepiſcopum Lugdunenſem, Urbevetenſem, & Portuenſem Epiſcopos, & dilectos filios Magiſtrum Franciſcum Neapoleonis de Urbe, ac Guillelmam de Mandagato, Apoſtolicæ Sedis Notarios, exhibitores præſentium fiducialiter deſtinemus: Sanctitati veſtræ inſtantiſſime ſupplicamus, & ex intimo cordis affectu depoſcimus, quatenus profunda & ſedula meditatione penſantes, quod hujuſmodi celebrata de vobis electio, illo, qui ubi vult ſpirat, inſpirante, proceſſit. Attendentes inſuper neceſſitatem multiplicem, non ſolum Romanæ Eccleſiæ, quæ longe vacationis diſpendia pertulit, ſed etiam totius gregis Dominici, jam diu Paſtoris commodo deſtituti; innumera quoque pericula, quibus univerſalis Eccleſia ſubjacere dignoſcitur, niſi in eis per Jeſu Chriſti Domini noſtri Vicarium obvietur, voſque divinis diſpoſitionibus, prout decet ſanctitatem veſtram, mente humili coaptantes electioni prædictæ tam laudabiliter, tantaque concordia celebratæ, pium velitis accomodare conſenſum. Lætificaturi ſubinde per veſtram deſideratam præſentiam filiorum veſtrorum, qui ſumus nos, animos ſitibundos, ut quod per nos pia intentione noſcitur inchoatum, per vos votivum & celebrem ſortiatur effectum. Datum Peruſii V. *Idus Julii anno Domini* MCCXCIV.

III. Lectis litteris, Vir ſanctus ad tantæ rei novitatem admiratione *Invitus acceptat* perculſus, acquieſcere nolebat electioni de ſe factæ: & proculdubio *Pontificatum.* oblatam dignitatem procul feciſſet, niſi urgerent preces Caroli Siciliæ Regis, & Cardinalis Latini, aliorumque qui hoc unico remedio diuturnis & maximis Chriſtiani orbis incommodis ſubveniri poſſe proteſtabantur, & magnis ſacramentis ſuperventurorum malorum rationem, niſi acceptaret a Deo decretum & miſſum Pontificatum, eum coram ſupremo Judice redditurum inſtanter inculcabant. Victus his precibus & piis comminationibus, venit Aquilam Aprutii urbem, humili vectus aſello, *Coronatur* duorum Regum Siciliæ, & Hungariæ, magnorumque Principum ſtipatus *Aquilæ.* comitatu, ubi convocatis ad ſe Cardinalibus, coronatus eſt ipſo decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ die, præſentibus ducentis hominum millibus, & ultra, qui undique confluxerant, ut hominem veluti de cœlo lapſum; & proinde merito ajebant Cœleſtinum in coronatione appellatum, aſpicerent, venerarentur, adorarent. Peracta ſunt quam ſolemniſſime uti oculatus ſcribit teſtis Ptolomæus Lucenſis, hæc coronationis inſignia per Matthæum Rubeum Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ in *Ptolom. in hiſtor.* Porticu S. R. E. Archidiaconum in Baſilica ſanctæ Mariæ de Collemadio, *l. 24. cap. 31. & in Annalib. ad* ubi adhuc quotannis hujus conſecrationis feſtum peragitur. Paulo poſt *hunc annum.* ad

ad preces Caroli Regis Neapolim deſcendit, ubi in arce nova cum eodem habitavit, & ad ejus preces in quatuor temporibus menſis Septembris duodecim elegit Cardinales doctrina & vitæ integritate præſtantes; in his plures Gallos, & Regis amicos, & ex ſuo Inſtituto Monachos binos.

Non ita idoneus videtur Pontificatui.

IV. Paulo poſt mortuus eſt frater Latinus, cujus conſilio & dexteritate plurimum Cœleſtini Pontificatus nitebatur. Cum vero is de priori vitæ innocentia nihil remitteret, quamquam Eremitica vita in tanta majeſtate paululum immutata eſſe videretur, in eadem tamen humilitate & ſimplicitate perſeverans, ſanctiſſimi hominis opera faciebat, & ita benignum, facilemque ſe omnibus exhibebat, ut Majeſtatis Pontificiæ contemptus, & Eccleſiaſtici regiminis imminutio hinc oriri multis videretur. Adde quod homini innocentiſſimæ vitæ, columbinæ ſimplicitatis, nimiaque ſenectute gravi facile imponebatur a vafris & verſutis Aulæ Miniſtris; præſertim in rebus, quarum ipſe ignarus erat, & ex quibus illi ſua peculiaria exſugebant emolumenta. Cardinalibus itaque ob eas res conquerentibus, & de Eccleſiæ fluctuatione dolentibus, cum Pontificatui inutilis eſſe diceretur, de abdicatione ejus primum ſecreta, deinde publica cœperunt haberi colloquia. Cum ipſo deinde actum eſt, rem prius proponente Cardinale Benedicto Caetano, viro ſagaciſſimo, & in rebus politicis ultra ſuos Collegas peritiſſimo: ille ut erat candidæ mentis minimeque honoris avidæ, quod ipſe etiam prius, ut quidam ſcribunt, deſideravit, & excogitavit, facile admiſit dicens, ſe nolle ut Eccleſia Dei ſua culpa periclitaretur, neque propterea ipſe animæ ſuæ detrimentum adferret. Profecto cœleſti Viro, nec mundus placuit, neque ipſe mundo, quia ex eo non erat; quare ad repetendum ſolitudinem facile animum inclinavit, & deinceps honeſtam abnegandi rationem cœpit excogitare. Caetanus conſilii ſanctiſſimi Viri particeps (quippe auctoritate & exiſtimatione primum apud Pontificem locum obtinebat) non ſolum vehementiſſime illud approbabat; verumetiam ut id quam citiſſime exequeretur,quaqua arte perſuadebat. Ut hæc ſubodorarunt Carolus Rex, & recenter ab eo facti Cardinales, præſertim ſui Inſtituti Alumni, conati ſunt omnibus modis eum a ſententia dimovere.

V. Neapolitani quoque Cives, beato Viro devotiſſimi, certatim accurrentes, lacrymoſis precibus ad ejus pedes prociderunt, obſecrantes ne tantam rem auderet. Quibus aliquantulum inflexus beatiſſimus Pontifex ſupplicationem publicam fieri præcepit, quatenus in ipſo voluntatem adimpleret Deus, & ſi ab eo conſilium eſſet, firmaretur; ſin minus, diſſolveretur. Neapolitanus etiam Archipræſul, univerſo Clero comitatus in morem ſupplicationum publicarum (quibus ſe interfuiſſe ſcribit Ptolomæus Lucenſis) ad eum venit, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per totius Eccleſiæ ſalutem & pacem flebiliter obteſtans, ne tam pernicioſum propoſitum, & rem adhuc inauditam, opere compleret, quin potius labenti Chriſtianæ Reipublicæ miſereretur. Tam urgentibus interpellationibus permotus Vir ſanctus, conceptum opus ad tempus diſtulit; non tamen propoſitum abſtulit: revolutis quippe ſeptem diebus, prænominatum Cardinalem Benedictum rurſus clanculum acceſſit, cum quo de abdicationis forma confert, & poſtridie ſe renunciaturum proponit.

Ptolom. cit.

Abdicat Pontificatum.

VI. Cum vero Benedictus hoc impenſius deſideraret, ob ſpem transferendæ in ſe ſupremæ dignitatis, juriſque prudentia & Eccleſiaſticarum formularum ſcribendarum peritia ex officio, quod ante Cardinalatum

exer-

exercebat, valde polleret, novam renunciationis formam ſine prioris exemplo conſcripſit, quam in libro ſexto decretalium, poſtea a ſe compaginato, ſolerter inſeruit. Octavo igitur die beatiſſimus Vir, convocato Cardinalium Collegio, in Apoſtolica ſublimi cathedra ſedens, indicto manu ſilentio, conſcriptam hanc, quam ſubjicimus renunciationis chartam alta voce & immutato vultu perlegit:

Extra de renunc. l.6.

Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, id eſt, cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & ut præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem, ſponte ac libere cedo Papatui, & expreſſe renuncio loco, & dignitati, oneri, & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc ſacro cœtui Cardinalium eligendi & providendi dumtaxat canonice univerſali Eccleſiæ de Paſtore. Statimque depoſitis Apoſtolicis inſignibus, deſcendens ab alto Petri ſolio humi ad illorum, quibus antea præeminebat, pedes conſedit; tantæ humilitatis & abjectionis voluntariæ exemplum oſtendit; ut non tantum de ſua creatione, quam de abdicatione omnes ſint admirati; & primus in tam laudabili actione non habuerit ſecundum.

VII. Varie ſcripſerunt de hac abdicatione Hiſtorici; ſunt qui digne extollant, atque hi melioris notæ; alii, qui reprehendant, ſed ii pauci, atque indigne quidem; quippe quem Clemens V. canonizavit, atque ex hac ipſa abdicatione valde commendat: ſed ita frequenter fit, ut nihil fit, quod varia hominum non patiatur judicia. Porro hæc acta ſunt in arce nova Neapolitana Idibus Decembris; manſitque ibidem in ſua humilitate uſque ad electionem Bonifacii VIII. a quo petita, nec tamen obtenta licentia, ſolitudinem Murrhonis, quam avide repetiit. Verum cum a Bonifacio revocaretur in Curiam, ex illa fugiens Eremo, & mutatis ſubinde latibulis, in Dalmatiam transfretare tentavit in ſecretiore Eremo vitam acturus. Comprehenſus ab urbis Præfecto miſſus eſt ad Bonifacium, qui perpetuo eum carcere recluſit in arce Fumonis, ne, dicebat, ſchiſma aliquod in Eccleſia excitaretur; dum apud multos dubium erat, an cedere legitime potuiſſet, tentarentque fortaſſis hi eumdem ad Sedem, cui renunciavit, importune & periculoſe revocare. Vixit in carcere annum unum, menſes quatuor, dies XXVIII. obiit anno Domini MCCXCVI. XIV. Kalend. Junii, ætatis ſuæ LXXXVII. Multis miraculis coruſcantem retulit in Sanctorum numerum Clemens V. anno MCCCXIII. ſub nomine beati Petri Confeſſoris.

Redit in ſolitudinem.

Carceri traditur a Bonifacio ſucceſſore.

VIII. Hoc ipſo anno electus IX. Kalend. Januarii Benedictus Caetanus de Anagnia presbyter Cardinalis ſanctorum Silveſtri & Martini tituli Equitii; Luitfredi Caetani, & Alexandri IV. neptis filius, vir doctus & ſagax, in rebus agendis peritus, ad honores & excelſiores gradus non ſegniter, & fortaſſis ultra quam deceret, aſpirans. Coronatus eſt anno ſequenti Romæ ad Baſilicam Vaticanam XVII. Kal. Februarii per Matthæum Rubeum Urſinum, a quo & coronatum diximus Cœleſtinum. Fidei profeſſionem, quam omnium Romanorum Pontificum primum feciſſe refert Ciaconus, emiſiſſe Romæ ſcribit ex codice quodam MS. Vaticano Abrahamus Bzovius, idque anno MCCXCIV. Indictione VIII. quod nequaquam conſtare poteſt, cum nonniſi anno MCCXCV. Romam pervenerit, neque Indictio VIII. inciderit in annum MCCXCV. Duo infauſta ſigna in ejus coronatione eveniſſe ſcribunt beatus Jacoponus & Marianus noſter: Primum, quod dum incederet ad coronationem Pontificalibus

Creatur Bonifacius VIII.

Hoc anno n.3. Ciacon. in Bonif. VIII.

Bzov. hoc an. n.12.

Infauſta ſigna in ejus coronatione.

Marian. lib. 3. cap.11. ex B. Jacop. in rithmis prioris editionis.

bus indutus, ſupervenerint denſiſſimæ tenebræ, ita ut videretur dies in noctem obſcuram converti, ortaque vehementi tempeſtate ventorum, lampades & cerei in Eccleſia accenſi, fuerint extincti. Secundum, quod dum egrederetur e Templo, orta ſeditione in populo, fuerint occiſi homines quadraginta, vel ultra.

IX. Hæc libuit de admirabili horum duorum Pontificum ſub hoc anno creatione ſerio recenſere, tum ob rei novitatem, tum in gratiam lectoris, cui ſolidiorem ex potioribus auctoribus & vetuſtis monumentis, reſciſſis multis apocryphis & inanibus fabulis, quæ in hujuſmodi rerum magnarum inſolitis eventibus commiſceri ſolent, narrationem miniſtramus. Modo regrediendum ad geſta conſodalium. Patres aliquot quibus arctioris vitæ & purioris obſervantiæ nimium irrepſit deſiderium, inito inter ſe conſilio, dum Pontificatum gereret Cœleſtinus, captata occaſione ex ejus pietate, & propenſione erga Eremicolas, & in locis auſteris viventes, ſtatuerunt apud eum res ſuas ſolerter promovere. Ex his præcipui fuerunt Conradus Offidanus, Jacobus Tudertinus, Petrus de Monticulo, Thomas de Trevio, & Conradus Spoletanus. Decreverunt ut ſuo, & ſibi adhærentium nomine ad Pontificem mitterentur frater Liberatus, & frater Petrus de Macerata, qui nuper de Armenia redierunt, & Cœleſtino ante Pontificatum erant noti & familiares; peterentque ut ſibi auctoritate Pontificia, cui nemo auderet contradicere, liceret vivere ſecundum puritatem Regulæ & ſancti Franciſci intentionem. Impigre abierunt hi, & a Pontifice adhuc Aquilæ degente, quod ſub pietatis & majoris obſervantiæ colore petierunt, facile impetrarunt; necnon ampliorem, ſed periculoſam adepti ſunt facultatem, ubicumque eis placeret, ad præſcriptum Regulæ, & intentum a ſe rigorem cohabitare: dedit etiam eis Pontifex præfectum fratrem Liberatum, maximum paupertatis zelatorem, quibus ut præcaverent a moleſtiis Superiorum Religionis, conſtituir, ipſis ita petentibus, ut in poſterum non Fratres Minoritæ, ſed pauperes Eremitæ Domini Cœleſtini nuncuparentur. Ultra hæc commendatitias miſit per eos litteras ad Dominum Neapoleonem Urſinum Cardinalem ſancti Adriani, virum liberalem, & benignum promotorem cauſarum piarum. Rectores Ordinis graviter tulerunt hujuſmodi ſeparationem ab Ordine; neque tamen quidquam auſi ſunt contra eos tentare, donec Pontificatum abdicavit Cœleſtinus; quo tempore prædicti Eremitæ, ut iram & moleſtias horum declinarent, abierunt in Græciam, & partes Achajæ, ubi in quadam Inſula habitare decreverunt. Remanſit ſolus in Italia divina motus inſpiratione, frater Conradus Offidanus, abiit tamen cum illis Angelus Clarenus, cui mirabiliter infuſum Græcum idioma in illis regionibus circa annum MCCC. diximus ſuperius. Quid tandem actum ſit de his Patribus Eremicolis, alias dicemus opportune.

Marian. lib. 3. cap. 11. Marc. 2. p. l. 5. c. 18.

Quidam ſub pietatis ſpecie ſe ſeparant ab obedientia Generalis.

Ægre id ferunt Prælati Ordinis.

X. Ante hoc tempus ſuſcepit habitum Minorum Hayto Rex Armeniæ, vocatuſque eſt frater Joannes, etſi Regni adminiſtrationem non dimiſerit: ex humilitate noluit umquam in Regem coronari, quod occaſionem præbuit indignationis Armenis, & fomitem miniſtravit fratri germano Sebat, aliis Senibat, Regnum hoc ipſo anno invadendi. Rem omnem refero ex vetuſto & fido auctore Marino Sanuto, ipſis ejus verbis tranſcriptis: *Chriſtiani quoque ultramontani, licet impiorum cladibus lacerati, in Armenia maxime, ſcandala concitant inter ſe: cum enim Hayto Rex Armeniæ Conſtantinopolim pergeret; quia filius Andronici, ejus ſoro-*

Hayto Rex Armeniæ habitum induit Minorum.

Marin. de ſecret. fidel. crucis l. 3. p. 3. c. 2.

Digitized by Google

ſororem deſponſaverat, ducens ſecum frutrem Thoros, Sebath alter frater Regni diadema ſibi impoſuit M.CC.XCIV. ex eo motus, quod Hayton numquam coronari voluit; ſed mogis Frutrum Minorum ſumpſiſſet habitum, & frater Joannes ex tunc communiter vocaretur. Cum igitur rediiſſet Hayton, ab Armeuis repellitur. Cognita cauſa, in Cyprum primo, deinde in Couſtautinopolim navigat, & inde pergit ad Tartaros, ut de fratre ponat querelam: ſed huuc ille prævenit, & ad grutiam captandam, Tartaram duxit uxorem; in reditu fratres Haytonem & Thoros capiens, & cunctis bouis expolians, in Armenia duxit: Thoros cum chorda arcus, ſtricto gutture ſuffocari fecit; & viſum Haytoni abſtulit, quem ille nutu Dei recuperavit; quod attendens Couſtans quartus frater, indoluit vehementer, & aggreſſus Regem Senibat perſonaliter cœpit, & carceri mancipavit, & Haytonem libertati reſtituit. Ille liber effectus, ambos Fratres ſub tuta cuſtodia miſit ad Couſtantinopolitauum Imperatorem, rogaus ne eos ſineret evogari. Sarraceni autem unno M.CCIC. Armeniam diſeurrerunt, caſtra & loca fortiſſima occupantes: frater vero Joannes ſe ſuoſque in montibus ſalvans, in arcto poſitus, Tartarorum implorat auxilium, eoſque contra Sarracenos inſtigat, oſtendens plurimam acquiſituros prædam; nec verendas eorum acies auro argentoque fulgentes, in quibus plus lucri, quam periculi invenirent.

XI. In eo quod de deſponſata ſorore cum Andronici filio hic inſerit auctor, concordat Nicephorus Gregoras, qui Michaeli Imperatori, Andronici ſenioris filio, & Michaelis Palæologi nepoti Mariam Armeniacam deſponſatam ait, cum qua Theſſalonicæ commorans diem clauſit extremum. Joannem vero hunc non ſolum veſtem Franciſcanam in publico Regni imperio geſtaſſe, verumetiam translato in alium Regno, vere Franciſcanum evaſiſſe, graves conſpirant auctores, quorum hic congero teſtimonia. Bartholomæus Piſanus Marino Sanuto ferme coævus (ille quippe opus ſuum ſub anno MCCCXXI. hic vero ſub MCCCXCIX. complevit) dum percurrit domos Regias, ex quibus evaſerunt aliqui Minoritæ, de Armena ita ſubjungit: *Octavo, ſi inſpiciamus ad domum Regum Armeniæ, quæ hactenus fuit inclyta & excellens, habes Regem Joannem, qui tempore Generalatus fratris Gonſolvi, Regnum tradens nepoti ſuo Leoni, factus eſt Fruter Minor, poſt enjus introitum Sarracenis regnum Armeniæ invadentibus, zelo fidei accenſus, aſſumptis armis (cum eſſet bellicoſiſſimus) fucta ſtruge hoſtium, & ſuis data victoria, ipſe in campo occiſus fuit.* Petrus Rodulphus: *Joannes Armenorum Rex, Deum ſolum animo ſpectans, & pietate concepta in beatum Franciſcum, cujus ſanctitatis fervens umator fuit, abjectiſque ſecularibus omnibus commodis & voluptatibus, divino quodam fulgore illuſtratus, Leoni nepoti reguum Armeniæ reliquit, & beati Franciſci aſſumpto habitu, in eo religioſe, atque ſumma humilitute, non ſine omnium admiratione vixit &c.* Deinde ſubjungit loquens de bello, quod habuit cum Sarracenis; ipſeque in caſtris miles pro fide Chriſti inclytus glorioſe occubuit. Marianus: *Joannes Rex Armeniæ hac tempeſtate dimiſſo Regno nepoti ſuo Leoni, ex magna devotione Ordinem Fratrum Minorum intravit. Sed quia contra Regnum infideles Sarraceni inſurgebant, & dictus Leo Rex eis reſiſtere non valebat, frater Joannes zelo fidei ſuccenſus, cum habitu arma ſumit, infideles quamplures fugat, & proſteruit, finaliter tamen ab infidelibus occiſus januas cœli glorioſus penetravit.* Eadem ferme verba habet ſanctus Antoninus, & Marcus Ulyſſiponenſis. Hieronymus Platus loquens de Regibus, qui Mi-

Nicephor. lib. 7. in fine, & lib. 8. in princ.

Piſan. conf. 8.

Rodul. fol. 212.

Marian. l. 4. c. 5.

Antonin. tit. 24. cap. 9. §. 13.

Marc. p. 2. lib. 7. c. 21.

Platus lib. 2. de bono ſtatu relig. c. 26.

Minoribus ſuum nomen dederunt, de hoc Joanne ſubdit: *Ex hoc numero Joannes etiam Armeniæ Rex fuit, qui Leoni nepoti regnum relinquens, quod ita amplum fuiſſe ſcribunt, ut quatuor & viginti Reges ſub poteſtate haberet, qui omnes diademate uterentur: hic igitur tantum Regnum deponens, elegit abjectus eſſe in domo Domini, & pro ejus amore ſervire, qui aliis imperaverat. Verum cum Turcæ in eam provinciam irrumperent, nec poſſet Leo reſiſtere, Joannes Dei cauſam agi videns, armis novo more ſuper religioſam tunicam injectis, perrexit ad bellum, in quo Chriſti hoſtes ex finibus ſuis cum magna ſtrage ejecit ille quidem, ſed dum victoriam ſequitur, ita Domino viſum eſt, ut in pugna quadam occiſus ad cœli præmia evolaret.* Gilbertos Genebrardus: *Joannes Rex Armeniæ dimiſſo Regno Leoni ſuo nepoti, fit monachus Ordinis Minoritarum.* Similia habet Volaterranus infra citandus.

Genebr. ad ann. 1305.

XII. Alii graves & minime contemnendi auctores, Marinus prædictus, Hayto monachus, ipſius Haytonis ſeu Joannis Regis conſanguineus, vel nepos, prædictam Regni translationem, & monachatum confirmant, quibus adde Joachimum Camerarium licet exteræ fidei hominem, Armenorum hiſtoriæ ſcriptorem: nullus tamen horum inſtituti genus, aut religionem declarat. Ita Marianus: *Poſt hæc Rex Armeniæ Hayto Livono filio, prudenti viro Regnum contulit, factuſque eſt monachus, & vocatur Macharius, mutato nomine ſecundum morem Armenorum, poſtquam regnavit annis quadraginta.* Similiter Hayto monachus: *Poſt hæc vero Rex Haythonus bonæ memoriæ, qui quadraginta quinque annis Regnum tenuerat, & multa bona fecerat Chriſtianis, Regnum & dominium ſuum contulit, & conceſſit filio ſuo Domino Tivono* (lege Livono) *de Ægypti carceribus liberato, & ipſe renuntians pompis hujus ſeculi, eſt religionem ingreſſus, & vocatus fuit Macharius, mutato proprio nomine ſecundum conſuetudinem Armenorum, qui quando ingrediuntur religionem mutant ſibi nomen.* Camerarius: *Regale diadema filii ſui Tivonis capiti impoſuit, eumque in Regem conſtitutum palam proclamare juſſit, ipſe vero in monaſterium ingreſſus, habitum ſuſcipiens, Macharius eſt appellatus.* Licet nullus ſit ex relatis auctoribus, qui inſtitutum, quod ſuſcepit, declaret, attamen Aubertus Myræus eum adjudicat Præmonſtratenſibus in vita ejuſdem Haytonis, quam ad finem Chronicorum Præmonſtratenſium a ſe compactorum, ſubnectit, vocans in teſtem Genebrardum, qui errori viam ſtravit in ſua Chronologia ſub Joanne XXI. Etenim hic confundit Haytonem Regem cum Haytone regio ſtemmate orto, & Haytonem patruum, cum Haytone nepote; Monachus enim Præmonſtratenſis Hayto, noſtri hujus Haytonis conſanguineus erat, uti monetur in præfatione hiſtoriæ ab eo conſcriptæ, atque ipſemet clare ſcribit in hunc modum: *Ego vero frater Haytonus interfui omnibus prælibatis* (*bellis*) *qui dudum propoſueram habitum ſumere regularem, ſed propter inconvenientia diſcrimina, & ardua negotia regni Armeniæ, cum honore meo non poteram in tantis neceſſitatibus derelinquere conſanguineos & amicos. Unde poſtquam Deus ſua pietate mihi conceſſit gratiam dimittendi regnum Armeniæ, & populum Chriſtianum, poſt multos labores meos in ſtatu pacifico & quieto, confeſtim votum, quod diu voveram, volui adimplere. Accepta itaque licentia a Domino meo Rege, & ab aliis conſanguineis & amicis in campo illo, ubi Deus de inimicis triumphum conceſſerat Chriſtianis, arripui iter meum, & perveniens in Cyprum, in monaſterio Epiſcopiæ Præmonſtratenſis Ordinis ſuſcepi habitum regularem, ut qui in juventute mea militaveram mun-*

Marian. lib. 3. par. 13. c. 8.

Hayto in hiſtor. Tartaror. c. 33.

Camerar. in hiſt. Armenor. ad an. 1249.

Hayto monachus Præmonſtraten. nepos Haytonis Regis.

Hayto cit. c. 46.

mundo, in ſervitiis Dei reſiduum vitæ meæ pompis hujus ſeculi relictis, conſumerem. Anno Domini M. CCC. V. Quam narrationem totam tranſcripſit Aubertus Myræus in Chronicis Præmonſtraten. ad annum MCCCVII. ubi Haytonem hunc vocat Haytonis Regis nepotem. Ab hoc itaque Haytone proceſſit error ad patruum, & quod ſcriptum de illo Genebrardus invenit, attribuit alteri Haytoni Regi.

XIII. Denſæ adhuc ſunt tenebræ circa perſonam, cui Regnum tradiderit, & circa tempus, quo ad clauſtra ſe recepit. Communiter noſtri auctores, necnon ſanctus Antoninus, Genebrardus, & Platus in Leonem nepotem dominium tranſtuliſſe ſcribunt: at Livono ſeu Tivono illud tradidiſſe referunt idem Genebrardus, Camerarius citatus, & Haytho monachus cap. 23. prædictæ hiſtoriæ. Hic tamen, a quo ceteri exſcripſerunt vel hiſtoriam deſumpſerunt, alio loco loquens de Livono, non Haytonis, ſed quondam Domini Theodori filium fuiſſe commemorat. Neſcio an hominis, qui cuncta præſens tamquam familiaris & conſanguineus perſpexerat, ita conciliari poſſit diſcors narratio, ut Theodori filius naturalis, Haytonis vero adoptivus dicatur Livonus, atque ita ſecundum priores auctores tranſtulerit Regnum in nepotem Livonum, ſeu aliis fortaſſis corrupte Leonem, qui & ex adoptione ſecundum ceteros auctores filius appelletur. In quem tranſtulerit regnum?

XIV. Circa tempus quo regnavit, vel Regnum depoſuit, non eſt concors omnium ſententia. Hayto quadraginta quinque annis ait regnaſſe; poſt modicum vero temporis a religionis ingreſſu obiiſſe anno ſupra milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimo, cui ſubſcribit Genebrardus. Camerarius eoſdem annos Regno præſcribit, ſed obiiſſe dicit anno MCCLXXV. noſtri vero auctores poſt annum MCCCX. ſub Gondiſalvo Miniſtro Generali. Et hoc ſecundum mihi veroſimilius eſſe ſuadet, quod de expulſione ejus a Regno per patrem ſuum Senibat exſcripſimus ex Marino Sanuto; namque ex monumento Vaticano graviſſimo mihi conſtat anno MCCXCVIII. Senibat regnaſſe, ſed ad magnas redactum anguſtias, idque probabiliter ex Tartarorum armis, & fratris Haytonis ſuum Regnum juſte repoſcentis potentia. Deinde quod ſcribit Hayto Livonum anno MCCCV. Regni habenas moderatum eſſe, plane conſonat facto, & totius rei ſeriei, quam Torſellinus recenſet, ut nimirum deturbato ex ſolio, non ſuo, Senibat, Hayto rerum humanarum pertæſus, ceſſerit Leoni vel Livono, atque ſub illo tempore regulare amplexus ſit inſtitutum, ſub prædicto primicerio Gondiſalvo. Et quo tempore.

XV. Quod *Hayto* nuncupetur ab aliis, a noſtris vero *Joannes*, concordant hæc cum relatione Marini Sanuti, qua expreſſe narrat primum nomen *Haytonis* commutaſſe nomine *Joannis*, & ſemper ita voluiſſe nuncupari: deinde relicto hoc ſecundo nomine, potuit tertium in profeſſione vel aſſumptione novi ſtatus ſuſcipere, atque Macharius, ut narrant ſupra citati auctores, appellari. Sed & aliud eſt, quod ſcrupulum alterum movet, nimirum quod Hayto monachus aſſerat Haytonem Regem paulo poſt religionis ingreſſum in pace quieviſſe; noſtri vero affirment unanimi aſſenſu in bello cecidiſſe. Plura conveniunt, ut hunc monachum, illum Franciſcanum Joannem aſſeramus; alia diſſuadent, moventque ut alterum ab hoc Haytone judicemus, neque vero in tanta opinionum varietate audemus quidquam certi ſtatuere. De ejus nomine.

XVI. Sive Franciſcanus fuerit, ſive alterius Inſtituti, potentem & magnificum Regem fuiſſe omnes ſcribunt. Viginti quatuor Reges dia- Quanta ejus potentia.

de-

Plat. cit. Rodul. cit. Ferrar. in catalog. SS. Ital. ad 27. Maii. Marin. cit. c.7.

demate coronatos ſub ſe habuiſſe referunt Hieronymus Platus, & Petrus Rodulphus, qui & ejus filium fuiſſe ait ſanctum Liberium Anconæ urbis patronum, etſi antiquiorem valde conſtituat Filippus Ferrarius. Potuiſſe conſcribere duodecim millia equitum, & ſexaginta millia peditum teſtatur Marinus. Multa bella confeciſſe contra Tartaros, Perſas, Malec Sultanum, ſive Calypham Babylonium, & Melec-Daer Sultanum Ægypti, & per annos XLV. eos quinque memorabilibus præliis ſuperaſſe, primo in Pamphilia, ſecundo in Seleucia, tribus reliquis in Perſide refert ex Armenorum hiſtoriis Genebrardus. Mangonem magnum Tartarorum Cham, ſeu Imperatorem per ſe convertiſſe ad fidem ſcribunt Torſellinus & Hayto monachus: quod tamen miraculoſe per filiam ſuam Chamo nuptam præſtitiſſe tradunt ex Guillelmo Nangejo, Genebrardus, & Thomas Bzovius. Siſii apud Minores conditum habent Chronica antiqua Minorum, & Marianus, ſed inde tranſlatum in Aquitaniam, ibique miraculis florere famam eſſe ſcribit Volaterranus.

Genebrar. ſub Joan. XXI. Marin. cit. c.6. Nangei in hiſt. Orientis. Genebr. cit. Bzovius l. 1. de ſignis c.6. Chronic. MSS. Marian. cit. Volater. in Anthropol.

Conv. S.Crucis. *Villan. l. 8. c.7. Rodul. fol. 260. Antonin. tit. 20. c. 7. §. 4.*

XVII. Hoc anno ædificatum eſt ſumptuoſum Templum Minorum ſanctæ Cruci dedicatum in civitate Florentiæ, præſentibus, inquit Joannes Villanus, ad conſecrationem lapidis angularis multis Epiſcopis, Prælatis, Clericis ſecularibus, & Religioſis; & ex laicis Poteſtate, Capitaneo, & Prioribus urbis cum univerſa ferunt civium multitudine; fuitque jactus primus lapis cum magna ſolemnitate, & jubilo in die Inventionis ſanctæ Crucis, rei totius promotore fratre Juvenale de Florentia. In hac Eccleſia jacet Magiſter Franciſcus Samſon Miniſter Generalis Ordinis, eamdemque quam plurimum exornavit Coſmus Medices Magnus Etruriæ Dux, qui ſingulari affectu proſequebatur Fratres in eadem commorantes.

Conv. Segusdienſis. *Gonzag. in Prov. Hungar. Con. 6. & 7.* Conv. Sagunti.

XVIII. In Hungaria Cœnobia duo ædificata ſub Andrea III. Veneto nuncupato; Seguſdienſe ex diverſis fidelium eleemoſynis; Etorbonachenſe beneficentia prædicti Regis. Sagunti, celebris olim Valentini regni urbis, Conventus hoc anno extrui cœpit in ſuburbiis, obtentis a Raymundo Generali, qui tunc celebrabat Comitia provincialia Barcinone, quatuor Minoritis, ut fabricæ proſpicerent. Ex publica & privatorum hominum facultate brevi extructus Conventus, converſo Xenodochio ſuburbano in uſum Fratrum, adjuncto etiam horto capaciſſimo, ea tamen lege ut pro defunctis Aragoniæ Regibus Fratres ſolerter orarent; necnon pro diuturniori vita, & felici ſucceſſu Jacobi II. qui tunc regnabat. Tranſiit hic locus anno MDIII. a Patribus Conventualibus ad Obſervantes. Cum inter Petrum, cognomento Crudelem, Caſtellæ, & Petrum alterum Aragoniæ Reges, bellum vigeret, dirutus eſt Conventus, ſed rebus jam pacatis, ab eiſdem Saguntinis fuit iterum conſtructus. Similiter accidit Conventui Setabis, vulgo *Xativa*, oppidi ejuſdem Regni in ſuburbio, hoc anno vel circiter conſtructo, ſed extincto inter prædictos Reges bello, oppidanorum facultatibus reædificatus eſt intra oppidi mœnia; eodemque anno, quo præcedens Conventus tranſlatus eſt ad Obſervantes.

Conv. Etorbonachen. *Idem in Prov. Valent. Con. 1.*

Conv. Setabien. *Ibid. Conv. 4.*

Monaſt. Ulyſſiponen. *Idem in Prov. Portugal. Monaſt. 1.*

XIX. Hoc item anno nobilis quædam fœmina Agnes patria Aſturica, relicta cujuſdam illuſtris viri Vivaldi, ædem Clariſſis conſtruere cœpit intra mœnia urbis Ulyſſiponen. eo in loco, quo modo ſacellum majus Patrum Trinitariorum ſubſiſtit. Cumque opus aliquantulum promoviſſet, quadam nocte in ſomnis vidit ſcalam, terram cœlo jungentem, eo in loco, quo malefactores plecti ſolebant, & per ſcalam angelos aſcendentes,

dentes. Sciſcitanti quid hoc ſibi vellet? ita reſponſum: *Divinæ voluntatis eſt, ut Monaſterium Sororibus ædificandum hoc in loco, priori relicto, a te conſtruatur, ex quo plures in cælum animæ evolabunt: illud autem tibi ſignum apparebit, quod hoc ipſo in loco invenies crucem ex duobus lapidibus mire compactam*. Surgens illa ſummo mane, invenit uti in ſomnis conſpexit, ſtatimque fabricam in præoſtenſo ſibi loco inchoari curavit; nec prius ab opere deſtitit, donec ampliſſimum & auguſtiſſimum Monaſterium ab ædificio, a ſitu, a celebris Tagi fluminis conſpectu, a copioſiſſimo numero Sororum egregium, uti ſemper judicavi, dum illuc aliquoties acceſſi, ad ſummum uſque perduxit. Pleræque ibi floruere pientiſſimæ Virgines, ſed duarum recentior eſt memoria; Agnetis a ſancto Dominico virtutibus quibuſque in vita, & poſt mortem miraculis inſignis. Ad contactum baculi, cui decrepita innitebatur, Andreas Inſulanus Miniſter Generalis a podagra, qua acerbiſſime affligebatur, & Sereniſſima Portugalliæ Regina Catarina, a vehementiſsima chiragra, pluresſque alii a diverſis infirmitatibus liberati ſunt; & Leonoræ a Regibus, in qua obedientiæ virtus, cum profundiſsima humilitate conjuncta ſupra modum emicuit, multiſque claruit virtutibus, propter quas ab illius ædis incolis inter cœlicolas commorari pie judicatur.

Agnes à S. Dominico.

Leonora à Regibus.

XX. Dedit hoc anno IV. Non. Septembris Cœleſtinus privilegia duo Fratribus & Sororibus de Pœnitentia, quibus eos liberatos voluit a gravaminibus & exactionibus quibuſcumque, præter illas communes, quæ urbis Domino ſolvebantur: *Dignum eſſe credimus*; & indulſit ne tenerentur reſpondere ſuper civilibus & perſonalibus actionibus in foro ſeculari: *Deſideriis veſtris*. Sola hæc invenimus monumenta hujus Pontificis, quæ ex archivo urbis Aquilanæ recepimus, ſimul cum confirmatione eorumdem per Camerarium, & Præfectos quinque Artium ejuſdem urbis data anno MCCCCLXXI. die III. Novembris provido viro Jacobo de Guaſto Miniſtro Fratrum Pœnitentiæ, quos Inchordatos Tertii Ordinis ſancti Franciſci appellat: quibus etiam privilegiis; ut filii familias horum Pœnitentum, dum Patres viverent, fruerentur, conceſſerunt prædicti Camerarius & Præfecti, tum, inquiunt, ob ſanctitatem illius, qui privilegia conceſsit, tum ob ipſius Ordinis pietatem.

Privilegia Tertii Ordinis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno purpuratorum prolixa nimis diſcordia Patrum; tamdem Peruſii, ſopitis ſimultatibus, concors Cætus humilitatem ad ſupremas totius Eccleſiæ infulas, & Petri honores, in Petro de Morono Marſari Oppido Eſerniæ in Samnitibus, & Patre Angelerio, extulit, Pontificemque ſub nomine Cœleſtini V. nonis Julii hoc anno MCCXCIV. ſalutavit, coronaque donavit Aquilæ IV. Kal. Septembris hujuſdem anni; vix autem in Pontificatu apparuit; etenim humilitatis, & ſolitudinis amore magis allectus, quam altitudine ſolii deterritus, quem rogatus conſcenderat ſupremum in Eccleſia gradum, ſponte eodem hoc anno die XIII. Decembris deſcendit. Expeditis nihilominus iis, quæ paſtoralis ſollicitudo in Eccleſiæ bonum expoſcebat; inter quæ ſunt litteræ Apoſtolicæ ad univerſos Chriſtifideles pro Terræ ſanctæ ſubventione: *Inundant in cordis &c.* nonis Octobris: pro ſancto Ludovico Epiſcopo, & fratre Franciſco de Apta Minorita: *Cum deſideres &c.* VII. Idus Octobris: ac iterum pro eodem & Lugdu-

Petrus de Morono eligitur Pontifex.

Pontifex. ſponte cedit, ſed prius edit lit.

Indic. ex Oder. tom. 15. ad add.

Benedictus de Anagnia ſufficitur Pontifex.

,, nenſi Eccleſia . . . . . Nonis Octobris : abdicato Pontificatu a Cœleſtino, Benedictus patria Anagninus, Patre Luitfrido, Neapoli IX. Kal. Januarii in ſummum Pontificem cooptatus, Boniſacius VIII. ſalutatus XVII. poſtea Kal. Februarii ſequentis anni Romæ coronatus eſt.

Cœnobium Matiſconis.

Wadd. ad ann. 1400. n. 19. Gonza. in Prov. S. Bonav. cap. 3.

Matiſco C. E.

,, II. Dum autem hæc fierent, alia devolvebant fata memoriæ poſterorum commendatura, quæ ab oblivione ſere vindicata deſiderantur; Matiſconis Cœnobium minoriticum Waddingus ex Gonzaga ſub anno MCCCC. tantum commemorat, a nobili Domina Montpenſeria, & generoſis Dominis de *Feurre*, vel d'*Eſtours*, piiſque incolis circa annum MCCLV. ut creditur, extructum fuiſſe: nos vero ejuſdem memoriam huc retraximus nobili, & authentico monumento compulſi, quod mox allaturi ſumus, ſi topographicam Matiſconis in gratiam curioſitatis retulerimus. Matiſco, Gallis *Maſcon*, Civitas Epiſcopalis in Ducatu Burgundiæ, ab Antonino in ſuo itinerario Caſtrum Matiſconenſe appellata, & ad quam locat decimam legionem, quondam titulo Comitatus inſignis, ad Ararim fluvium, Gallis, *Saona*, e Vogeſo Monte per fines Heduorum, & Sequanorum decurrentem, & in Rhodanum defluentem, antiqua, ampla, & nobilis, grata majeſtate jacet. Pontem habet, quo utraque Araris ripa conjungitur, & elongata a Canariis, reſpectu cœli, grad. XXVII. XII. ſub latitudine XLV. XI. a Lugduno Archiepiſcopali in ſeptentrionem XV. M. P. gall. recedit: ejus hiſtoriam, qui deſiderat Philippum Bugnovium legat, qui eam peculiari, & eleganti libello proſequutus eſt: nos enim interim ad ea convolamus, ex quibus certo dicere ſine hæſitatione poſſimus, Matiſconem longe ante hunc annum Minoritas excepiſſe.

Petr. Bert. in deſcrip. Duc. Burg. fol. 142.

Sybillæ Amedei V. Sab. uxoris in Deum, & Fratr. Min. devotio.

Atque in Fratr. Prædicator.

Legata per eam præfatis Fratrib. & Mon.

Pro beneficiis Fratr. Minor. & Prædic. Camberiaci Lauſanæ & Gebenn.

,, III. Sibilla unica filia Guidonis Baugiaci Domini, & Delphinæ conjugum, Amedei V. hujus nominis, Sabaudiæ Comitis prima uxor, Principatus majeſtate clarens, ſed magis pietate, & religione in Deum conſpicua, quanta caritate in Religionis noſtræ Profeſſores, eoſque Ordinis S. P. Dominici, fereretur dum viveret, etiam morti proxima ſuis in tabellis teſtamentariis poſteris omnibus notificatum voluit: & quidem hoc anno MCCXCIV. die martis, in octava beati Joannis ante portam latinam, ſupremam ſuam voluntatem per Tabellionem publicis redactam in ſcriptis, maniſeſtavit; in his vero tabellis inter plura prudentiſſime diſpoſita & legata, legitur ut infra: *Item lego Fratribus Prædicatoribus de Matiſcone* XXX. *libras Viennenſes ſemel pro uno anniverſario ibidem ſingulis annis faciendo: item Fratribus Minoribus ibidem* XXX. *libras Viennenſes ſemel, pro uno anniverſario faciendo ſingulis annis. Item Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus Lugduni, ſingulis totidem ſemel ad eumdem finem. Item Minoribus de Camberiaco libras viginti. Item domui Minoretarum (hæ ſunt Clariſſæ) de Camberiaco, & Monialibus Novillæ in terra Baugiaci. Item Monaſterio Monialium de Villario &c.* XX. *libras Viennenſes ad eumdem finem, ut ſupra. Item damus, & legamus primo Capitulo Generali Fratrum Minorum, quod tenebitur poſt obitum noſtrum apud Lugdunum quinquaginta libras Viennenſes ſemel. Item damus, & legamus primo Capitulo generali Fratrum Prædicatorum, quod tenebitur poſt obitum noſtrum apud Lugdunam quinquaginta libras Viennenſes ſemel, rogantes tam Fratres Minores, quam Fratres Prædicatores, ut in dictis Capitulis Fratribus omnibus in Provinciis eorum exiſtentibus, animam noſtram, & animas parentum, & anteceſſorum noſtrorum recomendent, & in remedium*

ani-

,, *animæ noſtræ, & prædictorum ſingulis Fratribus Sacerdotibus in Pro-*
,, *vinciis ſuis exiſtentibus, divina faciant celebrare miniſteria. Et infra:*
,, *item damus, & legamus operi Eccleſiæ Fratrum Minorum Camberiaci*
,, *iterum decem libras. Item damus & legamus Eccleſiæ Minoritarum*
,, *ejuſdem loci triginta libras Viennenſes. Item pro Fratribus Minoribus,*
,, *& Prædicatoribus de Lauſanna, cuilibet eorum triginta libras Viennen-*
,, *ſes, pro anniverſario noſtro annis ſingulis in prædictis locis pro nobis fa-*
,, *ciendo. Item Fratribus Minoribus, & Fratribus Prædicatoribus de Ge-*
,, *bennis, cuilibet eorum triginta libras Viennenſes pro anniverſario no-*
,, *ſtro annis ſingulis in prædictis locis pro nobis faciendo &c.*
,, IV. Ex his liquido conſtat, non tantum Matiſconem, ſed & alia
,, loca in his nominata tabellis longe ante hunc annum Minoritas ha- Antiquitas Cœnobiorum.
,, buiſſe: ſicut reſplendet etiam in iiſdem Sibillæ præfatæ devotio in reli-
,, gioſos Minoritas & Prædicatores, quorum orationibus & ſacrificiis
,, adeo inſtanter ſuum ſpiritum commendabat. Porro hujus heroinæ
,, memoria in Eccleſiæ Kecrologio talis eſt.
,, V. *Anno Domini* MCCXCIV. v. *Kal. Junii obiit Illuſtris, ac Clemen-* Memoria præfat. Com. Sibillæ.
,, *tiſſima Domina Sybilla Comitiſſa Sabaudiæ; & Domina Baugiaci, filia*
,, *quondam Domini Guidonis Domini Baugiaci, quondam conjux Illuſtris,* *Ex Sam-Guicen. tom. 1. in vita Amedei V. & 2.*
,, *ac magnifici Domini Amedei Sabaudiæ Comitis, hic una cum Joanne ejus*
,, *ultimo filio, ipſa pridie nonas Junii, proximo ſequenti tumulati: animæ*
,, *eorum per miſericordiam Domini requieſcant in pace. Amen.*

ARGUMENTUM.

Bonifacius Pontifex pacem inter Gallos & Aragonios concludit, miſſis etiam Minoritis legatis ad Fridericum Siculum, ut pacta probaret & Carolo Claudo cederet. Jacobus Aragoniæ Rex remiſſa in Caſtellam Iſabella regia puella, uxorem ducit Blancham Caroli filiam, & obſides filios reddit, ex quibus Ludovicus ſingulari præeminet vitæ ſanctitate, agitque de ſuſcipiendo Minorum Inſtituto. Moritur Sancius Caſtellæ Rex in Franciſcana veſte ſepultus. Creantur Cardinales Minoritæ duo, Epiſcopi plures. Celebrantur Comitia generalia. Raymundus Generalis reſpuit oblatum Epiſcopatum Patavinum, ſed abſolvitur ab officio. Raymundus Lullus indefeſſe inhiat aberrantium converſioni. Miraculo comprobatur veritas Indulgentiæ Portiunculæ. Multiplicantur Cœnobia, & privilegia.

I. BONIFACIUS ineunte hoc anno, ſicut diximus, coronatus, multa ſtatim, ut erat audacis animi, nolentibus Cardinalibus libere auſus eſt: a prædeceſſore ſuo Cœleſtino facta plurima revocavit; aliaque quæ minime aliis placebant, intrepide fecit; nemine dum vixit, ei publice (præter ſolos Gallos & Columnenſes, neque id impune) ne verbo quidem repugnare audente. Multa tamen etiam egregio Pontifice digna, ut erat a multo rerum uſu, & magnarum artium diſciplinis inſtructus, præclare peregit; atque inter hæc pacem toties a ſuis prædeceſſoribus fruſtra tentatam inter Francos & Aragonios de rebus Siculis multis annis ſanguinolenter contendentes, concluſit Anagniæ, quo Carolus Rex, Franci, & Aragonii Legati, viri ex utraque gente Principes ad Pontificem convenerunt. Fœderis hæ leges ſcriptæ. *Aragonio Blan-*

Ann. 1294. n. 8.

Pax ſtabilitur inter Gallos & Aragonios.

Joan. Mariana lib. 14. c. 17.

Conditiones pacis.

cha, Neapolitani filia nubito; dos dicta, argenti pondo millia ad ſeptuaginta: Sicilia & quidquid Aragoniis armis in Brutiis, & magna Græcia fuit ablatum, ad Eccleſiæ Romanæ jus redito. Si Siculi recuſarint, Aragonius copiarum tantum dato, quantum arbitri judicarint. Carolus Valeſius jure abſcedito, quo Aragonium regnum armis vendicare parat. A Pontifice Romano interdicti, atque anathematis religione exolvuntur, quoſcumque ea controverſia implicavit. Obſides liberantor. De Baleari Rege actum. Summaque Galli Regis & Pontificis contentione impetratum, ut reſtitueretur in Regnum. Hæc palam jactata. Ex arcano tamen Sardiniæ & Corſicæ ſpes Aragonio injecta dono Pontificis; quarum imperium ob locorum propinquitatem commodiſſimum judicabat. Extant de eo fœdere Bonifacii litteræ vigeſimo ſeptimo die Junii promulgatæ. Quæ res fama vulgata, ceteras quidem orbis Chriſtiani partes lætitia complevit; Siculis autem graviſſima extitit, extremum malorum putantibus, ad Gallorum imperia redire. Itaque Fridericus (quem frater diſcedens reb. præfecerat) & cum eo Rogerius Lauria, Joannes Prochita, & Manfredus Lancia viri primarii, Pontificis rogatu, & fœderis eventu ſolliciti, ipſum adierunt ad littus Romanum excenſione facta. Catarina Philippi filia, neptis Balduini Auguſti, Friderico modo ne pacis conditionibus unus obſiſteret, deſpondebatur, ſpe dotali Græci Imperii communibus armis, atque viribus recuperandi, neque is detrectabat conditionem, ſi verbis reſponderent facta.

Siculi reſpuunt pacis conditiones.

Zurita l. 5. c. 15.

Mittuntur Minoritæ Legati ad Siculos.

Vide infra anno 1299. n. 3.

II. Quæ cum Jacobo Aragonio pacta ſunt, rata ac firma fuerunt; quæ vero cum Friderico fratre, Siculorum dominatore nequaquam: tum quia tempus pactis complendis ſtaturum, abſque ulteriori tractatu, nec majori ſpe nubendæ Philippæ, adoriendi Pontificio, ſeu aliorum auxilio Imperii Conſtantinopolitani, inaniter elapſum eſt: tum quia Siculi nullo pacto induci poterant, ut ſanguinolenter & crudeliter excuſſum Gallorum imperium, denuo vellent admittere. Miſſi a Bonifacio tamquam Sedis Apoſtolicæ Nuncii Minoritæ duo, frater Leonardus Provinciæ Romanæ Miniſter, & frater Alamannus Balneoregienſis, qui poſtea creatus eſt Archiepiſcopus Arborenſis, & Vicarius Urbis, ut leniter ac ſuaviter Siculos ad Eccleſiæ obedientiam & regimen reducerent, a cenſuris pro tempore pacis & concordiæ ineundæ uſque ad Nativitatem Domini abſolverent, omne juſtum, & æquum offerrent, delictorum omnium veniam promitterent, peculiarem fore Pontificis curam de bono Inſulæ regimine ſponderent, atque interim peterent mitti aliquas triremes in ſubſidium regni Cypri, cui Sarraceni ultimum minabantur exitium, & claſſi mittendæ præficeretur Rogerius a Lauria Admiratus, glorioſis victoriis terra, marique partis, ultra coætaneos Duces inſignis. Fridericum triremi advecti convenerunt Nuncii in oppido Melazo; ſed ubi reſcivit populus, qua fungebantur, legationis ſummam eſſe, ut Carolo, vel Gallis reſtitueretur Sicilia, procul abfuit ne contra jus gentium, fidemque Legatis debitam, a tumultuante plebe occiderentur: quare re infecta, ſed neque inchoata, oportuit illico diſcedere.

Jacobus Aragoniæ Rex uxorem ducit Blancham S. Ludovici ſororem.

III. Jacobus vero Friderici frater, dum ſumme deſiderat pacem, & ſui regni quietem, fœderis leges præſcriptas diligenter adimplet, & Caroli filiam Blancham ſibi deſpondet, celebratis nuptiis ad villam Beltranam primo die Novembris, Guillelmo Ferrario tituli ſancti Clementis Cardinale Legato, qui una cum Carolo Rege Reginam deducebat, prius mortuo Perpiniani, atque apud Minores ſepulto. Remittenda itaque erat

Digitized by Google

erat Iſabella Regis Caſtellæ filia, quam prius ſtatuerat, neque tamen poterat, vetantibus Cœleſtino & Bonifacio propter conſanguinitatem, uxorem ſibi copulare; eaque commiſſa Provincia fratri Dominico de Jaca, viro gravi, Minoritæ, Simoni de Azlor, & Dominico de Aran viris nobilibus, ut conditiones, & pacta connubii prius celebrandi reſcinderent, obſides revocarent, oppignorata caſtella & fortalitia, a Regina Maria ſponſæ matre repeterent.

IV. Reddidit etiam Jacobus Rex, Carolo ultimo die Octobris, quo ab eo Blancham filiam in ſponſam ſuſcepit, filios tres, Ludovicum, Robertum, & Raymundum, proceresque omnes Provinciæ, quos diximus obſides accepiſſe Alphonſum Regem, hujus Jacobi fratrem, & in regno prædeceſſorem. De Ludovici autem virtutibus in captivitate acquiſitis & concepto pio deſiderio de ſubeundo Minorum Inſtituto, hic opportune, juxta ea quæ alias promiſimus, nobis inſtituendus eſt ſermo. Præ ceteris virtutibus, Evangelicæ paupertatis ſtudium adeo optimi adoleſcentis mentem occupaverat, ut pro Chriſto, *qui propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives*, quem velut *faſciculum myrrhæ dilectum, inter ubera commorantem* geſtabat perpetuo; omnem gloriam, divitias omnes, & potentiſſimum regnum, quod ſibi hæreditaria ſucceſſione debebatur, prorſus ſperneret, & putaret pro nihilo. Pater ſuadebat uxorem ducere, promittebatque ſi morem gereret, mox ei regnum ſucceſſurum. At ille nihil magis habuit in votis, quam iſtis temporalibus ſemel liberari; ut admiſſus in Domini ſortem, ſoli Deo poſſet vacare. Itaque jam initiandus, cum pro Eccleſiæ more primam tonſuram coram utroque Rege Aragonio, & patre ſuo, Legatiſque Apoſtolicis, qui ibi tunc aderant, acciperet, magna omnium admiratione, & fletu circumſtantium, flexis genibus, profuſis lacrymis, illud regii prophetæ regius adoleſcens ex animo pronuntiabat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*: reipſa declarans, illum verum Clericum, cujus pars & hæreditas Dominus eſt. Et quo ſe gratum Deo offerret holocauſtum, rurſus Deo votum nuncupavit perpetuæ caſtitatis, & capiendi Inſtituti Fratrum Minorum, cujus deſiderio ſolvendi, quotidie magis magiſque tenebatur; ſed amici aliqui id diſſuaſere, & quidem animo candido: *Nam etſi facilior* (inquiebat familiaris quiſpiam) *& tutior & minus aliis gravis, aut moleſta eſt vita otioſorum; tamen fructuoſior hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemque aptior vita illorum, qui ſe ad Rempublicam; & ad magnas res gerendas accommodaverunt. Regno neglecto, quæ incommoda non ſequi? recte adminiſtrato, augeri merita: ut in ipſum tuendum omnes curæ cogitationeſque conferri debeant; negligendum nulla ratione.*

Redduntur Carolo obſides.

Ann. 1288. n. 26. Ex vit. S. Ludo. cap. 10. & 11.

Ann. 1288. n. 35.

2. Cor. 8. 9. Cant. 12.

Divitias & gloriam contemnit.

Factus clericus votum iterat de ſuſcipiendo Inſtituto Minorum.

Pſal. 15. 5.

Propoſitum ejus quidam improbant.

V. Non adſenſit Vir ſanctus, doctus ab Apoſtolo: *Non currendum in incertum: nec facienda mala, ut veniant bona*. Intelligebat vir prudens, Regnum ſplendidam eſſe ſervitutem: Principem non minus ſervire populo, quam Principi populum debere: Ibi multa diſſimulanda, & in multis ſæpe connivendum, & difficillimum res alienas curare, nec offendere: *Igitur mihi*, inquit Ludovicus, *prius pereat, non dico regnum hoc caducum & temporarium, ſed orbis totus, quam in Deum meum ſemel peccem; cujus honorem & amicitiam omnibus anteponendam novi. Simul hanc vitam contemnendam, quæ ſine frequenti noxa & peccato non tranſigitur. Domum & regnum paternum contemplor: parvum ut eſt, ita mihi quidem videtur ſpectanti ingentia ſpatia, quæ ſupra ſunt: in quorum poſſeſſionem uni-*

Rom. 3. 8. 1. Cor. 9. 26.

Regnum reputat ſplendidam eſſe ſervitutem.

animus admittitur, ſi ſe homo erexerit ſupra ſe. Divitiæ meæ Chriſtus; deſint cetera, ſe mihi det: ſolus mihi ſufficit. Omnis copia, quæ Deus meus non eſt, mihi inopia eſt. Qua animi magnitudine, neſcias utrum majore cum laude regnum rejecerit, an meruerit.

Vota ſolvi debent.

VI. In illa, in qua erat cuſtodia, aperuit ſuæ mentis arcanum religioſo cuidam Patri, Deo ſe vota feciſſe perpetuæ caſtitatis, & capiendi inſtitutum D. Franciſci: *Deo me obligavi*, inquit, *nec licet fidem frangere. Detrahunt quidem aliqui de iſto ſancto Ordine: ſed hoc magis mihi animus accenditur, cum quod vovi præſtandum eſſe ſciam. Juſte exigitur ad ſolvendum, qui ad vovendum non cogitur. Sed & ſancti honeſtique propoſiti dilatio habet periculum, ſæpe etiam ruinam. Itaque ut mature votum præſtem, ſententia eſt. Ceterum hic hæreo, & animi dubius ſum: ne hic inter meos notus, an alibi ignotus rem adgrediar. Si in mea patria initior, non licebit illam humilitatem pro voto colere; quod timeam Fratres nimio plus me honoraturos eſſe: Quare mecum ſtatui in Alemaniam ſecedere, vel aliam procul quamlibet Provinciam; ubi incognito licebit abluere catillos, coquinari, domos verrere, & cetera humilia facere: Scio etenim nihil eſſe tam gratum Deo, quam ſi vitæ merito magni, tamen non magni, ſed humilitate videamur: cum tanto quis pretioſior Deo ſit, quanto quis propter eum vilior ſibi.*

Cogitat ire in Alemaniam, ubi fiat Minorita.

Sed diſſuadetur.

Laudat pius Pater Ludovici candorem; *ſed*, inquit, *ut patrem lateat fieri non poteſt. Habent Generalis Miniſter, & Provinciales univerſa Fratrum ſuorum nomina. Pater facile poterit reſcire, in quemcumque te angulum abdideris, ſi inquirat. At vero res erit memorabilis exempli, ſi quod tecum tacite ſtatuiſti, aperte & manifeſte facias. Nam quod tu feceris; tu, inquam, id plures ſibi imitandum putabunt. Qui in occulto bene vivit, ſed alieno non ſtudet profectui, carbo eſt; qui vero lumen rectitudinis ex ſe multis demonſtrat, lampas eſt; ſibi ardet, aliis lucet. Honeſta bonis viris, non occulta quæruntur. Cogita, inquit, quantum exempla bona proſunt; & magnorum virorum non minus memoriam, quam præſentium utilem eſſe.* Dixerat bonus Pater, cum Ludovicus ſerio preces ejus efflagitat, ut quod eſſet ſalutare, divino munere conſequi poſſet.

Pſ. 75. 12.

Votum Religionis reiterat.

VII. Itaque libertate reddita, ſecum volvebat illud Propheticum: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*; atque hoc ipſo anno ſub menſe Decembris apud Montem Peſſulanum adivit Patrem Miniſtrum Provinciæ Inſtituti Franciſcani, obnixe ſupplicans, ut ſe in Ordinem & Sodalitium ſuſciperet ſuorum Fratrum; ſed non eſt ille auſus, nec reliqui Fratres, Regis patris deterriti offenſione. At ille cum aliud non poſſet, quo libentius & ſecurius ab illis admitteretur, ſponſionem voti, qua jam tunc in illa captivitate, Inſtituto Minoritarum ſe obligaverat aperte, ſolemniter, manifeſte renovavit multis circumaudientibus: ſed & votum ipſum anno ſequenti opere complevit, publice, & ſolemniter Inſtitutum profeſſus, & habitum ex manibus Miniſtri Generalis accipiens, factus deinde Epiſcopus Toloſanus, uti tunc commodius dicetur. Unde convincitur erraſſe auctorem Annalium Hiberniæ apud Guillelmum Camdenum, in quibus hoc anno ſanctum adoleſcentem obiiſſe recenſetur. „ Confeſſarium habuiſſe hoc anno fratrem Franciſcum de Apea, „ patris ſui Caroli ſacellanum, habent regia Monumenta Neapoli- „ tana.

Annales Hiberniæ ad hunc annum 1296.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Frater Franciſcus de Apea.

Moritur Sancius Rex Caſtellæ.

VIII. Hoc tamen anno VII. Kalend. Maii Sancius Rex Caſtellæ mortuus eſt Toleti; in eam urbem lectica militari delatus, hominibus invicem onus ſubeuntibus ob ingraveſcentem vim morbi, quo Compluti tem-

Digitized by Google

tentatus, oppreſſuſque erat. Sepultus eſt in Sacello regio, quod ea tempeſtate retro aram maximam erat, in habitu Franciſcano, uti noſtri ſcribunt, quem ante mortem ſibi dari rogavit. Regnavit annis undecim, diebus quatuor, magnis Principibus exæquatus, fortitudinis, æquitatis, prudentiæque laudibus; ſed egregie callidus, ſagax, neque uno loco crudelitatis impreſſa veſtigia ad poſteritatis invidiam relinquens. Ferdinandum filium, Regni hæredem dixit; etſi Alphonſus Infantis Ferdinandi filius illud ſibi deberi ex cauſis a nobis ſupra allatis, haud inani jure contenderet. At turbidæ tempeſtatis vim, fortunæque impetum ſuperavit Sancius, Regnumque ſibi & poſteris, armis in quibus ſunt jura regnandi, potenter aſſeruit.

Jo. Marian. l. 14. c. 16. Zurita l. 5. cap. 9. Piſan. confor. 8. Marian. l. 3. c. 11.

An. 1277. n. 5.

IX. Bonifacius Pontifex hoc anno in quatuor temporibus Adventus Domini creavit Cardinales ſeptem, e quibus Minoritas duos. Primum, fratrem Jacobum Thomaſium Caetanum, Anagninum ſororis ſuæ filium, Presbyterum Cardinalem tituli ſancti Clementis in via Lavicana, quam Eccleſiam reſtauravit, & muſivo opere pro illius temporis dignitate magnifice decoravit; uti obſcura & obſoleta hæc carmina muſivo etiam charactere, & deaurato, in tribunæ fronte exarata teſtantur.

Creatur Cardinalis frater Jacobus Thomaſius Caetanus. Ornat Eccleſiam ſui tituli.

Ex annis Domini prolapſis mille ducentis
Nonaginta novem, Jacobus Collega Minorum
Hujus Baſilicæ tituli pars Cardinis alti,
Hæc juſſit fieri, quo plauſit Roma nepote.
Papa Bonifacius Octavus Anagnia proles.

Ornavit univerſam tribunam pulchra vite, vario opere & colore hinc inde diffuſis ramis ſemet extendente. E ſtipite exurgit magna Crux, cui Chriſtus affixus, ex utroque latere diſpoſitis paſſionis ſociis Maria Virgine, & Joanne Apoſtolo. Hemicyclum tribunæ totum comprehendunt propagines, in quarum curvaturis depicti Doctores Eccleſiæ, & variæ volucrum ſpecies. Sub corpore Chriſti crucifixi recondidit in muro particulam ſanctæ Crucis, dentem unum ſancti Jacobi Apoſtoli, & alterum ſancti Ignatii Martyris. Ita indicant verſus ſubſcripti.

Eccleſiam Chriſti viti ſimilabimus iſti,
Quam lex arentem, ſed Crux facit eſſe virentem.
De ligno Chriſti, Jacobi dens, Ignatiique
In ſupraſcripti requieſcunt corpore Chriſti.

Factum poſtea Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem ſcribunt Marianus, & Marcus Portuenſis, licet Ciaconus videatur indicare, ipſum hunc titulum ſancti Clementis ſub mortem poſſediſſe. Obiit anno MCCCIV. ſub Benedicto X. vel eo mortuo Sede Vacante. „ Ante adeptam purpu-
„ ram, Jacobum hunc Epiſcopum fuiſſe Alatrinum in Hernicis, ſcribit
„ Ferdinandus Ughellus, digniſſimus Abbas ſanctorum Vincentii, &
„ Anaſtaſii noſter amicus in ſuis ad Ciaconum additionibus ſub Boni-
„ facio VIII. Sed dum in primo Tomo Italiæ ſacræ de Alatrinis ſcri-
„ bit Epiſcopis, iſtius Jacobi excidit memoria. Inferendus erat inter
„ Creſcentium de Cava, & Leonardum Patraſſum.

Marian. cit. Marc. l. 5. c. 18. Ciacon. in Boniſ. VIII. & in Benedict. X.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Et Jacobus Epiſcopus.

X. Secundum creavit tunc Bonifacius Cardinalem fratrem Andream Anagninum ex illuſtri Comitum Signiæ familia, ſuum etiam conſanguineum, & Alexandri IV. pronepotem, apud vetuſtos quoſque noſtros Scriptores percelebrem: Sed ab adoleſcentia in ſumma humilitate, & mundi contemptu enutritus, nullatenus potuit induci, ut ultro oblatum hunc honorem vellet admittere. Multa exhibuit ſuæ ſanctitatis argumenta

Fit Cardinalis frater Andreas Anagninus.

Marc. l. 5. c. 19. & 28. Rodul. fol. 73. & 219. Marian. cit.

Non vult admittere dignitatem.

Chryſoſt. hom. 32. in Matth.

menta, tum in vita, tum poſt mortem: neque illud mihi exiguum, immo omnium maximum, quod purpuram, dignitatem & honores, quos ſecum advehit Cardinalitia amplitudo, nobili animo contempſerit. Illi profecto ſanctiores, qui humiliores; illi cœlorum regnum poſſident, qui terrena deſpiciunt faſtigia: *Qui deſiderant primatum cæleſtem, ſequuntur humilitatem terreſtrem; neque enim apud Deum ille major, qui major fuit in honore, ſed qui potior in humilitate.* Præter cetera, quæ referuntur ab eo patrata miracula, illud ſingulare, quod dum in quadam infirmitate faſtidiente ſtomacho, aviculas appeteret, appoſitas, & bene præparatas noluerit comedere; ſed compatiens occiſis, & appetitum mortificans, facto ſuper eas crucis ſigno, juſſerit abire, & e diſco evolare: Illæ ſtatim obtemperantes, quæ prius deplumes erant, & aſſatæ, vivæ mox & hilariter garrientes, celeri auſugerunt volatu. Apparuit ei Carolus Andegavenſis Rex Siciliæ, quem ſuperius diximus Foggiæ mortuum, rogans, ut pro ſe deprecaretur Dominum, quatenus mitius cum eo ageretur in Purgatorio, ubi graviſſimas pœnas luebat. Obiit in Conventu Pilei in provincia Romana, & Cuſtodia Campaniæ, ubi multis adhuc floret miraculis: atque illud perpetuum, quod ab ipſo ejus monumenti proſpectu abhorreant energumeni, & vi illuc tracti ſtatim liberentur. Tantam de ejus ſanctitate concepit opinionem Bonifacius Pontifex, ut ſæpius aſſereret, ſe dignum judicare, qui ſtatim poſt mortem inter Sanctos referretur; idque ſe curaturum, ſi ſua ætate eum mori contingeret. Quo tempore objerit, ſeu an ipſi Bonifacio ſupervixerit, non potui ſcite comperire, licet Ciaconus indicare videatur eum ſub iſto Pontifice obiiſſe.

Aſſatas aves facit evolare.

An. 1285. n. 3.

Apparet ei Carolus Andegavenſis.

Jacet Pilei miraculis clarus.

Fr. Franciſcus Epiſcopus Spoletanus.

Fr. Guido Epiſcopus ſanctæ Agathæ.

An. 1291. n. 18. Epiſt. 407.

* *Vel. Arbenſi.*

Epiſt. 580.

XI. Aliquos etiam Epiſcopos ex eodem Ordine creavit hoc anno; fratrem Franciſcum, ſub Cœleſtino V. electum Senogallienſem Epiſcopum, præfecit Eccleſiæ Spoletanæ in Umbria vacanti per translationem Gerardi Atrebatenſis ad Epiſcopatum Atrebatenſem: *Eccleſiarum omnium.* v. Kal. Aprilis. Fratrem Guidonem de ſancto Michaele Eccleſiæ Agathopolis, ſeu ſanctæ Agathæ in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano per mortem fratris Euſtachii paſtore deſtitutæ: *Militanti Eccleſiæ.* XVIII. Kal. Decembris. Fratri Joanni Minoritæ Archiepiſcopo Jadrenſi uti diximus alias, ſcripſit ut præficeret Eccleſiæ *Abſatenſi, ſibi ſuffraganeæ aliquem ex Minoritis. Et ex ejuſdem regeſto conſtat fuiſſe concorditer electum a Capitulo Ovetenſi per viam ſcrutinii fratrem Fernandum Alvari, qui dum cauſam ſuam in Curia proſequeretur, ante obtentam confirmationem Pontificiam deceſſit.

Capitulum generale trigeſimum.

Rodul. de Capitul. general.

Decreta Capituli.

XII. Raymundus Generalis Miniſter celebravit hoc anno Comitia generalia Aſſiſii (quæ tamen ex errore tribuit Rodulphus Joanni a Muro non niſi anno ſequenti creato Ordinis Primicerio) in quibus decretum eſt ad comprimenda feracia, & peregrina ingenia, ne quis adoleſcens quidpiam a ſe excogitatum, ſive notulas a ſe collectas, ſive quæſtiones ſuo ingenio compoſitas, auderet aliis extra Sodalitium communicare, imo potius ſequeretur doctrinam a ſuis magiſtris traditam, eorumque tereret veſtigia. Lectoribus etiam, ſive Magiſtris ſerio cautum eſt, ne exoticas, novas, aut ſuſpectas opiniones aliis traderent, vel ipſi defenderent; in hoc vero delinquentes corrigerentur a Miniſtris; & pertinaces in ſua opinione ſtatim e ſuo gradu dejicerentur; neque ad lectoratum reſtituerentur abſque expreſſo mandato Miniſtri Generalis. Vetitum etiam ne ſupernumerarii Fratres accederent ad Comitia generalia,

lia, neque ad urbem, in qua erant celebranda, præter ſolos Patres ad hanc functionem ex Regula conſcriptos; neque hi auderent alios ſecum ducere abſque licentia Primicerii. Præſcriptum etiam Miniſtris ne nimis faciles ſint in concedenda licentia eundi Aſſiſium pro lucranda Indulgentia Portiunculæ; neque eam darent iis, qui alias eam lucrati fuerant; quia tanta concurrentium multitudo tum Conventui Aſſiſiati, tum Provinciis & domibus, per quas tranſibant, erat nimis moleſta & oncroſa. Illis etiam, quibus eundi conferretur licentia, ſevere prohibitum eſt, ne illuc irent equitando, aut in comitatu mulierum, aut hoſpitium admitterent a ſecularibus in locis, in quibus ſui Inſtituti erant Cœnobia: neque accedere auderent Aſſiſium ante pridie Kalend. Auguſti, aut ibi moram trahere ultra triduum abſque Miniſtri, vel Cuſtodis ſpeciali licentia.

Marian. cit. Chron. antiq.

Miraculo comprobatur veritas Indulgentiæ Portiunculæ.

XIII. Magno miraculo commendavit Deus hoc ipſo anno ſacram hanc Indulgentiam: Nam cum peregrini ex partibus Sclavoniæ ultra centum viginti utriuſque ſexus navigio appuliſſent Anconam, ibique viſitarent Eccleſias, fuit ex Regularibus quidam, qui interrogaret, quo pergerent in tanta mnltitudine? Cui cum reſponderent: Aſſiſium ſe proficiſci ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ, tamquam fatuos & ſimplices deriſit, quod tot maris terræque ſpatia emetiri vellent, & tot ſubire labores ad acquirendam Indulgentiam omnino incertam, nullo authentico monumento firmatam, neque Pontificio diplomate ſtabilitam: *Quare ne pergatis*, inquit, *ulterius*; *hic remiſſionem plenariam omnium peccatorum poteſtis adipiſci*; *in hac Eccleſia multa ſunt indulta Pontificum*; *quibus largiſſimos diſtribuunt theſauros Indulgentiarum*; & diſtractis extenſiſque bullis Pontificiis, multas & magnas gratias illud Templum rite viſitantibus conceſſas omnibus explicavit. Oculari fide & exhortatione viri allecti, longique itineris moleſtias declinare volentes decreverunt illic ſuæ peregrinationi limites præſcribere; ea vel maxime ratione adducti, quod poſt moleſti itineris plurima perpeſſa incommoda, lucrum omnino dicebatur incertum; illic vero labori poſuerint finem, ubi certum habuerint præ oculis præmium. Pia tamen ex comitatu fœmina, omnibus ad unum Anconæ remanere conſentientibus, religioſe dixit: *Quæ maris pericula contempſi, ut magnam illam Indulgentiam Portiunculæ lucrarer; etiam quod terræ ſupereſt, alacriter percurram, ne tantum lucrum ab omnibus commendatum deperdam. Imo addo, quod ſi verum eſſet, quod Religioſus ille Pater inculcat de incertitudine illius gratiæ a Chriſto conceſſæ; ego omnino Aſſiſium pergam ob ſancti Franciſci reverentiam*. Dum ſola pergeret, apparuit ei in via grandævus, & reverendus ſenex in habitu Prædicatorum, qui factum laudavit, Indulgentiæ veritatem multis argumentis prædicavit, & ſe adfuiſſe dixit, cum Honorius III. eam confirmaret; prædixitque cito ſuperventuros omnes peregrinationis ſocios, quibus ipſe apparuit; perſuaſitque ut inceptum iter proſequerentur. Paulo poſt editiori in colle conſtituta vidit advenire peregrinorum turmam, diſparuitque qui euſque eam circa lucrandam Indulgentiam inſtruebat. Hilari comitatu pervenerunt Aſſiſium, ubi illa expletis ritibus, quos ſanctus ille ſenex edocuit, præmiſſiſque omnibus Chriſtianis officiis, exultans & gaudens in Domino obdormivit Aſſiſii. Socii vero dum in patriam transfretarent, magna exorta tempeſtate, parum adfuit quin ſubmergerentur. In ſummo conſtitutis periculo apparuit defuncta, & ut bono eſſent animo adhortata, ſignificavit

quantum lucri reportarint ex Aſſiſii peregrinatione, & ſibi pro æterna conſequenda beatitudine mirabiliter profuiſſe. Quibus dictis, diſparuit: factaque eſt tranquillitas magna: & illi cum ſalute & gaudio ad propria redierunt. Enarrato vero miraculo, multo plures venerunt anno ſequenti Aſſiſium, qui etiam relatum miraculum alio ferme ſimili quod ſibi periclitantibus accidit in mari, ultro confirmarunt.

Chron. antiq. Marian. cit. Rodulp. de Generalib.

Raymundus Generalis reſpuit oblatum Epiſcopatum. Abſolvitur ab officio.

An. 1294. n. 9.

XIV. Hoc anno IV. Kal. Novembris Patavinum Epiſcopatum obtulit Pontifex Miniſtro Generali Raymundo: ſed cum ille pertinacius acceptare renuerit, ſe tanto oneri imparem dictitans, indignatus Pontifex: *At*, inquit, *multo magis impar es tanto quo fungeris, muneri*; eumque a Miniſteriatu protinus abſolvit. Sunt, qui ſcribant accuſatum, vel traductum a Fratribus apud Pontificem: accuſationis tamen capita non enarrant: ſed ſuſpicantur illud fuiſſe præcipuum, quod valde faverit iis, qui ad arctiorem vitæ normam aſpirabant: iiſque præſertim, quos in Græciain diximus abiiſſe: Atqui hi infenſi Bonifacio, quod cum aliis magis adhæſerint Cœleſtino, quam ſibi, iiſque conſenſerint, qui illum potius quam hunc in ſede deſideraverint. Quippe ab illo ſuæ libertatis, & ſolitariæ vitæ principium acceperunt, cupiebantque habere fautorem, quem paulo ante habuerunt auctorem. Ut itaque cum honore eum ab officio abſolveret, prædictam ei obtulit Eccleſiam: quam ille tamquam indignantis, & inimici donum noluit admittere, in cujus locum ſuffectus eſt quidam frater Joannes Ordinis Prædicatorum. Hunc genere nobilem, manſuetum, pium, atque bonorum omnium amatorem deſcribit Rodulphus, eumque impetraſſe a Nicolao IV. confirmationem Tertii Ordinis (cujus Regulam idem Pontifex quibuſdam additis ſuis litteris inſeruit, uti diximus ſuperius) ſcribit Volaterranus; eumque valde utilem viſum, ut Ordinem gubernaret. Vixit deinceps ſimplicem & pauperem vitam; tandemque obiit Pariſiis. In ſequentibus annis amplior de eo inſtituendus eſt ſermo.

Rodul. cit. An. 1291. n. 102. Volater. l. 21. Anthropol.

An. 1293. n. 3. Bovillus in vita Raym. Vita ejus MSS. An. 1293. n. 2.

Raym. Lullus indefeſſe in rebus fidei laborat.

XV. Hoc anno Neapoli, ubi ſub Cœleſtino hæſiſſe diximus ſupra, Romam abiit Raymundus Lullus, tria illa, quæ ſibi uti diximus, judicavit neceſſaria ad gentium converſionem propoſiturus. Cum tamen nihil proficeret, Genuam, inde ad Majoricarum Regem profectus eſt: cum quo babito colloquio, Pariſios abiit, eademque quæ a Bonifacio, a Rege poſtulavit. Reverſus deinde in patriam, cum Sarracenis & Judæis, qui illic morabantur, quotidie de myſteriis fidei diſputabat. Inde profectus Cyprum Henricum Regem rogavit, ut cunctos Schiſmaticos, Jacobitas, Georgianos, Neſtorianos, & alios hujuſmodi a veritate fidei deviantes, ſuis concionibus intereſſe juberet, ut ſi quos poſſet, ad Eccleſiæ gremium reduceret. Ibi prædicationibus & rudibus catechizandis inſiſtens, veneno ab inimicis propinato, vix mortis pericula evaſit. Inde Genuam rediens, mox Lutetiam, ibidem hæſit uſque ad electionem Clementis V. ſub quo ad Concilium Viennenſe perrexit, ut ſub illo tempore commodius referemus.

Con. Pezzoli.

Rodul. fol. 171. Ciacon. in Boniſ. VIII.

XVI. Non invenio aliud hoc anno extructum Minoribus domicilium præter unum Pezzoli in Provincia, & Cuſtodia Mediolanenſi, exædificatum vel inchoatum XIV. Julii ſub titulo ſanctæ Mariæ, per Illuſtriſſimum Dominum Petrum Peregroſſum Mediolanenſem presbyterum, Cardinalem, tituli ſancti Marci, qui obiit hoc ipſo anno IX. Kal. Auguſti Romæ, ſepultuſque eſt apud Minorea in æde Aracœlitana. Legavit mille florenos, ut expendantur in bonis ſtabilibus pro alendis quindecim Fratribus.

XVII. Ex

Conv. de Inſula. Epiſt. 55.

XVII. Ex monumento Vaticano dato Idibus Martii hujus anni in Laterano, quo Boniſacius Pontifex commiſit Guardiano Minorum de Inſula Cavallicenſis diœceſis in Gallia, ut diſpenſet in quibuſdam defectibus cum ſacriſta Eccleſiæ Inſulenſis, conſtat ante hoc tempus obtinuiſſe ibidem Minores domicilium, illiuſque mentionem habet Piſanus in Provincia Provinciæ, & Cuſtodia Avenionenſi, neque amplior nobis aliunde occurrit notitia. Alium habet Conventum de Inſula Gonzaga in Provincia ſancti Bonaventuræ; ſed ab hoc longe diverſum, quippe illum in Lingonenſi diœceſi conſtituit, hic vero eſt Cavallicenſis, & conſtructum ait anno MCCCCLXXI. hic vero ut ex allato conſtat monumento, valde eſt antiquior.

Gonzag. in Prov. S. Bonavent.

Privilegia Fratrum.

XVIII. Plura conceſſit hoc anno Pontifex privilegia. Edita graviſſima conſtitutione, quæ incipit: *Super cathedram*, quæ habetur in Clementina de ſepulturis inſerta litteris Clementis V. pacem & concordiam inſtituere voluit inter Clericos parochiales, & Fratres Minores ac Prædicatores circa prædicationes faciendas, confeſsiones excipiendas, mortuos ſepeliendos, & canonicam portionem reddendam. Eam revocavit Benedictus IX. ſed innovavit Clemens V. in Concilio Viennenſi. Per alias litteras exemit Ordinem ab omni juriſdictione Epiſcoporum: *Inter ceteros Ordines*. III. Idus Novembris. Indulſit ut Fratres ab Eccleſiarum prælatis invitati viſitare Monaſteria Monialium, ea poſsint ingredi, & ibidem moram trahere cum ipſis prælatis: *Habet veſtræ devotionis*. II. Idus Novembris. Eodem die conceſsit Prælatis Religionis, ut ad correctiones & punitiones Fratrum libere poſsent procedere, ſecundum ſtatuta & conſtitutiones Ordinis, non ſervatis apicibus juris: *Ad augmentum continuum*. Confirmavit ampla bulla, quam *Mare magnum* vocant, omnia Ordinis privilegia conceſſa per ceteros Pontifices ſuos prædeceſſores: *Virtute conſpicuos*. Idibus Novembris. Aliud diploma ejuſdem tenoris dedit Fratribus Prædicatoribus Idibus Januarii anni ſequentis. Aliud ſimile damus in regeſto Clementis IV. & quæ in hoc amplius concedit Bonifacius habentur in Mari magno Sixti IV. quare non eſt cur bullam hanc prolixam iterum tranſcribi curemus. Raymundo Gaufridi jam ab officio Miniſtri Generalis abſoluto licentiam dedit libros ſua induſtria acquiſitos, & ſuo uſui deputatos, conferendi Conventibus Aquenſi, & Maſſilienſi, erga quos ſpecialem gerebat affectum, eo quod in uno horum locorum fuit enutritus, & in altero initiatus: *Tua nobis devotio*. IV. Nonas Decembris.

Reg. Vat. epiſt. 656.

Epiſt. 662.

Privilegia Clariſſarum.

An. 1292. n. 42.

XIX. Clariſſis etiam ſe favorabilem exhibuit; nam & illis Londonienſibus, quibus extructum diximus domicilium per Edmundum Angliæ Regis fratrem, & Blancham Navarræ Reginam, indulſit ut dictus vir nobilis eis conferre poſſet unam ex Eccleſiis, in quibus obtinebat jus patronatus, cujus redditus valorem annuum attingeret quadraginta marcarum ſterlingarum, atque illæ poſſeſſionem Eccleſiæ vacantis ultro poſſent apprehendere: *Veſtræ Religionis*. VIII. Idus Aprilis. Huic item Monaſterio, necnon alteri de Waterbeche ejuſdem Ordinis Elienſis diœceſis, ſub titulo pietatis beatæ Mariæ a nobili muliere Dionyſia de monte Caniſio, Eduvardi Regis conſanguinea, extructo, plures conceſſit Indulgentias, gratias & privilegia; eaque ſuſcepit ſub ſua & ſancti Petri protectione; deditque Sororibus obſervandam eamdem Regulam, quæ alias fuit tradita a Sede Apoſtolica Monaſterio Humilitatis beatæ Mariæ Virginis prope ſanctum Clodoaldum Pariſienſis diœceſis, ut nos

Tom. 4. an. 1263. n. 22.

ſuo loco narravimus. Univerſa etiam Monaſteria Ordinis ſanctæ Claræ exemit a ſolvendis decimis deputatis per Sedem Apoſtolicam in ſubſidium Regni Siciliæ recuperandi: *Sanctitatis & pietatis*. IX. Kalend. Januar. Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis ſive de Pœnitentia plures domos & loca in diverſis partibus Alemaniæ ſuperioris habentibus, in quibus ſub communi vita degebant, conceſsit ut Capellas ſeu Oratoria in eiſdem locis ædificare liceret: *Cupientes cultum divini nominis*. V. Idus Julii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Epiſtolæ diverſæ Pontificiæ in favorem Ordinis.

Indic. ex Vatic.

Ex Oder. n. 38.

Concedit Regulam ſanctæ Claræ Monialibus de pietate.

Wadd. ad hunc annum n. 18.

„ I. BOnifacius hujus nominis VIII. coronatus Romæ XVII. Kal.
„ Februarii, ut prædiximus, a ſua coronatione quinque poſt
„ diebus, Conventus ſancti Franciſci Aſſiſii, ad quem Raymundus
„ primicerius Religionis convocabat primorum Ordinis Generalem
„ cætum, Eccleſiæ conceſſit Indulgentias: *Ante thronum &c.* XII. Kal.
„ Februarii; & declinante Fratrum de Pœnitentia dictorum ſtatu,
„ Barchinone eorum ædes, ceſſuras in utilitatem noſtrorum, ſuppreſſit:
„ *Petitio dilectorum &c.* XV. Kal. Martii. Sed Cyprio Regi cupienti ſe-
„ cum duos Minoritas habere libenter annuit: *Grandis affectus &c.* VI. Idus
„ Martii. Scripſit ſubinde Friderico Principi Aragoniæ de ſuccurſu
„ Terræ ſanctæ: *Nobilitatem tuam &c.* V. Kal. Julii: noſtris interea
„ Pariſienſibus elargita quadam eleemoſyna: *Cum ſicut &c.* XII. Kal. Au-
„ guſti. Conſilio, & communi Venetorum pro rebus Paleſtinis ſcripſit:
„ *Quam gravis &c.* Idibus Auguſti. Sed Monialibus pietatis ita cupien-
„ tibus, Regulam ſanctæ Claræ indixit: *Cum omnis &c.* V. Kal. Septem-
„ bris. Pacem vero, & concordiam inter Clericos Parochiales, & Fra-
„ tres Minores, ac Prædicatores, circa prædicationes, confeſſiones,
„ ſepulturam, & canonicam portionem, inſtituere voluit, edita gra-
„ viſſima conſtitutione a Waddingo citata, quam hic nobis exhibere
„ viſum eſt.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro concordia inter Fratres Prædicatorum, & Minorum, & Clericos Parochiales.

In Clementinis de ſepulturis t. 1. 7.

„ 1. *SUper cathedram præeminentiæ paſtoralis, divina diſponente cle-*
„ *mentia, conſtituti, etſi multis & arduis, quæ in amplum Roma-*
„ *næ Curiæ alveum undique confluunt, quaſi torrens, prægravemur nego-*
„ *tiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur;*
„ *circa id tamen ferventibus votis intendimus, vacamus inſtantius, ac ope-*
„ *roſæ ſtudium ſollicitudinis impartimur, ut ad divini nominis gloriam,*
„ *exaltationem Catholicæ Fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis*
„ *radicitus diſſidiorum vepribus, & litigiorum anfractibus omnino ſubdu-*
„ *ctis) inter Eccleſiarum Antiſtites ad curam, & regimen gregis Dominici*
„ *deputatos, ceteraſque perſonas, quas Ordo Clericalis includit, pacis tran-*
„ *quillitas vigeat, fervor caritatis exæſtuet, invaleſcat concordiæ unitas,*
„ *animorum identitas perſeveret. Scimus enim, & ex evidentia facti colli-*
„ *gimus, quod nonniſi in pacis tempore, bene colitur pacis Auctor: Nec*
„ *ignoramus quod diſſenſiones, & ſcandala pravis actibus aditum præ-*
pa-

,, parant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis moribas auſum præbent.
,, 2. Ab olim ſiquidem inter Prælacos, & Rectores, ſeu Sacerdotes, ac
,, Clericos Parochialium Eccleſiarum per diverſas mandi Provincias conſti-
,, tutos ex una parte, & Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres
,, ex altera (pacis æmulo ſatore zizaniæ procurante) gravis & periculoſa
,, diſcordia extitit ſuſcitata, ſuper prædicationibus popalis faciendis,
,, eorum confeſſionibas audiendis, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tu-
,, malandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum ipſorum Eccleſias
,, ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam.
,, 3. Nos autem (pii patris more laudabili) moleſte ferentes incommo-
,, da filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac intra pecto-
,, ris clauſtra ſollicite revolventes, qaam ſic plena periculis, quam onuſta
,, diſpendiis, quamque in divinæ Majeſtatis conſpecta reddatur exoſa di-
,, ſcordia ſupradicta: & propterea intendentes paternæ ſollicitudinis ſtudio
,, illam prorſus evellere, ac omnino ſubmovere, nullis unquam futaris
,, temporibus, favente Domino, ſuſcitandam: grandi quoque deſiderio cu-
,, pientes, ut hujuſmodi negotium quod potiſſimam inſidet cordi noſtro,
,, finem ſalubrem & celerem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur,
,, diligenti cum Fratribus noſtris deliberatione præbabita ſuper eo, ad ho-
,, norem Dei, & exaltationem Catholicæ Fidei, quietum ſtatum partium
,, prædictarum, ac ſalutis animarum fidelium incrementum, de ipſorum
,, Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, ut
,, dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, & locis eorum, ac in plateis co- Statuit Pontifex ut Fratres libere valeant prædicare.
,, munibus libere valeant Clero, & populo prædicare, ac proponere Verbum
,, Dei, hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædica-
,, re voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qaa præ-
,, dicare ceſſabunt; præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate In Eccleſ. parochial. de conſenſu earum ſuper.
,, proceſſerit, ac licentia ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermo-
,, nes ad clerum ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolemni-
,, ter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſive
,, peculiaribus eorumdem Fratrum, poſſint iidem Fratres, & liceat eis
,, libere prædicare: niſi forte illa hora, qua ſolet ad clerum in prædictis
,, locis Dei Verbum proponi, Epiſcopus, vel Prælatus ſuperior ad ſe clerum
,, generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel cauſa urgente clerum
,, ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem parochialibus Fratres
,, illi nullatenus audeant, vel debeant prædicare, vel proponere Verbum
,, Dei, niſi forte prædicti a parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint vel
,, vocati, & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita licentia fuerit &
,, obtenta: niſi Epiſcopus vel Prælatus ſuperior per eoſdem Fratres prædi-
,, cari mandaret.
,, 4. Statuimus etiam & ordinamus auctoritate prædicta, ut ſingulis
,, civitatibus, & diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere
,, dignoſcantur, vel in civitatibus, & diœceſibus locis ipſis vicinis, in qui-
,, bus loca hujuſmodi non habentur, Magiſtri, Priores, Provinciales Præ-
,, dicatorum, aut eorum Vicarii & Generales, & Provinciales Miniſtri,
,, & Cuſtodes Minorum, & Ordinum prædictorum, ad præſentiam Præla-
,, torum eorumdem locorum ſe conferant per ſe, vel per Fratres, quos ad Ordinat ut poſſint confeſſiones audire.
,, hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, at Fratres, qui ad hoc
,, electi fuerint, in eoram civitatibus, & diœceſibus confeſſiones ſubdi-
,, torum ſuorum confiteri ſibi volentium audire libere valeant, & hujuſ-
,, modi confitentibus (prout ſecandum Deum expedire cognoverint) pœni-
ten-

,, tentias imponere ſalutares, atque iiſdem abſolutionis beneficium impen-
,, dere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem: ac deinde præfati
,, Magiſtri, Priores, Provinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum eli-
,, gere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas,
,, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exe-
,, quendum, quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari
,, Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in civitatibus,
,, & diœceſibus eorumdem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri
,, ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium
,, abſolutionis in poſterum impendant, prout ſuperius eſt expreſſum: extra
,, civitates & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volu-
,, mus, & non per Provincias deputari, confeſſiones nullatenus auditure.

Monet ſupr. Ordinum ſupradictorũ ad id eligere viros probatos &c.

,, 5. Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad hujuſmodi officium
,, exercendum eſſe debet prout univerſitas cleri, & populi multitudo, vel
,, paucitas exigit eorumdem.

,, 6. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi au-
,, diendarum concesserint, illam præfati Magiſtri, Miniſtri & alii cum
,, gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi
,, officium exequantur. Quod ſi forte jam dicti Prælati quemquam ex dictis
,, Fratribus præſentatis eiſdem ad hujuſmodi officium nollent habere, vel
,, non ducerent admittendum: eo amoto vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter
,, eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſubrogari.

,, 7. Si vero iidem Prælati præfatis Fratribus ad confeſſiones (ut præ-
,, mittitur) audiendas electis, hujuſmodi exhibere licentiam recuſaverint:
,, nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium libere liciteque
,, audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem
,, beneficium abſolutionis impartiri gratioſe concedimus de plenitudine
,, Apoſtolicæ poteſtatis.

Si eis licentia denegatur, vult Fratr. poſſe confeſſiones audire.

,, 8. Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis
,, ſeu Fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere
,, ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus eſt a jure
,, conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gra-
,, tiam ſpecialiter ducerent faciendam.

,, 9. Hujuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adjicimus,
,, ut Fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis, vel locis ſuis ubilibet conſtitu-
,, tis liberam, ut ſequitur, habeant ſepulturam, videlicet quod omnes ad
,, eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memo-
,, ratis.

Concedit liberã ſepulturam.

,, 10. Verum ne parochiales Eccleſiæ, & ipſarum Curati, ſive Recto-
,, res, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica Sacramenta, quibus noſcitur de
,, jure competere prædicare, ſeu proponere verbum Dei, & confeſſiones
,, audire fidelium, debitis & neceſſariis beneficiis defraudentur, cum ope-
,, rariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate Apoſtolica conſtituimus
,, & ordinamus eadem, ut dictorum Ordinum Fratres, de obventionibus
,, omnibus, tam funeralibus, quam quibuſcumque, vel quomodocumque,
,, relictis diſtincte, ad quoſcumque certos vel determinatos uſus, de quibus
,, etiam quarta ſeu canonica portio dari ſive exigi conſuevit, vel non debet
,, de jure, nec non de datis, vel qualitercumque donatis in morte ſeu mortis
,, articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodo-
,, cumque directe vel indirecte Fratribus ipſis vel aliis pro eiſdem quartam
,, partem (quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus)
pa-

De obventionibus ſtatuit quartam partem Curatis.

,, *parochialibus Sacerdotibus, ac Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis lar-*
,, *giri integre teneantur: facturi, & curaturi, quod nec alii, nec aliis a*
,, *quibus quarta hujuſmodi minime deberetur ad ipſorum Fratrum utilita-*
,, *tem vel commodum hujuſmodi fiant relicta, aut in eos taliter data, vel*
,, *donata procedant, ſeu quod in morte, vel ab infirmis hujuſmodi dandum*
,, *vel donandam Fratribus ipſis exiſteret, in eorumdem dantium, vel do-*
,, *nantiam ſanitate, ſibi dari vel donari procurent. In quibus per ipſos vi-*
,, *tandis eorum intendimus conſcientias onerare: ut ſi, quod abſit, per Fra-*
,, *tres ipſos dolo, vel fraude quidquam in hac parte agi fortaſſe contigerit*
,, *(præter id, quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus, & Cu-*
,, *ratis teneri volumas) etiam diſtricta ratio in extremi judicii examine re-*
,, *quiratur ab eis. Ultra portionem autem hujuſmodi nihil valeant Recto-*
,, *res Parochiales, Curati, & Prælati exigere ſupradicti, neque ad id poſ-*
,, *ſint a quoquam aliqualiter coerceri. Nos etenim (ut in cunctis æquali-*
,, *ter, & pacifice, favente Domino, procedatur) univerſa privilegia, gratias,*
,, *indulgentias, verbo ſeu ſcripto, ſub quacumque forma, vel expreſſione,*
,, *ſeu conceptione verborum, a nobis vel prædeceſſoribus noſtris Romanis*
,, *Pontificibus, cuicumque Ordinum prædictorum conceſſa, nec non conſue-*
,, *tudines, conventiones, ſtatuta, & pacta in quantum ſunt præmiſſis, vel*
,, *alicui præmiſſorum contraria, ea penitus revocamus, vacuamus, caſſa-*
,, *mus, & irritamus: quinimo caſſa, vacua, & irrita nunciamus & de-*
,, *cernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis.*

Confirmatio privilegiorum.

,, 11. *Ceterum univerſos Prælatos cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus*
,, *vel dignitatis exiſtant, ac Sacerdotes Parochiales, & Curatos ſive Recto-*
,, *res prædictos, præſentium tenore rogamus, & hortamur attente, nihi-*
,, *lominuſque eis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus pro divina, &*
,, *Apoſtolicæ Sedis reverentia, prædictos Ordines & profeſſores eorum haben-*
,, *tes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipſis non ſe difficiles, graves,*
,, *duros, vel aſperos, ſed potius favorabiles, propitios ac benignos, piaque*
,, *munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere: ſic eos in prædicationis offi-*
,, *cio, & propoſitionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis ſupradictis tan-*
,, *quam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes prompta*
,, *benignitate recipiant, ac affectuoſe admittere non omittant, ut proinde*
,, *illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum ſalutis in-*
,, *crementa fœlicia procurentur: nec ipſos lateat, quod ſi ſecus ab eis agi*
,, *fortaſſe contigerit in hac parte, Apoſtolicæ Sedis benignitas, quæ Ordi-*
,, *nes, & profeſſores eoſdem ubere favore proſequitur, & gerit in viſceri-*
,, *bus caritatis, contra eos non immerito turbaretur, nec eadem æquanimi-*
,, *ter pati poſſet, quin ſuper hoc proviſionis opportunæ remedium adhiberet,*
,, *ipſoſque nihilominus cæleſtis indignatio Principis digna pro meritis re-*
,, *pendentis, cujus obſequia Fratrum ipſorum ſedulitas curioſa proſequi-*
,, *tur, minime præteriret &c.*

Præcipit Rectoribus Eccleſiarũ ut benevole ſe habeant erga Fr.

Pœnam indicit adverſantib. Fratribus.

,, II. Præfatam conſtitutionem revocavit Benedictus IX. ſed inno-
,, vavit Clemens V. in Concilio Viennenſi. Hic eſſet locus Mari magno
,, Bonifacii in Ordinis noſtri favorem; at quod præ manibus omnium
,, ſit, ſufficiat indicaſſe: *Virtute conſpicuos &c.* III. Idus Novembris.
,, III. Inter eas diſſenſiones, quæ ſummi Paſtoris animum commo-
,, vebant, ut ex præallata conſtitutione elici poteſt, non eſt quod in-
,, crementa Ordinis retardarentur; etenim velut lilium inter ſpinas pe-
,, nitus illæſum imo potius ſotum proſperatur; ita ipſe in Eccleſiæ ſolo
ro-

Benedictus IX. revocat &c. Clemens V. innovat.

Indic. ex Arch. SS. Apoſtol.

Digitized by Google

,, rore cœli pingueſcens, calore gratiæ fotus, atque protectus mirum in
,, modum dilatabatur. Henricus Ridler Patritius Monacenſis Sorori-
,, bus tertiæ Regulæ S. P. F. hoc anno in Bavaria domum fundavit. Por-
,, ro Monachium in ſuperiori Bavaria ad Alpes & Auſtrum verſa, ex-
,, tructum fuit ab Henrico Regionis Duce, ſub Ottone I. Imperatore
,, anno CMLXII. Urbs eſt omnium pene germanicarum civitatum amæ-
,, niſſima inter fluvios Oenum, & Lycum; interque urbes Waſſelbur-
,, gum, Auguſtam, & Friſingam; etiam & inter lacus piſcoſos, & ſilvas
,, jucundiſſimas ſita: meridiem verſus reſpicit montes Tyrolenſes,
,, Orientem verſus hortos ſuburbanos, rivulis ex amne deductis diſtin-
,, ctos, inter quos ille Ducis cura, amplitudine, herbarum, florum-
,, que copia, & ordine, opere topiario illuſtris eſt. In eo, præter arti-
,, ficioſiſſimum fontem, & pergulam æſtivam, picturis, ſtatuiſque exor-
,, natam, hoc eſt memorabile, quod ſub crepuſculum veſpertinum
,, magnus Cervorum grex ſub ipſas fere feneſtras quotidie accedit: in
,, Urbe, Templa, turres, bibliothecæ, curia, forum, opificum, &
,, mercatorum frequentia, aliaque permulta, non ad uſum tantum, ſed
,, etiam ad ornatum, & ſpectantium ſtuporem, videre licet. Hac igitur
,, in urbe Henricus Ridler pro Sororibus præfatis hoc anno MCCXCV.
,, conſtruxit ædes, e quibus poſt prolixam centum annorum moram,
,, opera Gabrielis itidem Ridleris præfati Nepotis, ad aliam, ubi nunc
,, morantur, ædem translatæ fuerunt. Primo duodenarium ob angu-
,, ſtiam loci, nunc quadragenarium numerum ferme incolæ Sorores,
,, omni religioſitate, morum innocentia, & ſanctimoniæ vita conſpicuo
,, exemplo florentes, ſi non excedunt, æquant. Magnificentiſſimo Ele-
,, ctoris Sereniſſimi Palatio, ſicut & Fratres noſtri, ſuas ædes attiguas
,, habent; unde plurimus utriſque honos: optimi ſiquidem Principes
,, maxime religioni Minoriticæ favent, conſortioque Religioſorum haud
,, parum oblectantur. Vixerunt in eo Ridleriano Monaſterio nonnullæ
,, Sorores, ſanctioris vitæ fama conſpicuæ, & a Deo mirabiliter illuſtra-
,, tæ, quas etiam Raderus in ſua Bavaria ſancta commemorat, & nos ex
,, eodem ſuis temporibus in exemplum virtutis referemus.

Monachium in Bavaria deſcribitur.

Petr. Bert. in deſcrip. Bav. f. 330.

Henricus Ridler ibi Monaſt. conſtruit Sororibus tertii Ordinis.

Ejus benevolentia & familiarit. cum Relig.

,, IV. Ultimum tandem ſupplementi huic anno referendum, ut
,, injucundum & amarum, poſtremum locum occupat; at forte non
,, inutiliter, ſi ad animi diſciplinam reponetur in corde. Inſinuabamus
,, hic ſupra Raymundum Ordinis totius primicerium hoc anno convocaſ-
,, ſe ad Capitulum generale Aſſiſii celebrandum Fratres: igitur cum aliis
,, adfuit Theodoricus Miniſter Provinciæ Boemiæ & Poloniæ, qui reſti-
,, tuto ſuæ Provinciæ jure eligendi, quo a divo Bonaventura privata
,, fuerat, in Miniſtrum Sedeciæ Novæ electus evaſerat an. MCCLXXXVII.
,, ut alibi dictum eſt: ſicque miniſterium Provinciale, quod triennium
,, de more non excedit, novennale præter æquum ſibi confixerat; gu-
,, ſtato enim melle regiminis non ſatiabatur: ſed hujuſmodi vermes mel
,, apum tanta aviditate depaſcentes, abominatur ſapientis modeſta pru-
,, dentia: quamobrem Theodoricus ut fuit cum aliis, amarum, & in-
,, gratum verbum ut abſinthium: *Abſolvo te a miniſteriatu* a Raymundo
,, audire coactus, in propriam Provinciam vacuus, & inglorius rediit;
,, retulit nihilominus ſuis, ut alium ſibi eligerent in Miniſtrum, qui
,, congregati Gneſnæ in majori Polonia, fratrem Matthæum ad officium
,, miniſteriatus Provincialis concordibus votis aſſumpſerunt: & fuit hic
,, quintus decimus illius Provinciæ Miniſter.

Capitulum generale Aſſiſii.

Abſolvitur Theodoricus a Miniſteriatu Provinciæ Boemiæ.

Caſim. Biern. ar. 20. n. 4.

ARGUMENTUM.

Miſſo legato Minorita vocatur Romam Jacobus Rex Aragonius. Afficiuntur ſpecialibus gratiis Fratres plerique ad Tartaros perrecturi. Creantur aliquot Epiſcopi Minoritæ, atque inter hos ſanctus Ludovicus, cujus virtutes delibantur. Celebrantur Comitia generalia. Guido Comes Montiſfeltrenſis fit Minorita, necnon plerique alii viri Principes. Sanctus Antonius Patavinus miraculoſe impedit ne ſua expungatur effigies. Multiplicantur Conventus & privilegia.

I. NIHIL tam deſiderabat hoc tempore Bonifacius, quam Carolo Claudo Siciliæ Regnum vendicare; hujus tamen deſiderii potiundi ſpe ſe fruſtrari videbat, dum Siculi omnino detrectabant Gsllorum, quos valde offenderant, Imperium, & Fridericum Principem, Catanæ ad XVIII. Kalend. Aprilis, qui Annunciationis Virgineæ, & Reſurrectionis Dominicæ eo anno dies feſtus fuit, Panormi ritu ſolenni coronarunt. Quare juxta leges pacis & concordiæ cum Jacobo Aragonum Rege, Friderici fratre anno ſuperiori initæ, & a nobis relatæ, voluit omnia tranſigenda, eumque modis omnibus inducere, ut conatum omnem & artem adhiberet prædictæ Inſulæ Carolo recuperandæ. Ut itaque ſecurius & ſerius negotium hoc tractaretur, miſit in Aragoniam fratrem Leonardum Ordinis Minorum Provinciæ Romanæ Miniſtrum, virum gravem, & prudentem, quem anno ſuperiori ad Fridericum deſtinatum diximus in Siciliam, ut Jacobum Romam invitaret, & quantocius cum honore ſecum ad Pontificis conſpectum deduceret; cui amplam dedit auctoritatem quoſcumque Fratres vellet ex Provinciis, per quas tranſiret, in hunc finem aſſumendi: feliciter autem ille ſua legatione perfunctus eſt, adducto anno ſequenti ad Pontificem Jacobo, cui re ipſa probavit nihil ſibi magis cordi eſſe, quam pacis fœdera illæſa ſervare, & Pontifici per omnia obſecundare; ita ut bis contra Fridericum fratrem navali pugnarit exercitu.

Zurita l. 5. c. 16. & ſeq. Fazel. de reb. Siculis dec. 2. l. 9. c. 1.

Ann. 1295. n. 1.

Pontifex vocat Romam Regem Aragoniæ.

In litteris ſecretis ep. 5. & 6. Ann. 1295. n. 2.

II. Proceſſerunt per hæc tempora & præſertim ſub Nicolao IV. multi Fratres ad Tartaros Orientales, eos ad fidem allecturi, & ad opem ferendam Armenis contra Sarracenos ultimum eiſdem minantes exitium, provocaturi. Hos ſpecialibus gratiis proſequi voluit Pontifex, eamdemque peccatorum veniam indulſit, quæ transfretantibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali Concilio fuit conceſſa. Subjicio ipſum diploma.

Gratiæ conceſſæ euntibus ad Tartaros.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum in Orientalium Tartarorum partibus conſtitutis.

INter cetera deſideria cordis noſtri, hoc præcipuum, & potiſſimum fore cognovimus, ut cunctorum infidelium mentes errorum tenebris profugatis, Catholicæ fidei radio illuſtrentur, ut ipſi poſt vitæ præſentis excurſum, quæ nullius certitudinem ſtatus habet, mereantur æternæ beatitudinis effici poſſeſſores. Cum itaque zelo fidei, & devotionis accenſi ad partes Orientalium Tartarorum vos perſonaliter duxeritis conferendos, non vitatis laboribus, & anguſtiis plurimis, quos tanti negotii proſecutio ſecum trahit, ut illos ad ipſius cultum fidei, ſuperna vobis aſſiſtente clementia, convertatis.

Reg. Vat. ep. 417.

Nos digne pieque volentes vos & alios Ordinis veſtri Fratres, qui propter hoc ad partes eaſdem de voluntate, ſeu ſpeciali mandato Apoſtolicæ Sedis, vel Generalis Miniſtri Ordinis veſtri prædicti acceſſerint, ſpeciali proſequi gratia & favore, vobis & eis negotium proſequentibus ſupradictum illam peccatorum veniam indulgemus, quæ transfretantibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali Concilio eſt conceſſa. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Idibus Maii, anno II.

III. Aliis etiam honoribus proſequutus eſt Bonifacius Sodalitium aliquot ex eodem ad graves Eccleſias regendas aſſumens. Præfecit Eccleſiæ Piſaurienſi (in vetuſtis monumentis Penſaurienſi) ſub Ducatu & Archiepiſcopo Urbinate, per mortem Salui Epiſcopi vacanti, quemdam fratrem Petrum Provinciæ Campaniæ Cuſtodem: *In ſupremæ dignitatis* Kalend. Januarii. „ Hunc præceſſit in eodem Epiſcopatu ſub annum „ MCCLXXXII. frater Franciſcus Minorita, qui deceſſit an. MCCLXXXIII. „ Petrus autem fuit totius Ordinis Minorum ex conceſſione Clemen- „ tis V. privilegiorum Conſervator, obiitque circa annum MCCCXV. „ Eccleſiæ Lodonenſi, aliis Lodovenſi, ſub Archiepiſcopatu Narbonenſi, vacanti per translationem Gaucelini de Lsgarda, ad Eccleſiam Magalonenſem paſtore deſtitutam, per mortem Berengarii, Epiſcopum dedit fratrem Iterium de Burdegala: *Paſtoralis officii*. XVI. Kalend. Januarii; ex quo conficitur non accepiſſe primum præſulem Eccleſiam Lodevenſem a Joanne XXII. uti ſcribit poſt Maſſonum Aubertus Myræus, quod & me prior admonuit Claudus Roberti, probatque ex vetuſta ſerie multorum ſeculorum, quibus creati, & conſervati ibidem Epiſcopi, in qua tamen hunc noſtrum præteriit Iterium, & in ſerie Epiſcoporum Magalonenſium prædictum Gaucelinum, qui inter Berengarium & Petrum de Mirepoix venit connumerandus. Aſſumptum etiam hoc anno ad Archiepiſcopatum Dublinienſem in Hibernia fratrem Guillelmum de Bothum referunt monumenta quædam MSS. illinc ad me tranſmiſſa, eumdemque obiiſſe anno MCCXCIX. ſed ex regeſto Vaticano mihi conſtat III. Idus Junii ad hanc dignitatem fuiſſe provectum, & Ordinis fuiſſe Prædicatorii, atque ita ſcribunt Pitſeus, Leander Albertus, & Antonius Senenſis qui varie illum cognominant. Obiiſſe ait Pitſeus Divioni, dum in Angliam rediret XXVII. die Auguſti. Electus etiam hoc anno pro Epiſcopatu Fulginatenſi in Umbria & Provincia Romaua per viam compromiſſi frater Jacobus Anaſtaſii de Fulgineo; ſed eum noluiſſe acceptare oblatam dignitatem refert Pontifex eo diplomate, quo fratrem Bartholomæum tunc Abbatem Monaſterii Sublacenſis eidem præfecit Eccleſiæ.

Fr. Petrus Epiſcopus Piſaurienſis.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Frat. Iterius de Burdegala Epiſcopus Lodovenſis.

Auber. Myr. in Geograph. Eccl. Claud. Rober. de Epiſcop. Lodoven.

Fra. Guillelmus Ordinis Prædicatorum Archiepiſc. Dublinien.

Epiſt. 995. Pitſ. de ſcriptor. Anglic. ad ann. 1298. Leander de viris illuſtr. Præd. Senenſis in Chro.

Fr. Jacobus Anaſtaſii electus Fulginaten.

IV. Nobiliorem his omnibus in gravi inſtituit Eccleſia Epiſcopum Ludovicum Caroli Regis Siciliæ filium, in Eccleſia nimirum Toloſana; poſtquam tamen Fratrum Minorum veſtem & Inſtitutum aſſumpſit: *Fons ſapientiæ* IV. Kalend. Januar. Hujus vero res hoc anno geſtas, poſtquam e Montepeſſulano (ubi votum de ſubeunda vita Minorum repetiiſſe coram multis aſtantibus diximus ſuperius) receſſit, paulo ſerius enarrare operæpretium eris, nam ad reliquam ejus hiſtoriam valde conducit.

S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus.

Ann. 1295. n. 7. Marian. cit. cap. 21. Joann. Villan. l. 8. c. 15.

V. Voluit ſane ille apud Montis-peſſulani Patres, iterati voti teſtes, remanere, & eorum veſtem aſſumere; ſed hi petenti dare non ſunt auſi, timentes Regis patris adoleſcentis, tunc in urbe præſentis indignationem. Illinc cum patre recedens venit in Italiam, & Florentiæ obviam habuit matrem ſuam Mariam Hungaricam, & Carolum Martel-

Venit cum patre Florentiam.

tellum fratrem primogenitum, jam renunciatum ex jure materno Regem Hungariæ, qui magno comitatu & apparatu, adjuncto ſibi itineris Comite Marchione Montis-ferrati, illuc venerunt, Regem & filios excepturi. Regina in omnium amplexus & oſcula gratulabunda irruit; ſed verecundus & pudicus juvenis Ludovicus faciem a genitricis labiis avertit, nec ſe oſculari permiſit: cui dum mater, ſe matrem eſſe recordaretur; neque in caſto materno oſculo eſſe Numinis offenſam; demiſſo & reverenti vultu reſpondit: *Scio mater, te matrem eſſe; ſed nec ignoro te mulierem eſſe, quam non licet ſervo Dei oſculari.* Florentia ubi per xx. dies commorati, & honorifice a civibus excepti, recedentes venerunt in Urbem; ubi repetitis pacis conditionibus cum Aragonio peractis, & compoſitis, vel præmeditatis quæ agenda erant pro vindicando Siciliæ dominatu, abierunt Neapolim. Hic conſecratus eſt Ludovicus Diaconus, & Sacerdos in æde ſancti Laurentii Fratrum Minorum, nullum permittens ſibi honorem præ ceteris ordinandis impendi; ita ſe gerens quaſi omnium minimus & poſtremus. Summus Pontifex ſe conſecraturum illum Sacerdotem pollicebatur modo accederet; noluit venire, ſed honorem hunc humilitate declinavit; quod & fecit dum in Urbe Minores Ordines, & Subdiaconatum ſuſciperet ſub Natali Domini, atque inter ordinationem ipſam ſingulorum Ordinum officiis voluit perfungi, & inter pueros ſe conſtituens, non eſt dedignatus cereum geſtare, & Acolythi officium adminiſtrare. Toto vero illo ſacrificio, quo ſacerdos conſecrabatur, non ceſſabat lacrymarum irriguum profundere, contemplans Ordinis illius, ac ſtatus ſublimem dignitatem. Porro ut diſciplinæ Eccleſiaſticæ legibus, & ſacerdotii rite ſubeundi cæremoniis perfectius edoceretur, extra Neapolim quodam in loco, Fratrum Minorum habitationi ſe adjunxit, eorumque diſciplinis ſane ſanctiſſimum animum egregie informavit.

Non ſe permiſit a matre oſculari.

Sacros ſuſcipit Ordines.

In iis ſuſcipiendis humilitas.

VI. Vacavit ſub hoc ipſo anno die vi. Decembris per mortem Hugonis Maſcarii Eccleſia Toloſana, in Gallia illuſtris, tunc Epiſcopalis; ſed per Joannem XXII. anno MCCCXVII. ut commemoratur in jure Canonico, Archiepiſcopalis facta: quare Bonifacius longe antea Ludovici pietate perſpecta, pariterque prudentia ac eruditione ſingulari cognita, eum ad Sedem illam adminiſtrandam evocavit. Recuſavit conſtanter Ludovicus, negavitque ſe aliquod muneris Eccleſiaſtici officium ſuſcepturum, niſi prius in verba, Regulamque divi Franciſci ſolemni profeſſione juraſſet, ſeſeque totum ſanctiſſimo illi Inſtituto conſecraſſet. Mirabatur Bonifacius viri humilitatem, & Fratres, proceresque, qui eum comitabantur, ab hujuſmodi cogitatu toto conatu nixi ſunt eum retrahere: ille vero totus in amore Chriſti abſorptus, firmiter ſtatuit non prius aſſentiri, quam voto, quo tenebatur, ſe liberaſſet. Summo autem Pontifice devotioni ejus annuente, profeſſus eſt Inſtitutum ſancti Franciſci Romæ in Conventu Aracœli in vigilia Nativitatis Dominicæ, ſuſceptus a fratre Joanne de Muro hoc anno, ut mox dicemus, creato Miniſtro generali, in cujus manibus eodem ipſo die auctoritate Pontificia ſolemnem emiſit profeſſionem; & mox ſub veſpere illius diei declaratus eſt Epiſcopus Toloſanus. Et ne pater offendi poſſet, indulget Pontifex, ut occultata monaſtica veſte, donec Regis conſenſum extorqueret, uteretur vulgari habitu Clericorum, quo etiam aliquo tempore uſus fuit: ſed non ita diu poſt, inſtinctu Spiritus ſancti, & amore Chriſti, ad cujus exemplum, & voluntatem ſe modis omnibus conformare ſatagebat; illum cultum honoratiorem poſuit; ipſaque die ſanctæ Aga-

Salvator de præbend. in extrav. comm.

Surius 19. Aug.

Anonym. apud Sedul. c. 11.

Marian. cit. c. 12.

Petrus de Natal. lib. 7. cap. 77.

Non vult accipere Epiſcopatū niſi prius fiat Minorita.

Hoc anno n. 7.

thæ ſacra, duobus Cardinalibus Minoritis Matthæo Aquaſpartano Epiſcopo Cardinale Portuenſi, & Jacobo Anagnino tituli ſancti Clementis Pontificis nepote præſentibus, indutus vili tunica, & fune præcinctus ad præſcriptum Regulæ ſancti Franciſci, a Capitolio uſque ad Palatium ſancti Petri nudis pedibus conſpectus eſt inceſſiſſe. Hæc autem & quæ ſequuntur vitæ geſta, cum ad ſequentem annum attineant, eo remittimus tractanda.

Elogia quibus eum inſignivit Pontifex.

VII. In bulla aſſumptionis ad Pontificatum *Ordinis Minorum profeſſorem, ſublimibus natalibus ortum, & utriuſque parentis progenie Regali præfulgentem, eminenti litterarum ſcientia præditum, vitæ munditia redolentem, gravitate morum, & conſilii maturitate conſpicuum, aliarumque donis virtutum ab Altiſſimo multipliciter decoratum*, eum Pontifex appellat; deinde diſpenſat cum eodem ſuper ætatis defectum, non enim vigeſimum primum excedebat annum; ſed & Bartholomæus Piſanus unde viginti dumtaxat ei tribuit, quando habitum Minorum aſſumpſit, quod minime cohæret anno & menſi nativitatis a nobis ſuperius ſtatutis, videlicet ducenteſimo ſeptuageſimo quinto ſupra milleſimum, & menſi Februarii, a quo ſi ad finem uſque hujus anni, ſcilicet ad vigiliam Nativitatis enumeraveris, computabis annum unum ultra viginti fermeexpletum. Atque hæc magis concordant cum auctore vitæ ejuſdem apud Sedulium, quem coævum, & ſancto Viro familiarem diximus alias, qui ſcribit quartum decimum jam annum agere cœpiſſe cum obſes mitteretur in Hiſpaniam, deinde ibi hæſiſſe annis circiter ſeptem: quibus ſi addas integrum nunc annum decurſum a reddita libertate, ſane hic numerabitur annus vigeſimus primus ætatis ejuſdem; a quo non inaniter ita ſtabilito, clarius inferetur annus mortis, circa quem explicandum denſæ etiam ſe offerunt tenebræ, & variæ Scriptorum opiniones. De alterius tamen Epiſcopi Minoritæ, videlicet Conradi Probi Tullenſis Antiſtitis (cujus facta ſuperius recenſuimus) obitu clarius conſtat ex fragmento hoc quod ſubjicimus, nobis tranſmiſſo ex codice vetuſto pergameno MS. Conventus ſanctæ Eliſabethæ Fratrum Minorum, in quo indicantur dies depoſitionis & obitus Fratrum. Ita habet ſub hoc anno: *Duodecimo Kal. Septembris obitus Domini Conradi bon. mem. quondam Tulli Epiſcopi. Fuit Ordinis noſtri, qui pro majori parte ædificavit Conventum iſtum. Hic venerabilis Antiſtes primo fuit lector ſolemnis, & deinde Miniſter in Alemannia ſuperiori, cujus vita toti Ordini fuit laudabilis, imitabilis, utilis, & mirabilis, ita ut poſt mortem multa etiam miracula Dominus dicatur feciſſe per eum. Fuit autem electus in Epiſcopum anno* MCCLXXX. *vel circa; anno videlicet ab inſtitutione Ordinis noſtri* LXXIII. *Et decem & ſeptem annis propriam Sedem Epiſcopalem laudabiliter tenuit & rexit*. Verum vero facile concordat, & hæc optime cohærent iis, quæ ſupra de hoc venerabili Antiſtite ex aliis collegimus hiſtoriis.

Quo anno factus Epiſcopus.

Piſan. confor. 8.

Tom. 4. an. 1275. n. 4.

Tom. 4. an. 1275. n. 4.

Obitus Conradi Tullen. Epiſcopi.

Ann. 1279. n. 27.

VIII. Hoc anno in ipſis feriis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli convocavit Pontifex ad Comitia generalia præcipuos Ordinis Patres ad civitatem Anagniæ in Provincia Romana, in quibus præſidente ipſo Bonifacio Pontifice, electus eſt in quartum decimum Miniſtrum Generalem frater Joannes de Muro Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, vir prudens & doctus, Sacræ Theologiæ Magiſter; quem paulo ante diximus ſanctum Ludovicum ad Ordinem ſuſcepiſſe. Acta hujus Capituli non eſt qui recenſeat.

Capitulum Generale 31.

Joan. de Muro 14. Miniſter generalis.

IX. Guido Montis-Feltrii, & Urbini Comes, cujus poſteri ſunt ho-

hodie Principes & Duces Urbinates, tota notiſſimus Italia ob potentiam, gloriam militarem, devictas gubernataſque in Flaminia, Lombardia, aliiſque partibus Civitates, Pontificiis copiis, & Eccleſiæ confœderatis frequenter infenſus, atque exinde Pontificibus Romanis inviſus; jam bellorum pertæſus, in gratiam Sedis Apoſtolicæ rediturus, & pro injuriis quibuſque in bello illatis ſatisfacturus, cum Cœleſtino V. deinde cum Bonifacio ejus ſucceſſore, ſupplex ad illorum pedes dejectus, egit ut in gratiam reciperetur; & tamdem quibuſdam acceptis datiſque conditionibus, hoc anno obtinuit; promittens ſe imperata Eccleſiæ facturum; addiditque ad majorem confirmationem contriti animi, & veræ pœnitentiæ ſe velle addicere Religioni Minorum, vel uni ex Militaribus. Bonifacius videns hominem vere contritum, & promovere volens pium ejus deſiderium, ſcripſit ad Miniſtrum Provinciæ Marchiæ, intra cujus limites Principatus & Dominium erat Guidonis, ſequentes litteras, quarum exemplar ex ipſo originario diplomate obtinui ex Archivo Patrum Conventualium urbis Anconitanæ, quod ad majorem rei auctoritatem & fidem ſubjicio.

Guido Montis-Feltrii fit Minorita.

Rubeus in hiſt. Raven. l. 6. an. 1295.

Dilecto Filio Fratri N. Ordinis Minorum Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Miniſtro &c.

X. *Dilectus filius nobilis vir Guido Comes Montis-Feltrii tam per ſeipſum, quam per fide dignas perſonas, aperiens votum ſuum nobis pluries intimare curavit, quod ipſe reverſus ad cor, deſiderat & proponit pro diluendis peccatis ſuis, quibus Deum, & Romanam Eccleſiam matrem ſuam offendit, ſub Religionis habitu finire in Dei ſervitio dies ſuos, maxime cum conjugis ſuæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ caſtitatis, ad hoc accedat aſſenſus. Nos itaque devotionem ſuam, quæ prudenter ſpiritum conſilii velle videtur admittere, in Domino commendantes, ut votum ſuum hujuſmodi libentius proſequatur, volumus ut de bonis mobilibus, quæ nunc habet, ſuam poſſit remunerare familiam, & de immobilibus conjugis ſuæ tantum ſupra ſortem ſuarum dotium aſſignare, quod centum libras Ravennatum, quoad vixerit, habeat annuatim; prius inter ipſum & eamdem conjugem, ut moris eſt, ea ſolemnitate qua decet, poſt votum caſtitatis emiſſum, divortio celebrato, prædicta vero mobilia, quæ remunerationi familiæ ſuæ ſupererunt in quacumque materia, vel forma, in aliquo loco ſecuro, & apud fideles perſonas interim deponi volumus, & ſervari; donec tam de mobilibus, quam de immobilibus, quæ in præſentiarum poſſidet, aliud duxerimus ordinandum. Volumus etiam, præfatam conjugem ſuam propter annoſa inſuſpicabilis ætatis ſuæ tempora, poſſe in ſtatu, in quo nunc eſt, ſi ad Religionem induci non valeat, licite permanere. Quocirca diſcretioni tuæ præſentium tenore committimus & mandamus, quatenus ad eumdem nobilem te perſonaliter, ſi in hujuſmodi propoſito, ſicut credimus, perſeverans, Religionem velit intrare, recipias, & facias in manibus, & per manus tuas omnia, quæ circa emiſſionem votorum, & celebrationem divortii prædictorum conjugum, receptionem ipſius Guidonis ad Religionem, prædictorum diſpoſitionem, ipſorum mobilium requirentur, & alia quæ circa id videris facienda, nobis per tuas litteras reſcripturus, quod factum & ordinatum fuerit in præmiſſis. Ceterum licet ſibi in noſtra præſentia conſtituto dixerimus, quod ſive in Fratram Militantium, ſive in Minorum Ordinem vellet intrare, opportunam ſibi viam & auxilium præberemus, & in*

utro-

utroque ipſorum ſalutarem & devotum Domino poſſe impendere famulatum: De Minorum tamen ſibi potius, quam Militantium Ordine per te nolumus ſuaderi quidquam; quia, quamvis Minorum Regula dignoſcatur aſperior, perſonarum tamen conditioni, qualitati mentis & ætati, plenius & melius in omnibus & per omnia integra libertas condeſcendit. Datum Anagniæ x. *Kal. Auguſti Pontificatus anno* II.

Rub. cit. an. 1296.

Bzovius anno 1297. n. 12.

XI. Juxta commiſſionem hanc ſibi datam fecit Miniſter; neque multis opus fuit homini perſuadere quidquam; quippe qui pium & ſanctum deſiderium quantocius voluit adimplere: neque rem protraxit in longum, nam ad XV. Kal. Decembris (verba tranſcribo ex Hieronymo Rubeo graviſſimæ hiſtoriæ Ravennatis auctore): *Die Divi Gregorii cognominati Thaumaturgi memoriæ dicato, vir militaribus Imperiis, & gloria ubique florentiſſimus, Ordinis Franciſcani habitum induit; & quam in omni actione expediti, præſtantiſque viri perſonam præ ſe tulerat, eam in tanta morum ac vitæ diverſitate egregie præſtitit.* Huc uſque Rubeus; cujus verba tranſcripſit, ipſo citato in margine Abrahamus Bzovius; duplicem tamen admiſcuit errorem: quod enim Rubeus factum refert ſub hoc ipſo anno, Bzovius recenſet anno ſequenti; & dum ventum eſt ad illa verba· *Ordinis Franciſcani habitum induit*, ſuppoſuit Bzovius *Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis habitum induit*. In ceteris fidelis tranſcriptor, in hoc ſolum licuit, vel voluit errare. Neſcio cur unicum quem præfert, & cujus verba omnia repetit, auctorem non ſequatur; niſi potius eligat videri aliqualem hunc honorem Franciſcanis denegare, quam fidelis hiſtorici partes adimplere, & aliis qnibuſcumque Inſtitutis velle etiam alienos attribuere, quam proprios Minoritis adſcribere. Et certe Rubeus unicus ſui aſſerti auctor, non in uno loco Guidonem Franciſcanum fuiſſe commemorat; ſed & eorum habitum induiſſe ſcribit, & in eodem mortuum commemorat. Nam poſt unum vel alterum folium ſub anno MCCXCVIII. ita babet: *Tertio Kal. Octobris Guido Montis-Feltrii Comes, Franciſcano jam habitu, ut ſupra memoravimus, indutus Anconæ, migravit ex hac vita.*

Ubi obierit?

Marian. cit. c. 12.

Peruſin. in Chron. ant.

Dantes l. 1. cant. 27.

Qua ſalutis ſpe.

Chriſtophor. Landinus in comment.

XII. Indutum habitu Anconæ in provincia Marchiæ, & ſub illo Provinciali, cui tranſmiſſæ litteræ Pontificiæ, Aſſiſii obiiſſe ſcribunt Marianus, & Jacobus quidam Pernſinus, qui Guidoni convivebat; ajuntque in profunda humilitate, & continua oratione laudabiliter converſantem, dies ſuos abſolviſſe. At Dantes Poeta licentia illa, qua Vates utuntur ad comminiſcendum, fingit eum diras in Inferno pœnas luentem, valde de ſua ſorte conqueri, quod reductus ad ſecurum aſylum Religionis Minorum, voluerit acquieſcere Bonifacio Pontifici contra Columnenſes belligeranti, & vafrum ei præbuerit conſilium per quod Præneſtinam devicit, & deſtruxit Civitatem. Etenim uti Poetæ Commentator adjungit, cum omni conatu & armis contra Sciarram Columnenſem, Petrum & Jacobum Cardinales ejuſdem conſanguineos, Bonifacius egiſſet, nec Præneſtinam urbem, in qua ab ejus ſe defendebant potentia, ſuperare potuiſſet; volebat nt Guido pro ſua militari peritia, & in expugnandis arcibus antiqua gloria, pridem rejecta vellet reaſſumere arma, & ducem exercitus Pontificii ageret contra hoſtes; quod dum ille omnino renueret, præferens religioſam, quam guſtare cœperat, quietem militaribus tumultibus, ſecundo & tertio interpellatus a Pontifice vafrum adhibuit conſilium, quo Columnenſes, ut ſe dederent,

Pon-

Pontifex induxit, arcemque obtinuit, & urbem ad ima demolitus eſt fundamenta. At domeſtici teſtes, & ſerii Scriptores, dicentes hominem in ſancta humilitate & perpetua oratione reliquos vitæ dies tranſegiſſe, & quam laudabiliter obiiſſe, præferendi ſunt Poetarum commentationibus, qui eo ſunt celebriores, quo in fingendo peritiores.

Plures viri illuſtres ſunt Minoritæ.

Guillelmus Marchio Malæ ſpinæ, ejuſque nepos.

BonaventuraComes Montis-Dolii.

Simon Comes Pupii.

XIII. Multi alii præclari viri & illuſtres Principes Italiæ idem amplexi ſunt Inſtitutum; quo tamen certo tempore non omnino habemus compertum. Sequentes recitat Marianus. Ex Marchionibus Malæſpinæ Guillelmum & Barnabam nepotem, quos Principatu relicto, pie & humiliter ſe vidiſſe in Ordine per aliquot annos viventes ſcribit prædictus Jacobus Peruſinus. Bonaventuram Comitem de Monte-Dolio, qui ſecundo factus eſt Miniſter Provinciæ ſancti Franciſci, & obiit in Miniſteriatu. Simonem de Battifolio Comitem Pupii, qui cum eſſet Tertii Ordinis ſancti Franciſci, votum emiſit, quod ſtatim, ut obtineret ſucceſſorem, cui Comitatum relinqueret, communi conſenſu, ille Minorum, uxor Clariſſarum Inſtitutum ſuſciperent; ſed ante obtentam prolem gravi correptus infirmitate, habitum petiit, & induit, in quo mortuus eſt, & ſepultus apud Minores Pupienſes. Bonifacium, filium Comitis Raynerii de Depnonaco de Piſis, qui poſt aliquot annos in Ordine pie tranſactos factus eſt Epiſcopus in regno Sardiniæ. Bandinum de Comitibus de ſancta Flora, qui diu in Religione vixit, & pie in Chriſto quievit. Albertuccium de Comitibus de Mangona, qui in adoleſcentia omnibus gratus & amabilis in Ordine deceſſit. Tondellinum de Comitibus de Gangalanda, qui uſque ad ultimam pervenit ſenectutem in Religione. Marianum de Monte-Mellino Clericum nobilem eruditum J. C. & publicum Profeſſorem in plerisque Academiis, qui obiit in officio Miniſteriatus provinciæ Bononiæ. Ludovicum filium Comitis Bandini de Monte-Granello Romandiolæ, qui adoleſcens ingreſſus eſt Religionem; ſed parum ſupervixit. Hi ut plurimum, inquit ſupradictus auctor, fuerunt ex partibus Tuſciæ: quod ſi in ſola illa regione tot viri Illuſtres ſuum nomen dederunt Ordini Minorum; quid ſuſpicandum eſt de ceteris Italiæ provinciis, & de integris Hiſpaniæ, Franciæ, Germaniæ, aliiſque ampliſſimis nationibus?

Bonifacius filius Comitis Raynerii.

Bandinus ex Comitibus S. Floræ.

Albertuccius de Mangona.

Tondellinus de Gangalanda.

Chronic. antiq. Vita ſancti Antonii MS. c. 55. Marc. lib. 5. c. 21. An. 1291. n. 15.

Expungi vult Bonifacius imaginē ſancti Antonii in Laterano.

XIV. Memorabile illud eſt, quod de ſancti Antonii imagine Muſivo opere in abſida Lateranenſi expreſſa ſub hoc tempore referunt Chronica noſtra antiqua, & alii vetuſti Scriptores. Muſivi operis artifices, quos Minoritas diximus ſuperius, ex affectu Nicolai IV. Pontificis etiam Minoritæ, qui hoc opus fieri curavit, erga ſanctos Franciſcum & Antonium, utriuſque Sancti effigiem inter Apoſtolorum imagines repoſuerunt. Bonifacius Papa ad Pontificatum evectus, indignum judicavit, ut communem haberent hi duo recentiores Monachi cum Apoſtolis Eccleſiæ Principibus locum; attamen tolerandam judicavit ſancti Franciſci iconem: *Vir quippe fuit*, inquit, *vere Apoſtolicus, & magni Sodalitii Inſtitutor: at vero ut ejus etiam diſcipulus inter Apoſtolos videatur, non omnibus apparebit rationabile*. Juſſit itaque omnino expungi, & ejus loco ſanctum Gregorium reponi. Executuri operarii Pontificis mandatum; dum tabulatum aſcendunt, & tollere conantur Antonii memoriam; ad primum ictum, magno impetu repelluntur; & ex alto dejiciuntur, prorumpente ex ipſa imagine virtute & violentia, qua deturbati ſunt, uti ipſi Pontifici retulerunt. Quo audito, judicavit ſatius eſſe non offendere Sanctos, & periculoſum nimis eſſe delere velle illorum me-

Id tamen Sanctus non permiſit.

Periculoſū Sanctos offendere.

Prov. 20. 25.
Hieron. in hunc locum.
Pſ. 135. 17.

memorias; ſcriptum eſt enim: *Ruina eſt homini devorare*, ſive ut habent plerique codices vulgatæ antiquæ, *devotare Sanctos*: *Cum enim peccatum ſit ulli hominum nocere*; *Quanto majus eſt, cum quis Sanctos Dei offenderit, ſive læſerit, & quaſi vile mancipium pro libito ſuæ voluntatis eos tractare non timuerit*? Profecto *nimis honorati ſunt amici Dei*, *nimis confortatus eſt principatus eorum*, ut temere quis audeat, vel ipſas illorum umbras offendere, aut depicta ſimulacra delere: Minimas quaſque ſibi illatas offenſas Viri ſancti non relinquunt inultas; qui eo gravius ſuas ulciſcuntur injurias, quod non tam ſemetipſos, quam Deum ſui honoris auctorem offendi, ipſo quod inferunt ſupplicio aperte demonſtrant: Virtus enim & potentia ſupplicii teſtificatur ſententiam a Deo per Sanctum ſuum proceſſiſſe, non ex livore vindictæ, ſed ab examine & virtute juſtitiæ. Antonii hæc in ſuos expunctores ſevera animadverſio: *non fuit hominis ira commoti*, *ſed Sancti doctrina tranquilli*, qui a ſuo Magiſtro dictum eſſe cognovit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Ne ergo Deum in ſe contemni permittant, ſuos contemptores Viri ſancti juſte caſtigant. Ad dignam rei memoriam adhuc ictus mallei in Sancti perſeverat capitio, & hiſtoriæ veritatem perpetua ſemper commendavit traditio.

Gregor. 4. Moral. c. 6.
Luc. 10. 16.

Conv. Naneti.
Gonzag. in Prov. Turo. Con. 14.
Fr. Julianus David.

XV. Hoc anno Conventum intra mœnia urbis Naneti in Britannia conſtruxerunt Guillelmus de Rieux, & Anna a Maſcolio viri clariſſimi. Hic initiatus vir doctus frater Julianus David olim Provinciæ Turoniæ Miniſter, & ſacræ Theologiæ Magiſter, qui inter Hiſpanos & Italos in publicis Comitiis ſuæ eruditionis ſpecimen dedit, & præclaros creavit Lutetiæ diſcipulos, qui Academiam illam inſignem plurimum illuſtrarunt. Obiit Naneti anno MDLXXIII. apud ſuos conſodales ſepultus honorifico ſepulcro. Ex monumento Vaticano, quo Pontifex componit moleſtam, & inveteratam diſcordiam inter Decanum & Capitulum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ villæ Belnen. Eduenſis diœceſis, & Guardianum, & Fratres Conventus Belnenſis, conſtat jam ante hunc annum domicilium ibidem habuiſſe Minores. Extructum ait Gonzaga, a generoſo Domino de Vienna, tempus tamen omnino eſſe incertum. Hujus loci Alumnus fuit Petrus de Cornibus vir doctus, in pretio habitus a Franciſco Rege Galliarum. In agro Eugubino ad Apennini latus in oppido Ceſtaciarii ædificare cœpit alterum Joannes Bonavita Eugubinus Syndicus, & procurator Conventus die VII. menſis Auguſti hujus anni; conſtructum demum Fratribus donavit, donationemque confirmavit Dominus Bonaventura Epiſcopus Eugubinus. Fuit autem unita quædam Eccleſia præfato Conventui a Domino Franciſco Fagnano, Vicario Domini Friderici Frigoſi Epiſcopi Eugubini die IV. Maii MDXVIII. tempore Leonis Pontificis Maximi, quam reliquerat Magiſter Antonius Andrioli de Coſtaciario die XX. menſis Junii anno MCCCCXL. tempore Eugenii IV. Pontificis Maximi cum reditu florenorum 72. ea lege & pacto, ut celebretur una Miſſa in menſe. Habuit hæc domus viros inſignes Magiſtrum Bonaventuram Pium, virum in omni diſciplinarum genere eruditum, & præcipue in ſchola Doctoris ſubtilis: fuit etiam Eccleſiaſtes ſuo tempore clarus, & Generalis Ordinis, demum Epiſcopus Aquenſis; & poſtea floruerunt alii Viri doctrina & auctoritate, præcipue Inquiſitionis officio præſtantes.

Conv. Belnenſis.
Epiſt. 474. data 12. Kal. Octobr.
Idem in Provin. ſancti Bonaven. Con. 10.
Fr. Petrus de Cornibus.
Conv. Ceſtaciarii.
Rodul. in Prov. ſancti Franciſci & Cuſtod. Eugub.
Bonaventura Pius.

Idem in Provin Bonon. & Cuſt Ferrar.
Conv. Rhegii Lepidi.

XVI. Hoc etiam anno, ait Rodulphus, conceſſum fuiſſe Fratribus per Fridericum Imperatorem palatium ſuum, quod habebat Rhegii Lepidi in Æmilia, ſimul cum Sacello annexo D. Lucæ ſacro, & donationi huic

huic conſenſiſſe ſanctam Sedem Apoſtolicam, eamque confirmaſſe Rodulphum Imperatorem, ea tamen appoſita conditione, ut ſi Imperator aliquando Rhegium adveniret, in Conventu Fratrum, niſi aliunde commodius, poſſet habitare. Executorem gratiæ a ſe factæ dedit Sedes Apoſtolica Epiſcopum Rhegienſem, vel ejus loco Martinum de Pio Canonicum Mutinenſem; atque de his extare, ait Rodulphus, Pontificium, & Imperatorium diploma. Cum vero Fridericus obierit anno MCCL. & Rodulphus anno MCCXCI. uti alias ſcripſimus de utroque, vel non potuit Fridericus hanc donationem facere, vel omnino eſt error in notis numerorum, quod mihi facilius perſuadeo. Floruerunt hic varii Patres poſterioris ætatis, qui diverſis ingenii ſui artibus Conventum illuſtrarunt.

Tom. 3. an. 1251. n. 1.
An. 1291. n. 4.

Conv. Victoria.
Tom. 1. An. 1214. n. 1.

XVII. Obiit hoc anno nobiliſſima fœmina Berenguella sereniſſimi Joannis Caſtellæ Infantis filia, a qua, diximus alias, Conventum Victoriæ originem accepiſſe. Teſtamento legavit quaſdam facultates, ut opus a ſe inchoatum abſolveretur ab hæredibus, quod & illi fideliter perfecerunt. Ejus corpus in medio majoris Sacelli honorifico conditum eſt mauſolæo. In eodem Sacello ad dextrum altaris latus ſepulcrum Comitum de Vergara, ad ſiniſtrum vero nobiliſſimorum heroum de Mendoza conſpicitur. Sacellum divæ Mariæ Magdalenæ in eadem Eccleſia dedicatum, tradunt a ſancto Franciſco conſtructum, quod nos alias probavimus. Annunciatæ vero Virgini ſacrum fieri curarunt Joannes de Arana & Mentia a Villela conjux, Victoriani cives, de Sodalitio optime meriti, qui inſtituto ex communibus facultatibus, regia accedente auctoritate, vinculo (ut vocant Hiſpani) quo primogenitus, ejuſque ſuceſſores jure primogenituræ potirentur, caverunt ut ii dormitorium, atque gymnaſium ad Collegii inſtar huic Conventui contigua, ex obventa hæreditate, atque ex hujuſmodi vinculi redditibus, qui pinguiſſimi ſunt, quantocius conſtruerent, ſinguliſque annis trecentos aureos coronatos pro duodecim Fratribus ſtudentibus, præfatique ſacelli a ſe erecti Sacellanis, atque duobus prælectoribus, quorum alter Scholaſticam ex Angelico Doctore, divo ſcilicet Thoma Aquinate Theologiam, alter vero ex Doctore ſubtili Scoto prælegat, alendis induendiſque penderent: inſuper & ut eorum primus ſucceſſor infra quadriennium ab edita eorum hæreditate octoginta aureos coronatos, ſecundus infra idem tempus ſexaginta tritici modios, tertius quinquaginta alios aureos, quartus & qui hunc ſequuti fuerint, etiam totidem præfatos tercentum aureos perpetui redditus jure, ſub præfixis pœnis, adjiciendos curarent: utque tamdem, juxta reddituum quantitatem & accrementum, præmemoratorum ſtudentium numerus creſcere deberet. Hæc autem omnia a Patribus in Generali Capitulo Romæ, anno Domini MDLXXI. celebrato approbata, & per Pium V. Apoſtolico diplomate ſunt confirmata.

Indid.
Huic Conventui adjunctum Collegium.

Mon. de Ordunia.

XVIII. Inſtitutum & erectum hoc anno in Monaſterium Clariſſarum Collegium quoddam Virginum, quæ ſub habitu, & ſecundum inſtituta Ordinis ſanctæ Claræ vivebant ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ veteris de Urdumia, alias de Ordunia, urbe diœceſis Calaguritanæ, & ad tantum numerum Sororum, & reddituum commoditatem excreverunt, ut hoc anno petierint a Pontifice Regulam ſibi concedi, & Eccleſiam illam, quæ euſque erat tamquam eremus, ſeu derelicta, domumque conjunctam erigi in Monaſterium. Rem omnem commiſit Pontifex per ſuas litteras, quas damus in Regeſto, Miniſtro Provinciæ Caſtellæ, Guardia-

Gonzag. in Prov. Cantab. tit. de Tertiarior. Conventib.

no, & Lectori urbis Victoriæ: atque ut inſtitutrices diſciplinæ regularis aliunde avocarentur, admonuit. Monaſterium hoc modo eſſe Sororum Tertii Ordinis monet Gonzaga, quod & pleriſque aliis Clariſſarum contigit Monaſteriis.

Privilegia Minorum.

An. 1287. n. 19.

XIX. Gratias pleraſque & privilegia hoc anno Pontifex Fratribus impertivit. Graviſſimas injurias Fratribus Aurienſibus, de quibus nos alias leviter egimus, ab Epiſcopo illatas, ne remaneret impunis, voluit examinari ab Archiepiſcopo Compoſtellano, Epiſcopo Mindonienſi, & Archidiacono de Avantis Eccleſiæ Lucenſis: *Quamvis grave feramus*. VIII. Kal. Junii. Fratribus ampliſſimi Collegii Pariſienſis magna inopia laborantibus, ad preces Cardinalis fratris Jacobi ſui nepotis ſuccurri voluit ſubſidio mille marcarum argenti: *Paupertati veſtræ*. XVI. Kal. Augusti, de quo binas dedit litteras ad Epiſcopum Pariſienſem, juſſitque ut tercentum libræ Turonenſes in pios uſus relictæ ab Adea Domina de Perius eiſdem Fratribus applicarentur. Epiſcopo Lincolnienſi in Anglia ſcripſit, ut Fratribus Oxonienſibus ad ampliandum ſuum Domicilium concederet domum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti: *Ex parte dilectorum*. VI. Kalend. Septembris. Fratribus inſtanter vocatis a plebe Troppeæ (urbs eſt Epiſcopalis, & maritima in Calabria) ut inter ſe habitarent, contulit I. Epiſcopus & Capitulum Troppenſe Eccleſiam ſancti Petri, juxta ripas maris cum horto contiguo, quæ collata erant antea in beneficium Nicolao presbytero Troppenſis Eccleſiæ, pro quibus æquipollentes dederunt Epiſcopus & Capitulares eidem presbytero redditus ex quadam capella Troppenſis Eccleſiæ. Ipſe Epiſcopus per ſuum annulum inveſtivit de dicta Eccleſia & horto fratrem Robertum, tunc Guardianum Conventus Montis-Leonis, & fratrem Thomam de Morano, recipientes poſſeſſionem vice & nomine Miniſtri provinciæ Calabriæ. Conceſſionem hanc confirmavit hoc anno Bonifacius (licet Rodulphus ex errore id factum dicat Pontificatus anno VIII. *Cum a nobis petitur*. XV. Kal. Julii. Conſervatorem & delegatum Judicem dedit Epiſcopum Aretinum ad hoc ut privilegium Fratribus conceſſum circa terminum centum & quadraginta cannarum, intra quem nulli ex Ordinibus Mendicantibus liceret ædificare, obſervari curaret, & quædam Monaſteria vel Oratoria intra prædictum terminum ædificata vel inchoata in provincia Tuſciæ faceret demoliri: *Sua nobis dilecti filii*. XIV. Kal. Januarii.

Epiſt. 343. & 344.

Conv. Troppenſis.

Rodul. in Prov. Calab. in Cuſtod. Rhegii. Tom. 4. an. 1268. n. 17.

Privilegia Clariſſarum.

XX. Alia inſuper conceſſit Clariſſis privilegia. Amplum impertivit Abbatiſſæ & Sororibus Monaſterii de Gratia beatæ Mariæ Virginis Londonienſis in Anglia: *Religioſam vitam*. III. Idus Martii. Eodem die ſimile per omnia privilegium conceſſit Sororibus Monaſterii Pietatis beatæ Mariæ Virginis de Waterbeche Elienſis diœceſis. Litteras Innocentii IV. circa regimen Sanctimonialium confirmat: *Quaſdam litteras*. V. Nonas Junii. Indulſit omnibus Clariſſis ne ad præſtandas decimas ex quibuſcumque ſuis poſſeſſionibus tenerentur: *Laudabilis ſacra Religio*. IV. Nonas Julii. Monaſterio ſupradicto de Waterbeche conceſſit ut ejus fundatrix Dionyſia de Monte-Caniſio, Regis Eduardi conſanguinea, ei applicare poſſet unam ex Eccleſiis, in quas habebat jus patronatus: *Veſtræ Religionis*. II. Nonas Junii. Clariſſis per Alemaniam conſtitutis, ut tres oblati ipſarum Monaſteriis poſſint apud eaſdem ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ: *Devotionis veſtræ*. III. Kal. Auguſti. Monialibus ſancti Laurentii de monte Salernitanis, ut bonis & poſſeſſionibus quæ antea habebant, dum moraban-

bantur in Monaſterio ſancti Spiritus de Salerno, poſſint perfrui libere & pacifice: *Nuper fuit ex parte veſtra*. Nonis Maii, de quo etiam litteras ad Landulphum ſancti Angeli Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum in Regno Neapolitano; aliaſque addidit ad eumdem, quæ amplius totius rei proceſſum enarrabunt, & dabuntur in regeſto anni ſequentis. Abſolvit Clariſſas de Nuſcia Colonienſis diœceſis a ſtatuto, juramento firmato, ab eiſdem inconſulte edito: *Exhibita nobis*. VI. Kal. Julii. Fratribus etiam & Sororibus Tertii Ordinis indulſit, ut a Fratribus Minoribus, quorum doctrina dirigi, & a quibus viſitari conſueverant ex conſilio Sedis Apoſtolicæ, poſſint recipere Dominici corporis Sacramentum, quoties foret opportunum, præterquam in feſto Reſurrectionis Dominicæ: *Devotionis veſtræ*. V. Kal. Auguſti. Privilegia Tertii Ordinis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Beatam Cathedram Petri ut occupavit Bonifacius, inter cetera, „ quibus angeretur erat Paleſtina, cujus miſerandam captivitatem „ deplorans, ut undique ſubſidia cogeret, omnes Chriſtifideles „ pontificiis ardoribus extimulabat, ut opem ferrent, transfretarentque „ in Sarracenos, ad id Apoſtolicis expeditis litteris: *Redemptor mundi &c.* XII. Kal. Februarii. Eodem pariter argumento Jacobo Aragonum „ Regi, fratrique Leonardo Minoritæ: *Si miſerationis &c.* Nonis „ Februarii; quem ad eumdem Regem Legatum deſtinavit: *Dilectorum &c.* XIV. Kal. Martii. Ob alia arcana, quæ in noſtris Annalibus, „ & ab hiſtoriis late patefiunt, Adolphum quoque Romanorum „ Regem, & Imperatorem nuncupatum excitare in Barbaros Terræ „ ſanctæ nedum vaſtatores, ſed & Chriſtianorum Tyrannos ibi, & ubique „ nominis Chriſti infeſtiſſimos hoſtes non deſtitit, Cruceque ſignatos „ ad arma in eoſdem vocare: *Noctes inſomnes &c.* XV. Kal. Septembris; „ cunctoſque fideles iterum exhortari: *Crebris intellectis &c.* „ Idibus Auguſti. Conſpurcabat vero Jeſu Chriſti Evangelii candorem „ iis temporibus Fratricellorum immunda ſecta, ſub velo ſanctimoniæ „ errores in fide, turpitudineſque in moribus ubique ferens & colens; „ ac proinde in ejus ruinam per meritas pœnas zelo paſtorali calamum „ diſtrinxit: *Nuper ad audientiam &c.* Kal. Auguſti.

Litteræ Pontificis ad diverſos pro Terra ſancta.

Indic. ex Oder. n. 19. an. 3.
Ex Vatic.

Oder. n. 18. 20.

Contra Fratricellos diploma indicatur.

„ II. Præter hæc autem pro Fratribus de pœnitentia ſancti Ægidii „ Florentini Apoſtolicas litteras expedivit: *Expoſita nobis &c.* VI. Kal. „ Junii: Fratribus vero Colonienſibus conceſſit officia divina tempore „ interdicti: *Oblata nobis &c.* VI. Kal. Julii. Miniſtro Burgundiæ libertatem „ ſepulturæ: *Mente ſollicita &c.* XII. Kal. Octobris; & Guardiano „ Gaetano, ut excommunicatos nonnullos abſolvere poſſit: ſed fratri „ Alvaro ſuper natalibus diſpenſavit: *Illegitime genitos &c.* Kal. Febr. „ Verumtamen ſancto Ludovico, quem factum Minoritam voluit Epiſcopum „ Toloſanum expeditis litteris: *Pridem Eccleſia &c.* VI. Kal. Januarii. „ Ne intra ſpatium centum cannarum a noſtris Conventibus, „ quiſquam aliorum Regularium Cœnobium conſtruere poſſet, ſancita „ lege vetavit: *Sua nobis &c.* XIV. Kal. Januarii.

Ex Vatic.

Litteræ in favorem Fratrum, & Monialium.

„ III. Sanctimonialibus etiam noſtris nonnulla conceſſit, inter eas „ vero, quæ Pontificis favorem meruerunt ſunt Tornacenſes de Belloloco: „ Tornacum vero: *Tornay*, & Germanis *Dornick*, civitas eſt Epiſcopalis „ Belgii, priſcorum Nerviorum Metropolis, Scalde notiſſimo

,, fluvio bipartita: urbs amplitudine, ædificiorum ſtructura, civium
,, nobilitate, mercatorum confluvio, numeroſitate Cleri, rerum om-
,, nium abundantia, clara, inter præcipuas totius Flandriæ non imme-
Topogr. Ferrerii.
,, rito numerata, in Hannoniæ confinio ſita, mediat fere inter Came-
,, racum, & Gandavum, ab iſto in auſtro lybicum XII. M. P. belgicos
,, diſſidens, Inſulæ, Duaco, & montibus proxima Clariſſarum Mo-
,, nialium Monaſterio, a ſitus amænitate, locique pulchritudine de
,, Belloloco nuncupato, gaudet, meritoque lætatur; etenim virginum
,, ille Chorus, ut acies angelica pacis ſuo ſplendore virtutum, ſancti-
,, moniæque præſtantiſſimo odore omnium animos alicit, & ad religionis
,, amorem invitat. Hinc cives optime cognoſcentes earumdem exem-
,, plum morum magiſterium irreprehenſibile fieri poſſe ſuis virgunculis,
,, has deſiderarunt illis conturbernales, ut in bonis moribus & proficuis
,, diſciplinis adoleſcere quirent: hujuſmodi civium vota laudabilia
Indic. ex Vatic.
,, quidem erant, verumtamen haud facile complenda; cum fas non eſſet
Supplicatio & diploma conceſſionis.
,, puellis, niſi pro religione ſubeunda ingredi monachalia clauſtra: qua-
,, mobrem quæſitæ Sanctimoniales, ac enixe rogatæ, ut ſecum admitte-
,, rent puellas educandas, ne viderentur ingratæ, non detrectabant
,, aſſumere magiſterium, ſed neceſſarium eſſe id ſummum Pontificem
,, ſibi indulgere dicebant; quamobrem ſupplicatum eſt, & piis hone-
,, ſtiſque ſupplicum votis benigniter annuens, quæ inter Moniales &
,, cives tractata fuerant, laudavit, ſuoque diplomate: *Meritis tuæ &c.*
,, Idibus Januarii, ſummus Pontifex virgunculas in eo Monaſterio edu-
,, candas admitti poſſe conceſſit. Ulterius autem Illuſtrium Matronarum
,, Margaritæ & Blancæ favens devotioni, ut Monaſteria ingredi poſſent
,, licentiam fecit, datis diplomatibus: *Devotionis &c.* pro prima XVII.
,, Kal. Julii, pro ſecunda vero XVI. Kal. ejuſdem menſis.
Bruno a Colle ex Tert. Ordin.
,, IV. Antoninus de Sillis egregie commendat quemdam Brunonem
,, a Colle Italum Tertii Ordinis S. P. Franciſci alumnum, virum eximiæ
,, ſanctitatis ſub hoc anno XI. Kal. Januarii; nos vero Leonoræ dotes
,, haud vulgares, ſed altas & conſpicuas referemus.
Leonora Sabaudia ſancte vivit, obit & ſepelitur in Eccleſia Fratrum Minorum.
,, V. Leonora Sabaudiæ, filia Thomæ II. & Beatricis Fliſcæ ejus
,, conjugis, & Neptis Innocentii IV. & Sororis Adriani VI. ſummorum
,, Pontificum, Ludovico de Foreſtis Domino Beaviolenſi, & Dumba-
,, rum nupta anno MCCLXX. ſancte in matrimonio cum vixiſſet XXVI. an-
,, nis, tamdem hujus anni die VI. Decembris fato cedens, in Eccleſia
,, Fratrum Minorum Villæ Franchæ in Burgundia, ad cornu dextrum Al-
,, taris majoris in marmoreo buſto a pavimento elato deponitur: ejus
1
Ejuſdem pietas commendatur.
,, pietatem in Deum, caritatem in proximum, & devotionem in ſera-
,, phicum Patrem ſanctum Franciſcum, qui ſuo ævo vivebant, eamque
,, cognoverant claris præconiis extollebant; poſteris eximia pictura
,, commendatis in exemplum: in arcu ſupra tumbam optimo pennicillo
Imag. ipſius depicta in habitu Fratrum.
,, & exquiſitis coloribus videbatur ad vivum depicta, habitu Franciſca-
,, no coloris cinericii induta, capite velo albo ornata: circum ea plures
,, Minoritæ, eidem religioſa majeſtate parentantes diſcernebantur, &
,, per gyrum plura ſtemmata Sabauda, & Beavienſia: a pictis inibi Fra-
,, tribus, de veritate formæ habitus S. P. Franciſci diverſis temporibus
Epitaphium ad ejus tumbam oblitteratum.
,, diſſerendi occaſio fuit. Hujus ſepulcri epitaphium in adverſa arcus
,, parte, litteris gothicis ſeptem, octove lineas continens exaratum
,, erat: ſed ignorantia, vel Religioſorum cenſurabili incuria ultimis
,, noſtris temporibus oblitteratum, Benefactricis, tantæ virtutis, ac
adeo

„ adeo ſublimis dignitatis, ut pudor ſit referre, memoriam fere abolevit; „ nam circa annum Domini MDCXXX. ut Eccleſiæ turrim campanariam „ Fratres extollerent, in longum ipſius mauſolæi muro deducto, totam „ fere inſcriptionem opperuerunt; nil enim ejus legi poteſt, exceptis „ primæ lineæ his ultimis verbis: *Quam Sabaudia miſit*.

Guicenon. tom. 1. cap. 14. in vita Thom. II.

ARGUMENTUM.

Sanctus Ludovicus Epiſcopus in ſua Eccleſia Toloſate honorifice excipitur, in cujus regimine præclaris effulſit virtutibus. Ejus magnus patruus ſanctus Ludovicus Rex ſolemniter canonizatur. Moritur beata Margarita Cortonenſis vita & miraculis inſignis. Inquirunt Minoritæ in hæreticos Bizochos. Duo ex eiſdem aſſumuntur ad Archiepiſcopatus, & alii ad Crucem prædicandam. Moritur Petrus Joannis Olivi, cujus doctrina examinatur. Multiplicantur Conventus & privilegia.

I. CONSECRATUS Epiſcopus dilabente anno præterito ſanctus Ludovicus, uti ſuo loco retulimus, ſub initio hujus decrevit collatam ſibi ſponſam inviſere, & oves ſibi commiſſas ſollicito ſtudio, & ſub oculis poſitas præſens gubernare: bona itaque Pontificis venia Roma diſcedens pervenit Senas, apud Fratres Minores exceptus hoſpitio, voluitque inter illos eſse unus ex illis, atque omnia ſubire humilitatis officia; ita ut a prandio cum eiſdem omnia abluerit culinæ utenſilia. Hinc abiens Florentiam, a civibus magno exceptus honore, ad Fratres etiam Monaſterii ſanctæ Crucis nuper conſtructi, divertit; qui cum eum deducerent in cubiculum pro perſonæ dignitate, nobilibus aulæis adornatum, deaurato lecto reſplendens, & Regum Galliæ, atque Siciliæ ſtemmatibus variis condecoratum, pedem retraxit, dicens: *Non eſt hæc cella Fratris Minorum, ſed aula Principis mundani; ego jam ſeculi pompis publica profeſſione renunciavi, & ſummæ me paupertati devovi; quare ſi juxta animum meum, & ſtatum a vobis recipiar, apud vos manebo: ſin autem, illuc occulte pergam, ubi non oporteat firmiter a me propoſitam vitam adulterare.* Non ſunt auſi Fratres pii Principis reſiſtere voluntati, quin ſtatim omnia removerent, relicto lecto dumtaxat: neque in hoc etiam ille voluit dormire, ſed ſtrato in pavimento pallio, humi tota nocte decubuit. Devota & celebris fuit deinceps in illo loco hujus Sancti memoria: & ſtatim ut Sanctis adnumeratus eſt, egregium ei conſecratum ſacellum, & præ Eccleſiæ foribus æneum ejuſdem ſimulacrum.

S. Ludovicus abit Toloſam.

Legenda MSS. Anonym. apud Sedul. c. 11. Marian. cit. c. 12. Ann. 1296. n. 7.

Senis apud Minor. exercet humilitatis officia.

Florentiæ vult humiliter a Fratribus recipi.

II. Ut pervenit Toloſam, turmatim per vicos & plateas ſuo occurrebant cives Paſtori, indefeſse eum collaudantes a pietate, a nobilitate, & ab angelico aſpectu: neque eis ſufficiebat ſemel aſpexiſse, ſed prætereuntem ſequebantur, ad alia accurrentes diverticula, ut iterum & ſæpius occurrentem pro ſuo deſiderio reſpicerent. Secreta quædam virtus ex placidiſſimo & grato prodibat aſpectu, qui intuentes, quantumvis a virtute devios, flectebat, & ad nobiliores excitabat cogitatus. Inter hos unum carnis operibus addictum refert Alvarus Pelagius, hujus ferme temporis auctor, qui vehementer compunctus interius, coram omnibus proclamavit: *Hic noſter Præſul vere ſanctus eſt*: quod & alii affirmabant læti aſserentes & jactantes ſe omnium totius mundi Prælatorum habere ſanctiſſimum, nobiliſſimum, & aſpectu gratiſſimum, ſed conceptum de

Toloſæ omnium animis & oculis excipitur.

Ejus aſpectus ad virtutem efficax.

Alvar. de planct. Eccleſ. lib. 2. c. 2.

de tanto obtento viro gaudium timore miſceri, ne aliquando, ut in aliis viſum eſt, a pietatis gradu decideret, & a via virtutis, quam magno aggreſſus eſt fervore, vellet declinare. Expletis publicis functionibus, dum a turba declinanti hoc poſterius ei quidam ex familiaribus referret: protinus ſubjunxit: *Prius vellem hanc vitam quam viam deſerere, & tam vitæ, quam viæ hujus auctorem obnixe obſecro, ut prius ab illa me abſtrahat quam ab hac me ſeparari permittat.*

Servat ſibi quartã dumtaxat partem redditũum.

III. Accepta jam Epiſcopatus poſſeſſione, inquiri fecit de ſuorum quantitate redditũum: quos dum ad quadraginta millia librarum aſcendiſſe cognovit: quarta dumtaxat parte pro alenda familia, & neceſſariis expenſis retenta, triginta millia in pauperes & pios quoſque uſus juſſit diſtribui. Forma gregis ex animo factus, ſummo ſtudio omnium ſaluti invigilabat, modo conſiliis, modo ſecretis exhortationibus, frequenter publicis concionibus malos a vitiis reducens, bonos quoſque ad excelſiores virtutes alliciens. Ex humilitate, & paupertatis amore, non permittebat ſuggeſtum adornari, nec pretioſis pannis pro more cooperiri; ſed ſimplici cultu & habitu Franciſcano ſuper nudam aſcendebat cathedram, ex qua magno fervore prædicabat. In his & in publicis quibuſque actionibus paupertatem Chriſti ad aliorum exemplum impenſe colebat, una veſte monaſtica, una tunica, nec quidquam pretioſa, & fune, contentus; viſus etiam non raro pedes ambulaſſe. Tota ſupellex paupertatem teſtabatur, lectus, cortinæ, ſellæ, coloris Ordini Franciſcano convenientis. Nihil poſſidere voluit elegans aut pretioſum, cum & veſtem ſuam paulo cultiorem aliquando egentiori dedit Epiſcopo. Detrita tunica alicujus Fratris indui malebat quam nova. Tanta ei abjectio ſui, & contemptus omnium, quæ ſola opinione cara, pretio ſuo vilia ſunt. Et hæc quidem diſplicere amicis & familiaribus, multo aliter ſentientibus, patri vero maxime; ſed totum ejus in eo poſitum erat ſtudium, ut Patri placeret Cœleſti.

Læta illi paupertas Franciſcana.

IV. Itaque Evangelicæ paupertatis amore nihil tam ſublime in mundo, quod non putaret pro nihilo; nec quidquam tam humile, cui non libenter ſe ſubmitteret. Clericus omnia aurea & argentea patri reddidit: tantummodo in uſum ligneis & fictilibus contentus. Factum, ut aliquando tonſor barbam illi dempturus ad crines rigandos attulerit argenteam peluim; ſed is aſpernatus faſtum hunc, pro illa uſus eſt concha, qua equis annona admenſurabatur. Epiſcopus, tandem perſuaſione bonorum virorum, non ſui pretio, ſed aliorum reſpectu, paucis argenteis uti permiſit; quæ tamen ſub mortem juſſit diſtribui pauperibus. Aliquando adiit ſecreto ſummum Pontificem, & adductis multis rationibus, obnixe rogavit, ut Epiſcopatui ſibi liceret defungi: ſed non potuit impetrare. Et cum nonnulli id ejus conſilium imprudentiam interpretarentur: *Non laboro*, inquit, *modo onere iſto, & labore ego ſemel explicer. Sane in ſupremo hoc ordine, multi quidem ſunt, qui ſalvi fiunt: ſed & multi qui pereunt: adeoque longe glorioſius fuerit, Epiſcopatus ſarcinam propter pericula deponere, quam propter vanos honores periculoſiſſimam gubernationem ſuſcepiſſe.*

Aurea & argentea aſpernatur.

Epiſcopatu cupit defungi.

Pauperes alebat quibus miniſtrabat.

V. Virtus humilitatis, Evangelicæ paupertatis individua comes, mirandum in modum ſe in illo declaravit: ſolebat enim quotidie alere viginti quinque pauperes, quorum manibus lavandis aquam ipſe infundebat, flexis genibus præſcindebat panem, quoquo Sabbato tribus illorum miſerrimis lavabat pedes, extergebatque. Hoc officio nihil illi

fuit

fuit antiquius. Nam cum Barcinone adhuc eſſet captus, cœnæ Dominicæ die invitavit ad prandium ſuum viginti quinque mendicos, quibus ipſe miniſtrabat, fundens aquam, cibum potumque adſerens: qui manu cibum capere non poterant præ valetudine, ipſemet ori eorum ingerebat. Denique omnibus pedes abluit, & exemplo Chriſti abſterſit. Sequenti die Paraſceves, facta copia eundi ad vicinam Eccleſiam Templariorum, obvium habuit miſerum hominem, horribili lepra infectum: quem publice oſculatus fuiſſet, niſi fratris ſui Roberti (qui poſtea fuit Rex Siciliæ) timuiſſet offenſam. Sed non potuit committere, quin ſequenti die, in Jeſu Chriſti dilecti ſui memoriam: *Qui putatus eſt, quaſi leproſus, & percuſſus a Deo, & humiliatus*: accitum leproſum, admirando fervore, pallio poſito, complexus amiciſſime oſculatur. Quod videns Robertus frater pene obſtupuit: & adeo fuit commotus hoc ejus exemplo, ut ipſe quoque, quem ante valde inhorruerat, ulnis comprehenſum, oſculo ſuo benigniſſime acciperet.

Pedes eorum lavabat.

Iſai. 53. 4.

Leproſum oſculatur.

VI. Verum hæc ejus obſequia, & benignitatem in illos miſellos quantis prodigiis Dominus Deus compenſaverit, uno atque alteto dignum eſt, ut exemplo commonſtremus. Petrus a Romas aliquando petiit a beato Ludovico non ſibi ſed cuidam pauperi eleemoſynam, moleſtiſſima ſcabie laboranti, ſive potius lepra. Ludovicus quamdam ſuam veſtem dedit: quam cum miſer ille induiſſet, ſtatim convaluit. Item frater Petrus Scaroſſonus Inſtituti Fratrum Minorum, tredecim diebus acutiſſima ſebre correptus, revalere ut poſſet, omnino medici deſperaverant. Aderat id temporis beatus Ludovicus in Cœnobio Brinoniæ, ubi æger Frater decumbebat. Hic ſpe concepta in merita Sancti, rogavit reſiduum ciborum ejus ad ſe perſerri. Allata eſt ſcutella, cum aliquanto obſonii & panis, de quo ipſe comederat. Febriens ille Frater ſimul atque Viri ſancti guſtavit reliquias, ſanatus eſt. Major itaque, & felicior Ludovicus evaſit tali miniſterio, quam regali imperio. Adde his quod ex vetuſta Legenda exſcribit Marianus, eum adhuc puerulum pie ſuffurari ſolitum, vel ex culina, vel ex triclinio, vel ex alia quacumque officina cibos, ut in pauperes diſtribueret. Conqueſtus aliquando de his præfectus coquorum apud Carolum patrem, comprehendit eum actu clam auſerentem caponem regiæ menſæ præparatum: & obvio patri dixit, Ludovicum pro more ſuo quidquam ſibi ſub pallio præripere. Juſſit pater ut furtum detegeret: ille elato palliolo oſtendit manu pendenti egregium florum faſciculum; qua miraculoſa metamorphoſi impunis dimiſſus, converſis floribus in priſtinam ſubſtantiam alati, eum inter quatuor pauperes diſtribuit. Dum omnia poſtea pater reſcivit, laudavit Dominum in operibus ſuis, largiſſimaſque erogabat eleemoſynas pio filio pauperibus diſtribuendas.

Miraculis officia caritatis cõpenſata.

Marian. cit.

Quę poteſt clam, miniſtrat egenis.

Capo in ejus manu converſus in flores.

VII. Pariſiis aliquando cum eſſet apud Fratres voluit ex præſcripto officium ſibi quodlibet demandari etiam tum Epiſcopo, quemadmodum ceteris Fratribus officia ſingula injungi ſolent. Factum ut ibidem die cœnæ Dominicæ cum veſtiviſſet centum pauperes, Fratribus pedes abluerit; & pro more Inſtituti acceperit corporis caſtigationem; atque ipſo die Paſchæ, quod fieri ſolet, cum ſacræ Theologiæ Magiſtris orbes, ſcutras, conchas, & cetera, e quibus Fratres cibum ſumpſerant, una laverit. Omnia ſua facta decorabat humilitate; nimirum in toto Pontificis ornatu, nulla gemma ſplendidior eſt: citra quam omnis virtutum congregatio, ſi qua eſt, velut abſque calce arena eſt. Solidantur humilitate vir-

Humilia Fratrum facit officia.

Omnium operum decor, humilitas.

virtutes, & excelſior ipſa ſui depreſſione humilis evadit: ipſa humilitate nihil excelſius: neſcit extolli quaſi ſemper ſuperior: neque quidquam ſane ſupra humilem eſt, qui ſupra omnem fortunam eſt.

Virtutes virtutibus accumulat. VIII. Patrimonia, quidem & regni ſplendorem, fortunæ ludibria, & maximarum ærumnarum materiam, ſic contempſit. Neque tamen hic ſiſtere voluit gradum, ſed ſemper ad majora conari. Quemadmodum cœmentarii lapides ſtruunt ſuper lapides, ut muros, & domos exædificent: ita ille virtutes virtutibus aggerebat, ad conſummandum cumulum abſolutæ ſanctitatis. *Corpus macerat.* Auxit enim continentiam, gulam temperavit, coercuit luxuriam. Corpus ſuum jam inde a teneris annis jejuniis, vigiliis, laboribus detritum, majoribus quotidie moleſtiis & caſtigationibus macerabat. Pridię ſolemnitatum Domini, beatæque Virginis Matris in cibum aquam tantum ſumebat & panem, vix neceſſitati naturæ ſatisfaciens: ut theſaurum virginitatis in fictili vaſe, integerrime conſervaret. Antequam eſſet receptus ad Ordinem, aſpera utebatur interula: cingebat lumbos duro fune & nodis exaſperato: ſemper veſtitus cubabat: noctu ſemper, nec raro interdiu ferreis catenis fragilem & rebellem carnem ſua manu, aut ſocii Fratris caſtigans, motus illius, & *Fœminarum fugit colloquia.* cupidinem ſummo rigore cohibuit. Nulla ei unquam cum fœminis conſuetudo ſuſpecta, aut familiaritas: quod ſciret Paradiſi colonum e poſſeſſione ſua mulierem ejeciſſe. Colloquia fœminarum prorſus abhorrebat, præcipue ſecreta: averſabatur aſpectus, quibus & fortiſſimi effœminari poſſunt. Abſque probo teſte & arbitro, ſolus non loquebatur ulli mulieri, niſi forſan matri aut ſororibus. In teſtimonium illibatæ pudicitiæ, una in illius cubiculo cum eo dormiebant duo Fratres Minores, interdum plures. Cavebat omnes ſuſpiciones: quidquid probabiliter fingi poterat, ante ne fingeretur devitans.

Improbum conſilium viriliter rejicit. IX. Ex multis mirabilibus exemplis prætereundum non eſt unicum illud factum ſapientia imbuti animi. Cum ageret in Cataloniæ carcere, ſuggeſſerunt illi Cuſtodes conſilium prorſus improbum & noxium. Domine, inquiunt, homo es, neque enim caro tua ænea eſt, ſed compactus, natuſque ut ceteri: utere ætate; ſolare miſeriam hanc conſuetudine pulcherrimarum mulierum; curas iſtas & languorem cur non levas aliqua voluptate? At ille graviſſime ferens, pro monſtro eam vocem accepit. Et nonne ſatis eſt, inquit, corpus meum a vobis captum haberi? an & animum quoque vinctum vultis? Malum eſt carcer hic, fateor: ſed eſtne malum ullum turpidine majus? Et hæc ſi in deformitate corporis habeat aliquid defenſionis: quanta illa depravatio, & fœditas turpificati animi debet exiſtimari? Abſit, abſit, ut hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulteretur voluptate. Captum eſt corpus? vel animus liber ſit. Avertat Deus, ut corpus & animam projiciat in gehennam. Et ſummoto improbo homine, averſiſſimum animum ab omni Venere declaravit.

Turpes ſermones procul facit. X. Sed quid de factis commemoro, quando & turpem ſermonem a ſe ſuiſque proſcriptum voluit? In illa ſua cuſtodia legem ſancivit, ut quicumque inhoneſtum quid, turpe, petulans, ſcurrile effudiſſet leviter, cibum capere deberet nuda menſa: qua agens, ne dum in familiares, & ſuos Cuſtodes, verumetiam in germanos fratres, qua neminem ſolvendum decrevit: adeo ut ipſemet alioquin innocens, tamen quia offendiſſe alii interpretabantur, ſtatutam a ſe pœnam perſolverit. Exemplum addebat imperio. Quod Principes faciunt, præcipere videntur.

Vo-

Volebat ſuos eſſe caſtos : ipſe erat. Legem tulit, legi paruit. Recte facere Principes, ſuos faciendo docent.

Corripientes libenter audiebat.

Prov. 27. 5. Ind. 9. 8.

XI. Erat profecto ſeverus caſtigator improbitatis, primum ſuæ, tum etiam alienæ. Vitia ut a ſe penitus exſtirparet, contemni deſiderabat, non laudari, nec extolli, ſed reprehendi, quod rarum in magnatibus. Hinc probe cum noſſet illud Sapientis: *Melior eſt manifeſta correptio, quam amor abſconditus*, &, *Argue ſapientem, & diliget te*; reprehenſiones ſive juſtas, ſive injuſtas, æquo ferebat animo; imo etiam amabat, volens & peccanti ſibi vitia oſtendi; corripi, ut poſſet corrigi. Socio Fratri amiciſſimo juſſit peccata ſua ſerio obſervare, & admonere liberrime : nec quidquam commovebatur, etiamſi ille leviſſima quæque argueret. Idem ille Frater aliquando liberius ſubmovit beatum Ludovicum, multis coram aſtantibus : qui factum indigne ferentes, ejus rei gratia, objurgatorem illum graviter objurgarunt : quos Ludovicus benigne mitigans : *Hoc in rem meam eſt*, inquit, *& ſic ſtatui. Nam & amici monendi & objurgandi; & hæc accipienda amice, cum fiunt : quandoquidem vera amicitia quod ſentit, diſſimulare non debet. At cujus aures ſunt clauſæ veritati, ut ab amico vera audire nequeat, hujus ſalus eſt deſperata. An neſcitis multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam amicos qui dulces videntur? Illi verum ſæpe dicunt, hi numquam. Adulatoris eſt jucunda dumtaxat adferre; amici vero etiam triſtia, ut te videas & emendes. Profecto, æquo animo audiendæ reprehenſiones; immo convicia impiorum : & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ille contemptus. Oportet delicto dolere, objurgatione gaudere : minime vero objurgari moleſte ferre, & peccaſſe non angi.*

Recte alium monet, qui vitio caret.

Murmurationes execrabatur.

Eccleſ. 10. 11.

Paci ſtudet & caritati.

XII. Porro autem ipſe ab omni vitio liber, etiam alios qua poterat, conatus eſt liberare. Itaque qui ſuam improbitatem jam ſuperaverat, jure alienam caſtigare poterat. Nullo modo ferebat quemquam detrahere de alterius exiſtimatione : hominum aures cupiens optimo ſermone compleri, diffamatione non pollui. Linguam illam ſanguinariam, quæ fraternæ detractionis venena diffundit, prorſus execrabatur. Scribit Salomon : *Si mordeat Serpens in ſilentio : nihil eo minus habet, qui occulte detrahit*. Nihil tam noxium, atque ad omnem tollendam amicitiam efficax, quam audire obtrectatores, & temerario ſenſu mentis ſequi. Hinc crebræ diſſenſiones, hinc odia injuſta naſcuntur. Diabolica lingua de amiciſſimis facit inimiciſſimos, concordeſque diſſocians graviſſimis facit odiis diſſidere. Ille vero offenſarum acerbitatem deponens, conſociationem, & omnis boni fontem caritatem, & concordiam colens in primis cunctis ſuadebat. Quando igitur diſſenſio ab aliis, ab ipſo incipiebat reconciliatio, benigniſſime inter alios reponente inimicitias, ſecumque diſſentientium injuriis ignoſcente. Et ſi quos offendiſſe vereretur, non diſtulit benevolentia & humilitate, imo & oſculo pacare. Dilectioni ſtudebat & caritati, ex animo dimittens peccantibus, ſæpe etiam veniam petens ab eis, qui læſerant. Qualem erga ſe Deum optabat, talem ſe exhibuit iis, qui in ſe deliquerant. Nam fruſtra quærit ſibi Deum propitium fieri, qui cito proximo negligit reconciliari.

Omnium conſulebat ſaluti.

XIII. Innata quadam pietate & Chriſti amore omnes miſeros diligebat ad ſalutem. Ut mater omnibus filiis conſultum cupit, ſic ille deſolatis omnibus, qua poterat & egenis. Neque enim ſe intuebatur ſolum, aut omnia convertebat ad utilitates ſuas : ſed aliis quoque volebat vivere, cum viveret ſibi. Prima illi cura cunctos ad Deum adducere, a quo

omnia, & ad quem omnes. Et ideo ſe præbebat exemplum morum, ſimulacrum virtutum. Variæ ac moleſtæ peregrinationes ejus; frequentes ac diurnæ preces; fervidæ conciones, quibus multos lucrifaciebat Judæos & Ethnicos; quibuſcum ſæpiſſime congrediebatur, errores eorum fortiſſimis argumentis, & rationibus convincens. Hos de fonte levabat; illos ipſe baptizabat alacri animo, & ad ducendam vitam neceſſaria ſubjiciebat liberaliter.

Affectus ejus in pauperes.

XIV. Indidit quoque ei natura, ſive potius Deus auctor naturæ, ſingularem affectum in pauperes, & ægrotos, quibus etiam proprias veſtes nonnumquam largiebatur. Omnes cupiebat juvare, quia membra illius magni corporis omnes. Magnates alii ſuas veſtes detritas cum donare ſoleant aliis, ipſe puer etiamnum ſolis pauperibus dare conſuevit. Aliquando cum patre iter habens ex Francia, jam Epiſcopus obvium habuit miſerrimum eleemoſynam petentem. Ille memor verborum Domini: *Quamdiu feciſtis uni ex Fratribus meis Minimis, mihi feciſtis*; monaſticam novam veſtem paulo cultiorem exuens, illi dedit. Re intellecta, pater juſſit quæri pauperem per omnes vias, & loca vicina, ut redempta pretio, non ille veniret in ſuſpicionem furti; ſed nuſquam inventum, creditum eſt Chriſtum, qui propter nos pauper & nudus de cruce pependit, in nudi forma pauperis comparuiſſe. Sæpiſſime ea quibus ipſe utebatur, dabat egenis; malebat enim ſemet quam pauperes egere: quia perſuaſum habuit valde fœcundum eſſe agrum pauperum, citiuſque reddere, & quidem cum fœnore magno, donantibus fructum.

Matth. 25. 40.

Chriſto in forma pauperis apparenti veſtem dedit.

Nihil inutiliter expendit.

XV. Non mimos, aut ludiones, non canes venaticos, non aluit rapaces aves, Ordinis illius primi dedecora, non honeſtamenta: ſed quidquid ſupererat, in pauperibus Chriſto, a quo acceperat omnia, a quo omnia expectabat, largiebatur hilariter. Dabat alacri animo, quod non poterat retinere; ut acciperet quod non poſſet amittere. Familiare illi fuit pantochæa frequentare, & hoſpitia pauperum obire; infirmorum exomologeſin, & confeſſionem excipere: quos dulci ſermone & beneficiis eleemoſynarum confirmabat, & ſolabatur. Præcipua illi cura peccatorum convertendorum, quibus oratione ſtudebat Deum facere propitium, & proſpectum de idoneis ſacerdotibus, ipſe paratus, qua potuit, omnium audire confeſſiones, Chriſti exemplo: *Qui tollit peccata mundi, qui vult omnes homines fieri ſalvos*,

Pauperes & infirmos viſitat.

Joan. 1. 29. Tim. 2. 4.

XVI. Contigit eum eadem æſtate, qua ex hac vita migravit ad cœlum, cum proficiſceretur in Cathaloniam, longo diei illius confecto itinere, in Pyrenæis montibus, veſperi inviſere infirmam pauperculam; quam ſerio hortabatur peccata confiteri ſocio Fratri, aut ſibi; *nam & ego*, inquiens, *Frater Minor ſum*; ſed illa noluit. Itaque demulcens eam dulcibus verbis, interrogavit, ne luberet aliquid comedere? petenti, cibi allati ſunt, quos Ludovicus propius accedens, & lecto ejus reſidens, ori ejus ingeſſit, atque ita ex ejus attactu multis fuit pediculis opertus. Conſtanter id tulit Vir ſanctus & ſine motu, dicens eoſdem excutientibus, animalcula hæc pauperum ſunt gemmæ. Blanda eſt & officioſa ſemper humilitas. Et cum nihil ſit tam regium ac liberale, quam opem ferre miſeris: juvit eum ſæpe inviſere captivos, nonnumquam eximere, & morti addictos ſervare a morte. Centum & quinquaginta patris hoſtes damnatos capitis, ſua deprecatione liberavit, ſibi gratiam, patri gloriam concilians.

Pauperculam infirmam benigne ſolatur.

Captivos inviſit, & liberat.

XVII.

XVII. Summo amore complectebatur viros pios, doctos præſertim; quos etſi mundus contemneret, tamen efferebat. Contra vero, potentes divites, & improbos, indignos putabat dominica ſorte. Amore & reverentia illius auguſtiſsimi Sacramenti, quo nihil pretioſius eſt in cœlo, aut in terra; magnum habebat delectum miniſtrorum altaris, in deligendis idoneis ſacerdotibus judicium adhibens, & diligentiam ſummam. Nam initiandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, vitam, doctrinam, fidem accurate inveſtigabat, examinabatque, canonum præſcripta ſevere exequens. Probis moribus cum honeſtæ vitæ teſtimonio conſpicuos, dignos cenſebat Dominico myſterio. Eccleſiaſtica ſacerdotia antequam cuiquam conferret, merita ſingulorum librabat, perſonas non reſpiciens; mores ſequebatur, non fortunam. Et ut recte beneficia collocaret, non ſpargeret, dabat judicio & habito delectu, ut perveniret ad dignos. Nimium corporis cultum, nitidas, & pretioſas veſtes, comptos capillos ſuo Clero prohibuit; etenim cui cultus nimia cura, magna eſt virtutis incuria, cum plerumque ſordidæ veſtes, candidæ mentis indicia ſint, & contemptum ſeculi probent: Ordini tamen cujuſque veſte conveniente volebat ornatos. At vero multo pulchrius animum præferre compoſitum, quam corpus ornatum. Proprius ornatus Miniſtri Chriſti mores boni & vita modeſta. Nihil demum quod boni erat Prælati Ludovicus præterivit: omnem vitam optime inſtituit, quaſi ſingulis officiis aſſuetus, & in omni functione detritus: quæ ad omnia adhibebat ductorem bonum Dei timorem, & rectæ rationis ſanum judicium.

Mores initiandorum ſerio explorat.

Comptulos ſacerdotes nolebat

XVIII. Multa ſaue & præclara hæc ſanctitatis Ludovici indicia: At illud mihi omnium maximum, quod magno animo divitias, faſtum, & honores quoſque hujus ſeculi adeo nobiliter contempſerit, ut Chriſti ſervitutem regalibus ſceptris præferre voluerit, & dum ageretur de Regni ſucceſsione nihil audire voluerit, ſed jus omne quod ſibi provenire poterat ex majori ætate, & annorum pluralitate, quam libenter in Robertum fratrem tertiogenitum tranſtulerit. Nam cum Bonifacius Pontifex hoc ipſo anno dubitationem omnem de futuro poſt Carolum Regem, & hujus hæredem Carolum alterum, cognomento Martellum in regno Siciliæ ſucceſſore, clariſsimo reſcripto omnino tollere, regnumque illud neque Jacobo, nec Friderico, neque Petro, Aragoniis fratribus deberi declarare voluerit, Ludovicus omnem ſuam poſt Carolum fratrem in Regnum illud, libens & volens in Robertum fratrem ætate minorem tranſtulit actionem, ſignificans ſe paupertatem Evangelicam, quam ſolemni voto fuerat amplexus; propter Regnum, opes, aut honores nullatenus relicturum. Ad hæc uſque tempora proſtat in Eccleſia ſancti Laurentii Ordinis Minorum Neapoli imago D. Ludovici ad vivum depicta, coram ſe procumbenti Roberto diadema Regni imponentis. Etenim cedente juri ſuo Ludovico, & mortuo fratre primogenito Carolo Martello, Regnum obtinuit Robertus. Non inaniter hæc depicta ſacro in loco, ut poſteri ſacrum & magnum Ludovici factum digne commendent, in quo ſane *majus fuit Regnum faſtidire, quam accipere*. Viris magnis, & ſummis Principibus hæc unica & nobilis via eſt relicta creſcendi: *Magnum enimvero, & unicum eſt illud ſumma quæque adeptis creſcendo artificium, ſi voluntaria ſui abjectione decreſcant*. Crevit ingenita nobilitate Ludovicus ad ſummas quaſque dignitates, crevit ad Regni faſtigium: altius ire natura negabat; ſed virtus conceſsit, ut altius ire poſſet, & hæc omnia contemnendo ſublimior evaderet, atque ſupra natu-

Transfert jus ſuum ad Robertum fratrem natu minorem.

Reg. Vat. epiſt. 322. dat. 6. Kal. Martii. Summont. in hiſt. Neapol. l. 3.

Quint. Curt. lib. 4. Plin. junior in Panegyrico Trajani.

turam, ac ſupra fortunam ad altiorem apicem glorioſe pertingeret. Sunt qui ſcribant hoc anno fatis conceſsiſſe; ſed verius id accidiſſe probabimus anno ſequenti.

Plura præmiſſa canonizationis S. Ludovici Regis Galliarum.

XIX. Alium Ludovicum hujus Ludovici magnum patruum, Galliarum Regem hoc anno glorificare voluit Dominus in terris, quem jam glorioſum habebat in cœlis. Induxit itaque ſui Vicarii Bonifacii Pontificis animum, ut eum ſolemni ritu catalogo adſcriberet Sanctorum. Duas præmiſit hic conciones canonizationi, unam in ipſis ædibus Pontificiis die Martis ante feſtum ſancti Laurentii apud Urbem veterem, in qua, ait, ſe ipſum Virum ſanctum cognoviſſe, & vidiſſe: Alteram in Templo Minorum, in qua eum canonizavit III. Idus Auguſti, in craſtino ſancti Laurentii. In iſta, ejus præclaras virtutes recenſet; in illa, plurima miracula; & exactiſsimam adhibitam diligentiam a Pontificibus Romanis circa veritatem miraculorum, & vitæ ſanctitatem indagandam. Quædam ex his publico monumento Martini IV. a nobis ſuperius exſcripto clarius apparent; plura narrat Bonifacius his verbis: *Quia actus iſte ſcilicet adſcribere in catalogo Sanctorum per canonizationem Romani Pontificis, ſingularis excellentiæ reputatur in Eccleſia militante, & ad ſolum Romanum Pontificem pertinet hoc agere: idcirco ſummam gravitatem in facto tam ſingulari Sedes Apoſtolica voluit obſervare. Quamvis & vita ſua fuiſſet ita manifeſta, & multa miracula viſa, ſicut ſuperius dictum eſt, preces etiam Regiæ, Baronum, & etiam Prælatorum pluries acceſſiſſent: nihilominus cum inquiſitionibus privatis pluribus jam factis, adhue voluit inquiſitiones ſolemnes per non parvum tempus facere. Duravit iſtad negotium jam per* XXIV. *annos, vel amplius. Et licet Dominus Nicolaus III. ante dixiſſet, quod ita nota erat ſibi vita iſtius Sancti, quod ſi vidiſſet duo vel tria miracula, eam canonizaſſet; ſed morte præventus, non potuit hoc perducere ad effectum. Ex abundanti tamen fuit adhuc commiſſum negotiam inquiſitionis viris venerabilibus & diſcretis, Archiepiſcopo ſcilicet Rothomagenſi, & Epiſcopo Antiſiodorenſi, & Magiſtro Rolando de Palma Epiſcopo Spoletano: & iſti de ſexaginta tribus miracalis teſtes receperunt, examinaverunt, rubricaverunt; & jam ſexdecim annis tranſactis ad Curiam remiſerunt. Inſuper per illos ſexdecim annos continue aliqui ex parte Regis Franciæ, necnon Prælatorum & Principum, & ſpecialiter frater Joannes de Sameſio, continue inſtiterunt. Tamdem pro dicto negotio, tempore Domini Martini, commiſſum eſt negotium tribus Cardinalibus ad examinandum: qui viderunt, examinaverunt, & pro magna parte rubricaverunt. Sed cum ante mortem Domini Martini non fuiſſet facta relatio negotii, pervenit tamdem ad tempora Honorii, & tunc lecta ſunt plura miracula, & coram fratribus noſtris Cardinalibus diligenter diſcuſſa. Sed dum ventilaretur negotium, ſuperveniente morte Domini Honorii, negotium ſiluit. Tempore vero Domini Nicolai IV. commiſſum negotium tribus aliis Cardinalibus, Domino ſcilicet Oſtienſi, Domino Portuenſi, & nobis in ſtatu Cardinalatus adhuc exiſtentibus: quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commiſſum. Poſtea etiam mortuo Domino Oſtienſi, ſabrogatus fuit ſibi Dominus Sabinenſis. Et ita per tot, & toties examinatum eſt, rubricatum, & diſcuſſum negotium; quod de hoc plus factam eſt de ſcriptura, quam unus aſinus poſſet portare. Nos etiam de manu propria ſcripſimus, & diligenter examinavimus multa miracula fuiſſe ſufficienter probata. Temporibus autem noſtris non ſunt mutati examinatores, ſed tamen iterum lecta ſunt plura miracula, examinata, & rubricata, non ſolum per illos prædictos examinato-*

An. 1281. n. 2. *Bonif. VIII. in ferm.* 1. *de S. Ludov.*

tores, ſed etiam per plures alios Cardinales. Et voluimus, ut quilibet ſigillatim dares conſilium ſuum in ſcriptis; ne odio vel amore, ſeu etiam timore aliquo aliquis taceret. Ex iſtis ergo, & pluribus aliis poteſt evidenter concludi, quod ſervata fuit maturitas, & plus quam maturitas in prædictis. Et ideo de tam egregio viro, & ſic in ſanctitate vitæ, & miraculorum probato, ſecure poſſumus aſſerere, quod non debet amplius fama ſanctitatis ejus ſub modio latere, ſed debemus ei dicere: Amice aſcende ſuperius, ut ſit tibi gloria *in Eccleſia militante* coram ſimul diſcumbentibus. Luc. 14. 10.

XX. Joannes autem ille de Sameſio, quem ſpecialiter continuo inſtitiſſe ait Pontifex, pro canonizatione ſancti Regis, ille eſt Minorita quem ſupra diximus miſſum a Nicolao IV. ad Philippum Pulchrum Galliæ Regem, tractaturum de ſubſidio Terræ ſanctæ, qui & aliis inter ſupremos Principes functus eſt legationibus; tamdem ad Epiſcopatus Redonenſem, & Lexovienſem aſſumptus. Hunc vero præcipue præ ceteris continuo promoviſſe ſancti Viri canonizationem, uti refert Pontifex, eamque non alibi, quam in Eccleſia Minorum factam, confirmant eam, quam diximus eumdem ſanctum Regem habuiſſe cum Minoribus affinitatem, & ſub Franciſci vexillo, etſi retento ſceptro, aliquando militaſſe. Errat circa hanc canonizationem Platina, dum non Ludovicum Regem, ſed Ludovicum alterum Carolo II. inquit, ortum, Ordinis ſancti Franciſci profeſſum, a Bonifacio canonizatum referat, in quem etiam Blondus incidit errorem. Etenim hunc Ludovicum Regem Bonifacius: Ludovicum vero Epiſcopum Caroli Siciliæ Regis filium Minoritam canonizavit Joannes XXII. Publicum diploma canonizationis, in quo præcipua ejus geſta ſub compendio referuntur, hic offerimus Lectori.

F. Joan. de Sameſio laborat pro ſancti Ludovici canonizatione.

Ann. 1290. n. 1.

Tom. 3. an. 1254. n. 28.

Corrigitur error Platinæ.

Platina in Boniſ. VIII.

Blon. dec. 2. lib. 9.

BONIFACIUS EPISCOPUS &c.

Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis exemptis, & non exemptis per regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicum benedictionem.

XXI. *GLoria, laus, & honor Patri luminum (a quo eſt omne datum optimum & perfectum) a cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum ſpes tendit ad ſuperos, ſummis & ſedulis devotionis & reverentiæ ſtudiis referantur. Ipſe namque in miſericordia copioſus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de ſupremis cœlorum ad ima mundi oculos ſuæ majeſtatis inflectens, & benigna conſideratione diſcutiens, beati Ludovici quondam Regis Franciæ inclyti, ſuique glorioſiſſimi confeſſoris merita grandia, operaque mirifica: quibus ipſe conſtitutus in ſeculo, ceu lucerna luminoſa, reſplenduit: eaque velut juſtus judex, & retributor laudabilis dignanter intendens, condignis recompenſare muneribus, eum tamquam emeritum, & retributione digniſſimum, poſt vitæ præſentis ergaſtulum, & laborioſa mundi certamina (quæ fervens in divinis obſequiis potenter & patienter exercuit) æthereis ſedibus collocavit*, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat, *felicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur mater Eccleſia, ac ſolemnia feſtiva concelebret gaudiorum: quod tantum & talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, jam inter Regum cœleſtium glorioſa agmina rutilantem. Lætetur inquam & jubilet, ac in laudes Altiſſimi voces promat: quod ſobolis tam præcelſæ, tam celebris illuſtrata fulgoribus, inſignis decorata conſpicitur.* 1. Reg. 2. 8.

Bulla canonizationis ſancti Ludovici Regis.

Quæ

Quæ ſonoris attollenda præconiis, ſummæque venerationis exhibitione colenda, enucleatius aperit, evidentius explicat; illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hæreditatis æternæ participationem admittendos: qui prædictam Eccleſiam, matrem fidelium, ſponſam Chriſti claris fidei & operis teſtimoniis profitentur, nulloſque in ſupernæ patriæ gloriam, niſi per ejus utpote cælorum clavigeræ, miniſterium virtuoſum oſtiis reſeratis altiſſimis introire. Gaudeant incolarum turbæ cæleſtium, de tam ſublimis, tam lucidi habitatoris adventu: quod ipſis expertus, probatuſque fidei Chriſtianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Perſonet lætitiæ jubilum, civium glorioſa nobilitas ſupernorum: quod tanti, taliſque concivis ſuſcepiſſe dignoſcitur adjectivum: ac venerabilis Sanctorum cætus gaudio & exultatione reſfloreat, de nova digniſſimi adhibitione conſortis. Exurge itaque concio numeroſa fidelium, exurgite fidei zelatores; & una cum eadem Eccleſia laudis uberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioſo lætitiæ veſtra præcordia, & fæcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta, tam potentis & egregii Principis exaltatione terreni; ſpei tutiſſimæ plenitudine præconcepta, quod nobis de indigena terrenorum, compatriota cæleſtium jam effecto, apud æterni Patris filium efficax patronus accrevit; qui pro ſalutis noſtræ profectibus jam in ejus præſentia poſitus, ſolertis exercet officium oratoris. Porro quis poſſet amplo famine præpotens, quis diſertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruſcans, ſufficienter exprimere præcelſa ſanctitatis inſignia, & multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus Ludovicus prædictus in terris conſtitutus effulſit? cum eo plura de ipſius laudabilibus actibus referenda ſe offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipſorum actuum claritas ſub nubilo

Compendiū vitæ S. Ludovici.

lateat, tenebris obducatur, dignum duximus, ut de illis aliqua ſermo noſter aperiat & deducat in publicam notionem. Hic profecto clariſſimus genere, ſublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelſus virtutibus, moribus elegans, conſpicuus extitit honeſtate: inhoneſtis & turpibus a ſe penitus relegatis. Nam ſic pudicitiæ adhæſit operibus, ſic carnis ſtuduit evitare contagia; quod, ſicut habet certa credulitas plurimorum, niſi ei nexus acceſſiſſet

Optimi Regis munere functus.

uxorius, candore virgineo rutilaſſet. Longi quippe ſpatio temporis prædicti regni regimini præfuit, ejuſque gubernacula plena curis provida circumſpectione direxit: nulli noxius, non injurioſus alicui, nemini violentus. Juſtitiæ limites ſummopere ſervavit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens: perverſorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compeſcuit: malorum molimina conterens, pravorum illicitos auſus frenans. Pacis zelator eximius, fervidus amator concordiæ, promotor ſollicitus extitit unitatis: diſſidia fugiens, vitans ſcandala, diſſenſiones abhorrens. Propter quod ſui felicis regiminis tempore, ſedatis undique fluctibus, ſeductis noxiis, turbinibus profugatis, regni ejuſdem incolis aurora dulciflua tranquillitatis illuxit, lætaque ſerenitas votivæ proſperitatis arriſit. Et ut de vita ipſius aliqua referamus: licet illa, quo majori expoſitione diſcutitur, examine indagatur, eo referentis afferat guſtui plus dulcoris, menteſque delectet obnixius auditorum.

Ejus pueritia & adoleſcentia.

Ab ineuntis ætatis primordiis Dei filium tenera mentis affectione dilexit; nec diligere deſiit ſtudia continuando ſalubria, dum vitæ ſibi commoditas affuit temporalis: ſed quanto majori profecit ætate, ac tempora prolixiora proſiliit, tanto in ejus exarſit amorem, fervore ſpiritus ampliore. Hic equidem cum eſſet annorum duodecim, paterno deſtitutus auxilio, ſub claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Franciæ, matris ſuæ cuſtodia, & gubernatione remanſit: quæ circa divina obſequia ferventer in-

intenta eum prudenter dirigere, ac libenter inſtruere ſatagebat, ut ad præfati regni regimen, quod ſuæ directionis expetere providentiam noſcebatur, dignus & ſufficiens fieret, idoneus haberetur. Cumque per incrementa temporum idem Rex ætatis annum quartum decimum attigiſſet: prædicta Regina ſibi magiſtrum proprium deputavit, qui eum ſcientia litterarum imbueret, ac bonis moribus informaret. Ipſeque Rex ſub ejuſdem magiſtri ferula poſitus, ſic ei obediens & reverens exiſtebat, ſicque illius recipiebat humiliter diſciplinam, quod ſuperna præventus gratia, profecit laudabiliter in utriſque: circa divina ſic intentus officia, ut nequaquam ipſorum auditione contentus exiſteret, niſi ea quæ coram ſe die noctuque a ſuis faciebat clericis ſolemniter celebrare, ab ipſo cum eorum aliquo attentius dicerentur.

Ejus ſub præceptore obedientia.

Demum ſucceſſu temporis in anno vigeſimo conſtitutus, & quadam ſibi ægritudine ſuperveniente gravatus, a Pariſienſi & Meldenſi Epiſcopis aſſiſtentibus tunc eidem, vivificæ Crucis ſignaculum in Terræ ſanctæ ſubſidium ſibi cum multa inſtantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei rationabili cauſa moti, præfati diſſuaderent Epiſcopi: ipſe tamen, utpote fervens ſpiritu erga Deum, eique votis ardentibus famulari deſiderans, illorum ſalubriter diſſuaſionibus non admiſſis, ſignum hujuſmodi de manu præfati Pariſienſis Epiſcopi cum multa lætitia & exultatione recepit, prælatis, nobilibus, & militibus plurimis ſignum ipſum aſſumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato navigio, factiſque apparatibus aliis, qui in talibus requiruntur, cum trigeſimum quartum annum attigiſſet ætatis, in prædictum ſubſidium transfretavit: conſortes ei, Robertum Attrebatenſem, Alfonſum Pictavienſem, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegaviæ, Comites, fratres ſuos dum adhuc viverent, ſecum ducens, multa, graviaque pericula, quæ ſolent æquorei fluctus ingerere, ſuſtinendo.

Cruceſignatur in ſubſidium Terræ ſanctæ.

Illuc cum Fratribus transfretat.

Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia perveniſſet, & habito de civitatis Damiatæ captione triumpho, proceſſiſſet ulterius: generali quaſi totius ejuſdem exercitus, ſicut Domino placuit, ægritudine ſubſecuta, & aliis adverſis urgentibus, præfatus Rex cum toto fere exercitu ſupradicto in Soldani, & Sarracenorum manus, ac potentiam incidit: multa opprobria, multaſque injurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando; præfato Roberto Comite pro fide Chriſti ab illis immaniter interempto.

Capitur a Soldano.

Poſtmodum autem habito cum Soldano tunc vivente tractatu de jam dicto Rege ac exercitu liberando, maxima interveniente pecuniæ quantitate, ipſoque Soldano occaſione hujuſmodi a vaſallis propriis interfecto: Sarraceni, qui ejus dominium uſurparunt, ad pecuniam anhelantes, eamdem cum multa inſtantia poſtulabant, ut in conventionibus ordinatis concorditer inter partes jurejurando firmandis penitus adderetur: quod niſi ipſi pacta ſervarent, omnino Machometum, quem colunt, ut dicitur, denegarent, ac idem Rex in ſuo adjiceret juramento, quod & ipſe Dei negaret Filium, ac extra fidem ejus exiſteret, ſi conventiones prædictæ ab eo minime ſervarentur. Quod præfatus Rex abominans, id efficere conſtantiſſime recuſavit: quin potius quadam indignatione commotus patenter aſſeruit; quod talia tam nefanda ſuis labiis aliquatenus non proferret; neque in tam veſanam & reprobam prorumperet negativam: quamvis ad id jam dicti Pictaviæ & Andegaviæ Comites, aliique tunc plurimi circumſtantes inſtantiſſime ſuaderent, cum exinde ſibi, ceteriſque Chriſticolis mortis periculum veriſimiliter imminere conſpicerent: præſertim cum hoc ageretur cum illis, qui ſicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, ejus ſibi dominium uſurpantes, ipſique Regi apertius diceretur, quod niſi in actum produceret,

Iniquè pro liberatione non vult acceptare conditionem.

quod

quod petebant, ipſum & ſuos crucifigere non differrent: ipſiuſque Regis ad hæc intrepida, firmaque reſponſio eſt ſecuta: quod ſi Sarraceni prædicti ejus corpus occiderent, ipſius tamen animam non haberent. Sane cum jam dicti paſſagii tempore poſt conflictus diverſos & varios, validæ famis inediam, graves penurias, diraque vulnera, quæ fideles Chriſti pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris, & ægritudines alias patiente, Chriſtianus reverteretur exercitus Damiatam: Rex ipſe nolens illum omnino deſererere, ſed ejus potius clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex veriſimilibus poterant conjecturis timeri, illuc rediit cum eodem: contra Sarraceuorum rabiem truculentam, inſultuſque nefarios, ſibi efficax defenſionis impendendo præſidium, ut ab hujuſmodi hoſtium ſceleſtis inſidiis ſervareutur. Et tamdem cum Sarracenorum ipſorum aſtata nequitia, & doloſa calliditas, tam grandi bellantium copia Chriſtianum circumdediſſet exercitum, valida tunc, ſicut præmittitur infirmitate detentum: ipſumque tam graviter invaſiſſet, quod Regem & exercitum ſupradictos oportuerit ſe præfatis reddere Sarracenis: ac idem Rex, niſi facto voluntatis libitum obſtitiſſet, per navis tunc promptæ potuiſſet evaſiſſe ſuffragium: ſibique hoc plurimi magnique, præſentes inibi, ſuaderent: ipſe tamen propter nimiæ caritatis ardorem, quo vehementius æſtuabat, volens potius periculis corpus exponere, ut Chriſtianus populus ſervaretur illæſus, licet Sarracenorum exiſteret ignota potentia Chriſtianis: evadere noluit, remanentibus ceteris vinculo captionis aſtrictis: apertius aſſerendo, quod militiam, quam ſecum deduxerat, ſecum, ſi poſſet, reducere intendebat; vel capi ſeu mori pariter cum eadem. Cumque inter Regem & Chriſtianos, ac Sarracenos prædictos, de ipſorum Regis & Chriſtianorum, ſicut ſuperius eſt expreſſum, liberatione tractatus habitas, & conventionum ſubſecuta ordinatio extitiſſet: Sarraceni, pro quadam parte pretii redemptionis hujuſmodi, quæ ſolvenda reſtabat, ſecuritatem habere plenariam intendentes, iu electionem ipſius Regis totaliter poſuerunt: at, vel ipſe liberaretur a carcere, remanentibus ceteris Chriſtianis in vinculis, donec hujuſmodi ſolutio perfecta ſuccederet; vel quod idem in carcere remaneret, Chriſtianis ipſis omnimode liberatis. Præfatus Rex ſuper hoc promptum, nec dilatum reſponſum præbuit: quod ipſe, quouſque ſolutionis hujuſmodi proveniret integritas, remanere in carcere intendebat, Chriſtianis aliis libertati priſtinæ reſtitutis: quamquam præfati Alfonſus, & Carolus, ac alii viri uobiles tuuc aſtantes, expreſſe dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus conſentirent: ſupplici adjicientes inſtantia, quod potius Rex ipſe recederet, aliis minime abſolutis, Rege ipſo firmiſſime replicante contrarium, nec aſſentiente ſermonibus eorumdem. Et tamdem Rege, & ceteris captivis eiſdem plenæ redditis libertati, dictoque Alphonſo pro ejuſdem ſolutionis perfectione facienda, obſide dimiſſo: præfatus Rex de galea, in qua erat egredi noluit, donec ipſius ſolutionis defectus extitit adimpletus, dictuſque Alphonſus ad ejus præſentiam rediit; ac omnes etiam Chriſtiani, quos iu propinquo carcere detinebant iuclnſos, quoſque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiata ſimiliter tenebantur, fuerunt iu navibus collocati. Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu ad civitatem rediens Aconenſem; moramque inibi ferme per quinquennium contrahens, tamquam fervidus ſalutis humanæ amator, multorum Agarenorum mentes, duras quantumlibet, non ſolum ſalubris eloquii ſuadelis, ſed etiam exemplo vitæ laudabilis convertit ad Dominum: ipſos faciens ad laudem divini nominis,

Revertitur iterum Damiatam.

Capi ſe permittit captis ſuis.

Nec vult liberari non liberatis & ſuis.

Convertit plures ad fidem.

nis, & exaltationem Catholicæ fidei honorifice baptizari: eos donis proſequendo largifluis & gratioſis favoribus confovendo: multoſque milites, & alios Chriſtianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam veſtes, quam cæterum neceſſaria victui, prout ſingulorum ſuadebat conditio, miniſtrabat. Muros quoque ſeu mœnia civitatum, & caſtrorum quamplurimorum, quæ in illis partibus a fidelibus tenebantur, fecit reparari ſolemniter; eaque firmiter muniri & integre, prout neceſſitas exigebat. Verum prædictus Rex proceſſu temporis intellecto, quod matrem ejus mors amara ſubtraxerat, & eidem Regno grave periculum immineret, de Procerum ſuorum conſilio ad regnum Franciæ remeavit: nunc ſanctitatis inſiſtens operibus, nunc Monaſteria & hoſpitia pauperum, nunc domos aliis divinis obſequiis dedicandas, quæ longum eſſet enarrare per ſingula, conſtrui faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis: nunc etiam infirmos & debiles in diverſis Monaſteriis, & Xenodochiis decumbentes perſonaliter viſitans, ipſos verbis conſolatoriis confovebat, eis manibus propriis flexo genu potus & cibaria miniſtrando. Cumque in Monaſterio Regalis Montis, Belvacenſis diœceſis, quod idem Rex opere plurimum ſumptuoſo conſtruxit, ac dotibus decoravit eximiis, Monachus quidam Leodegarius nomine moraretur; quem adeo lepræ morbus invaſerat, quod abominabilis & deſpectus quamplurimum manebat ſegregatus ab aliis, in quadam camera poſitus Monaſterii memorati; cujuſque oculi ob gravis infirmitatis pondus, ſeu malitiam jam conſumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus, ſive locis rubeis & horridis jam effectis; quique naſum perdiderat; ejuſque tumefactis non modicum labiis, & profunda ſciſſura deſtructis: ac idem Rex eum, præſente dumtaxat Abbate Monaſterii ſupradicti, perſonaliter viſitaret; ipſumque ſumentem cibum, ut poterat, inveniſſet: præfatus Rex præmiſſo benignæ ſalutationis alloquio, flexit genua coram ipſo, & ſcindens manibus propriis carnes eidem appoſitas, bolos in os ejus ſtudioſiſſime immittebat, & hujuſmodi non contentus obſequio, allatis ejus juſſione dapibus regalibus, de ipſis eidem Monacho miniſtrabat, loci, aut ægri qualitatem horribilem non evitans: eodem Abbate vehementi ſtupore concuſſo, quod tanti ſublimitas Principis talibus quantamcumque ſalubribus involui ſtudiis, ac ſervitiis poterat occupari. Præterea cum dictus Rex Hoſpitale Compendienſe ingreſſus, ad impendendum humanitatis obſequium infirmis in illo degentibus; & jam feſſus non modicum ex labore, infirmum quemdam juxta ſe poſitum conſpexiſſet, morbum, qui ſancti Eligii dicitur, patientem; & flexis genibus coram ipſo, morcellum pyri, remoto cortice, poneret in os ejus, ſanies de illius naribus defluens fœdavit turpiter manus Regis: qui pie, benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico ſuis manibus, ſalubre quod inchoaverat, obſequium diligenter eſt proſequutus. Hic circa ſervos Chriſti, ac pauperes; atque miſerabiles, & dejectas perſonas valde compatiens, ſe ipſis in eleemoſynarum largitione munificum exhibebat. Virginibus inſuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat: ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat illis de bonis regalibus: laudabiliter & ſalubriter expenſum reputans, quod in eleemoſynas & alios pios uſus converti pro tempore noſcebatur. Hinc prædicationibus, & aliis propoſitionibus verbi Dei attentum accommodabat auditum: non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis ſtudioſus. Abhorrebat hæreticæ pravitatis macula infectos: ne fidei Chriſtianæ cultores labe hujuſmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus ſtudiis expellendo; ac alias circa ſtatum ejus providendo ſollicite: ut ab ipſo

Plura ejus beneficia erga Chriſtianos Paleſtinæ.

In Galliam regreditur.

In pietatis operibus ſe exercet.

Inſervit cuidam leproſo.

In pios uſus multa erogat.

Hæreticos procul abigebat.

fermentis talibus prorſus excluſis, in eo fidei prædictæ ſinceritas rutilaret. Cum vero aliquibus partibus dicti Regni, ob ſterilitatem, ſeu malitiam temporis, victualium cariſtia imminebat: ſtatim de ipſa rumoribus intellectis, certam illuc ſummam pecuniæ, prout ipſarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium inter pauperes dividendam. Hic profecto humilitate ſublimis, ſublimitate humilis: in apparatu & veſtibus, quas frequenter pauperibus erogabat, poſt primum potiſſime de ultramarinis partibus reditum, ſummæ humilitatis inſignia demonſtravit. Nec enim

Veſtium modeſtia.

aureis, vel argenteis ornamentis, non regalibus veſtibus, non variis, vel griſeis, ſed aliis humilibus pellibus uſus fuit; ſecularibus pompis a ſe penitus abdicatis. Et ne fervorem ſpiritus ſociæ carnis ardor extingueret, ſed mortificatione ac repreſſione illum potius accendi contingeret, altiuſque ſuſtolli; carnem ipſam quaſi aſſidui aſperitate cilicii, prout aſſeritur, edomans, effrenæ ipſius libitum arctæ abſtinentiæ freno coercuit, ejuſque nexibus alligavit: ut non voti proprii ducta libidine, non ſui deſiderii directa remigio, ſed ſalubri moderamine ſpiritus tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abſtineret.

Ejus jejunia.

Diſtrictis etenim corpus atterebat jejuniis: priſcorum obſervantiæ a ſanctis Patribus ordinatæ novorum auſteritatem adjiciens, ſibi motu proprio voluntatis indictam. Nam per totum quadrageſimale tempus, & quadraginta dies feſtum Natalis Domini præcedentes, & omnium feſtivitatum vigilias, nec non & quatuor tempora, quæ Catholica indicit Eccleſia, in jejuniis & orationibus exiſtebat: delicioſis & curioſis cibariis uſui proprio penitus interdictis. In feſtivitatum vero Virginis glorioſæ, & Natalis Domini memorati vigiliis, & ſexta feria majoris Hebdomadæ, jejunium obſervabat, panis & aquæ dumtaxat modica ſuſtentatione contentus. Quolibet etiam die veneris Quadrageſimæ ſupradictæ, ac totius Adventus, ab eſu piſcium abſtinebat.

Durus lectus.

Multis præterea vigiliis ſe occupans, ne aliqua ſibi hora temporis inutiliter pertranſiret. Poſt ejus reditum ſupradictum, non in pluma, vel paleis jacuit; ſed ſuper ligneum lectum portatilem, materatio ſimplici ſuperjecto, ſtramine nullo ſuppoſito, decumbebat. Hic inſuper vitæ puritate prælucidus, ſincerus veritatis amicus extitit, hoſtiſque duriſſimus falſitatis. Cuncta quoque ipſius eloquia ſalutis argumentum, operaque ſalubria hortabantur; demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multipliciter redundabant. Cumque ad incrementa Catholicæ fidei & liberationem celerem Terræ ſanctæ votis ardentibus anhelaret: in ipſius Terræ ſubſidium aſſumpſit denuo ſignum Crucis.

Secundo navigat in Syriam.

Et deinde potenti ac valido congregato navigio, copioſa & ſtrenua comitiva ſuffultus, cum ipſa Pictaviæ Comite, ſuiſque liberis, & claræ memoriæ Regina Navarræ, ipſius Regis filia, quæ in reditu debitum naturæ perſolvit: ad partes rurſum ſe tranſtulit transmarinas, Carolo, qui tunc moram in partibus Italiæ contrahebat, Regis memorati veſtigia ſubſequente. Ac tamdem ad partes Tunicii felici greſſu perveniens, inibi de magnatum ſuorum conſilio caſtra fixit: & adverſus Sarracenorum incurſus exercens potentiæ ſuæ vires, graviſſimas ob labores innumeros, quibus premebatur aſſidue, infirmitates incurrit.

Pie moritur.

Qui diebus lapſis aliquibus, infirmitatum ipſarum violentia ſuperatus, Sacramenta Eccleſiaſtica cum ſumma devotione recepit: ac iſtante ſibi veroſimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Chriſtiano præmiſſa, ſuam Domino devotis precibus animam recommendans, ac litteraliter exprimens verba ſequentia, videlicet: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: feliciter migravit ad Chriſtum, ſupernis deliciis fruiturus. Verum cum vitæ hujus functus curriculis

verius viveret, quam cum vixiſſet, noluit Altiſſimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ mundo ſupprimi ſanctitatem: ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulſerat, ſic miraculorum diverſitate clareſceret, & qui eum pleniſſima devotione coluerat, jam ſecam in cœleſti palatio collocatus, venerabiliter coleretur. Nam contractis, artuum extentione ſubvenit: curvis, terram ferme tangentibus facie, plenam reſtituit, eorum ſurſum erectis vultibus, ſanitatem: ſtrumoſis beneficium liberationis impendit. Mulierem quamdam, cujus brachium aridum, & omnino impotens exiſtebat, ab infirmitate hujuſmodi liberavit. Quidam quoque, cujus velut emortuum pendebat brachium, per ejus Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit: compluribus paralytico morbo percuſſis, & aliis qui diverſis languoribus tenebantur, plena reddita ſoſpitate: cæciſque viſu, ſurdis auditu, claudis greſſu, illius invocato nomine reſtitutis. His & compluribus aliis Sanctus ipſe coruſcavit miraculis glorioſus: quorum ſeriem præſentibus non duximus inſerendam. Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ Principem genuit, per cujus merita ſublimiter illuſtratur. Lætetur devotiſsimus Franciæ populus, quod tam electum, tam virtuoſum Dominum meruit obtinere. Exultent Prælatorum & Cleri præcordia, quod præfatum Regnum tam claris miraculorum ipſius Regis inſigniis propenſius decoratur. Jucundentur & Procerum, Magnatum, Nobilium & Militum pectora, quod per ſanctiſſima opera dicti Regis, ejuſdem regni ſtatus honoris multiplicis prærogativa ſuſtollitur, & quaſi ſolis radiis eluceſcit. Ceterum quia quos ſuperni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, devote a fidelibus in hac terreſtri patria convenit venerari: nos de ſanctitate vitæ, ac miraculorum veritate ipſius beatiſſimi Ludovici curioſe, ac ſolemnis inquiſitionis diligentia, & diſtricti examinis diſcuſsione præmiſſa, plenariam certitudinem obtinentes: ipſum de communi Fratrum noſtrorum & Prælatorum omniam tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium conſilio & aſſenſu, die Dominica, III. Idus Auguſti, Sanctorum catalogo duximus aſcribendum. Ideoque univerſitatem veſtram monemus & hortamur attente, vobis per Apoſtolica ſcripta mandantes: quatenus in craſtino beati Bartholomæi Apoſtoli cum fœlix ipſius anima tunc de carnis eruta vinculis, aſtra petens, cæleſtem aulam adiverit, æternis gaudiis potitura: feſtum ipſius Sancti devote ac ſolemniter celebretis, & faciatis per veſtras civitates & diœceſes a Chriſti fidelibus veneratione congrua celebrari: ut ejus intervenientibus precibus, & hic ab imminentibus poſitis liberari periculis & in futuro ſalutis perpetuæ præmium obtinere. Ut autem ad venerabile ſepulcrum ipſius ferventius, & copioſius fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejuſdem ſolemnitas peragatur: omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui reverenter illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ejus ſuffragia petituri, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies: accedentibus vero annis ſingulis ad prædictum ſepulcrum infra ejuſdem feſti octavas, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer ralaxamus. Datum apud Urbem veterem, III. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno III.

Miraculis clarescit.

Dies canonizationis.

Indulgentiæ viſitantibus ſepulcrum.

XXII. Hoc anno in feſto Cathedræ ſancti Petri beata Margarita Cortonenſis ſanctam animam Deo reddidit; libet itaque ejus acta hic proſequi, & quas in hunc locum remiſimus, ejus virtutes & mirabiles viſiones amplius enarrare. Frequenter huic ſuæ ſponſæ Chriſtus apparebat,

Marian. cit. c. 13. Marc. lib. 5. cap. 29. & ſeq. Vita ejus MS. Ferrar. in catal. ad diem 22. Feb. An. 1277. n. 11.

Margaritæ Cortonenſi Chriſtus ſæpius apparet.

bat, & colloquebatur, eo tamen ſemper illa humilior, quo majori eamdem Dominus dignabatur honore. Neque facili aut levi corde viſionem omnem credebat divinam; ſed mira maturitate, antequam fidem adhiberet, humili corde, & brevi oratione diſcutiebat apparitionis qualitates, & intrepide mox dicebat apparenti: *Si non es Dominus meus Jeſus Chriſtus, aut Angelus lucis, in nomine Jeſu Nazareni, tibi præcipio, ut protinus abſcedas*. Quam mira dulcedine Chriſtus conſolabatur, & certis ſignis ſemet eſſe, qui cum ea loquebatur placide perſuadebat. Valde cupiebat illa, & ſæpius rogavit, ut liceret ſibi paſsionis Chriſti dolores ſentire; cui ille: *Vade ad Crucem, & ſcrutare ibi plagas meas, & perquire dolores, illic experiri licebit, quam fuerint vehementes*. Illa pru-

Fit particeps Chriſti dolorũ.

denter intellexit meditanda ſibi proponi Crucis, & Paſsionis Dominicæ myſteria, in quibus contemplandis tanto ferebatur conatu, ut omnia ipſa pati judicaretur, & præ doloris magnitudine oculorum nervi viderentur evelli, & totum undique corpus intolerabili afficeretur paſſione.

Necnon beatæ Virginis.

Petiit deinde ſibi communicari beatæ Virginis Mariæ dolores omnes, quos in cunctis opprobriis, flagellis, vulneribus, morte dilecti filii ſui, & univerſis paſſionis circumſtantiis fuerat perpeſſa. Hoc etiam ei dignanter conceſſum, jubente Domino, ut more ſolito ſe conferret ad Eccleſiam Minorum, ubi ab hora tertia uſque ad nonam, *quæ illa viderat, videbis, & quæ pertulit, tu patieris. Summo mane venit*, inquit ejus Confeſſarius, qui geſta ſerius deſcripſit, *meque admonuit factæ ſibi a Chriſto gratiæ, rogans ut ab ea non diſcederem, neque deſideratos illos dolores paſſuram ullatenus derelinquerem. Finitis itaque miſſarum ſolemniis, prope horam tertiam anima illa Deo devota in eumdem totaliter abſorpta videre cœpit prima illa, & ſecreta Judeorum conſilia de Chriſto capiendo, Judam cum illis paciſcentem, mox Chriſtum oſculo tradentem, & ſingula quæ in Chriſti paſſione contigerunt. Omnia, quæ offerebantur ſpectacula, adeo intenſo illa contemplabatur dolore, ut mira in ea patuerint ſigna ad ſingulu myſteria, & in extremo mortis articulo judicarent circumſtantes conſlitutam, hora præſertim nona, qua Chriſtum vidit caput in cruce inclinantem, & ſanctiſſimum ſpiritum emittentem; ita etenim caput ejus ſubito & mortali motu ad pectus decidit, omnibuſque exterioribus ſenſibus eſt deſtituta, ut vere defunctam judicarent. Quo modo & corporis ſitu permanſit uſque ad veſperam, concurrentibus cum gemitu & lacrymis omnibus Cortonenſibus, quos turmatim advenientes excipere non poterat Eccleſia præ multitudine, nec quidquam audiebatur niſi fletus & planctus.*

Magna in ea vis amoris.

XXIII. *Veſpere autem facto, quaſi de morte reſurgens nova mentis lætitia facie in cœlum erecta, tamquam miris magniſque dotata muneribus, gratias cœpit reddere innumeras bonorum omnium largitori. Cum autem remearet ad cubiculum, velut altera Magdalena, quæ Chriſtum in cruce mentaliter viderat, credens eum ſibi ſublatum, ebria ſpiritu, ab omnibus ſibi obviis ſuum Dominum crucifixum repetebat, idque tam pio affectu, ut omnes ad fletum provocaret. Cubiculum ingreſſa, clauſo ſuper ſe oſtiolo, cibo, potu, ſomnoque neglectis, ſolam flere libebat, & dicere*: Amor meus dulciſsime Jeſu; quis te mihi abſtulit? Summum meum bonum, quo receſſiſti? Dulce decus meum, doce me ubi te perquiram. Tu cor meum, tu vitæ meæ deliciæ, abſque te vivere non poſſum, ne te mihi abſcondas

Apparet ei Chriſtus glorioſus.

cordis æſtuantis ſuave refrigerium. *In his jaculatoriis affectibus, & ſponſi potiundi anxio deſiderio a feria ſexta, qua hæc contigerunt, uſque ad ſecundam perſeveravit, donec in illius diei diluculo, Chriſtus Dominus, qui*

prius

prius ei apparuerat lividus, & ſaturatus opprobriis, ſe conſpiciendum exhibuit in decore ſuo ſpecioſum ſtola immortalitatis indutum, & arcana habuit cum ſua ſponſa colloquia, quibus languentem animum valde recreavit.

XXIV. *Circa reſurrectionis Dominicæ feſtum apparuit ei Dominus, & ſciſcitanti mortis auctores? ſuæ gentis homines, quibus benefaciebat, præcipuos necis actores reſpondit, & ſe adhuc ab aliis quotidie crucifigi ſubjunxit diſcurrens per omnes hominum ſtatus, & peccata, quibus unaquæque ſors irretiri ſolet, applicans illatis ſibimet injuriis. Simul comedentes & bibentes, poſtea tamen ſemet invicem tradentes, Judæ partes agere; prædones qui tranſeuntes ſuis bonis expoliant, milites ſibi veſtes detrahentes eſſe dixit, atque alia id genus largius proſequutus, omnes ſuæ paſſionis partes adhuc per hujuſmodi peccatores renovari ſuam dilectam edocuit. Deinde ingratitudinem generis humani exaggeravit, dum tot beneficiis creationis, conſervationis, & redemptionis, aliiſque innumeris donis adſtrictum, optimum benefactorem offendere non prætermittit. Unde ne admireris, inquit, dilecta filia, ſi a te perquiſitus, non ſtatim appaream; in lectulo ſi quæras, non invenior, inter delicias non appareo: redi ad Crucem, in qua confixum vidiſti, ibi facilius, & certius conſpicies quem mali Chriſtiani quotidie & paſſim crucifigunt, tuque ipſa ſæpius confixiſti. Illa ad poſtrema hæc verba animo concidit, expalluit, & verecundia ſuffuſa oculos non audebat erigere, nec Chriſtum aſpicere, donec ipſe animum adjecit, condonatoſque dixit prioris vitæ errores, & peracta digna reatuam pœnitentia, quem crucifixit, jam e cruce depoſuiſſe. Simile etiam habait cum eadem colloquium circa feſtum Aſcenſionis minutim ſingula recenſens peccata; adjiciens hæc adeo inundaſſe in ſeculo, ut multo plures, quam credi poſſit, deſtinentur pœnis æternis.*

Chriſtus etiam nunc a peccatoribus crucifigitur.

XXV. Alias etiam enarravit, quantum capiant fructus & lucri ſpiritualis ex ſua pœnitentia, qui Tertio ſancti Frenciſci ſe adjudicant Inſtituto. Deinde arrepta occaſione, ipſius ſancti Inſtitutoris gloriam ſublimem oſtendit, quam ſibi per omnia conformis fuerit, & quam ſibi placuerit in fundatis ab eo Ordinibus, univerſæ Eccleſiæ valde proficuis, largius explicavit. Mox eam monuit graviorum, & frequentius inundantium peccatorum, de quibus juſſit, ut admoneret Fratres Minores, ut contra illa prædicarent non inanibus humanæ ſapientiæ, nec phaleratæ eloquentiæ verbis, ſed evangelicis, & ex doctrina Pauli Apoſtoli dilecti, & electi, ſumme, inquit, ſalutari. Cui tamdem illa: Domine, hi Patres Minores, quibus dignatus es me commendare, & quorum veſtem juſſiſti ut aſſumerem, propter potentem gratiam tuam, qua repentina converſione ad te me reduxiſti, non omnino mihi adhuc credunt: nec ſecure confidunt actibus meis, ſed cum vigilantia, & cautela rarius viſitant me, & explorant quidquid ago vel dico, timentes ne fraudulenter ego velim illis illudere: Aufer itaque Domine dubium hoc, & ſcrupulum ex cordibus eorum. Cui Dominus; Cogitationes cordis occultæ, deceptorii ſpiritus, qui bonis illudunt, & inſtabiles res humanæ ſollicitos & timidos reddunt tuos Confratres vel de veritate tuæ converſionis, vel de perſeverantia virtutis: ego tamen meliorem & conſtantiorem de te conceptum illis infundam, utque te frequentius ſalubri inſtruant doctrina, & ſua conſolentur præſentia, confeſtim efficiam. Hoc ipſo tempore celebrabatur Senis Capitulum provinciæ Etruriæ, in quo actum eſt per quoſdam, qui Ordinis honori cavebant, ut cautius & raro

Commendantur Ordines ſancti Franciſci.

Caute agunt cũ Margarita Minoritæ.

vi-

viſitarent Fratres Margaritam, cujus vita mala anteacta, repentina converſio, & virtus nullo adhuc miraculo, vel evidenti ſigno comprobata, ſi non ſuſpicionem fraudis, timorem ſaltim incutere poſſent inſtabilitatis. Illud itaque curandum dicebant, ne illius lapſus vel dedecus, eo majus quo celebrius, illa in omnium ore verſabatur, redundaret in commune Sodalitii detrimentum, & Fratres participes reddantur dedecoris, qui Magiſtri putabantur virtutis. Omnia hæc ei a Chriſto revelata, dixitque illa Confeſſario, atque ſe obtinuiſſe a Domino ut non derelinqueretur abſque magiſtro, neque illi interdiceretur ut eam inviſeret, aut confeſſiones exciperet: *Ita paulo poſt experimento comperi*, inquit ipſe, *nam adveniens Cortonam novus Cuſtos dixit mihi, quæ de hac re fuerunt propoſita, & ſibi impoſita, ut ſummo ſtudio, ſed magna cum cautela Dei ancillam conſolarem, ſemel dumtaxat in hebdomada inviſerem, & confeſſiones, quoties ad Eccleſiam accederet, ego ſolus exciperem*.

Revelantur ei aliorum ſtatus.

XXVI. Illuminata etiam fuit admirabiliter, ita ut cordium ſecreta rimaretur, conſcientias hominum apertius inſpiceret, peccata procul & in remotis partibus Deum offendentium, non ſine dolore & lacrymis cognoſceret, & accedentium ad ſe ſtatum plene detegeret, additis piis documentis, quibus malos a vitiis retrahebat, bonos meliores efficiebat. Sacerdos quidam per errorem panem (hoſtiam vocant) haud conſecratum pro conſecrato illi porrexit: quod ſibi quærenti, & ploranti quod internam ut ſolebat, poſt communionis dulcedinem minime ſentiret, a Domino fuit revelatum. Miſellorum quorum vel propter ignorantiam, vel propter verecundiam in peccatis perſeverantium, *mihi*, inquit Confeſſarius, *aliquoties ſtatum revelabat, rogabatque ut de eorum ſalute cogitarem; & omnia ita comperiebam eſſe, ſicut illa dicebat, qua ratione multorum proſpectum eſt conſcientiis*. Mulieri cuidam ſe viſitanti dixit male feciſſe, dum confeſſario ex verecundia duo graviora celavit peccata, perſuaſitque, ut quantocius ad ejus pedes regrederetur, & lethale, quod remanſit, evomeret venenum. Alterius ſibi mentientis mendacium detexit, quæ erubeſcens palam confeſſa, in quo ſecreto deliquit. Nobilem adoleſcentem in extremis laborantem, nec confiteri volentem, ſuis precibus ad pœnitudinem flexit, atque ut confiteretur effecit. Adoleſcens alter ereptam ſuo viro uxorem apud ſe detinebat, neque a matre induci potuit, ut adulteram remitteret, donec propoſita caute buccella panis, in hunc finem a Margarita accepta, & ab illo ſumpta, mutatus repente in virum alterum, confeſtim mulierem dimiſit. Quemdam ſacerdotem, qui carnaliter peccare decreverat, ſui mali admonuit propoſiti, quo factum eſt, ut peccare deſierit. Alter inordinato appetitui fræna relaxans, & tentationum fluctibus ſe ſponte committens, cum magna fiducia ſe Dei famulæ commendavit; quæ dum pro homine oraſſet, inordinatam vitam illico in meliorem commutavit, & de præteritis reatibus continuo egit pœnitentiam. Cum pro quodam religioſo in amaritudine animæ, & cuſtodia carceris per ſuum Prælatum conſtituto deprecaretur, apparuit ei Chriſtus, juſſitque ut præſulem alloqueretur, & tempus eſſe miſerendi denunciaret: ipſum vero reum plene & libenter ſatisfacturum pro omnibus offenſis in Deum commiſſis, quas Prelatus ex bono zelo, in eo caſtigabat.

Plura patrat miracula.

XXVII. Sub Nicolao IV. dum in Romanula magni expectarentur bellici tumultus, tamquam ſequeſtra apud Dominum continuis interpellabat orationibus, ut ſedarentur; obtinuitque, apparente ſibi Domino, & di-

& dicente, propter eam, plenam pacem ſe præſtiturum. Salutem etiam languidis ad ſe venientibus magna facilitate vel dabat, vel a Domino impetrabat. Dæmoniacam multis modis vexatam, & variorum animalium voces emittentem, ad ſe per ſex viros robuſtos invitam adductam, ſtatim ſanavit, dum pro illa in cubiculo deprecaretur. Puerum in extremis laborantem a mortis faucibus ad vitam revocavit: alterum jam defunctum, cujus genitrix flens & plorans venit ad Dei ancillam, ſuis precibus reſuſcitavit, dixitque matri ut domum læta rediret, quia illa hora filius mortuus rediit ad vitam. Neque vivis dumtaxat profuerat temporalibus beneficiis, ſed & mortuis præſtitit ſpiritualia: apparebant enim ei animæ defunctorum, rogabantque ut ſuarum precum vim & potentiam liceret ſibi experiri, & ageret apud Dominum, ut liberarentur a pœnis Purgatorii. Illa fecit quam libenter ſentientibus animabus ſanctæ mulieris potentem virtutem. Animæ defunctorum ejus orationes expoſcūt.

XXVIII. Pro ſe etiam tamdem inſtanter oravit, ut ex hac valle lacrymarum liceret abire, & Domini ſui deſiderata frui præſentia. Exaudita eſt oratio ejus, revelavitque ei Dominus diem mortis & horam, qua ſub aurora læta & jucunda aſſociata multis animabus, quæ propter illam ex Purgatorii ſolvebantur ergaſtulo, tranſire deberet in cœlum. Cœpit igitur corporis viribus deſtitui, ſed ſpiritu roborari, & per dies ſeptemdecim nihil cibi ſumpſit, ſolis colloquiis refecta divinis. Quare hoc anno die ſuperius relato cum jubilo vultuque angelico migravit ad ſuperos. Rupto hoc vaſe terreo, ſtatim efflavit inexplicabilis odor virtutum, quo circumſtantes omnes repleti, veraciter cognoverunt Margaritam fuiſſe vas ſanctitatis, & cœleſtium chariſmatum capaciſſimum reconditorium. In ipſa illa hora quidam cœleſtibus contemplationibus immerſus in civitate Caſtelli, vidit Margaritæ animam cum lætitia & jubilo ineffabili in cœlum efferri, multis animabus ex Purgatorio eductis aſſociatam, quam ex illa hora vocavit ſemper Magdalenam Chriſti ſecundam. Audientes autem Cortonenſes eam obiiſſe, inito publico urbis conſilio, ad Eccleſiam ſancti Baſilii, aliis ſancti Blaſii, quæ hodie Minorum eſt Templum, devotiſſime concurrentes, balſamo conditum corpus, purpureoque veſtimento indutum, in novo ſepulcro cum luminaribus multis, & copioſo clericorum religioſorumque cætu ſolemniter tumularunt. Cœpit autem protinus multis coruſcare miraculis, quæ hic ſummatim perſtringimus. Decem mortuos mirifice ſuſcitavit; ſexdecim a morbis incurabilibus, & ab ipſis mortis faucibus liberavit; ſex cæcos illuminavit, totidem confractos ſolidavit; tres mutos, ut loquerentur, effecit; alios totidem a calculi vehementiſsimo dolore ſanavit; quinque claudis & contractis greſſum reſtituit; quatuor a dæmonio vendicavit; quatuor item naufragantibus miraculoſe ſubvenit; quinque cadentibus in puteos, vel ex tectis domorum, vel morbum patientibus caducum præſens præſtitit auxilium; duodecim tribulatis, & afflictis remedium adhibuit. Quæ omnia ſcripta & comprobata fuerunt partim coram Domino Neapoleone Urſino Cardinale ſancti Adriani Sedis Apoſtolicæ Legato in Italia ſub Clemente V. partim coram aliis viris graviſsimis. Quibus rite probatis, & ſtupendo illo prodigio, quo pulchrum, vegetum, & illæſum adhuc ejus corpus ab omnibus inviſitur Cortonæ, commotus ſummus Pontifex Leo X. conceſſit ut ejus feſtus dies ageretur Cortonæ, ipſo, quo deceſſit die, & corpus omnibus colendum proponeretur; deinde Urbanus VIII. qui hodie ſacroſanctam gubernat Eccleſiam, pre-

Præſcit diem mortis ſuæ.

Hoc anno n. 22.

Moritur Cortonæ.

Secum ducit in cœlum plures animas.

Coruſcat miraculis.

Ejus corpus adhuc integrum & pulchrum.

precibus Sereniſſimæ Chriſtiernæ Duciſſæ Etruriæ eam Beatorum aſcripſit catalogo, indulſitque de ea celebrari Eccleſiaſticum officium, anno

Ejus feſtum rite colitur.

MDCXXIV. Scripſit ejus vitam accurate & diffuſe frater Juncta Bevegnatis ſanctæ Fœminæ coofeſſarius, duodecim capitulis diſtinctam, quam penes me habeo MSS. io qua, vel quæ ipſe viderat, vel quæ ex ore ipſius famulæ Dei, vel ab aliis ejuſdem Confeſſariis perceperat, fideliter & ſiocere eoarravit.

Vita ejus ſcripta a proprio confeſſario.

Provinciam hanc ei impoſuit frater Leo de Caſtillione hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Etruria; quam recte & rite obiiſſe, & vitam veridice ſcripſiſſe dixerunt, & ſuis ſyngraphis comprobarunt frater Joannes etiam Inquiſitor, frater Tarlatus ſacræ Theologiæ Profeſſor, frater Philippus Cuſtos de Caſtillione, frater Ubaldus de Colle Guardianus, & frater Paulus de Socio, qui alternis vicibus fueruot omnes beatæ fœminæ confeſſarii. Eamdem legendam approbarunt, frater Rayoerius Senenſis, frater Bartholomæus, frater Thomas, & frater Antonius, ſucceſſivi Provinciæ Tuſciæ Miniſtri. Legerunt eamdem & commendarunt plurimi Viri docti utriuſque ſtatus Eccleſiaſtici & ſecularis; ſed & prædictus Cardinalis Legatus voluit ſibi dari unum exemplar, quod devote aſſervabat, & ultro piis quibuſque viris legendum, & traoſcribendum offerebat.

XXIX. Floruerunt etiam multis ſanctitatis indiciis circa hoc tempus Joannellus Tertii Ioſtituti ſancti Franciſci io civitate Cortonæ, oecoon

Joannellus Tertii Ordinis.
Gilia ſocia B. Margaritæ.

ſoror Gilia ſocia beatæ Margaritæ, mirabiles ad exemplum famulæ Dei ſubeuntes pœnitentias. Obierunt ante Margaritam, cui revelatum fuit, eos in cœlum abiiſſe. Illorum corpora tumulata ſunt in Eccleſia ſancti Franciſci Cortonæ. Neque his inferior præclara fœmina Adriana

Adriana ejus ſoror.

beatæ Margaritæ ſoror, & comes individua; quæ cum iviſſet Aſſiſium, lucratura Indulgentiam Portiunculæ, in ipſa Eccleſia ab innumero iogrediente populo compreſſa, uti quotannis ferme accidit, Cortonam rediens ex laterum dolore paulo poſt mortem obivit. Dum pro illa oraret Margarita, voce cœlitus emiſſa, audivit eam in loco ſalvatioois eſſe ex magno merito Indulgentiæ, quam ſuſceperat, & abſque pœna ulla in cœlum evolaſſe.

XXX. Per hoc tempus in montibus Aprutinis, finibuſque Aprutii & Marchiæ Anconitanæ divagabantur, & ſecreta quærebant hinc inde latibula Sectarii quidam ex diverſarum religionum apoſtatis, & aliis nebulonibus congregati, qui Bizochi vocabaotur, & pernicioſas diſſeminabant doctrinas. Injunxit Pontifex fratri Matthæo de Theate Minoritæ Inquiſitori, ut ad illa loca procederet, ioiquam hanc gentem exter-

In ſectam Bizochorum inquirit B. Matthæus Minorita.

minaturus; quam alias ſe, & ſuos prædeceſſores condemnaſſe refert Bonifacius. Sane Honorius IV. in bulla quæ incipit: *Olim fœlicis recordationis*, & habetur apud Laertium Cherubinum, quoſdam hæreticos ſub

Cherub. to. 1. bullar. ſub Honor. IV. bulla 1.

oomine Ordinis Apoſtolorum per diverſas mundi partes diſcurrentes, facientes ea quæ noo decebant, in animarum ſuarum periculum, & grave ſcandalum plurimorum; præſertim cum multi ex eis pravitatis hære-

Qualis hæc ſecta.

ticæ vitio fuerint infecti, coodemnavit, & per Eccleſiarum Prælatos extirpari præcepit; quod & ſimiliter feciſſe Nicolaum IV. teſtatur idem Cherubinus. Hos antem eoſdem fuiſſe cum Bizochis, Begardis, Beguinis, & Fratricellis de opioione toties condemnatis a Pontifice, præſertim Clemente V. & Joanne XXII. quorum extravagantes habentur in

In Clement. & extravag. de relig. dom.
Nitela par. 2. c. 1.

corpore juris, probe docet, & docte deducit recens auctor Nitelæ Franciſcanæ Religionis, diverſaque ſortitos nomioa, vel ex diverſis reſtaura-

ratoribus , vel ex variis eventibus , aut populi nomenclatura . Bonifacii porro ſanctio contra Bizochos ita ſe habet .

Dilecto filio fratri Matthæo de Theate Ordinis Minorum , Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Provincia beati Franciſci .

XXXI. *INcrementum Catholicæ fidei præ cunctis noſtræ mentis deſideriis affectantes , nimio utique dolore replemur , cum audimus aliquos ad illius depreſſionem quacumque malignitate ſatagere , ipſam vel damnabilibus depravando commentis , vel vipereis ſeductionibus pervertendo ; ad quorum iniqua ſternenda molimina eo ardentius aſpiramus , quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare . Ad noſtram ſiquidem nuper audientiam eſt deductum , quod nonnulli diverſarum Religionum apoſtatæ , necnon & alii nullam de approbatis Religionibus profeſſi , qui* Bizochi , *ſeu alio nomine ſe appellant , non obſtante prohibitione , ſeu ordinatione alias tam per nos , quam per alios ex prædeceſſoribus noſtris facta , & habita circa tales , in Montibus Aprutinis , ſeu in illis finibus Aprutii & Marchiæ Anconitanæ , ac terris circumpoſitis finibus illis , ſe tamquam in cubilibus ſtruthionum in veſtimentis ovium receptantes , velut lamiæ nudatis mammis catulos ſuos lactant , dogmatizando palam diverſos hæreticæ pravitatis errores , tamquam diverſas habentes facies , licet caudas habeant invicem colligatas . Hi enim ab utero matris Eccleſiæ pertinaciter aberrantes , acuunt linguas ſuas , quibus corda vulnerant infirmorum , ſtudentes animas interimere ſimplicium , quaſi bonum vinum ponendo , ut eum inebriati fuerint , illis quod deterius eſt ponentes , una cum ipſis perditionis laqueo ſe ſuſpendant . Quare nos conſiderantes , quod talium peſtis ſerpit ut cancer , manuſque ipſorum ſunt Eſau , quamquam vox eorum vox Jacob aliquando videatur ; diſcretioni tuæ , de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus , per Apoſtolica ſcripta committimus , & mandamus , quatenus ad hujuſmodi loca te perſonaliter conferens ad inveniendas , capiendas , & ad noſtram præſentiam deducendas perſonas hujuſmodi , vulpes quidem demolientes vineam Domini Sabaoth , & ad profligandas eas de ſuis latibulis , velut feras ſilvarum humanas animas ſitientes , caute , viriliter , & ſolerter intendas contra dogmatizantes & peſtilentes hujuſmodi , tamquam contra hæreticos , necnon contra eorum receptatores , atque fautores auctoritate noſtra conſtanter , & magnanimiter proceſſurus . Contradictores , & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam , appellatione poſtpoſita , compeſcendo , ac invocando ad hoc , ſi opus fuerit , auxilium brachii ſecularis . Non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum , quod interdici , ſuſpendi , vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas , non facientes plenam & expreſſam , ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem , vel commiſſione generali aliquibus in illis partibus ſuper inquiſitionis officio jam facta , cum velimus prædicta circa perſonas hujuſmodi per te ſpecialiter exerceri . Nos autem ſcribimus Eccleſiarum Prælatis , & Rectoribus Terrarum , quos duxeris requirendos in his exequendis , ut tibi favorabiliter & efficaciter conſiliis , & auxiliis opportunis aſſiſtant . Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Maii , anno* III.

Reg. Vat. n. 178
Iſai. 13. 21. Matth. 7. 15. Thren. 4. 3.
Hæreticorum fraus .
Joan. 2. 10. 2. Timot. 2. 17. Geneſ. 27. 22. Cant. 2. 15.

XXXII. Creavit etiam Bonifacius hoc anno Archiepiſcopos duos ex Minoritis , Petrum Mariæ Hungaræ Siculæ , ſeu Neapolitanæ Reginæ Capellanum in Archiepiſcopali Eccleſia Spalatenſi , in Dalmatia ad mare

Fr. Petrus Archiepiſc. Spalatenſis .

Adriaticum, ditionis Venetæ, jam dudum paſtore viduata: *Cum Eccleſiarum omnium*. VI. Idus Maii. Fratrem Henricum de Tuderto in Eccleſia Jaderenſi, in Inſula Liburnorum, ditionis etiam Venetæ, per tranſlationem Joannis Archiepiſopi etiam Minoritæ, ut ſupra diximus, ad Eccleſiam Tranenſem, vacante: *Romani Pontificis*. XIV. Kal. Julii.

Fr. Henricus in Eccleſia Jaderenſi.

An. 1291. n. 18.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Leo Epiſcopus Comenſis.

Bellarm. in hiſt. Comen. p. 2. ſub Leone III. Bened. Jovius l. 2. hiſt. nov. Com.

„ Alterum creavit, ſeu probavit Epiſcopum Comenſem, iu Ducatu „ Mediolanenſi fratrem Leonem Lambertengum, ea in urbe nobili „ proſapia natum, qui inter varia civium ſtudia, bellorumqne civilium „ tumultus, Eccleſiam ſuam prudenter gubernavit. Ab Henrico Impe- „ ratore omnia privilegia a prædeceſſoribus conceſſa confirmari cura- „ vit; Minorum Templum reſtituit & clauſtrum Xenodochium ſancti „ Pantaleonis nobilibus paupertate preſſis curandis inſtituit; Eccleſiam „ parochialem ſancti Marci fabricavit, conſecravit, redditibus hone- „ ſtavit; juſpatronatus anno MCCCXIII. conſanguineis reſervavit. Obiit „ anno MCCCXXVII. ſepultus ad ſuos conſodales ſub rudi tabula lapi- „ dea. „ Tres etiam conſtituit Pontifex ex eodem Sodalitio Crucis prædicandæ Commiſſarios contra Jacobum & Petrum Columnenſes, abrogatos Cardinales, eorumque conſanguineos & ſautores, ſibi variis de cauſis infenſos, & in munitiſſimo præſidio Præneſtino eidem inſultantes, videlicet fratrem Nicolaum de Campis ſuum Pœnitentiarium in Marchia Anconitsna, fratrem Jacobum de Gordiano etiam ſuum Pœnitentiarium in patrimonio beati Petri in Tuſcia, ftatrem Angelum Reminum in provinciis Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, & in civitatibus Oſtienſi, Velletrenſi, Albanenſi, Tiburtina, Præneſtina, ac locis ſeu terris Abbatiarum Sublacenſis, & Farſenſis. Quibus amplam conceſſit auctoritatem aſſumendi coadjutores vel ex ſuo, vel ex Prædicatorum, vel Eremitarum ſancti Auguſtini Ordinibus, & indulgentias, atque alia pleraque elargiendi. Monaſterium etiam ſancti Silveſtri de Capite in Urbe, de quo alias largius egimus ſupra, quod eo uſque regebatur per Jacobum Cardinalem Columnenſem, ex ſpeciali conceſsione Nicolai IV. ſubjecit Matthæo Aquaſpartano ex Minorita Epiſcopo Cardinali Portuenſi, & ſanctæ Ruffinæ, & Joannam Columnenſem, Joannis de Columna prædicti Cardinalis Jacobi fratris filiam, ejuſdem Monaſterii Abbatiſſam, e ſuo gradu dejecit, inhabilemque reddidit ad cujuſvis prælaturæ miniſterium. Plura contra nobilem hanc familiam decrevit, quæ habentur inter ſtatuta juris Canonici, duravitque cum magno ſcandalo, & ſummo utriuſque partis detrimento hoc diſsidium uſque ad mortem Bonifacii.

In litteris ſecretis n. 75.

Tres Minoritæ Cõmiſſarii Cruciatæ.

Ibid. epiſt. 522.

Subjicitur Monaſterium S. Silveſtri Card. Aquaſpartano.

An. 1285. n. 17.

De Schiſmatic. in 6. Ad ſuccidendos.

XXXIII. Mortuus eſt hoc anno die VI. Martii ætatis ſuæ anno L. a ſuſcepto Minorum Inſtituto XXXVIII. frater Petrus Joannes Olivi in Conventu Narbonenſi, ubi præmiſsis omnibus Chriſtiani hominis, & viri religioſi muniis, acceptiſque S. R. E. ſacramentis, hanc ſuæ doctrinæ declarationem, & ſidei profeſsionem emiſit: *Hæc illa mea eſt profeſſio & ultimus ſenſus circa controverſias & moleſtas quæſtiones inter me, & præcipuos Ordinis Patres hucuſque exagitatas, circa modum & menſuram noſtræ paupertatis. Dico abdicationem omnis juris, ſeu juriſdictionis temporalis, & pauperem rerum uſum de ſubſtantia vitæ noſtræ Evangelicæ; pauperem vero uſum hunc ita explico: Ut omnibus conſideratis, cenſeatur potius pauper, quam dives, ſeu declinet potius ad paupertatem quam ad opulentiam. Dico etiam, quod defendere pertinaciter tranſgreſſiones paupertatis, & imperfectiones Regulæ contrarias, tamquam bonas, vel cogere ad eas Fratres,*

Marian. l. 3. c. 14. Chron. antiq.

Moritur frater Petrus Joannes Olivi.

Sub morte ſuam declarat doctrinam.

De paupere uſu quid ſentiat.

Relaxantes Ordinem quã graviter peccent.

Google

tres, perſequendo illos qui Regulæ puritatem obſervant, peccatum eſt mortale, a quo non excuſat craſſa, vel affectata ignorantia. Dico tertio, quod eo gravius eſt introducere hujuſmodi relaxationes in univerſum corpus Religionis, quam peculiares quoſdam ad eaſdem allicere, quo plures priori modo corrumpuntur, & ſuæ Regulæ fiunt tranſgreſſores: eodemque modo dico intolerabiliores eſſe relaxationes perpetuo vel diu duraturas, quam eas, quæ facile extirpantur; necnon majores illas eſſe, quæ in omnium oculis, & cum plurimorum ſcandalo introducuntur, quam quæ ſecreto inſtillantur. Dico quarto, notabiles exceſſus in ædificiis quoad materiam & curioſitatem, pro quibus conſtruendis multiplices, & importuni fiunt quæſtus, periculoſos eſſe, eis præcipue qui talia defendunt, vel ad illa Fratres adſtringunt: tendunt enim in deſtructionem paupertatis, & diuturnæ ſunt durationis. Dico quinto, litigare, vel cauſas movere coram Judicibus circa funeralia, aut legata pia nobis relicta, impuritas eſt maxima contra Regulam: neque obſtat quod per ſeculares, ſeu Fratrum amicos hæc fiant; ſi tamen Fratres eos ad hoc excitaverint, ſumptus aut ſcripturas miniſtraverint: licet enim minus appareat ſcandalum, vere tamen fraus eſt occulta, & impuritas palliata. Idemque cenſendum eſt de iis, qui procurant ſuis Monaſteriis annuos reditus, & determinatas vel ſtatutas ſub ſingulis annis proviſiones, prævenientes nimia ſollicitudine omnes neceſſitates. Dico ſexto, quod defendere quorumdam inſaniam, qui volunt licere noſtris Fratribus indui veſtibus pretioſis, calceamentis operiri, equites incedere, vel æque laute, aut commode vivere, ac Canonicis regularibus eſt in uſu, erroneum nimis eſt, & in Regulam noſtram blaſphemum. Dico ſeptimo, nimia aviditate procurare propter emolumentum emergens, ut aliqui in noſtris Eccleſiis ſibi eligant ſepulturas; ita ut ſi non expectaretur lucrum, de his non curaretur; inſtituere etiam annuas obligationes miſſarum propter certa ſtipendia, diminuunt plurimum de ſtatu noſtræ perfectionis. Dico octavo, quod viri Apoſtolici, ſeu noſtri Fratres, qui Evangelicam vitam ſe gloriantur profiteri, debent etiam in ſuperioribus gradibus dignitatum, ſea Epiſcopatuum conſtituti, quantum eorum ſtatus permittit, quod Domino voverunt, obſervare.

Necnon magna conſtruentes ædificia.

Item litigantes circa legata.

De victu & veſtitu Fratrum.

Imperfectionis eſt procurare funeralia aut obligationes perpetuas.

Epiſcopi Minoritæ an teneantur ad obſervantias regulares.

XXXIV. Hæc declarata voluit de inveterata controverſia inter ſe & Communitatem Ordinis exorta, & diu diſcuſſa, propter quam ille multa paſſus eſt in vita, & indigna in eumdem Conſodales perpetraverunt poſt mortem. Circa vero reliqua quæ ſcripſit aut docuit, hanc ſuæ fidei profeſſionem devote coram omnibus emiſit: *Confiteor Deo, & coram vobis aſſero, ſolis ſcripturis ſacris, & ſoli fidei Catholicæ, atque Romanæ Eccleſiæ, cujus nunc gubernator eſt Dominus Papa Bonifacius, adhærere ex fide, & veluti veræ fidei. Nulli autem opinioni humanæ, ſive meæ, ſive alterius, quantumcumque magni Doctoris adhæreo ex fide, ſeu tamquam fidei, neque aliquando adhæſi, neque adhærebo, niſi prius ſolide & fideliter mihi oſtenderetur ipſum quod aſſeritur, eſſe de fide Romanæ Eccleſiæ. Diabolicum autem eſſe dico alicui opinioni humanæ, tamquam ex fide immobiliter adhærere. Confiteor etiam quod nulli determinanti hoc vel illud eſſe de ſubſtantia fidei noſtræ, teneor neceſſario aſſentiri, niſi ſoli Romano Pontifici, aut Concilio generali; niſi quantum ratio vel auctoritas ſacræ Scripturæ, vel fidei Catholicæ per ſeipſam me cogit ut credam. Non obinde tamen diffiteor Theologorum, & Doctorum ſententias eſſe reverendas, & magni faciendas, dummodo aperte contra fidem vel veritatem nihil contineant. Dico etiam utile eſſe, contrarias conſcribi & defendi opiniones, dum id fiat abſque pertinacia; ita enim exactius veritas examinatur, diſputantium inge-*

Fr. Petri Joannis fidei profeſſio.

nia magis exercentur; & ad elucidationem myſteriorum fidei ſecurius pervenimus. Id autem intelligendum velim de illis opinionibus, quæ fidei noſtræ ſubancillari dicuntur, vel ad ejuſdem myſteria percipienda, vel defendenda conducunt.

XXXV. His dictis præmiſiſque S. R. E. Sacramentis, pie obdormivit in Domino, quem Fratres honorifice ſepelierunt Narbonæ, ubi ſignis & miraculis multis effulſiſſe ſcribit Angelus Clarenus: ſed Fratres Provinciæ, ii præſertim, qui laxiorem vitam ſequebantur, non deſtiterunt in mortuum deſævire, veluti hæreticum perſequentes, & doctrinam calumniantes; tamdemque obtinuerunt, ut auctoritate Miniſtri Generalis Joannis de Muro condemnaretur, & rigoroſe animadverteretur in eos, qui Opuſcula quæque illius apud ſe retinerent, quin ſtatim proderent, & ad hujus cauſæ Judices deferrent. Hinc frater Pontius Carbonelli de Bottingata, doctrina & ſanctitate illuſtris, ſancti Ludovici Toloſani Epiſcopi, uti alias diximus, inſtructor & magiſter, qui ad univerſa Biblia ex ſanctis Patribus commentaria adjecit, quem inter Sanctos Cataloniæ refert Antonius Vicente Ordinis Prædicatorum, & alii, conjectus eſt in carcerem, quia noluit, quos habebat tractatus porrigere, ut comburerentur; ubi ærumnis & quotidianis moleſtiis ſuccubuit, cujus innocentiam Deus multis miraculis poſtea conteſtatus eſt; deductuſque eſt ad Conventum ſuum Barchinonenſem, ubi honorificam accepit ſepulturam. Præter bunc alii paſſi ſunt vincula, & tribulationes propter eamdem cauſam, frater Petrus de Nubilo, frater Joannes de Valle, frater Joannes Juliani, frater Franciſcus Leoneti, frater Raymundus de Anriliano, & frater Joannes Primi, atque alii plures. Multa ſchiſmata & contentiones exortæ ſunt per varias Provincias ex ſciolorum quorumdam nimia ſapientia, & ignarorum mulia præſumptione, qui ex inſipienti zelo, & indiſcreta æmulatione, doctrinam, & reformandæ religionis deſiderium hujus auctoris animoſius, quam prudentius per omnia ſectabantur, & Communitati Ordinis ſemet opponebant. Quare in proximo Capitulo generali interdixerunt Rectores, & præcipui Ordinis Patres ejus libros, quos amplius legere non licuit uſque ad tempus Sixti IV. qui omnes diligenter examinari, & exacte percurri præcepit, declaravitque, nihil iu eiſdem contineri, quod expreſſe fidei Catholicæ contradiceret, & cuncta ſub eo moderamine ab auctore dicta, ut in bonum ſenſum poſſint trahi univerſa, defectumque eouſque proveniſſe, vel ex pravo affectu, vel nimia ignorantia legentium.

Claren. in tribul. Marcus l.5.c.24.

Mortuum quidã perſequuntur.

Severe animadvertunt in ejus fautores.

Ann.1288. n.33.

Fr. Pontius Carbonelli.

Vicente de Sanctis Catalon. l.2. fol.55. Piſan. confor. 8. Gonza. in Prov. Catalon. Con.2.

Petri Joan. libri prohibentur ad tempus.

XXXVI. Atque ſub hoc ipſo tempore id largius comprobavit Ubertinus de Caſali, copioſa edita in ejus defenſionem Apologia, cujus apud me exemplar. Omnia, quæ ei obiiciebantur, ſigillatim examinat, & ad ſingula ſuas adhibet ſolutiones. Ne vero quidpiam reticere videamur, & objecta crimina celare, cuncta hic ſub oculis ponimus, nt clarius videatur perſequentium obſtinata ſævitia, qui ſecundo & tertio doctrinam curarunt interdici, & oſſa jam arida ſemel, atque iterum exhumari; tabellas & donaria ad ſepulcrum in miraculorum memoriam appenſa comburi, & ſepulcrum ipſum honorifice extructum confringi. Articuli vero quos obiiciebant hi, recenſentur tam ab Ubertino in tractatu defenſorio, quam ab illius temporis adverſario Anonymo in Opuſculo, quo juſte condemnatam voluit hujuſmodi doctrinam, quod vetuſto babeo caractere conſcriptum. Sanum ubi licuerit, & ex ipſa ejus doctrina conſtiterit, articulorum ſenſum non tam effingemus, quam ſincere adjicie-

Objecti ei aliquot articuli.

eiemus, neque falſa, aut minus pia commentitiis gloſſematis, aut contorta violenter veritate, pro veris aut piis obducta larva obtrudemus. Scimus enim nibil tam abſurdum dici aut excogitari poſſe, quod in ſenſum aliquem fictum ſi detorqueas, verum non ſit, ac rationi tum humanæ, tum divinæ conſentaneum. Sed conſentaneum non eſt ſenſa ejuſmodi commentitia, ab uſuque Sanctorum, & Eccleſiæ aliena, pia nuncupare, & homines futiles talium ſenſorum excogitatione defendere.

XXXVII. Primo imponebant ei quod dixerit, caracterem nihil amplius animæ imprimere, vel in eadem efficere, quam dedicatio faciat in Eccleſia. At manifeſtis deductis teſtimoniis, & diffuſis locis exſcriptis ex duplici ejus tractatu, primo, de ſignis voluntariis, ſecundo de Sacramentis, demonſtrat Ubertinus, eum docuiſſe caracterem eſse indelebilem, & duos vel tres in anima producere conſtantes effectus. Neque demum ſi id ipſum, quod adverſarii objiciunt, dixiſſet, adeo a Catholica veritate, aut fide aberraſset, ut ſtatim ab Orthodoxorum catalogo eſset expungendus: Fuit enim inter optimos Doctores eagitata, & diſcuſsa ſatis iſta controverſia, quibuſdam aſserentibus, relationem dumtaxat eſse rationis, pluribus vero abſolutam qualitatem. Neque vero auctores prioris ſententiæ, quam exemplo dedicationis Eccleſiæ, & nomine deputationis ad ſacras actiones explicabant, ullam reportarunt cenſuram: ſed neque eamdem mereri docent præſtantiſſimi Doctores. Quidquid enim ex decretis Pontificiis, aut Orthodoxis Conciliis objici poterit, non tam contra diſputantes de caracteris qualitate, vel eſsentia, quam contra eamdem omnino negantes vim omnem obtinebit.

An caracter animæ imprimatur.

Duran. in 4. d. 4. q. 2.
Guillelm. Pariſien. tract. de baptiſ. c. 1.
Vide Scot. in 4. d. 6. q. 10.
Soto in 4. d. 1. q. 4. art. 2.
Vaſq. in 3. par. diſput. 134. c. 2.
C. Majores *de baptiſmo.*
Concil. Flor. in decreto fidei 4. 5. Eccleſiaſticorum.
Trident. ſeſſ. 7. can. 9.

XXXVIII. Secundo accuſabant, quod dixerit uſum pauperem rerum eſse de ſubſtantia noſtræ profeſſionis, vel paupertatis Evangelicæ, a noſtris in Regula promiſsæ. Hæc ſane concordant cum iis, quæ ſub mortis articulo coram aſtantibus publice confeſsus eſt, neque eum hoc ſcripſiſſe diffitetur Ubertinus, ſed multis adductis rationibus, probat recte dixiſse. At meo judicio diſtinguenda eſt ad ſaniorem rei ſenſum, & tutiorem captum aliorum hujuſmodi aſsertio; quæ totius moleſtiæ & contentionis caput extiterat, & quæ Communitatem Fratrum, vel ſaltim laxioris vitæ homines in hunc auctorem concitaverat: aliud enim eſt loqui de Regula ipſa, ſeu Inſtituto Minorum, quatenus lex humana eſt, aliud de ipſo Evangelio, ſeu lege divina. Diverſa etiam obligatio conſurgit Minoribus ea ſuæ regulæ profeſſione, atque illa quæ oritur ex vi, & Inſtituto ſancti Evangelii. Atque primam aſsertionis partem ego dixerim indubitanter veram, ut ex vi ſuæ regulæ, & profeſſionis obligentur Minores ad ſtrictum & pauperem rerum uſum, quod & communiter ejuſdem regulæ probant interpretes; at Evangelium ad hoc eos obligare, vel uſum hunc pauperem eſse de ſubſtantia vitæ Evangelicæ, prout ab illis promiſsæ, quæ ſecunda eſt pars aſsertionis, minus certum reputo, minuſque probabile: quantumvis enim dicatur in Inſtituti proemio: *Regulam & vitam Minorum eſſe ſanctum Evangelium obſervare*, & in fine: *Paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus*, tamen Romani Pontifices ſæpius explicarunt, non teneri Minores ex vi ſuæ profeſſionis ad obſervantiam Conſiliorum Evangelicorum, quæ non exprimuntur in Regula, nec ultra hæc eos amplius obligari ex ipſo Evangelio ceteris Chriſtianis. Et certe Antonius Cordubenſis, vir in hoc genere ultra alios eruditus expreſso & peculiari aſserto noſtram ſententiam edocuit: *Ex vi*, inquit,

An uſus pauper. ſit de ſubſtantia vitæ Minoriticæ.

Greg. IX. & Innocent. IV. in expoſitione regulæ.
Nicolau. III. c. Exiit qui ſeminat *de verb. ſign. in 6.*
Clem. V. c. Exivi de paradiſo *ſub eod. tit. in Clement.*
Cordub. in cap. 6. reg. q. 14.

voti

voti paupertatis Evangelicæ a nobis in regula promiſſæ, non tenemur formaliter, & directe ad aliquos uſus pauperes, arctos, & moderatos. Atqui ex
hac ſecunda parte prædicto auctori inſultabant æmuli, eumdemque hæreticum proclamabant, cum non potuerint adeo manifeſte convincere
in prima, quæ radia & fomentum erat concepti in eum, ejuſque ſequaces odii, & protractæ uſque ad Concilium Viennenſe ſub Clemente V.
& ultra, diræ perſecutionis. Quam ut jam tamdem ſopiret Clemens,
etiam hanc adhibuit diſtinctionem, ſatis per omnia favorabilem prædicto
auctori, uti ex ipſis ejus verbis, quæ huc transfero, lector videbit:
Succrevit non parum ſcrupuloſa quæſtio inter Fratres, videlicet: utrum ex
Clemen. Exivi de paradiſo. *ſuæ profeſſione regulæ obligentur ad arctum & tenuem, ſive pauperem uſum
rerum, quibuſdam ex ipſis contendentibus, & dicentibus, quod ſicut quoad
dominium rerum habent ex voto abdicationem arctiſſimam, ita ipſis quoad
uſum arctitudo maxima & exilitas eſt indicta. Aliis in contrarium aſſerentibus, quod ex profeſſione ſua ad nullum uſum pauperem, qui non exprimatur in regula, obligantur, licet teneantur ad uſum moderatum temperantiæ, ſicut & magis, ex condecenti, quam ceteri Chriſtiani. Volentes itaque conſcientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, &
his altercationibus finem dare, declarando dicimus, quod Fratres Minores ex profeſſione ſuæ regulæ ſpecialiter obligantur ad arctos uſus, ſeu pauperes, qui in ipſorum regula continentur, & eo obligationis modo ſub quo
continet, ſeu ponit regula dictos uſus: dicere autem ſicut aliqui aſſerere perhibentur, quod hæreticum ſit, tenere uſum pauperem includi vel non includi
ſub voto Evangelicæ paupertatis, præſumptuoſum, & temerarium judicamus.*
Unde præſumptuoſos & temerarios judicavit Pontifex eos, qui hæreticam dicebant hanc ſecundam aſſertionem Petri Joannis, licet omnino
abſtinuerit ab ejus deciſione; attamen gloſſa ibidem ait: *Quod videtur
favere illis, qui dicunt, quod uſus pauper includitur ſub voto Evangelicæ
paupertatis, tamen hoc non affirmat,* Vere Petrus Joannes ex utroque
capite viſus eſt voluiſſe obligari Minores ad ſtrictum hunc uſum facti, id
tamen ſub opinione, & probabiliori ſententia, nulla lata in contrarios
cenſura, quam tamen illi magna animi commotione frequenter in eum
ferebant, hæreticum eſſe dicentes ita aſſerere: neque quidquam ægrius
hac ejus doctrina ferebant, qua ſe ad arctum rerum uſum compelli timebant, a quo jam multis contra paupertatem admiſſis relaxationibus, longe receſſerunt. Nihil vero novi ſe hac in re docuiſſe, ſed anteſignanos
Tom. 3. an. 1242. n. 2. habuiſſe quatuor illos magnos Pariſienſes magiſtros, quos diximus ex
præcepto Haymonis Generalis regulam explicaſſe, data opera largius
probat in explicatione regulæ, quæ circumfertur in libro nuncupato
Firmamentum trium Ordinum, ubi poſtquam plura horum adduxerat
In expoſit. cap. 6. teſtimonia, ſubjunxit: *Certe ſi eorum verba tam hic, quam ſupra capitulo IV. & in pluribus aliis locis poſita diligentius attendantur; patentiſſimum eſt, quod illa, quæ de paupere uſu alibi dixi, & ſcripſi, & per aliorum fratrum, & magiſtrorum noſtrorum, ac etiam Summorum Pontificum
dicta probavi, ſunt & ab iſtis præcellentibus fratribus, & magiſtris expreſſiſſime dicta. Unde valde mirabile eſt, quod aliqui in me impingerent, tamquam in novitatis inventorem, propter articulum de paupere uſu, quem
contra ipſius fortiſſimos negatores, & impugnatores quaſi compulſus aſſerui
& defendi.* In eo tamen præcipuum fundamentum hujus auctoris, quoad
ſecundam partem aſſertionis conſtitiſſe judicaverim, quod putaverit, ex
primis & ultimis Regulæ verbis a nobis ſupra citatis, idem eſſe Francisca-

ſcanis ſuæ Regulæ, atque ipſius Evangelii obſervantiam promittere, uti videre eſt apud eumdem in cap. 1. Regulæ, de quo etiam per plures annos duravit in Ordine controverſia, & an teneremur ex vi profeſſionis ad omnia conſilia Evangelii?

Vide Cordubam in c. 1. q. 1.

XXXIX. Tertio calumniabantur dixiſſe, quod ſepelire mortuos non eſt opus caritatis, niſi in caſu neceſſitatis, ſicut faciebat Tobias. At Ubertinus omnino negat, ita ſcripſiſſe, ſed in opuſculo de paupertate, in reſponſione ultimi articuli docuiſſe, quod avide inhiare, & cupide procurare cum ſcandalo cleri, & populorum malo exemplo, ut divites & uſurarii in noſtris Eccleſiis ſepeliantur, propter conceptam ſpem de legatis vel eleemoſynis Fratribus relinquendis, neque ullam hujuſmodi curam habere de pauperibus; & omiſſis exercitiis ſpiritualibus, hinc inde divagari, & litigiis vacare ad acquirenda funeralia, paupertati contraire, & perfectioni tanti ſtatus detrahere: quod ipſum publice conteſtatus eſt ſub mortis articulo.

Sepelire mortuos an ſit opus caritatis?

XL. Quarto, quod in Commentariis ad Apocalypſim, & aliis opuſculis, vocarit Eccleſiam Romanam, meretricem magnam, & Babylonicam confuſionem, atque alia hujuſmodi blaſphema in ejus congeſſerit vituperium. Apertiſſimum hoc eſſe mendacium, inquit Ubertinus, eumque devotiſſime, & ſumma cum reverentia de Eccleſia Romana, & Summi Pontificis auctoritate ubique per univerſa ſua opera locutum eſſe, deductis & tranſcriptis ejus verbis, confirmat. Idque ſane mihi conſtat ex ejus in Regulam ſancti Franciſci commentariis, quæ ſola ex ejus operibus præ manibus habeo, in quibus paſſim inculcat reverentiam & omnimodam ſubjectionem S. R. E. a Fratribus præ ceteris Chriſtianis debitam; atque illis præſertim verbis, quæ ſcripſit in caput primum ad illum locum: *Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, & ſucceſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Dicendum*, inquit, *quod non ſufficit veritatem Eccleſiæ Romanæ, & Summi Pontificis tenere locum in generali; imo oportet, quod teneatur determinate & in ſpeciali ad hanc & ad hunc; alias non eſſet homo in ſpeciali membrum veræ Eccleſiæ ſui temporis. Quia ergo Honorius erat tunc Papa, & cum hic erat hujus regulæ confirmator, idcirco debuit determinare patris nomen ipſius: rurſus ſi ſucceſſores non determinarentur relatione ad unum nomine proprio deſignatum, ſed diceretur, quod promittunt obedientiam omni Papæ Romano præſenti vel futuro: poſſet dubitari aut tergiverſatorie dici non obediam iſti; quia non credo, vel neſcio eum Papam. Et ut veritas ſucceſſionis ex modo canonicæ electionis ab omni falſa diſcerneretur, etiam per quoſque ſimpliciores Ordinis, idcirco addit* canonice intrantibus. *Quarto nota, quod adjecit* & Eccleſiæ Romanæ. *Idem eſt, & his qui mortuo Papa, tenent locum ejus, & habent vim eligendi Papam: tum ut ſic ſemper ſimus ſub actuali obedientia Papæ, vel tenentium locum ejus: tum ut ex hoc non ſolum ad Papam, ſed etiam ad ejus ſpecialem ſedem omnium Eccleſiarum magiſtram & matrem, ſemper ſingulari devotione & ſubjectione teneremur: tum quia veritas auctoritatis Papalis expreſſius diſtinguitur, & determinatur ex relatione ad talem ſedem*. Et in fine commentarii: *Petimus a te Chriſte Jeſu plenam remiſſionem, & indulgentiam peccatorum & ſpiritum vitæ* &c. *ut ſic tandem cum univerſo orbe, tuo Vicario, & tuæ Apoſtolicæ Sedi ſemper ſimus ſubjecti in pura veritate fidei, & in plena obſervantia Evangelii tui ad laudem & gloriam ſummæ & individuæ ac beatiſſimæ Trinitatis* &c. Atqui hæc Commentaria profecto ſcri-

Reverenter de E. R. loquendum.

pſit

pſit longe poſt exortam controverſiam cum laxioribus Fratribus, & poſt ſcripta pleraque opuſcula, quæ in iiſdem commemorat, & ad controverſiam jam inveteratam ſpectabant. Quare mirum eſt, unde auſi ſunt adverſarii hanc ei maculam inurere.

De modo loquendi circa eſſentiam Divinam

XLI. Quinto aſseruiſse, eſsentiam Divinam recte dici poſse generantem & genitam, & procedentem, atque iteratam, & triplicatam; quod omnino hæreticum eſt, & condemnatum in Joachimi Abbatis doctrina per Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & refertur in c. Damnamus: de ſumma Trin. & fide cathol. quam decretalem ſanctus Thomas docto explicavit opuſculo, ſed & antea damnatum fuit in Concilio Toletano I. in confeſſione fidei, ubi dicitur: *Si quis dixerit deitatem naſcibilem eſſe, anathema ſit*. Varie refertur ab auctoribus hic error; quidam volunt, Petrum hunc ita abſolute dixiſse; alii cum additione perſonalitatum, ita ut eſsentia cum Paternitate ſit generans, & cum Filiatione ſit genita, ut ſenſus non alius ſit, quam quod Pater generet, & Filius ſit genitus; & ita eſsentia communicata tribus perſonis, vel in tribus hypoſtaſibus ſubſiſtens, ſit triplex perſona; non vero quod ipſa eſsentia ſit triplicata. Alii referunt, non dixiſse generare & gigni eſsentiam, ſed communicare & communicari; quod ſane juxta priſcorum, & recentiorum doctorum mentem, Theologice & Catholice dictum eſt. Neque enim exigitur relatio aut diſtinctio realis inter communicantem, & rem communicatam, quam omnino requiri docent Theologi inter generantem & genitum, producentem & perſonam productam. Quod ſi abſolute dixiſset, eſsentiam Divinam prout in Patre generare, & prout in Filio eſse genitam, uti contendit, & objicit unus ex adverſariis in tractatulo quodam, in eum edito aliquot annis poſt ejus mortem; quem apud me habeo MS. potuiſset etiam mitiori & benigniori ſenſu explicari; ut eſsentia tamquam principium formale generationis, quo modo loquuntur Theologi, concurrerit ad generationem, & tamquam terminus formalis ejuſdem in Filio, qui eſt terminus totalis, dicatur ſuo modo terminare generationem. Adde, quod commune eſt Theologorum dogma, eſsentiam Divinam fœcundare intellectum paternum, & ex utroque, illa in ratione objecti, hoc in ratione potentiæ compleri memoriam fœcundam, & per eam Patrem æternum dicere, ſeu producere Verbum, ſeu, quod idem eſt, Filium generare. Quare vel etiam ex hac parte confluit ad generationem prolis Divina natura. Atque illo adhuc modo docuit ſanctus Thomas benigne interpretari multas perſimiles antiquorum Doctorum, & Patrum locutiones: *ut*, ſcilicet, *nomina abſtracta naturæ & eſſentiæ exponantur per concreta, vel per nomina perſonalia, ut, cum dicitur eſſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia, ſit ſenſus, Filius, qui eſt eſſentia & ſapientia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia & ſapientia*. Quam doctrinam adhibet ſanctus Doctor ad explicandas quaſdam Auguſtini propoſitiones his perquam ſimiles: *Dicitur*, inquit, *Filius ſapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id eſt, quemadmodum lumen de lumine, & utrumque unum lumen; ſic intelligatur ſapientia de ſapientia, ſicut eſſentia de eſſentia*. Paulo inferius: *Unde Pater & Filius ſimul una ſapientia, quia una eſſentia & ſigillatim ſapientia de ſapientia, ſicut eſſentia de eſſentia*. Ex quibus propoſitionibus inferebat ſanctus Thomas illam conſequentiam, *ergo eſſentia generat eſſentiam*: cujus illationis vim, propoſita doctrina, docuit declinare. Sed & aliæ hujuſmodi propoſitiones ſunt apud eumdem Auguſtinum, & ab Eccleſia publico-

pro-

Scot. in 1. d. 5. q. 1. Marſil. ibid. q. 9. Bannes in comment. ad 1. par. q. 39. art. 5. Vaſq. ibid. n. 42.

Scot. cit. q. 2. Capreol. in 1. d. 5. q. 1. a. 1. concl. 1. Cajetan. in 1. p. q. 41. art. 3. Vaſq. diſp. 162. c. 3.

Thom. in 1. par. q. 39. a. 5. ad 1.

Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 1.

Ibid. c. 2.

probantur ritu: *Verbum* (inquit Auguſtinus) *Dei Patris, unigenitus Dei Filius, per omnia Patri ſimilis, & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia*. Gregorius Nyſsenus ait vere ita ſe habere Filium in divinis, ut ſit *gloria de gloria*. Et Patres Concilii Toletani xv. ſub Flavio Egica Rege, & Juliano Archiepiſcopo dixerunt, quod *ſecundum eſſentiam voluntas genuit voluntatem*. Cujus obſcuræ propoſitionis dum benignum & ſanum ſenſum illi adhibuerunt, Benedicto II. Pontifici, eam condemnari non placuit; atque hujus rei hiſtoriam videre licet apud Rodericum Toletanum Archiepiſcopum, & ad finem prædicti Concilii. In Symbolo etiam Conſtantinopolitano dicitur Filius *Deus de Deo, lumen de lumine*, & in Breviario Romano in hymno ad Matutinum feriæ III. *Conſors paterni luminis, lux ipſe lucis & dies*, & in hymno ad Laudes ſecundæ feriæ: *Lux lucis, & fons luminis*; ubi omnia eſsentialia explicanda ſunt per concreta vel perſonalia juxta doctrinam ſuperius relatam ex Divo Thoma.

Indid. l. 5. c. 14. *Nyſſen. de differ. natura & hypoſt. prope finem.* *Roder. l. 3. c. 13. hiſtor. Hiſpan.*

XLII. Sexto dicebant aſseruiſse, animam rationalem non eſse formam corporis humani; atque hanc illi hæreſim alii adſcribunt: verumtamen prædictus Ubertinus conſtantiſſime negat, tale quidpiam dixiſse, neque in univerſis ejus operibus reperiri aliquid, unde hoc vel leviter poſſit deſumi. Ego potius judicaverim fuiſſe aſsertum aliquorum ex illis capitoſis, qui ſe illius profitebantur diſcipulos, & voluiſse ſuam inſaniam, hujus Viri non parvæ æſtimationis aut nominis apud pleroſque, falſo ei adſcribentes, quod non dixit, auctoritate confirmare. Cujuſcumque ea ſit, damnata eſt in Concilio Viennenſi ſub his verbis: *Porro doctrinam omnem ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, aut intellectivæ vere ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam ac veritati Catholicæ fidei inimicam, ſacro approbante Concilio, reprobamus, definientes ut ſi quiſquam deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tamquam hæreticus ſit cenſendus*.

Animam rationalem eſſe corporis formam. *Caſtro verbo* Anima. *Guido Carmelita in ſumma de hæreſ.* *Sander. lib. 7. de viſib. monar. ad ann. 1242.* *Prat. verb.* Petrus Joannes.

XLIII. Septimo imponebant, dixiſſe matrimonium non eſse univoce ſacramentum cum aliis novæ legis ſacramentis, neque in eo gratiam conferri. Et quidem quoad utramque partem ita dici poſse docuit Durandus, multiſque argumentis probat, nonniſi æquivoce dici poſse ſacramentum novæ legis: *Et dicere*, inquit, *non conferri in matrimonio gratiam, non eſt contra determinationem Eccleſiæ, nec contra id quod Romana Eccleſia prædicat, & obſervat*. Quod probatum vult ex Magiſtro Sent. & ex pluribus Juriſconſultis, quorum verba ibidem refert. At præterquam quod *extr. de hæret. Ad abolendam*. & in profeſſionibus fidei toties miſsis a Pontificibus ad Græcos, ac in Concilio Florentino connumeretur inter alia ſacramenta; certe Concilium Tridentinum dixit anathema iis, qui proprie ſacramentum eſse, aut in eo gratiam conferri negarent. Quod vero ad hunc auctorem pertinet, Ubertinus vehementer conqueritur de tam iniqua impoſita calumnia, aitque non ſemel dixiſse, & ſcripſiſse clare, & expreſse, eſse verum ſacramentum, & in eodem conferri gratiam, ſicut in ceteris ſacramentis: & quantum ex tractatu adverſarii ſupra citato colligere poſsum, deſumptum eſt fundamentum hunc errorem impingendi, ex eo quod valde extulerit virginitatem, & Virginum Deo ſacrarum ſtatum prætulerit Ordini conjugatorum; valde in hoc contrarius Joviniano, qui vel conjugium præferebat, vel ſaltim adæ-

An ſacram. Matrimonii conferat gratiam? *Duran. in 4. diſt. 26. q. 1.* *Magiſt. in 4. d. 2.* *Vide Bellar. l. 1. de Matrim.* *Trident. ſeſſ. 24. can. 1.*

Auguſt. de hæreſib. hæreſ. 8. quabat virginitati, uti refert Auguſtinus: *Virginitatem*, inquit, *Sanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in ſanctis eligentibus vitam cælibem, conjugiorum, caſtorum, atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines ſacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupſiſſe dicantur.* Similia habet lib. 2. retract. cap. 22. ubi ait, propterea ſe ſcripſiſse librum *de bono conjugali*, atque ita inſcripſiſse quoniam *jactabatur Joviniano reſponderi non poſſe eum laude, ſed eam vituperatione nuptiarum*. Media & ſecura incedendum eſt via, ut non adeo extollatur virginitas, quod omnino deprimatur conjugium: neque ita commendandum eſt matrimonium, ut acceptum Deo virginitatis condemnetur ſacrificium.

XLIV. Octavo, quod aſſeruerit Chriſtum adhuc vixiſse, quando laterale vulnus accepit. Hoc ſane ex ſe plane hæreticum eſt, & apertius habetur in Evangelio aſsertio contraria, quam ut impudentiſſimo, vel inſano cuipiam liceat quovis colore eamdem negare: etenim Evangeliſta Joannes, poſtquam cetera Chriſti refert tormenta, de ejus morte ita *Joan. 19. 20.* ſcribit: *Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum dixit: Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum. Judæi ergo quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit, quia vera dicit, ut & vos credatis.* Quis hic tergiverſandi locus? aut quis adeo aperto teſtimonio poterit refragari? Neque vero adeo inſanus fuit Petrus Joannes, alias vir doctus & in ſacra Scriptura valde verſatus, ut ita aſſereret, ſed incidit in corruptum quemdam locum ſancti Joannis Chriſoſtomi, qui dum homilia 89. in Matthæum verba illa tamquam ex Evangelii textu exſcripſerat: *Putaverunt enim Heliam ab eo vocari, & aceto illico eam potaverunt, alius autem accedens lancea latus ejus aperuit*; eorumque addiderat expoſitionem, ex eodem Evangeliſta mox ſubjunxit: *Jeſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum*. Qua lectione & diſpoſitione verborum apud tantum Eccleſiæ Doctorem videbatur inſinuari ex Evangeliſta Matthæo, Chriſtum prius lanceatum, quam mortuum, Ille itaque non adeo prudenti zelo ductus, cum mortem atque paſſionem Chriſti pro concione magno animi affectu & teneritudine, prout erat in his rebus pius & teneræ contemplationis, quodam die explicaret, hoc in loco inſinuari, inquit, Chriſtum laterale illud dirum & doloroſum vulnus adhuc viventem accepiſſe, ut ex amplificatione dolorum Chriſti populum magis, ac magis ad commiſerationem & fletum concitaret. Sed & in com-*Guido Carmelita.* mentariis in Joannem, ait Guido Carmelita (qui primus, quem ſciam, durius eum in hac re traduxit) teſtatur illud ipſum, adhibitis quibuſdam rationibus indicaſſe, ſub dubio tamen & veluti inveſtigans an cohærere poſſit hæc pietas cum textu Joannis. Addidiſſe vero Petrum hæc verba, ſcribit Guido: *Hæc dicta ſint abſque aſſertionis temeritate*. Ex quibus probatur, eum nihil in hac re aſſeruiſſe. Sententiam tamen hanc tamquam piam ex diſcipulis & familiaribus quidam tenacius imbiberunt, *Vide Melchiorem Canum. 12. de locis c. 11.* & in majorem Chriſti paſſionis & meritorum commendationem ſpargere cœperunt, comminiſcentes & fingentes magis ad pietatem, quam fidelius

lius Evangelicam contemplantes veritatem. Frequenter ſane ita fit, ut viri quidam pii in vita rebuſque geſtis Chriſti Domini magis comminiſcantur, quam contemplentur, quæ etiam ſcribunt, non tam vere & prudenter, quam devote & ferventer. Quorum eſt interdum cæca ac temeraria quidem & in aſſentiendo credulitas, & in aſſerendo facilitas. Qui licet minime in his ſint laudandi, in eo ſunt magis culpandi, quod admoniti ut reſipiſcant, & veritatem Chriſtianam periculoſæ præferant pietati, acquieſcere nolint, ſed capitoſe & pertinaciter, quod ſemel effinxerunt, temere velint omnibus obtrudere. Ita hujus hominis diſcipuli conceptum hunc errorem quaque arte ſtabilire conati ſunt, præcipua argumenta ex hoc loco Chriſoſtomi, & quodam vetuſto codice Bibliotheœ ſancti Victoris Pariſienſis deducentes, donec exorto non levi inter utrinque diſputantes tumultu, tamdem decidenda fuit controverſia auctoritate Clementis V. in Concilio Viennenſi, cujus verba ſubjicio: *Et quod in hoc aſſumpta natura, ipſum Dei Verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica, & immaculata, ac virgo, ſancta mater Eccleſia conjux Chriſti. Sicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata, ut ſit certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam id eſt, Chriſto veritas reſponderet: Hæc eſt inquam veritas illius pergrandis Aquilæ vallata teſtimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus ceteris Evangelicis tranſvolantem, beati Joannis videlicet Apoſtoli & Evangeliſtæ, qui ſacramenti hujus rem geſtam narrans, & ordinem, in Evangelio ſuo, dixit: Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Addit autem notanter Pontifex illa verba: *Evangeliſtam Joannem rectum. in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe*; quia hi errones contendebant in Matthæi Evangelio eo ordine hæc enarrata fuiſse, ut prius lanceatus, quam vita functus Chriſtus referretur: in Joannis vero Evangelio per anticipationem, non ſervato rerum ordine, præmiſſam fuiſse mortem vulneri, quod prius viventi fuerat inflictum, atque ita ad majorem ſui erroris confirmationem dicebant, non legendum *aperuit*, ſed *aperuerat*, quaſi hae temporum mutatione tempus præcedens, & pluſquam perfectum denotaretur. Neque tamen ex vetuſtis exemplaribus, aut probatis codicibus quidpiam hujuſmodi probare poterant, nec ex textu Græco Matthæi, neque aliunde, quam ex illo loco Chriſoſtomi, quem tamen omnino corruptum eſse, & ex ſcriptoris errore tranſpoſita fuiſse illa verba textus de vulnere lanceæ cum Chriſoſtomi expoſitione, uſque ad illa: *Jeſus autem clamans magna voce emiſit ſpiritum*, monent ipſæ editiones Chriſoſtomi in margine, Sixtus Senenſis, Ferdinandus Veloſillo Epiſcopus Lucenſis. Quod etiam ex ipſo Chriſoſtomo abſque ulteriori teſte facile probatur: namque ipſo illo loco, in quo ſuum fundant errorem, ſtatim ad illa verba *lancea latus ejus aperuit*; ſubjungit Chriſoſtomus: *Quid his omnibus iniquius unquam excogitari poteſt, qui eo impietatis devenerunt, ut mortuum jam corpus vexarent?* Atque id ipſum repetit homilia 84. in Joannem, & in brevi narratione in eumdem Matthæum, quam ex ejuſdem Chriſoſtomi homiliis in eumdem Evangeliſtam collegit Titus Boſtrenſis, ſive quiſpiam alius vetuſtus Doctor, nihil tale refertur ex textu Matthæi, neque ex Chriſoſtomi expoſitione de lanceæ vulnere, neque

Concil. Viennen.

Rom. 5. 14.

Ezech. 1. 10.

Jo. 19. 34.

Vide gloſſ. in Clement. fidei Cathol. verbo Aperuit &c.

Sixt. Senen. l. 6. biblioth. annot. 145.

Veloſillo in advert. in tom. 2. Chriſoſt. q. 20.

Chriſoſt. hom. 89. in Matth.

diſcrepat a vulgata, quam præ manibus habemus editione. Quare mirum eſt, incertum illum vel anonymum ſcholiaſten Cornelii Agrippæ ex hoc loco voluiſſe confutari deteſtandum errorem ejuſdem Agrippæ aſſerentis, Matthæum Evangeliſtam erraſſe cum dixerit, Chriſtum lancea percuſſum antequam expiraret, dum aperte Joannes teſtis oculatus totius Chriſti paſſionis aſſerat, noniſi poſt mortem lancea fuiſſe in latere perfoſſum; quippe ut præmonui, neque in excuſis, neque in MSS. codicibus Evangelii ſimile reperitur apud Matthæum.

XLV. Nono obiiciebant, quod dixerit, non omnino conſtare an parvulis conſerebantur gratia & virtutes in baptiſmo? Profecto licebat tunc quibuſcumque ita aſſerere, neque ſciam unde judicandus ſit tantus eo tempore hic error, ut inter hæreſes connumerari deberet: imo & hac ipſa noſtra ætate, etiam poſt Concilium Viennenſe in quo expreſſius de hac re actum eſt, potiores Theologi abſque ullo ſcrupulo prædictæ ſubſcribunt propoſitioni, ſaltim quoad virtutes: de gratia vero poſt Concilium Tridentinum, non propter definitionem aliquam expreſſam, ſed ob clariores aut neceſſarias aliquas conſequentias, quæ ex Concilii doctrina poſſunt deduci, non eſt unanimis omnium ſententia. Sub illo tempore, quo vixit Petrus Joannes, controverſum nimis & dubium ſatis fuit inter Theologos, quid in hac quæſtione foret credendum; donec prædictum Concilium, ut interminatis quæſtionibus terminum poneret, ſtatuit eligendam, non tamquam de fide, ſed veluti probabiliorem, & Sanctorum, atque illius temporis Theologorum doctrinæ conformiorem ſententiam, quæ aſſerebat hujuſmodi virtutes, ac gratiam parvulis in baptiſmo infundi. Verba Concilii ſunt: *Verum quantum ad effectum baptiſmi cum Theologi opiniones varias habeant, videlicet dicentibus quibuſdam per virtutem baptiſmi parvulis culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis e contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore, quo ad uſum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptiſmo gratiam informantem, & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Nullam ergo cenſuram ſub illo tempore merebatur Petri Joannis ſententia, quam etiam inſinuavit, & quorumdam Theologorum eſſe dixit Innocentius III. & poſt eum Alexander Alenſis, ſanctus Thomas, Bonaventura, &alii.

Soto lib. 2. de nat. & grat. c. 17. & 18.
Caeta. 1. 2. q. 62. art. 3.
Suar. tom. 3. de grat. lib. 6. cap. 8. & 9.
Vaſq. in 3. part. diſp. 156. cap. 5. & in 12. diſp. 86. cap. 2.
Concil. Viennen.
Cap. Majores de baptiſmo.
Alen. 4. par. q. 8. membr. 8. art. 3. §. 1.
S. Thom. 3. par. q. 69. art. 6.
Bonav. in 4. diſt. 5. q. 2.

An Epiſcopi ex regularibus aſſumpti teneantur ad priſtinas obſervantias.

XLVI. Decimo, quod dixerit, Religioſos aſſumptos ad Epiſcopatus teneri ad vota eſſentialia, & obſervantias regulares, Epiſcopos vero Minoritas alligari ad uſum pauperem bonorum ſibi commiſſorum, neque ullam ſubeſſe rationem, ut cum illis circa hæc diſpenſetur. Quoad primam partem hujus aſſertionis nulla eſt difficultas, conſtanſque eſt doctrina præcipuorum Theologorum tum antiquorum, tum recentiorum, necnon Juriſconſultorum, ex ipſo jure canonico deſumpta. Et univerſam controverſiam, ſi quæ jam in hac re poſſit eſſe, ita abſolvunt duplici hoc aſſerto, ut ad eas religionis obſervantias, quæ Pontificiæ functioni nullo poſſunt eſſe impedimento, imo eſſe poſſunt adjutorio, perinde teneatur Monachus ſedem Epiſcopalem adeptus, atque dum erat in clauſtro, cujus generis ſunt caſtitas, paupertas, atque adeo religionis veſtitus, vel veſtis color, aut publica, & notoria teſſera; hujus obliga-

Bonav. in 4. diſt. 38. q. 3.
Thom. 2. 2. q. 185 art. 8.
Soto de juſt. & jure lib. 10. q. 5. art. 3.
Azor. lib. 12. inſtit. cap. 7.
Cord. in reg. Min. in cap. 2. q. 10. puncto 1.

gationis apertum teſtimonium: ad illas vero obſervantias, quæ Pontificis adminiſtrationi obſtaculo eſſe poſſunt, ab illorum jugo eximatur, cujuſmodi ſunt ſolitudo, ſilentium, graveſque abſtinentiæ, atque vigiliæ, quæ corpus debilitando poſſent Epiſcopum ſuo muneri ineptum reddere, aut functiones Epiſcopales impedire. Quoad ſecundam vero aſſerti partem, ita ſe explicuit auctor in hujus rei diſcurſu, teſte Ubertino, ut nullam dixerit ſubeſſe rationem diſpenſandi cum Minoritis ad ſedes Epiſcopales aſſumptis, ut cum luxu, deliciis & pompa effuſe vivant more ſecularium Principum, qui ex ſuperabundanti affluentia bonorum temporalium aſſumpti ſunt ad dignitates Eccleſiaſticas: quem enim ex utroque ordine vel ſeculari, vel eccleſiaſtico non ſcandalizabit tanta rerum pompa, & vitæ luxus in homine, qui ſummam Deo vovit paupertatem? præſertim ubi non eſt neceſſarius, vel ad dignitatem conſervandam, vel ad animas Chriſtiane regendas. Subjunxit tamen, in quibuſdam caſibus, vel conſiderato Eccleſiæ, aut dignitatis ſtatu, & temporis qualitate æque poſſe cum Minoritis ac aliis, in poſſidendis divitiis, & habendis rebus pretioſis, ac locuplete ſupellectile diſpenſari. Quoad vota vero eſſentialia, non adeo facile judicat ea poſſe a Pontifice diſpenſari, quæ & aliorum fuit ſui temporis Theologorum opinio, præſertim ſancti Bonaventuræ, qui præterquam quod ſententiæ illorum, qui ajunt non poſſe Pontificem in triplici voto religionis diſpenſare, libenter ſubſcribat, in fine quæſtionis ad objectionem factam, quod diſpenſatur cum Religioſis factis Epiſcopis ſaltim circa votum paupertatis, & obedientiæ debitæ ſuis Prælatis, ita ait: *Dicendum, quod licet in prælotionibus non teneontur obedire, & multa babeant, quæ non licerent eis, ſi eſſent ſubditi: tamen in neutro voto eſt diſpenſatum. Nam in voto paupertatis non diſpenſatur, quia non licet tali religioſo bobere proprium, etiam ſi Papa diſpenſet: ſed tamen poteſt bona Eccleſiæ diſpenſare, ſicut Abbas bona Monaſterii: nec amittit meritum paupertatis, ſed eſt divitiarum non dominus, ſed diſpenſator: non amator, ſed contemptor: non conſervator, ſed diſperſor in pauperes. Similiter in voto obedientiæ non eſt diſpenſatum, quia omnem obedientiam, quam debebat prius ſuo ſuperiori, debet Papæ: & Papa a ſua obedientia non poteſt eum abſolvere: & in talibus meritum obedientiæ commutatur in meritum paſtoralis curæ, nec eſt diſpenſatio, ſed exemptio proprius debet dici.* Id ipſum docet Albertus magnus, ſanctus Thomas, quantumvis nolit Cajetanus, Altiſiodoren. Dominicus Soto, qui etiam citat Alenſem, & alii, habeturque expreſse in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu monachatus ubi gloſſa & in cap. 1. de voto & voti redemptione. Non me latet plures tum veteres, tum recentiores Theologos contrariæ adhærere ſententiæ, id dumtaxat modo dixerim nihil hic cenſura, nec gravi adverſariorum nota dignum dixiſse auctorem; ſed ille quorumdam mos eſt, ut multa in calumniam accumulent, ut majorem concilient invidiam, aut graviorem ingerant infamiam.

Tolet. in ſum. l. 5. c. 4.
Navar. in cap. nullam 11. 46. circa fin.
Covarr. in c. 1. n. 18. & 21. de teſta.
Graſſius 2. p. deciſ. lib. 1. cap. 18. n. 87.
Roderic. tom. 2. qq. reg. q. 58. art. 2. in fine.
C. de monachis 16. q. 1.
Bonaventura cit. in reſp. ad 1.
Albert. in 4. diſt. 34. an. 17.
Thom. 2. 2. q. 88. art. 11.
Altiſiod. in 1. d. 34.
Sotol. 2. de nat. & gra. q. 4. art. 2.

XLVII. Undecimo, quod ſupradictis, & aliis erroribus pertinaciſſime plures ex ejus diſcipulis adhæſerint, eoſdemque imbiberint alii. Quam paucos hic habuerit errores, ex iis, quæ hactenus diximus, apparet, atque illum unum vel alterum opinative dumtaxat tenuiſse, paratum corrigi, & ſubjeciſse omnia correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ conſtat ex apertiſſima ejus ſub mortem confeſſione. Quod ſi aliqui fuerunt nebulones, qui pertinaciter defendebant, & tamquam fidei myſteria credebant, quæ ille, neque ſub opinione tenacius voluit teneri,

Petro Joan. aliorum imputantur mala.

non

non hæc ipſius, ſed illorum culpa, qui doctrinæ & correctioni ſuperiorum vel Sedis Apoſtolicæ ſe noluerunt ſubjicere, ſed ad exorientes, & ex latibulis prodeuntes Pſeudo-Apoſtolorum, Bizochorum, & Fratricellorum ſectas nomine diſtinctas, ſed erroribus colligatas caudas babentes transfugerunt. Vere plures ex diverſis religionibus, vel tamquam transfugæ ad eos avolarunt, vel ſub ſpecie pietatis, quam illi præ ſe ferebant majoris perfectionis acquirendæ gratia ſe illis adſociarunt, vel diſciplinæ ſuorum ſuperiorum ſe ſubtrahentes ad illorum caſtra tranſibant, ut ex epiſtola Bonifacii Pontificis hoc ipſo anno data licet expreſse conſpicere. Quare non hoc malum ſolius Petri Joannis dumtaxat, quod ex ſuis aliqui ad hoſtium caſtra tranſierint, ſed & aliarum diverſarum religionum; neque propterea illæ condemnandæ, neque iſte adeo ſevere traducendus, ut quidquid mali fuerit in diſcipulis, illi affigatur. Verum eſt dixiſse Apoſtolum ſe *confundi in diſcipulis*, quos ex Galatis erudivit, quia *vituperium diſcipuli, detrimentum eſt magiſtri: & detrimentum diſcipulorum, confuſio & opprobrium eſt magiſtri, ſicut profectus eorum gloria eſt præceptoris*. Aliud eſt tamen ut propter diſcipulos magiſter erubeſcat, aliud ut cum eiſdem in errore conſentiat. Petrus Apoſtolus ſcribit ex epiſtolis Pauli *quædam difficilia intellectu indoctos & inſtabiles depravaſſe ad ſuam ipſorum perditionem*; quare hæretici *pro ſua ignorantia & inconſtantiæ libidine per vim illa detorquent*; & cœco furore *depravati ab itinere recto cæleſtes litteras corrumpunt, & novam ſibi doctrinam ſine ulla radice ac ſtabilitate componunt*. Nulla Pauli culpa, quod ejus doctrina abuſi ſint Sectarii, neque hujus auctoris crimini debet adſcribi illud, in quo alii erraverunt, *dum unuſquiſque pro ſuo arbitrio modulabatur, quæ accepit*, neque ſano ſenſu, quo tradita ſunt, conſtruxit: quamvis & ejuſdem magiſtri doctrina hi poſſint revinci, dum in omnibus & per omnia promptiſſimam voluit Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Præfectis obedientiam præſtari, quam tamen illi negarunt, verbis ſe diſcipulos profitentes, factis autem aperte negantes.

Gal. 4. 20.
Ambroſ. lib. 1. de offic. cap. 41.
Claud. Altiſiodor. in cap. 4. ad Galat. & habetur tom. 9. 1. part. Bibliot. Vet. Patr.
2. Petr. 3. 16.
Athan. epiſt. ad Ammon.
Lactan. l. 4. cap. Inſtit. ultim.
Tertul. de præſcript. cap. 42.

Aliqui indigne eum traducunt.

XLVIII. Severe quidam hunc hominem perſtringunt, ſed omnibus ſeverius Nicolaus Eymericus, & Abrahamus Bzovius: ille viginti hæreſes ei affigit, quas induſtrioſe diſtinxit; quæ tamen ad unum dumtaxat caput reducuntur de exprobratione Eccleſiæ Romanæ, quam ſumme & catholice ſemper veneratum fuiſſe hunc auctorem, diximus ſuperius, & de qua nihil egit Clemens V. in Concilio Viennenſi, quantumvis coram eo ſtudioſe actum ſit de univerſa Petri doctrina. Deinde aliam ei adſcribit circa paupertatem Chriſti, & Apoſtolorum, de qua nihil omnino ſcripſit, exortaque eſt hæc controverſia aliquot annis poſt ejus mortem ſub Joanne XXII. Deinde omnes errores Begardorum, Beghinarum, & Fratricellorum, quos ad quinquaginta quinque enumerat, huic etiam attribuit, cum de hæreſibus ibi relatis nihil omnino auctor ſcripſerit, & poſt ejus mortem exortæ ſint hæ ſectæ ſub prædictis nominum appellationibus. Et ſane inter ea quæ ille pro erroribus tranſcribit, quædam ita longe abſunt ab hæreſi, ut ſanam potius contineant doctrinam, & expreſſe doceantur a ſancto Thoma, uti eſt illud: Quod Religioſi aſſumpti ad Epiſcopatus, teneantur ad votum paupertatis, de quo paulo ſuperius, & quod Minores nihil poſſint habere in peculiari, vel in communi, & his ſimilia. Tertio alibi eumdem exagitat tamquam hæreticum, ejuſque oſſa ex mandato Clementis VI. ait fuiſſe combuſta; ſed alibi refert ejus commentator Franciſcus Penna, eum hoc tribuere Joanni

Direct. Inquiſ. 2. p. q. 9.
Hoc anno n. 36.
Ibid. q. 14.
S. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 8.
Hoc anno n. 36.
Direct. cit. q. 38.

ni XXII. (a quo etiam ipſe Eymericus dicit libros ejus fuiſſe prohibitos) attamen dubium ſupereſſe, an oſſa fuerint concremata, quia conſtitit, eum ſubjeciſſe libros ſuos correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ, atque ita haberi in tribus codicibus ſeu exemplaribus MSS. Directorii. Abrahamus Bzovius ſub Innocentio III. de quo agit, tranſcribitque quæ habet Prateolus; deinde poſt annos centum & plures ſub Joanne XXII. iterum de eo ſermonem inſtituit, refertque ex Eymerico viginti duas hæreſes, quas diximus in Directorio induſtrioſius enarratas.

Penna in comment. 2. p. Schol. 30.

Bzov. an. 1199. n. 39.

Item an. 1325. n. 8.

XLIX. Mirum etiam in modum errant circa hujus viri ætatem aut tempus, quo vixit. Bzovius, uti nunc diximus, Prateolum ſequens ſub anno MCXCIX. de eo agit ſub Innocentio III. & iterum anno MCCCXXV. ſub Joanne XXII. Nicolaus Eymericus ſub Clemente V. in Provincia Narbonenſi eum inſurrexiſſe ſcribit. Hujus commentator Penna eum emerſiſſe, ait, temporibus Cœleſtini III. circa annos Domini MCCXX. & Cœleſtini hujus juſſu fuiſſe combuſtum & exhumatum; in quibus valde errat, tum circa ætatem Petri Joannis, ut mox oſtendemus, tum circa Pontificatum Cœleſtini, qui creatus eſt Pontifex anno MCXCI. ſeditque annis ſex, ante Innocentium III. ex quo conſequenter irrationabile fit, quod de exhumatione juſſu Cœleſtini ſubjungit. Sanderus reponit ſub Innocentio IV. & anno MCCXLII. Sixtus Senenſis vixiſſe ait anno MCCCC. Tanta eſt in hac re diſcordia, ut admirationem ingerat lectori, necnon occaſionem judicandi non adeo exacte res ejus diſcuſſas fuiſſe ab iis, qui eum indigne traducunt, ſed cœco affectu, & nullo labore auctorem ſequutos Eymericum, erraſſe valde in erroribus, quos adſcribunt, & in tempore quo ſumma inconſtantia vixiſſe recenſent. Atque ſane ſi hic hæreticus eſſet, ſive potius, uti vult Bzovius hæreſiarcha, non omitterent Pontifices, quos eum condemnaſſe ſcribunt hi auctores; ſive Cœleſtinus ille III. ſive Clemens V. aut VI. ſive Joannes XXII. illius memoriam condemnare, ſeu nomen exprimere, ſicut communiter factum eſt cum aliis hæreticis, & fecit Innocentius III. quando librum Joachimi Abbatis condemnavit, qua ratione conſtaret clarius, quo tempore vixit, & an vere Pontifices eum hæreticum fuiſſe judicarint.

Prateolus l. 14. hæreſum verbo Petr. Joan.

Direct. cit. c. 15.

Quo tempore floruit.

Bzovius proxime citatus.

L. Nos vero certum tempus, quo floruit, annos ortus, initiationis, & mortis ſuis locis dedimus, ex quibus conſtabit, quantum circa ejus ætatem erraverint prædicti auctores. Hoc ipſo anno quinquagenarius mortuus eſt, ſepultuſque honorifice Narbonæ. Invidia & malevolentia adverſariorum traductum; necnon ob multam ignorantiam atque pertinaciam eorum, qui ſe illius jactabant ſequaces infamatum, inde evidentius colligitur, quod toties ab æmulis vocatus in judicium, ſemper indemnis evaſerit, neque a Pontifice Nicolao IV. qui ejus geſta, & doctrinam juſſit examinari, neque in plenis Comitiis generalibus Ordinis, in quibus diligenter ejus cauſa fuerat diſcuſſa, gravem aliquam reportarit ſententiam. His adde, quod Clemens V. qui quædam ex iis, quæ ei fuerunt impoſita, in Concilio Viennenſi definivit, veluti illud de anima rationali: An ſit corporis forma? An virtutes infundantur in baptiſmo? De vulnere laterali Chriſti; neque verbum egit de viro hoc, neque auctorem aut pertinacem defenſorem harum conſtituit opinionum; tum propter variam hominum de eo opinionem, quibuſdam Sanctum, aliis aliter acclamantibus: tum quod ei conſtiterit ex ipſis libris, atque ex ultima fidei profeſſione, nihil horum pertinacius defendiſſe, ſed omnia correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ ex animo ſubjeciſſe. Hujuſ-

Relegatur ab eo hæreſis calumnia

Ad hæreſim requiritur pertinacia.

Auguſt. 4. con. Donatiſt. cap. 6. & ep. 164.

D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 4.

Sanchez latiſſime l. 2. de precep. decal. c. 7. Farinac. de hereſ. q. 178. n. 16. & ſeqq. Caſtro de hereſi lib. 2. c. 9. C. damnamus de ſum. Trinit. & fid. cathol. c. un. eod. tit. in 6. & Clem. un. eod. tit. 2. q. 3. c. dixit Apoſtolus & ibid. q. 1. c. ſchiſma. Aug. epiſt. 162. in princip. & habetur 24. q. 3. c. dixit Apoſtolus. Idem l. 18. de civit. Dei c. 51.

juſmodi autem minime hæreſis nota afficiendos, conſtans eſt omnium doctrina, & habetur ex ipſo jure canonico; atque ex communi hæreſis definitione, qua dicitur: *Error intellectus voluntarius, contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia aſſertus ab eo, qui fidem recepit.* Non ſufficit itaque hominem in errorem humana labi caligine, ut extra communionem fiat recte credentium, aut turpis hæreſeos labem incurrat, niſi admonitus nolit reſipiſcere, aut prudens & ſciens catholicæ contraire perſiſtat veritati. Ita graviter docuit Auguſtinus: *Qui ſententiam, inquit, ſuam quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim, quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed a ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Niſi itaque ad errorem voluntarium temeraria præſumptio, & malitioſa accedat pertinacia, hæreſis non completur malitia: *tunc enim, qui morbidum aliquid pravumque ſapiunt, heretici fiunt, & foras exeuntes in exercitibus habentur inimicis, quando correcti, ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed & defendere perſiſtunt.* Dum itaque quis ſenſui adhæreat Eccleſiæ, & illum ſuo velit proponi, ab ea nullatenus recedere judicabitur, neque quidquam contra eum poteſt definiri, qui non aliud animo conceperat, quam quod Eccleſia juberet teneri. Graviter & docte in hunc ſenſum Michael Medina. Huic

Medina de recta in Deum fide lib. 5. c. 121

ſanctæ Eccleſiæ quiſquis individue cohæſerit, etiam ſi a recta catholicæ fidei norma per ignorantiam declinare contigerit, nullum detrimentum accipiet. Exemplo nobis eſt Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, immo totum illud Africanum Concilium, quibus, quod contra Eccleſiaſticas regulas, & ſtatuta majorum hæreticos baptizandos eſſe placuiſſet, quod tamen id non cum Eccleſiaſtica injuria, & contradictione probaſſent, ſed quod ita humanæ rationis judicio ſibi videretur, damnato dogmate abſolvuntur Magiſtri. Neque enim quiſquam erit tam audax, ut ſanctiſſimum Cyprianum Chriſti celeberrimum martyrem, qui eidem Concilio interfuit cum ceteris, vere alioqui Eccleſiaſticis Patribus, damnatum, decernat. Exemplo etiam nobis eſto, & ante hos quadringentos annos Joachimus Abbas, cujus ſententia etſi Eccleſiaſtico ſenſui adverſa, in Concilio generali damnetur, ipſe tamen hæreticæ labis judicatur immunis; nimirum quod firmiſſimam hanc Eccleſiaſticæ fidei ſtationem non deſeruerit, neque obſirmato animo adverſus Eccleſiaſticam fidem docuerit. Plenæ ſunt hiſce exemplis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Qui ergo nihil petulanter dixit, aut pertinaciter defenſavit; ſed tum calamo ad calcem omnium librorum, tum voce animam Creatori redditurus, profitetur & proteſtatur fidem & doctrinam ſe tenere Eccleſiæ, neque ulli ſe adhærere opinioni tenaciter, neque ex fide præter eam, quam credendam inconcuſſa proponeret veritatis columna ſancta mater Eccleſia, nequaquam degeneris filii nomen, aut turpem hæretici meretur cenſuram.

Aliorum de Petro Joanne elogia.

LI. Ne vero ego videar difficilem aſſumpſiſſe Provinciam, & ſingularem poſuiſſe conatum in eo defendendo viro, quem alii condemnant, & præſertim Directorium Inquiſitorum graviori perſtringit cenſura, aliorum proferam teſtimonia, qui hominem nedum non condemnant; ſed & mirifice commendant. Angelus Clarenus auctor coævus, & Petro

Claren. in quinta tribul. Ordin.

huic familiaris, inſigne de illo hoc habet elogium: *Fuit*, inquit, *Petrus Joannes mitis, manſuetus, humilis, devotus Chriſto, & Matri ejus & ſan-*

ſancto Franciſco, ſapiens ſapientia cæleſti, facundus & eloquens inter omnes ſui temporis homines, & ſupra multos coætaneos ſuos, repletus ſapientia ſpirituali, & divina cognitione, & gratia & virtute, & amore ſui Ordinis, compaſſivus, pius, condeſcendens aliorum infirmitatibus, diſcretus, prudens, ſollicitus etiam ſupra vires ad omne bonum: Multa utilia docuit, & neceſſaria ad evitandum ſpiritualia pericula, & ad conſurgendum ad vera & noviſſima bona. Petrus Rodulphus virum vocat magnæ prorſus ſubtilitatis, & eruditionis; ſubjungitque eum ita reſpondiſſe ſuæ doctrinæ calumniatoribus, ut nemo potuerit tantæ reluctari ſapientiæ, aut reſiſtere ſpiritui, qui in eo loquebatur: *Ipſe enim*, inquit, *erat tamquam lux in lucem reducens dubia; ideo eum æmuli inſequebantur acerbe: nam verum eſt illud.*

Rodul. de Scrip. Minorum.

Summa petit livor, perflant altiſſima venti.

Eximium Doctorem, & ſanctum virum appellat *Marianus*, ſummeque commendat paſſim ubicumque ſe offert occaſio ſermonem de eo inſtituendi. Chronica Ordinis: *Erat in conſpectu hominum rigidus, moribus & verbis ponderoſus, magnæ indolis & famæ per orbem: Fuit maximus zelator paupertatis, & omnium virtutum, ſpiritu prophetico inſuper inſignitus. Multi Fratres ei adhæſerunt, religioſam ejus vitam æmulantes. Qui dum videret conſodales ad laxiorem vivendi normam declinare, pati non potuit, quin in eos palam inveheretur, unde & ſibi peperit moleſtias plurimas, & perſecutiones. Fuit hic mirabilis ingenii, ſcripſit poſtillas in univerſa Biblia &c.* Henricus Willot: *Vir magnæ prorſus ſubtilitatis & eruditionis, Baccalaureus formatus &c.* Sixtus Senenſis: *Petrus Joannes Ordinis Minorum Baccalaureus formatus Sorbonæ Pariſiorum, poſtillas ſcripſit in omnem fere divinam ſcripturam.* Ipſe auctor Directorii Inquiſitorum in codicibus MSS. quos Penna commentator citat, vocat Lectorem famoſum in Theologia; & liber Firmamenti trium Ordinum, Doctorem divinum. Sanctus Antoninus ſemel atque iterum de hoc homine, de moleſtis his controverſiis, & ejus doctrina agit, neque tamen in aliquo eumdem condemnat, imo ait, eum ſuo Ordini ſatisfeciſſe, nec repertum fuiſſe ſchiſmaticum, aut rebellem. Valde eum commendat Ubertinus prædictus in primo prologo Arboris vitæ crucifixi, licet in aliquibus dictis vel ſententiis ejus, ſe eumdem ſequi nolle profiteatur; etenim: *aliquando bonus*, inquit, *dormitat Homerus, neque omnibus omnia data ſunt.* Eumdem inter Scriptotes Eccleſiaſticos præter Sixtum Senenſem & Willotum citatum, connumerant abſque ulla nota aut cautela addita læſæ vel ſuſpectæ fidei, Franciſcus Gonzaga, Antonius Poſſevinus, & Fabianus Juſtinianus.

Marian. c. 14. Chronic. Min. 2. par. l. 5. c. 23.
Willot. in Athenis.
Sixt. Senen. l. 4. Biblioth.
Penna cit.
Firmam. 3. Ord. p. 1.
Anton. tit. 24. c. 9. §. 11. & 13.
Ubertin. de Caſale.
Gonz. 1. p. Chronic.
Poſſev. in appar.
Juſtin. l. 3. de ſacra Scrip.

LII. His prolixius, ſed neceſſario productis pro aſſerenda hominis innocentia, ne per univerſas traducatur ætates; ad ea quæ ſub hoc anno geſta ſunt orationem reduco. Obtinuerunt quædam per hæc tempora domicilia Minoritæ; & ſane præcipuum illud Aracœli in Capitolii Romani vertice erectum, nonniſi hoc anno a Bonifacio Pontifice eiſdem conceſſum ſcribunt, ex plano tamen errore, Bzovius & Ciaconus, cum in tertii tomi limine ab Innocentio IV. ante quadraginta & plures annos datum, productis conceſſionis inſtrumentis largius probatum ſit, & per annos ſequentes ſæpius occurrat memoria Fratrum Minorum in æde Aracœli commorantium. Conventus Barri ſuper Albam Lingonenſis diœceſis oppidi, ante plures annos inchoatus, ſtudio cujuſdam devoti Minoritæ, & Eccleſia adjuncta per Jacobum de Montier, qui ad aram

Bzovi. an. 1297. n. 8.
Ciacon. in Bonif. VIII.
Tom. 3. an. 1251. n. 36.
Gonzag. in Prov. S. Bonav. Con. 12
Conv. Barri.

majorem ſepultus eſt anno MCCLXXXIX. honorificentior effectus, hoc ipſo anno complementum accepit, per devotiſſimum virum Patritium Lambretum de Auberina, & ejus conſortem. Et ante hunc annum conſtructos Conventum Beneventanum in Regno Neapolitano, & Saxi Corbarii in Ducatu Urbinate, docent vetuſta illorum locorum monumenta; ſed & Marſalæ citra Farum in Sicilia in promontorio Lylibitano alterum ſub hoc tempore præextitiſſe conſtat ex hoc Epitaphio: *Donna Aldiſia de Mizzina ſepulta eſt hic, cujus anima requieſcat in pace: Anno Domini* MCCXCVII. Et in oppido Hannoveri provinciæ Saxoniæ, & Cuſtodiæ Halberſtatenſis obtinuiſſe Fratres domicilium ſub Epiſcopo Mindenſi Conrado II. refert Albertus Crantzius. Obiit autem hic Conradus anno MCCXCV. cum annos tredecim abſolviſſet in Pontificatu.

Conv. Beneventi. *Rodul. fol. 276. & 281.* Conv. Saxi Corbarii. Conv. Marſalæ. Conv. Hannoveri. *Crant. in Metropoli lib. 8. c. 59.*

LIII. Hoc ipſo anno intra mœnia Novi Caſtri Ducatus Lotharingiæ & Tullenſis diœceſis, urbis percelebris, Monaſterium Clariſſis ædificari curavit Fridericus (Gonzagæ Ferricus) hujus nominis ſecundus, & ejus conjux Margarita, Theobaldi Campaniæ Comitis, ac poſtea Navarræ Regis filia, Lotharingiæ Duces, qui filias duas Margaretam Coloniæ, & Agnetem in Monaſterio longi Campi ſanctæ Claræ Inſtituto conſecrarunt. Prima diſciplinæ regularis magiſtra evocata eſt ex Monaſterio ſanctæ Catarinæ Pruvinenſi. Dotarunt Monaſterium annuis redditibus prædicti, quorum ſucceſſores Theobaldus II. & Rodulphus donationem omnem Monaſterio factam ratam habuerunt, additis inſuper aliis beneficiis. Theobaldum Eccleſiam extruxiſſe, eamdemque conſecraſſe Joannem Tullenſem Epiſcopum anno trecenteſimo ſupra milleſimum refert Gonzaga. Sed vel eam non conſtruxit Theobaldus, vel in conſecrationis anno error deprehenditur; neque enim Fridericus, Theobaldi pater, obiit ante annum MCCCIII. neque Theobaldus ante illum annum Dux eſt renunciatus. Veræ Epiſcopus tunc erat Joannes Cierkenſis Lotharingus, qui Conrado Probo Minoritæ, de quo ſupra egimus, ſucceſſit, diemque clauſit extremum anno MCCCV. Niſi fortaſſe illud hic ſuperſit effugii, quod Theobaldus ante adeptum Principatum Eccleſiam extruxerit; qua ratione fieri poſſet ut a Joanne tunc conſecraretur.

Mon. Novi Caſtri. *Stemmata Lotharin. tom. 5. c. 77. Gonzag. in Prov. Franc. Monaſt. 5.* *An. 1279. n. 87.*

LIV. Propter varia diſſidia, & contentiones, quæ oriebantur ex diſcordibus electionibus, præcepit hoc anno Bonifacius, ut nullus Religioſus Ordinum Mendicantium, electioni, poſtulationi, proviſioni, ſeu vocationi de ſe factæ in diſcordia ad aliquam extra ſui Ordinis adminiſtrationis prælaturam præſtare poſſet aſſenſum, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia: *Quorumdam oculos.* IV. Kal. April. Dedit etiam Pontifex litteras ad Abbatem Monaſterii ſancti Proſperi & alios, ut pro ampliando Minorum Conventu Rheginenſi in Æmilia inducerent Sorores ſancti Petri martyris Ordinis Prædicatorum ad vendendas eiſdem quaſdam poſſeſſiones: *Expoſuerunt nobis.*

Privilegia Minorum.

LV. Ad inſtantiam nobilis viri Joannis de Procida, datis litteris ad Cardinalem Landulphum Apoſtolicæ Sedis Legatum in regno Neapolitano, quædam ordinavit circa regimen Monaſterii ſancti Laurentii Salernitani, de quo egimus anno ſuperiori: *Dudum ex relatione.* Kal. Martii. Atque his ſimiles alias dedit litteras ad Miniſtrum Ordinis Minorum Provinciæ Terræ laboris. Dedit etiam hoc anno Cardinalis Protector Matthæus Rubeus Urſinus binas litteras ad Miniſtrum Generalem, & Provinciales, quibus eis curam commiſit Clariſſarum, formamque præſcripſit regiminis. Eas in Pontificio dabimus regeſto.

Privilegia Clariſſarum. *An. 1296. n. 20.*

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. MAximas inter curas ſummi Pontificatus vigilantiſſimus Papa hanc præcipuam habuiſſe videtur, ut perpetuis conſtabiliret legibus Minorum, & Prædicatorum, imo & aliorum Mendicantium Ordines; quas licet in corpore juris quiſque legere poſſit, nihilominus noſtris hic libenter exhibemus, quod admodum utiles ſint, & ſcitu perdignæ. Occurrit autem primo illa de pactis initis per Fratres cum Rectoribus parochialium Eccleſiarum ſuper parochialibus juribus, quæ non raro contingunt, ſequentis tenoris.

Decretum ſupra obſervantiâ inter Fratres & Parochos.

De pactis tit. 18. cap. 1. *Quia ex eo.*

„ 1. *Quia ex eo quod Fratres Prædicatores, & Minores, & alii Mendicantes, compoſitiones & pacta cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus, & perſonis Eccleſiarum, civitatum, caſtrorum, villarum, & locorum in quibus domus ſeu habitationes eorum exiſtunt, ſuper juribus parochialibus, vel aliis quibuſcumque articulis, ab eis, vel eorum anteceſſoribus inita, ſive facta ſervare recuſant: & ea eo prætextu infringere moliuntur, quia Magiſtri, aut Miniſtri, vel Prioris Generalium, ſeu Provincialium eorum non affuit aſſenſus in ipſis, nec approbata per ipſorum generalia, vel provincialia capitula extiterunt: multa in diverſis mundi partibus inſurgunt ſcandala; & ipſorum Fratrum (quos decet puritatem omnimodam in ſuis obſervare actionibus, & ab his abſtinere propenſius, per quæ poſſit aliis pernicies generari) famæ detrahitur plurimum & honori.*

Vult Pontifex eas obſervari etſi non intervenerit aſſenſus ſuorum ſuperiorũ vel Sedis Apoſtolicæ.

„ 2. *Nos his occurrere paternæ ſollicitudinis ſtudio intendentes, præſenti decreto ſancimus: compoſitiones & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus, & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum Conventualibus, Prioribus, ſeu Guardianis facta, vel approbata, de ſuorum Conventuum conſilio & aſſenſu (dum tamen alias ſint licita & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuo inviolabiliter obſervari: non obſtante quod Magiſtri, vel Miniſtri, aut Prioris generalium ſeu Provincialium prædictorum non intervenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum generalibus, vel provincialibus capitulis extiterint approbata: ſeu quod Sedes Apoſtolica in his, quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.*

Lib. 5. tit. 6. de exceſſibus prælator. c. cum ex eo.

„ II. Placuit etiam ſummo Pontifici ne noſtri, cum aliis Mendicantibus poſſent in poſterum nova loca ad habitandum acquirere, nec antiqua alienare vel mutare abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, quæ de præfata prohibitione faciat mentionem: in acquiſitione tamen locorum pro eremitica vita ducenda, prohibitionis ratio ceſſare videtur, quod ex ipſo textu elicit Joannes Andræas. Porro Bonifacii decretum eſt ut ſequitur.

Conſtitutio circa conſtruct. Conv.

„ 1. *Cum ex eo, quod Prædicatores, Minores, & Religioſi alii Mendicantes in civitatibus, caſtris, villis, aut aliis locis ad habitandum domos, vel loca ſuſcipiunt, ſeu olim ſuſcepta dimittunt, ſic ibidem ad alia tranſferentes, diverſa ſcandala quandoque proveniant, & frequenter clamores ad Sedem Apoſtolicam perferantur: Nos ſuper hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis quibuſcumque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant (quæ ipſis contra tenorem conſtitutionis præſentis nullatenus volumus ſuffragari) in ali-*

Interdicit Pontifex aliqua.

„ *qua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocumque ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo quocumque in alios transferre præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem, ſi ſecus egerint irritum decernentes.*

„ *2. Per hoc tamen eis, qui vitam duxerint eremiticam, ſeu ſolitariam eligendam, de majorum ſuorum licentia, quin cellas, manſiones, ſeu habitacula in eremo, ſive locis ubi non ſit hominum habitatio de propinquo, poſſint acquirere, ac mutare, non intelligimus interdictum.*

Aliæ conſtitutiones citantur.

Tit. 8. de privileg.

„ III. Sunt & alia plura hujuſmodi a meis Confratribus ſcitu digna in eodem Sexto decretalium a Boniſacio VIII. decreta, quæ quod oimis univerſalia ſint, & paſſim haberi poſſint, libenter prætermittimus; ut ſunt, declaratio quomodo perſonæ religioſæ privilegiatæ ſint: *Cum perſonæ &c.* quomodo per iogreſſum Religionis vacet beneficium: *Beneficium illius &c.* quomodo votum ſoleinne dirimat matrimonium: *Quod votum &c.* ne Moniales egrediantur clauſuram: *Periculoſo & deteſtabili &c.* ne Religioſæ vocentur perſonaliter ad judicium: *Mulieres quas &c.* de electione Abbatiſſæ in communi: *Indemnitatibus Monaſteriorum &c.* quod profeſſio debeat fieri intra annum: *Conſtitutionem Innocentianam &c.* & pro exercendo Inquiſitionis officio: *Ut commiſſi vobis &c.* de celebratione tempore interdicti: *Licet vobis &c.* de admittendis ad divina tempore interdicti: *Alma mater &c.*

Aliæ litteræ.

Indic. ex Oder. n. 55.

Ex Vatic.

„ IV. Sunt etiam alia noonulla, quæ Petrus de Alua, & Aſtorga indicat, ut FF. Bonifacio, & Matthæo Inquiſitoribus Minoritis contra Bizocos: *Ad noſtram nuper &c.* oonis Maii: fratri Nicolao deſtinato Concionatori Cruciatæ: *Olim Jacobum &c.* & ut Epiſcopus Callienſis aſſumat Minores ad prædicationem, ambo III. Kal. Januarii: & contra noſtri Ordinis apoſtatas: *Exigit Ordinis &c.* nonis Julii: & pro Monialibus ſancti Laurentii: *Dudum ex relatione &c.* Kal. Martii.

Conſtantia Regina ex Tertio Ordine obit.

„ V. Tamdem, ut huic anno ſupplemento finem faciamus ſubminiſtrat ultima Chombonus referens Conſtantiam Reginam Caſtellæ, filiam Roberti Siciliæ Regis ſancti Ludovici Epiſcopi Toloſani Germani fratris, Tertii Ordiois ſancti Patris Franciſci alumnam, eximia ſanctitate florentem, ſanctiſſime pariter xv. Kal. Februarii hujus anni, viduatam viro ibidem obiiſſe.

ARGUMENTUM.

Pro compeſcendis bellorum tumultibus inter Gallum, Anglum, alioſque Principes exortis, mittuntur Gandavum Pontificis legati Generales Præfecti Minorum & Prædicatorum. Inſtituuntur Inquiſitores Minoritæ in partibus Serviæ, Ruſſiæ, Dalmatiæ &c. Creatur Cardinalis frater Gentilis de Monteflorum, ſacri Palatii Apoſtolici lector, fiuntque alii duo Minoritæ Epiſcopi; ex quibus alii excitant Principes Catholicos ut opem ferant rebus Syriæ deſperatis. Moritur ſanctus Ludovicus frequentibus clarus miraculis. Severe animadvertit Pontifex in beatum Jacoponum Tudertinum, cujus vita prodigioſa refertur. Multiplicantur Conventus & privilegia.

I. ANTE duos annos Philippus Gallorum Rex ægro ferens animo, Guidonem Flandriæ Comitem deſpondiſſe Philippam filiam ſuam Eduardo Galenſium Principi, Eduardi Anglorum Regis filio, ſuſpectaſque & inviſas habens Guidonis opes, & contractam cum inimico affinitatem; diſſimulato dolore, eum cum uxore blandis ad ſe verbis Corbolium accerſit; deinde objecto eis hoc crimine, utrumque mali doli inſontem, neque quidpiam tale timentem Lutetiam Pariſiorum duxit, ac in arce Lupara recluſit. Tamdem pacificante inter eos Pontifice, ac fidejubente Amadeo Comite Sabaudiæ, Guido cuſtodia liberatur, quibuſdam ſtatutis legibus, ſed ea præcipua, ut filiam illam Eduardo Principi deſponſatam, Regi obſidem faceret. Abductam per regios Legatos virginem Lutetiam, ingenti cum dolore parentes relinquunt, inſtanter mox repetunt, nihilque intentatum relinquunt, ut eam a captivitate liberent. Dum nullas ſibi preces nec artes proficere videt Comes, armis agendum cenſet, icto fœdere cum Eduardo Anglo, Gallo vehementer infenſo, Adolpho Cæſare, Joanne Duce Brabantiæ, Eduardi genero, & Guidonis ex filia nepote, Henrico Comite Barenſium, Eduardi etiam genero, & Alberto Auſtriæ Duce. Joannes Hannoniæ Comes Galli partes tutabatur; qui copioſo exercitu contra Guidonem movit, multamque intulit moleſtiam, & detrimentum copias adhuc auxiliares confœderatorum expectanti. Paciſcendæ itaque in turbulento, & incerto rerum motu erant induciæ, etiam Anglo exhortante, ab Octobri medio aduſque Kalendas Decembris: ſed auctore Carolo Claudo, Siculo Rege, prolungatæ ſunt ultra biennium; interim controverſiæ omnes Bonifacii Pontificis arbitrio decidendæ committerentur. Hoc itaque ineunte anno, menſe Januario, miſit Bonifacius Gandavum Joannem Minium a Muro Miniſtrum Generalem Minorum, & Nicolaum Bocaſinum a Tarviſio Magiſtrum generalem Prædicatorum, qui inducias confirmarent, & ſolidius ſtabilirent, necnon obducendæ pacis rationes aliquas invenirent. In his aliiſque ſibi commiſſis gravioribus negotiis ita prudenter & laudabiliter ſe geſſerunt; ut uterque ab hoc ipſo Pontifice ad Cardinalatus dignitatem poſtea ſint promoti.

Annales Flandriæ lib. 10. ad an. 1295. & ſeq.

Res Flandriæ valde turbantur.

Eas componunt Generales Prædicatorum & Minorum.

II. Non neglexit pariter Bonifacius fidei augmentum, vel religionis læſæ vindictam; inſtituit enim Inquiſitores ex Minoritis in partibus Serviæ, Ruſſiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, atque Iſtriæ, datis ad Miniſtrum Provinciæ Sclavoniæ litteris ſequentibus.

Inſtituuntur Minoritæ Inquiſitores in Dalmatia, Ruſſia &c.

Di-

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum. In adminiſtratione Provinciæ Sclavoniæ.

Reg. Vat. n. 143.

Licet ex omnibus mundi partibus, quæ Chriſtiana religione cenſentur, teneamur ex officii debito extirpare lethiferam peſtem hereticæ pravitatis, in partibus tamen Serviæ, Ruſſiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, atque Iſtriæ, Provinciæ Sclavoniæ, imminet nobis hæc ſollicitudo propenſius, ubi eamdem peſtem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei Catholicæ perverſa germina germinavit, ex evidentia operis & famæ notitia præſenſimus abundantius ſuccreviſſe. Cupientes igitur in dictis partibus & in Archiepiſcopatibus Duracen. Antibaren. Raguſino, Spalaten. & Jadren. & diœceſibus ſuis per aliquos de Fratribus tui Ordinis partem ſuper hoc noſtræ ſollicitudinis adimpleri, diſcretioni tuæ, per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de conſilio aliquorum Fratrum ipſius Ordinis, eligas duos de Fratribus ipſius Ordinis, tuæ adminiſtrationis, idoneos ad hujuſmodi opus dominicum exequendum, eiſque in virtute obedientiæ diſtricte Apoſtolica præcipere auctoritate procures, ut Inquiſitionis officium in locis prædictis contra hæreticos credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis Apoſtolicis litteris expreſſam, quæ Fratribus prædicti Ordinis Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis in eiſdem locis deputatis auctoritate Apoſtolica, vel in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus, ſuper exequendo dicto Inquiſitionis officio deſtinantur, exequi ſtudeant diligenter. Nos enim prædictos duos Fratres, quos ad hoc elegeris, & utrumque ipſorum præfatum officium exequi juxta formam in litteris ipſis expreſſam, ac ipſos illam poteſtatem & auctoritatem plenarie habere volumus; quæ in eiſdem litteris continentur. Si vero tu, vel Vicarius tuus, te abſente, aliquem Inquiſitorum hujuſmodi ex aliqua forte cauſa nonnumquam forte videris amovendum, ipſum amoveatis, & ſubſtituatis loco illius alium, quem ſimilem poteſtatem & auctoritatem habere volumus, quoties vobis deliberatione cum aliquibus diſcretis Fratribus dicti Ordinis præhabita, hoc fore videbitur faciendum; & ſi aliquem vel aliquos Inquiſitorum ipſorum decedere forte contigerit, nos ſubſtituendi de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum ejuſdem Ordinis alium, vel alios loco illius vel illorum qui deceſſerint, ita quod hujuſmodi ſubſtituti eiſdem omnino auctoritate, & poteſtate fungantur, tibi, dictoque Vicario ſi tu abſens fueris, plenam, & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum III. Kal. Maii, anno IV.

Alia reſcripta ad Inquiſitores.

Epiſt. 124.
Epiſt. 348.

III. Alia inſuper invenio hujus anni reſcripta ad Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in Provincia ſancti Franciſci, circa bona cujuſdam Civis Spoletani in hæreſim lapſi per fratrem Andræam Inquiſitorem confiſcata, filiis innocuis reddenda; & alia ad fratrem Adamum de Cumis Inquiſitorem in Provincia Romana, de liberando ab omni moleſtia Joannem Feraloca Civem Urbevetanum, quem jam abſolutum ab hæreſi, quam incurrit, declararunt Angelus de Reate, & frater Leonardus de Tybure ejuſdem in hoc officio prædeceſſores, licet eum in judicium vocaverit eorumdem ſucceſſor.

Fit Cardinalis frater Gentilis de Monteflorum.

IV. Habita deinde ordinatione in quatuor temporibus Decembris Reate, creavit Presbyterum Cardinalem tituli SS. Silveſtri & Martini fratrem Gentilem de Monteflorum Picenum Ordinis Minorum, Theologum,

gum, & lectorem ſacri Palatii, in quo officio ſucceſſit fratri Joanni de Muro ad Generalatum aſſumpto, qui ſub Clemente V. uti tunc dicemus, præclaris functus eſt legationibus. Sed & hic frater Gentilis in eodem officio lectoris ſacri Palatii ſucceſſorem habuit fratrem Reginaldum Provinciæ ſancti Franciſci. Promovit etiam ad Epiſcopatum Redonenſem in Britannia Aremorica, ſub Archiepiſcopo Turonenſi, per mortem Guillelmi *de la Rochetangui* fratrem Joannem de Sameſio, ſuum Pœnitentiarium, multis functum præclare legationibus in obſequium Eccleſiæ Catholicæ, de quo ſæpius egimus ſuperius, quem etiam Pontifex anno ſequenti, uti tunc referemus, tranſtulit ad Eccleſiam Lexovienſem: *Inter cuncta* v. Kalend. Aprilis. Ad Eccleſiam Ortanam in Provincia Romana, & ditione Pontificia, per mortem Bartholi Epiſcopi vacantem aſſumpſit fratrem Laurentium de Vellitro: *Etſi de cunctis* v. Nonas Octobris. „ Ad Suanenſem in Etruria ſub Archiepiſcopo Senenſi „ frater Monaldus Monaldeſcus Urbevetanus x. Kalend. Maii. Anno „ MCCCI. XVI. Kalendas Februarii tranſlatus eſt ad Archiepiſcopatum „ Urbevetanum.

Fr. Joann. de Sameſio Epiſcopus Redonenſis.

Ann. 1290. n. 1. & an. 1297. n. 10
Ann. 1299. n. 1.

Fr. Laurentius de Vellitro Epiſcopus Ortanus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

V. Quæ ſuperius diximus de uſurpato, & erepto fratri ſuo Haytoni Minoribus adſcripto, regno Armeniæ per Senibat, mihi confirmat Pontificium diploma hujus anni, ad eumdem ſcriptum, quo Bonifacius ait ſe illius nuncios & litteras recepiſſe, quibus ſignificat vexationes & anguſtias ſui regni, & moleſtias, quas ipſe patiebatur, cui & Terræ ſanctæ ut ſuccurreret, ſcribit ſe excitare quotidie per ſuas litteras Angliæ & Galliæ Reges, ut neceſſarium hoc ſubſidium tranſmittant; inter quos tamen diuturnum diſſidium, & inimicitias ſeminaſſe communem dicit humani generis inimicum. Sed potiores tunc fortaſſis moleſtiæ erant fratris ſui Haytonis, qui amiſſum regnum advocatis confœderatis juſte repetebat.

Ann. 1294. n. 10.

Senibat Rex Armeniæ petit ſibi ſuccurri.

Reg. Vatic. epiſt. 261. 1. Non. Oct.

VI. Non alio, quam hoc anno obiiſſe ſanctum Ludovicum Epiſcopum Toloſatem, mox uno atque altero efficaci probabo argumento, ſi prius diverſas aliorum de hac re ſententias præfigam. Anno MCCXCV. deceſſiſſe ſcribit Petrus de Natalibus; anno MCCXCVII. mortuum ajunt Auctor vitæ ejuſdem apud Sedulium, Bartholomæus Piſanus & Baronius; anno vero MCCXCIX. Firmamentum Trium Ordinum, Marcus Ulyſſiponen. & Breviarium Minorum. Demum anno altero longe poſteriori obiiſſe neceſſe eſt, ut affirment, qui ætatis ſuæ anno XXXIII. fatis conceſſiſſe dixerunt, quos ſtatim referemus: at nonniſi hoc ipſo anno defunctum credere duo præ ceteris me movent. Primum omnes ferme (præter Surium & Petrum de Natalibus, quibus accedere videtur Claudius Roberti, qui ad trigeſimum tertium perveniſſe conſcribunt) viginti trium annorum, & ſex menſium fuiſſe dicunt, quando extremum diem obierat: at ſi ex anno MCCLXXV. & menſe Februarii ejuſdem anni, quo natum ſcribunt meliores auctores, connumeraveris, in hunc annum mortis tempus incidiſſe deprehendes. Secundum, quod auctor ille coævus, & familiaris, quem ſupra diximus ejus vitam ſcripſiſſe, aſſerat duobus dumtaxat annis, & decem menſibus vixiſſe poſtquam e cuſtodia liberatus eſt. Oſtendimus vero ſecundum melioris notæ, & bonæ fidei auctores in menſe Octobris anni MCCXCV. libertate donatum, a quo tempore uſque ad menſem Augusti hujus anni illud tempus interlabitur: quare firmiter dixerim, nonniſi hoc anno defunctum.

Moritur S. Ludovicus.

Petr. de Nat. lib. 7. cap. 77.

Anonym. c. 19.
Piſan. cit.
Baron. ad 19. Aug.
Firmam. 1. par. in memor. Ord. ſub 15. Gener.
Marc. l. 6. c. 12.
Breviar. in die octava lect. 15.
Sur. ad 19. Aug.
Petr. cit.
Claud. de Epiſc. Toloſa.
Ann. 1275. n. 4.
Ann. 1295. n. 4.

VII. Poſtquam itaque Deus Optimus Maximus ad ſui honorem, & Chri-

1. Reg. 8.

Chriſtianorum bonum, lucernam illam poſitam ſuper candelabrum, ut omnibus luceret, qui in Eccleſiæ domo ſunt, per varias regiones circumduxiſſet, quaſi quamdam Iſraeliticam arcam ad fidelium confirmationem: viſum tamdem eſt illi Ludovicum admodum adoleſcentem, traducere ad optimam vitam, in quo emicuit ſemper ſingularis gratia Dei. Omnes ipſum videre deſiderabant, vultu angelico decoratum, factis mirificum, conſpicnum honeſtate. Mira inerat amænitas faciei & pulchritudo in fronte, in oculis, in toto corpore habitare videbatur humanitas: mel in lingua, in pectore candor & ſimplicitas. Formæ gratia, & honeſtatis omnium oculos in ſe convertebat, angelum arbitrantium potius quam hominem. Pulcherrimo erat corpore, & aptiſſima compoſitione membrorum; ſed longe pulchrior moribus & ſanctitate. Tangebantur ejus exemplis omnes: tam pura vita, tanta modeſtia & humilitate, maxima pietate in re divina, fervido dulcique ſermone apud omnes gratioſo, igneis concionibus. Simulacrum jure dixerim omnis virtutis adoleſcentem talem; genere tam ſublimem, filium Regis: cujus ætatem non opes, robur, pompa ſeculi; ſed pietas, patientia, contemptus ſeculi, calidæ preces, diligens induſtria, abſtinentia & continentia, diſertæ & ſalubres conciones, Evangelica paupertas, humilitas Chriſtiana, gravitas, caritas in proximos, juſtitia & omnes coronæ omnium virtutum ornabant, nt ſe per omnes numeros hominihus in illo oſtenderent.

Pulchritudo corporis S. Ludovici.

Major illa mentis.

VIII. Itaque luce ſua Orbem cum illuſtraſſet, imminente tranſitu ejus ad Patrem cœleſtem, poſt multas peregrinationes in aliorum bonum; revertens ad Toloſanos ſuos e Catalonia, ubi ſororem Reginam inviſerat (quo tempore, præſente fratre Bernardo Peregrino Epiſcopo Barchinonenſi Minorita, conſecravit Eccleſiam Minorum ſancto Nicolao dicatam Barchinone, ut diximus alias, licet error irrepſerit in notis & pro MCCXLVII. ſcribendum fuerit tum apud Gonzagam, tum illo loco citato MCCXCVII. vel potius MCCXCVIII. de quo admonitum velim lectorem) Taraſcum venit, ubi corpus ſanctæ Martæ, hoſpitalitate in Chriſtum illuſtris, quieſcit. Illic Vir ſanctus jam nunc cœleſti accipiendus hoſpitio, in laudem hoſpitæ Chriſti inſignem habuit concionem. Inde arcem petens, quæ Brincola dicta, febre corripitur, qua conſumptus eſt. Et divinitus certior vitæ finis, ſtudioſe parat ſe ad mortem. Totus itaque erat in prece, aſſiduus in contemplatione rerum divinarum. Admonitiones ſacras, & pias libentiſſime audiebat: & quotidie juxtim ſe faciebat ſacrificari. Quod aliquando futuri ſumus, præmeditabatur, nec velimus nolimus, abeſſe longius poteſt. Ita venientem mortem hilaris excepit, quod ſe recte ad illam compoſuit. Ego, inquit Fratri ſocio, morior, & gaudeo quaſi terram videns, venturuſque in portum ex longa navigatione hujus vaſti, & undoſi maris, quod mihi diu in votis fuit; & optatum mihi expoſituro hoc grave onus, quod humeri mei ferre recuſant. Occupationes illæ me nimium deſtinent, & deripiunt, ut mecum eſſe nequeam, nec pro meo arbitrio, Deo & mihi vacare. Vero verius eſt, Epiſcopalem dignitatem, non tam grandis eſſe nomen honoris, quam oneris. In portum cum appulero, onus exponam.

Tom. 1. an. 1234. n. 30. Franc. Diago de comitib. Barcino. lib. 3. cap. 16. Joann. 11.

Febre corripitur. Componit ſe ad mortem.

IX. Pro Chriſtiano, & Catholico ritu, ſacramenta Eccleſiaſtica ſibi juſſit adminiſtrari ipſo die feſto aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis. Etſi vero languore graviſſimo adeo extenuatus eſſet, ut preter cutem, & vix oſſa hærentia nil haberet: tamen dominico Chriſti corpori, quod priſco Chri-

chriſtiano more adportabatur, bonorem debitum voluit exhibere: cum mox e lecto ſurgens ivit obviam Chriſto, tum genua flectens ad altare, ſumpſit devotione maxima chriſtianæ ſalutis certum, fidumque viaticum. Triduo antequam moreretur, ultimum ſuæ vitæ diem prædixit. Quinta decima valetudinis die, cum ex hac vita abiit, poſt longas orationes, in lecto paululum reſidens oculos figebat in cœlum, & precabatur aſſidue in hæc verba: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi: quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum*. Item illud Pſalmi: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*. Salutationem quoque ad beatiſſimam Virginem Matrem continenter frequentabat. Rogatus, cur toties repeteret: *cito moriar*, inquit, *& beata Maria juvabit me*. Atque ita obdormivit in Domino integra mente, certis ſenſibus quartodecimo Kalendas Septembris, feria ſecunda. Facies illius ſolito videbatur pulchrior, nec mortuus, ſed dormire. Sepultus eſt Maſſiliæ apud Fratres Minores, prout teſtamento ſuo ipſe inſtituerat, in medio chori, magnifice peractis exequiis: ſed dum ſacrum funus ex prædicta arce Brincolæ Maſſiliam portaretur, viſi ſunt de cœlo radii inſtar lancearum ad ſacrum corpus deſcendere, & extinctæ faces in via cœlitus accendi: deinde viſus eſt ipſe beatus Ludovicus a quodam religioſo Fratre a multitudine magna Angelorum in paradiſum deferri, voce magna clamantium: *ſic ſit ſervienti Deo in munditia & puritate*.

Devote ſuſcipit ſalutare viaticum.

Ex Teſt. S. Franc.

Pſal. 24. 7.

Moriens auxilium expoſcit S. Mariæ.

Piſan. conf or. 8.

Faces cœlitus accenduntur in ejus exequiis.

Fertur per Angelos in cœlum. *Robertus a Licio in ferm. S. Ludov.*

X. Conſpectus eſt paulo poſt a fide digniſſimis viris, qui ſe eum vidiſſe teſtati ſunt in Eccleſiæ choro, ſupra ſummum altare, forma qua notus erat, Pontificio ornatu, eoque ſplendidiſſimo, facie admodum læta & ſerena, felicitatem beatitudinis æternæ ſignificante; quæ omnium piorum deſideratiſſima eſt alba meta. Admodum juvenis obiit beatus Ludovicus ætate; ſed probitate morum mature ſenex, numerum annorum operum multitudine ſuperavit. Canus non crinibus, ſed ſenſibus: ſenex meritis, non annis: *Ætas ſenectutis, vita immaculata*. Totius vitæ decurſus fuit viginti trium annorum uti diximus, & ſex menſium. Nihil mirum ſi parum vixit, qui brevi tempore multum vixit, ampliſsimam fecit parvam metam, bene uſus, quam accepit. Cito pervenit ad culmen, quod alii tarde conſequuntur: *Quidquid ad ſummum venit, ad exitum prope eſt. Eripit ſe aufertque ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur*.

Breviar. Minor. citat.

Conſpicitur in glorioſa forma.

Juvenis annis, ſenex moribus

Sap. 4. 9.

Seneca de conſol. ad Mart. 23.

XI. Quartum decimum annum jam agere cæperat, eum obſes mitteretur in Hiſpaniam pro patre; ibi hæſit annis circiter ſeptem, a liberatione vixit plus minus duobus annis, menſibus decem: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Et vero quam diu vixeris non refert, ſi recte: cum breve tempus ætatis, ſat ſit longum ad bene honeſteque vivendum. Non eſt poſitum vitæ bonum in ſpatio vitæ, ſed in uſu, atque ita fieri poteſt, ut qui diu vixerit, parum vixerit, ſive potius mortuus fuerit diu. Ut ſatis vixerimus, nec dies faciunt, nec anni; ſed animus pietate & religione repletus. Ante mortem curavit pius hic Pontifex ſancte vivere, ut bene moreretur. In vere juvenili fecit ſementem, jam meſſem immortalitatis. Igitur quamquam initio florentis ætatis ereptus; quantum ad gloriam, longiſsimum ævum peregit, eujus memoriam excipient omnes anni conſequentes; præſertim ex præclare geſtis in Pontificatu, & commiſſæ ſibi Eccleſiæ prudenti regimine. Ne-

Ind. 13.

Vita brevis ſat longa ad bene vivendum.

que eſt cur quiſpiam admiretur, ad hanc dignitatem evectum in tam juvenili ætate, annos dumtaxat agentem unum & viginti; nam ultra merita & nobilitatem paternam, tanta erat in adoleſcente morum maturitas, ut grandævis viris poſſet comparari. Contigit aliquando tales eſſe, & tam cordatos adoleſcentes, ut ſi ad Epiſcopale munus evehantur, non derogetur muneri, quia non vita reſpicitur, ſed virtus deſideratur. Paulus Apoſtolus Timotheum Epiſcopum creavit adoleſcentem, atque adeo adoleſcentem, ut ejus rei gratia contemni periculum fuerit, & ne fieret, ſcribit: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: voluit enim*, ſicut ait Chriſoſtomus, *ut ætatis defectum indolis magnitudine, morumque gravitate ſuppleret, atque ita nullus eum adoleſcentiæ cauſa contemneret, verum admiraretur magis*. Sanctus etiam Remigius Epiſcopus Rhemenſis creatus eſt anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo.

1. Timot. 4. 12.
Chriſoſt. hom. 13. in hunc locum.
Baron. in notis ad 1. Octob.

Multis floret miraculis.

XII. Multis magniſque miraculis mox a morte tum ad ejus ſepulcrum, tum alibi voluit Deus ſancti Præſulis virtutem & pietatem demonſtrare. Tot ac tanta ſunt, ut ſi ſingula ſerius & prout ab aliis referuntur, velim enarrare, verear ne multam ingeram Lectori moleſtiam. Præcipua referam ſub compendio; cetera ſuis ordinibus diſtincta videri poterunt apud Henricum Sedulium. Plures mortuos Vir ſanctus ad vitam revocavit: ſex commemorat Joannes XXII. in bulla Canonizationis; ſeptem Bartholomæus Piſanus; duodecim referuntur in breviario Minorum, plures nos hic commemorabimus. Quidam Maſſilienſis fratrem ſuum germanum forte occiderat, deinde ob homicidium à Judice capite plexus eſt. Mater dum triſtia funera filiorum in Templo ſancti Ludovici ponerentur, voto concepto in Sanctum pro vita filiorum, capite decollati, unde cæſum erat, ſe ponente, utrumque filium vivum recepit. Vir nobilis in Apulia immerito ſuſpendio adjudicatus, cum ter ſuſpenſus, tertio etiam rupto laqueo, decidiſſet illæſus, patrocinio ſancti Ludovici ſervatus, dimiſſus eſt incolumis. Perottua puer ſeptennis novenaria febre mortuus, ad patris flebiles voces, & preces emiſſas ad ſanctum Ludovicum dum funus efferretur, repente revixit. Domina Sanctia a Tribula enixa femellam mortuam, dolenſque potiſſimum animæ damnationem, votum ſuſcepit in ſanctum orans, ut vel tantiſper vitæ reddatur, dum poſſet baptizari. Reviviſcit puella & baptizata, duodecim diebus nihil accepit alimenti. Rurſus orante matre, ut ſi ei vivendum eſſet, aliquantulum acciperet lactis, comprehendit ſtatim mamillas, & ad menſem ſupervixit.

Plures reſuſcitat mortuos.
Piſan. conform. 8.
Duos Fratres revocat ad vitam.
Antonin. tit. 24. c. 4. §. 2.
Sedul. cap. 20. §. 1.
Puerum etiam ſeptennem.
Puellam item mortuam, ut baptizetur.

XIII. Alazaria Lombardia dum geſtaret filiolam in ulnis, caſu graviſſimo puella colliſa, moritur. Mater freta auxilio ſancti Ludovici, precata eſt pro vita cari pignoris. Sanctus Ludovicus ſibi devotam exaudiens, mortuam filiolam reſuſcitavit: non ſolum, ſed & ipſam matrem a ſurditate, quam morbo contraxerat, liberavit. Denique abunde ſubminiſtravit ei lac, quo caruerat duobus puerperiis. Margarita uxor Cicardi Maſſilienſis reperit filiolam ſuam Bertrandetam infantulam menſis unius mortuam in lecto: cujus os & naſus cum repletus eſſet ſanguine, opinabantur oppreſſione vel ictu, quod plerumque fit, extinctam. Mater vocatis amicis, flebiliter lamentabatur, invocans pro filiæ vita potentiam ſancti Ludovici, cunctis ſimiliter ſupplicantibus. Puella caput cœpit movere, aperire oculos, conſecuta vitam & ſanitatem.

Nec non alias duas.

XIV. Rixendis uxor domini Comparati e civitate Carpentina, emiſſo voto quod inviſeret nudis pedibus ſepulcrum ſancti Viri, filiam concul-

Item alia vitæ redditur.

culcatam, & fracto collo, mortuam vivam ab omni colliſione ſanam recepit. Bellioda Aquenſis filium octennem, extra lectum noctu ſactum, & mane mortuum humi repertum, facto voto ſancto Ludovico, ſanum & vegetum domum reduxit, dicentem ſe vidiſſe ſanctum Epiſcopum ſe ſanantem, & optima quæque ſuadentem. Maſſilieta Maſſilienſis peperit filium mortuum; mater magna devotione implorat virtutem ſancti Ludovici pro filii vita. Portatur, ipſa volente, ad Eccleſiam ut baptizaretur. Et licet, ſacerdote ipſo judice, videretur mortuus, tamen baptizatur, id multis petentibus. Baptizatus oculos aperit, & ad matrem reportatus, quaſi jam in partu editus, *primam vocem ſimilem omnibus emiſit plorans*. Pontius Durandus habitans juxta ædem ſanctæ Mariæ ab aquis, filium habuit diuturna febre conſumptum ac mortuum. Pater invocato ſancto Ludovico, ex voto quem plorabat mortuum, recepit viventem. Margareta Viella Maſſilienſis nutrierat puerum, qui mortuus eſt. Illa recolens miracula ſancti Ludovici, vovet ſepulcrum viſitare, candelam ceream offerre cum frumento pro pueri ſalute. Puer qui obierat mortem nocte media, revixit in aurora.

Quatuor reſuſcitat puerulos.

Sap. 7. 3.

XV. Beatrix Portamira ab Aquis filiam habuit Alazariam nomine, quæ prægnans, de aſino cui inſederat, cecidit, & graviter læſa abortivit, mortuum enixa maſculum: deinde etiam mortuam femellam, livido corpore, & ut videbatur, brachiis confractis. Abortivo puellæ projecto in angulum ſtabuli, mater hujuſmodi verbis, poplitibus flexis, & magno fletu, precabatur; ſancte Ludovice te rogo, ut quemadmodum me capitis dolore liberaſti, ita me nunc exaudias, & ſicut te vidi viventem, ſic puellæ huic vitam dones. Promiſit etiam ſepulcrum ejus inviſere, & offerre cereum. Sic illa puella abjecta in ſtabulum, revixit, & baptizata ſupervixit ad quatuor circiter menſes. Filia Raymundi Vitalis vehementiſſima vi febris abiit e vita. Amita ejus Catarina Beſteria magna pietate puellam commendavit patrocinio ſancti Ludovici, cujus beneficio ad vitam rediit. Adam Avenionenſis bimulam filiam habuit, quæ poſt gravem infirmitatem mortua eſt. Pater cum voto opem poſtulans ſancti Ludovici pro vita filiolæ ſic rogabat; ſanctæ Ludovice, redde mihi filiolam meam vivam & incolumem, quam a te precibus obtinui: te oro ut vitæ redditam rurſus accipiam. Quod ſi mihi præſtiteris, tumulum tuum adibo oblatum ceream imagunculam. Patris voto filiola aperiens oculos, vitæ reſtituitur, & valetudini. Joannis Imberti a Taraſco, Avenionenſis diœceſis, filius Porettus graviſſima febre, & copia vermium vitam cum morte commutavit. Pater domum veniens certior factus mortis filii, cum voto eum commendavit ſancto Ludovico, atque mox rediit ad vitam. Raymunda Maſſilienſis dum brachiis geſtaret in ſolario filiolam, contigit prius cadere parvulam, & deinde matrem ſuper filiam. Parvula læſa eſt valde, cervicem fregiſſe videbatur, jam jam moritura, cum pater ejus Petrus Raymundi, ſuſcepto voto in Sanctum, nulla mora interpoſita, vitam impetravit filiæ, & incolumitatem.

In abortivo grande miraculum.

Duas puellas reſuſcitat.

Item adoleſcentem,

Et puellam alteram a morte liberavit.

XVI. Eques quidam laxatis habenis obvium fortuito puerum proſtravit, unguliſque equi conculcavit, ita ut omnino exanimem reddiderit. Viſo miſerabili eventu, in terram proſiliit eques, puerulumque colliſum, & collo confractum ulnis exceptum ſancto Ludovico flens & orans commendavit, ſtatimque puer revixit, & ab omni malo liber evaſit. Nobiles quidam conjuges prope Maſſiliam longo tempore infœcundi, magna efficacia petierunt a ſancto Ludovico prolem ſibi concedi,

Marian. c. 15. Legen. MS. Marcus cit. c. 16.

Puer ab equo conculcatus reviviſcit.

Maſſam informé format & viviſicat.

Concepto mox fœtu, novem decurſis menſibus, mulier maſſam carneam edidit informem. A parientis oculis abſconditam obſtetrix ſepeliri curavit: volente tamen matre partum ſuum conſpicere, & ad importunas ejus preces re omni relata, adhuc illa in ſuo deſiderio perſiſtente, exhumatus fuit fœtus informis, quem cum manu recepiſſet, ſancto Ludovico pie cum lacrymis obtulit, objecitque Dei opera eſſe perfecta, atque ejus meritis concéſſam ſibi illam prolem, quam tamen expectabat potius ad ſolatium & gaudium, quam ad horrorem & luctum; nihilque proinde ſe dubitare, quin beneficium compleret, formam hominis obducens, & animam inducens maſſæ illi a ſe conceptæ. Non prius dixit marito, & undecim matronis præſentibus, quam caro illa converteretur in puerulum pulchrum, primos emittentem vagitus. Alia, ſimili præmiſſa prece, concepit, ſed poſt novem menſes tranverſus in utero fœtus mortuus fruſtratim educitur. Reaſſumptis aliquantulum viribus & animo, puerpera ſuas preces ad ſanctum Ludovicum primi beneficii auctorem, cum lacrymis effudit, factumque ut ſtatim inter ſe partes coirent, efformarentque formoſum, & animatum infantulum.

Item alium fruſtatim cæſum.

XVII. Alii prope Maſſiliam, facto voto de honorando ſancti Viri ſepulcro, prolem obtinuerunt, ſed votum reddere neglexerunt. Septennis factus filius, cœpit graviter infirmari, atque parentes vota multiplicare. Contempſit ingratorum vota Deus ad majorem ſui ſervi commendationem, donec puerulus expiravit. Fertur invitis parentibus ad ſepulcrum, ipſis tamen clamantibus, & confidenter opem implorantibus ſancti Ludovici. Non tamen erat vox, neque auditus, donec Ipſo inferretur tumulo cadaver, quo tempore, immiſſa anima, puer revixit, & parentes vehementer objurgavit propter ingratitudinem, ſuamque mortem aſſeruit illius peccati fuiſſe ſupplicium. Aretii in Tuſcia enixe quædam filium mortuum ſancto Ludovico commendavit & conſecravit, modo reviviſceret. Ad vitam regreſſus, vocatus eſt a Sancti nomine, & Minorum amplexus eſt Inſtitutum. Vir quidam nobilis dum equum conſcenderet, territum animal, & in furorem actum equitem uno implicitum pede in ſtapia, vel ſubice pedaneo per abrupta & ſaxea traxit, ungulíſque colliſit. Inventus mortuus a parentibus & ſervis, dum tertio efferretur die ad ſepulcrum, revixit, neque ullum tot cicatricum & vulnerum quæ accepit, in eo remanſit veſtigium. Præter hos mortuos reſuſcitatos, puellam biennem, alteram ſeptennem, puerum item quinque annorum mortuos ad vitam revocavit.

Alium revocat ex tumulo.

Sibi conſecrato vitam impetrat.

Et cuidam equiti.

Tribus item aliis.

XVIII. Accipitrarius cujuſdam Regis Luſitani falconem nutriebat, quem Rex ſummo in pretio habebat. In cujuſdam diei diluculo invenit per faſciolas tibiales pendentem & ſemimortuum, duxitque ad Conventum Fratrum Minorum Bejæ, ſive Pacis Juliæ, ubi coram altari ſancti Ludovici dum oraret pro vita volucris, illa inter manus expiravit. Ira & indignatione commotus, ſuper altare projecit mortuam, & Regi per duas leucas Hiſpanicas inde diſtanti, non ſine metu omnem narravit eventum. Sed dum Rex animo in hominem commovetur, ecce per feneſtram falco advolat, & accipitrarii brachio requieſcit.

Accipitré mortuum reſuſcitat.

Marc. cit.
Marian. cit. 13.
Vaſconcel. in Dionyſ. Rege Luſit.
An. 1282. n. 13.

Regem Dionyſium e ſummo liberat periculo.

XIX. Præter hæc, quæ de mortuis reſuſcitatis retulimus, alia ſuperſunt enarranda de liberatis e ſummo vitæ diſcrimine. Ad ipſam illam Pacis Juliæ urbem magnum recepit hujus Viri ſancti meritis beneficium Dionyſius etiam Luſitaniæ Rex, cui conjugem datam diximus Eliſabetham Aragoniam, ſancti Ludovici conſanguineam & affinem, quæ ſemper

per

per in ore ferebat miracula ab eo patrata, & Regi fidem minime adhibenti ſæpius ſuggerebat. In ſilvam, Juliæ Paci vicinam, Rex venaturus contendit, cum in media ſolitudine ſtipatoribus deſtitutus in urſum incurrit, qui ingenita feritate in Regem inſilit, medium complectitur, totum impedit, & equo deturbat; ſtrato manu altera dirus inſultat, altera equi habenas torquet. Rex ſe aperto vitæ diſcrimini objectum perpendens, Ludovici quamvis ſero, recordatus, ſuppetias ardenter implorat. Ille Monachi habitu, & Pontificia tiara inſignis, ſubito affulſit, & turbato Regi: *Quid hic*, inquit, *tibi eſt negotii? pugionem educito, & urſum contrucidato*. Dionyſius animo redintegrato, dextera, quam expeditam mox ſenſit, expeditum ferrum extrahit, & in ſiniſtro urſi armo defigit; & monſtro profligato, equoque conſcenſo, ad ſuos impiger erumpit. Procedenti fit obvius agricola torvus & caperatus. Rogat, cujas eſſet? Ille ſe aſſerit eſſe oppidi illius incolam, in quo hominibus, cœlitibuſque infeſto Regi prandium parabatur. Dionyſius iterum quærit, quid a Rege incommodi accepiſſet? Oppidanus honeſtum aliquem minoris ſubſellii hominem ratus, reſpondet. Cocus ille, cui delegata eſt cura Regem cibo excipiendi, vaccam, tres arietes, gallinas totidem, ab invito per ſummam injuriam, & nec dato ſaltem teruncio, extorſit, dictitans, in Regis uſum hæc fieri, qui terrarum Deus ſit. Regem, Regiſque ſatellites malæ diræ, mali perdant dæmones, quando rem meam perditum miſerunt, & me in abruptam deſperationem impulerunt. Dionyſius hominem ſolatur, & ſecum in pagum deducto, veritatis certior redditus, omnia reddi curavit, & ceteris, quibus ſui cauſa aliquid eſſet damni irrogatum. Deinde nequam illum menſæ præfectum ſagittis confici juſſit, ut ceteris præconio eſſet, nulli impune futurum, ſi Regis auctoritate a quopiam, nedum ab egentibus agricolis, aliquid per fraudem expiletur. In prodigii monimentum viſitur hodie in Pacenſi urbe, in Minorum Cœnobio a Rege ſacellum Divo Ludovico Servatori dicatum.

Punit ille ſevere agricolæ expilatorem.

XX. Miles quidam Lemovicenſis, dum in calamitoſa & exitiali diſcordia Guelforum & Gibellinorum ſub una parte mereretur in Italia, & armenta boum deprædaretur, ex inſidiis inſilierunt in eum quinquaginta milites adverſæ partis, quibus circumdatus in certo vitæ diſcrimine, rogavit ſanctum Ludovicum, ut ſuo ſibi vellet adeſſe patrocinio. Apparuit ei ſtatim Vir ſanctus, & illæſum per hoſtium medium, ad ſuorum phalanges deduxit incolumem. In eodem bello potens quidam hæros, Baro de Bautio ſagitta a Gibellino ſub oculo ad occiput uſque transfixus, & a medicis audiens certo moriturum ſi extraheretur ſagitta, preces efficaces ad ſanctum Virum effudit, qui miſericordia motus, ſaggittam a parte poſteriori, ſeu ab occipite leniter extraxit, nullo relicto vulneris veſtigio. Oppidani Caſtri Seravallis diœceſis Piſtorienſis in Tuſcia, ab hoſtibus obſeſſi, cum jam nulla ſupereſſet ſpes evadendi, irrumpentibus in caſtrum inimicis die XIX. Auguſti, convocatis presbyteris & clero, ad illorum exhortationem voverunt ſe ſancti Ludovici natale, quod in in illum incidit diem celebraturos, ſi ab hoſtium liberarentur oppreſſione. Mira res! ſtatim Vir ſanctus apparuit ſuper mœnia, tantamque indidit obſeſſis virtutem, & obſeſſoribus formidinem, ut his profligatis, illi victores evaſerint. Quo devincti miraculo, quod promiſerunt in hodiernum uſque diem fideliter obſervant. In illa Hiſpaniæ regione, quæ Caſtella vetus nominatur, per campos Villalpandi, & Villæ novæ adeo

Marian. cit. Legen. MS.

Alios liberat e præſenti vitæ diſcrimine.

graſ-

graſſabantur in ſegetum perniciem locuſtæ, ut vere peſtis vel flagellum a Deo immiſſum videretur. Unanimiter Oppidani voverunt ſancto Ludovico, cujus paulo antea defuncti tunc recens & celebris erat memoria, ut ſi ab immundis & noxiis his animalibus ſuos agros liberaret, quotannis ad Conventum Fratrum Minorum Villalpandi cereum offerrent 25. lib. in ejus honorem. Sequenti die Vir ſanctus, plurimis conſpicientibus, apparuit Pontificalibus indutus campos benedicens, & baculo locuſtas & bruchos abigens, donec omnes effugavit. Hoc beneficio aſtricti per viginti annos continuos cereum promiſſi ponderis obtulerunt. Deinde ex conſilio & aſſenſu Fratrum votum commutarunt, ſancto Viro ſacellum ædificantes, & illius diem feſtum perpetuo celebrantes.

Multa alia ejus miracula.

XXI. Plurima alia Vir ſanctus perpetravit miracula, quæ largius per partes deducta refert Henricus Sedulius; claudos, vel impeditos ſex reſtituit; podagricos ſeu chiragricos duos ſanavit, febrientes tres curavit; duobus ſurdis auditum, mutis tribus loquelam; cæcis quatuor viſum reſtituit, amentes & inſanos octo mentis compotes fecit; naufragos duos e præſenti periculo mirabiliter eripuit; epilepticos duos, atque alios octo a variis morbis & incommodis ſaluti reſtituit.

Puniuntur detrahentes ejus prodigiis.

XXII. Erant tamen qui tot ſancti Viri prodigiis detraherent, ſed non impune. Gunfrida Maſſilienſis, cum aliquando videret ſancti Ludovici monumentum magna fidelium devotione frequentari, & honorari multis donariis: nec raro a ſua conſanguinea Richarda, ejuſque matre Beatrice viſitari; quod ipſa Richarda ad ejus ſepulcrum a tibiarum infirmitate liberata fuiſſet; prorupit in hujuſmodi verba blaſphema: cito Fratres Minores hunc ut ſanctum colere cœperunt, ut rem augeant candelarum & donariorum oblationibus, & vos quidem eum Sanctum aſſeritis, & facere iſthæc miracula; ego vero non credo; neque illi, aut ejus miraculis quidquam deſero. Abſit ut illi quidquam donem, aut aliquem exhibeam honorem. Talibus verbis, levata manu adverſus ejus ſepulcrum, ſanctum Virum deſpexit. Impia mulier a piis cognatis graviter objurgatur: nec tamen deſiit maledicta talia in Sanctum evomere. At vero paulo poſt, ut ſe recepit, cogitat ſanctum Ludovicum, ſi beatus & ſanctus eſſet, pœnam a ſe poſſe repoſcere: *Si*, inquit, *intra triduum oculis privatæ, & aſpectu, tantum etiam dolorem meo capiti immittat, ne queam dormire, credam Ludovicum eſſe ſanctum*. Tertiæ diei ſummo mane, horribiliter incipit laborare ex oculis, qui prominebant e cavernis ſuis, nec poterat quidquam videre: atque ipſe vultus, cervix, & totum caput ſic tranſverſum actum eſt, ut monſtrum videretur admodum deforme; & quidem triduo acerbiſſime cruciabatur. Vexatione igitur intellectum dante, peccatum confitetur, & voto facto ſancto Ludovico, liberatur ab omni dolore & deformitate, præterquam quod dextro oculo cæca permanſit. Guillelmus a Moſato ſimiliter aliquando ſubſannans miracula beati Viri: *Amodo*, inquit, *pro nihilo putabuntur Sancti reliqui: iſte enim omnia facit*. Mox ultio divinitus blaſphemum conſequitur: Nam illud os ejus impium ſtatim torquetur in partem poſteram, ne amplius loqui poſſet; ſed & dexter oculus liquore fluente, & dolore afficiebatur. Novem diebus in hac pœna exactis, tandem miſer culpam fatetur: & Sancti potentiam, quam irriſerat ſuppliciter incipit invocare, ex animo vovens ad ſepulcrum ejus daturum caput e cera, quo etiam peregrinaturus eſſet. Quod voverat, fecit: & antequam Templum egrederetur, priſtina redditur compoſitio capitis, omni pœna ſublata. Domina

mina Beatrix de Aureolo videns multa ad reliquias ſancti Viri offerri donaria, candelas, imagines, audienſque quotidie fieri ſtupenda miracula, nihilominus incredula permanens, omnia contempſit & ſannavit. Domum rediens & aſſidens menſæ panem ſciſſura, pollicem vehementer vulnerat per medium unguem, ex quo graviſſime affligebatur. Cum autem ſæpius oculos mentis pœna aperit, quos culpa clauſit; cognovit hanc eſſe pœnam ſuæ temeritatis in Sanctum. Ita ſuppliciter orat beatum Ludovicum, vovens ei in rei memoriam cereum pollicem pro ſoſpitate. Mox pollex curatur a vulnere & dolore, beneficio ſancti Ludovici.

XXIII. Cum plura talia prodigia & miracula feciſſe dicitur, & varia contuliſſe in male affectos beneficia, illud prætereundum non eſt, quod multorum eſt confirmatum teſtimonio: nimirum viſitantibus ſepulcrum ſacri illius corporis, mentem ſæpe mutatam in melius, mirabili affectione, cum admiratione multorum. Nec dubium, ſacris illis reliquiis divinitus talem efficaciam conceſſam eſſe. Atque illud mihi videtur ſingulare, & digne celebrandum perpetuum prodigium, quotannis patulum & manifeſtum, quod in monte quodam in Principatu Aſturiæ, ſub ditione oppidi Cangas diœceſis Ovetenſis, in Hiſpania, in Oratorio ſeu Eccleſiuncula in honorem ſancti Ludovici exædificata ipſo die, quo ejus feſtum celebratur, concurrente ex vicinis oppidulis, & per illum montem conſtitutis domiciliis, frequente populo, dum miſſa celebratur, ſtatim germinant circum circa parietes, & in ipſo oſtio & vectibus ferreis, & clavis quidam admirandi flores, quibus ſimiles nullibi conſpiciuntur, aſpectu jucundi, qui tamen expleto ſacrificio, marceſcunt. Decerpuntur dum virent a devoto populo, & pie ſervantur ad morbos varios depellendos. Frequentem habui in Hiſpania hac de re cum teſtibus oculatis ſermonem, in qua enarranda conſtanter convenerunt, atque a viro gravi & docto, qui quatuor dierum itinere illuc abiit hujus rei dumtaxat conſpiciendæ gratia, hiſtoriam Notarii publici manu ſcriptam, acceptæ ab aliis relationi omnino conformem accepi. Alias opportunius de aliis hujus ſancti Viri prodigiis & canonizatione ejuſdem agemus. Scripſerunt ejus vitam frater Franciſcus Scarerius Epiſcopus Segetanus, frater Petrus Epiſcopus Epulanus, & frater Fortius comites ejus individui, Laurentius Surius, Anonymus ſancto Ludovico æqualis, cujus opuſculum cultius & auctius reddidit Henricus Sedulius, frater Guillelmus de ſancto Marcello & alii. Conciones de eodem ſcripſerunt Pelbartus Themeſvarius, & Robertus de Licio. Depingitur communiter ſub infulis Pontificiis, ſed veſte Franciſcana, corona & ſceptro ad pedes projectis, ob rationes a nobis ſuperius allatas. Servantur Senis in Conventu ſancti Franciſci ſacra Biblia ejus manuſcripta, & minio eleganter exornata, quæ dono dedit ipſe Fratribus, dum Roma Toloſam proficiſceretur.

Admirandi flores in ejus die germinant.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

An. 1297. n. 18.

XXIV. Diximus ſuperius, inviſos fuiſſe Pontifici Columnenſes, eique reſtitiſſe in arce Præneſtina, quam tamen ſub hoc tempore poſt longam obſidionem, multamque ſui exercitus calamitatem & peſtem, Pontifex, quibuſdam pactis legibus, dedentibus ſemet viris Principibus, in ſuam poteſtatem recepit. Habitabat tunc Præneſte beatus Jacobus, ſeu Jacoponus a Tuderto per ſeſquiannum, ubi ſub dura illa obſidione palam increpare, & condemnare non deſtitit acta quædam Bonifacii Pontificis, & turbulentum vel calamitoſum regimen Eccleſiæ, ſcriptis etiam more ſuo rythmis, illo præcipue, quo generaliter reprehendit omnium ſta-

Ann. 1296. n. 11.

Beatus Jacoponus acriter reprehendit acta Bonifacii ſed non impune.

ſtatuum defectus; & incipit: *Piange la Chieſa, piange e dolora*; licet ejus interpres compoſitum putet poſt mortem Benedicti XI. eo quod viduatam dicat Eccleſiam. At non de morte corporali ibi intelligendus eſt; ſed de ſpirituali morum in Prælatis; etenim omnes tam ſponſum, quam fratres, quam filios & nepotes ſe perdidiſſe conquerentem fingit Eccleſiam, videlicet; quia non tales habebat, quales volebat moribus & ſanctitate decoros, eo modo quo ſanctus Bernardus de ſuo tempore ſcripſit: *Diximus quales in via hac qua ambulamus, vellemus habere duces, non quales habemus. Longe diſſimiles experimur. Non omnes ſunt amici ſponſi, quos hodie ſponſæ hinc inde aſſiſtere cernis, & qui, ut vulgo ajunt, eam quaſi addextrare videntur. Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærant ex omnibus charis ejus*. Quare hoc ipſo tempore Canticum hoc edidiſſe ſcribit Marianus: necnon alterum, quo peculiariter & expreſſo nomine ipſum Bonifacium, aſſumpta nimia, vel ea quæ ſanctis hominibus ineſt, licentia, acriter objurgat; cujus initium (etſi inter ea quæ noviter excuſa circumferuntur Jacoponi opera non inveniatur) refert prædictus auctor: *O Papa Bonifacio, quanto hai giocato al mondo?* Propter hoc commotus Pontifex in eadem Præneſtina urbe illum tetro carceri mancipavit, vinculis ſerreis adſtrinxit, & ad vitam in pane tantum & aqua tranſigendam condemnavit. Cauſam hanc ipſe indicat in Cantico, quod incipit: *Che farai fra Jacopone?* ubi ait: *Fui al monte Paleſtina; Anno e mezzo in diſciplina: Pigliai quivi la malina; Onde n'haggio queſta prigione*. In quo etiam egregie & facete ſatis deſcribit qualiter cum eo agebatur in carcere. Ad hæc adde quod Bonifacium ſibi in minoribus valde addictum in Pontificatus limine ita offenderit; quod dum Pontifex ſtatim a ſua creatione videret in ſomnis magnum æramentum ſeu campanam abſque rhopalo vel malleo univerſum orbem complectentem, idque præter alios beato Jacopono ſignificaret, & adderet, non ſine omni prorſus myſterio ſe inſigne hoc ſpectrum patentius & attentius vidiſse; ita ſomnium interpretatus eſt Jacoponus. Sciat veſtra Sanctitas, ſe per nolam illam ſignificari, per ejuſdem vero magnitudinem, potentiam & auctoritatem Pontificiam ad ultimos fines terræ pertingentem deſignari: caveat autem ne per mallei aut linguæ, ut vocant, carentiam, in te argui aut reprehendi velit Dominus defectum boni operis, aut inopiam boni exempli, quo per totum mundum debes reſonare. Non æque aut bene tulit hanc interpretationem Bonifacius; diſſimulavit tamen propter Viri ſanctitatem, licet manſerit alta mente repoſitum, quod de ſua, & aulicorum vita liberius eidem propoſuit.

Bern. ſerm. 77. in Cant. in princ.

B. Jacoponus l. 1. Satyra 16.

Interpretatur ſomnium Bonifacii.

XXV. Vigeſimus erat hic annus in Religione Minorum tranſactus, quo eum carcere recluſit Bonifacius, retinuitque dum ipſe vixit in Pontificatu; quare opportune vitam, & quæ hucuſque in Religione geſſit, hic enarrabimus. Natus eſt in Umbria, civitate Tuderto M. P. LX. ferme diſſita ab Urbe, nobili cum primis familia Benedictorum, vulgariter hodie *Benedettoni*. In baptiſmo Jacobi nomen inditum; ſed ex contemptu Jacoponi nomen adhæſit. Ab ineunte adoleſcentia juris ſe civilis prudentiæ impenſe dedidit; in cujus cognitione tantum promovit, ut Doctoris appellatione publice condecoratus, Advocatum ſtrenue in foro, uti erat juris conſultiſſimus, cauſaſque ageret: enimvero cum eſſet ipſe rei faciendæ, agendæque apprime intentus, honores etiam, nominiſque ſplendorem ſequeretur, ambiret luxum, inſuper & res humanas utraque, quod ajunt, manu complecteretur, & artes, fraudeſque vul-

Patria & parentes Jacoponi.

Marian. l. 4. c. 2. Marc. l. 6. c. 3. Joann. Baptiſt. Poſſev. de ſanct. Tudert. Rader. in virid. par. 2. c. 3. Piſan. confor. 8. Rodul. fol. 109.

go

go notas probe calleret, divino prorſus conſilio matronam lectiſſimam, generis nobilitate, omnibuſque virtutum ornamentis, & rara præcipue in Deum religione uxorem duxit; quæ ut marito, omnia tum vana & profana cogitanti morem gereret, pro generis & fortunæ ſplendore mundum muliebrem adhibuit, ut æqualis non inferior appareret.

Uxorem piſ duxit.

XXVI. Interim haud oblita Dei, corpus arcte contenteque habuit, & ſub velo ambitioſi cultus cultiſſimas animi virtutes occulebat. Ceterum forte die quadam cum pluribus matronis nobilibus, viro haud invito, ad ludos ſolemnes invitata ſpectaculum faciebat, cum in ipſo voluptatum illarum, & theatralis applauſus fervore, luctuoſum quid, quod publica gaudia contaminavit, præter vota contigit. Pegma quod ſpectatrices inſederant, repente collapſum corruit, & omnem illum fœminarum gregem una ruina oppreſſit, aliis varie vel obtritis, vel caput, brachia, crura læſis, illæſa nulla, exanimatis multis, inter quas Jacoponi conjux continuo loquendi facultate deſtituta obmutuir, nec multo poſt vitam deſiit. Maritus accepto de uxoris diſcrimine nuncio, anhelans advolat, ſpirantem adhuc offendit; veſtem moribundæ, ut fieri amat, ad meatus animæ laxandos diffibulari conanti cum voce non poſſet, manu obſiſtit, ne in oculis omnium develaretur. Ille arreptam inter brachia in ſeparatum conclave deportat, pectuſque nudat; cum ecce ſub luxu prætioſæ veſtis nudo appreſſum corpori horridum deprehendir cilicium, cum ad eam diem ſuam conjugem ſicut ceteras fœminas, ſenſuum illecebris & oblectamentis capi afficique crediſiſſet.

Cilicio induta moritur.

XXVII. Enimvero ubi ſe tam certo teſtimonio animi falſum comperit; attonito ſimilis conſtitit, arcanam uxoris virtutem, vitæque diſciplinam præter opinionem deprehenſam ſecum æſtimando. Ex quo tam altæ cogitationes ejus mentem occuparunt, & velut defixerunt, ut extra ſe poſitus omnibus videretur. Cujus ſtuporis ſeu mentis a ſenſibus avocationis cauſa minime erat ægritudo aliqua corporis, aut inſolens inutiliſve animi perturbatio; ſed ſanctus ille dolor, qui animum ſanum, vegetumque ac ſpiritum Deo carum efficit: Proinde novam quamdam ſui cognitionem conſecutus adeo in Chriſti diſciplina, ſcholaque ſubtiliter acuteque philoſophari cœpit, ut in virum brevi ſanctiſſimum evaſerit. Hic ſane dicto illi Apoſtoli locus eſſe videtur: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*.

Ex illa ſumit Jacoponus occaſionem melioris vitæ.

1. Cor. 7. 14.

XXVIII. Ita ſerio reſipiſcens ad Deum converſo, & intimo eum dolore anteacta vita in memoriam revocata, cum ſalutis ſuæ periculum probe cognoviſſet, & quibus circumfuſus erat, tenebras conſpiceret, omnino vitæ rationes commutare, tantoque deinceps ſtudio ſub Chriſti, quanto prius ſub mundi, ſignis merere ſtatuit, reliquumque vitæ uni Deo tranſſcribere. Ingreſſus deinde modeſtiæ viam a litteris & muneribus, honoribuſque quibus in Urbe fungebatur, ſe removit, nec rei alteri magis dedit operam, quam ut ſe vinceret, pravaſque appetitiones rationi ſubjiceret, & vitæ ſuperioris peccata expiaret. Quare fortunis ſuis in egenos diſtributis, vilique centone tectus, ſancti Franciſci familiæ Tertii Ordinis nomen dedit, totuſque in eo fuit, uti ceu abjectiſſimus, & mortalium omnium poſtremiſſimus ab omnibus deridiculo deſpicatuique haberetur.

Mundum contēnit.

Fit Tertii Ordinis S. Franciſci.

XXIX. Dei ſervus in eo fuit fere occupatiſſimus, ut ad Templa ſupplicaret, in quibus in genua procumbens vota faciebat, delictaque lacrymis profuſis eluebat, aut urbis vicos obiret, eaque faceret, diceret-

Cupit pro ſtulto haberi.

que, ob quæ derideretur, ac vulgi fabula fieret. Et cognati quidem hanc viri humilitatem, & abjectionem, ſeu contemptum erubeſcentes, quando jam paſſim inepte ac ſtolide facta, dictave Jacoponi in ore omnium verſabantur, induſtria quam maxima eum ab hoc amentiæ ſtudio, vitæque genere avertere reducereque ad ſapientiam conabantur: at cum animo obfirmatum deprehendiſſent, ſeque ludere operam animadvertiſſent, ab incepto deſtiterunt, ſuoque modo moreque eum vivere, apta & inepta agere ſiverunt.

Simulat amentiam.

XXX. Moleſtis inde interpellatoribus excuſſis, liberius in ſui contemptionem incumbebat, & ut altiſſima ejus jaceret fundamenta, vias modoſque perſequebatur & amplectebatur omnes, quibus mundo univerſo vileſceret, & pro ultimo purgamento duceretur. Tuderti cum ludi ſolemnes publice ſummo populi concurſu celebrarentur, accenſus ingenti fervore (ſed quem non nemo furorem principio interpretabatur) ſeſe pubetenus denudavit, inſtratoque tergo clitellis jumentorum poſtilena freni viee ori impoſita; manibus, pedibuſque quadrupedum ritu proreptans, in confertam ſe ſpectantium turbam intulit; quo ſpectaculo tam inuſitato plerique omnes attoniti, & prope externati inter ſe intuentes, nihil ut ſi elingues forent, collocuti; atque a foro dilapſi ædes ſuas repetiverunt, itaque ludi finierunt. Nec unus omnium fuit, qui riſu ſolveretur, ſed admirati omnes, hominis nobilitatem, & priſtinam fortunam cum præſenti conferentes, factum ſtudiumque pœnitentis non potuerunt non probare.

Nuptias diſturbat peregrino ſpectaculo.

XXXI. Res erat in eo, ut Jacoponi germanus filiæ nuptias pararet, ad quas propinqui ac neceſſarii jam confluxerant: frater veritus ne Jacoponus more ſuo honores publicos inſaniæ ſimulatione corrumperet, conſanguineum miſit, qui etiam atque etiam rogaret, vellet eo die perſonam ſapientis ſibi ſumere, nec infamia ſua nuptiis obſtrependo familiæ notam aſpergere. Jacoponus in hunc modum legato reſpondit: fratri meo renunciato, quemadmodum ipſe ſua allaborat prudentia, ut familiam noſtram, genuſque eo paratu illuſtret, ita me quoque idipſum amentia mea cogitare, molirique: itaque rem aggreſſus eſt: veſtibus ſe exuit, corpuſque perunctum in diſcoloribus lecti plumis circumvoluit, monſtrumque horrendum, & ſupra omnes peregrinas & Africanas feras, in ipſa gaudiorum maturitate, floreque nuptiarum inter ſuos comparuit; quod adeo diſplicuit cognatis, ut omni pompa nuptiali lætitiaque ſoluta, digreſſi ſint omnes partim pudore ſuffuſi, partim miſeratione commoti viri, conſanguinei olim tam honorati, in præſens tam abjecti, & contempti, imo qui contemptionem ipſam contemneret.

Gaudet opprobriis.

XXXII. Non in hiſce dumtaxat rebus de ſe minime magnifice & humiliter ſentiri, ſeque minimi fieri voluit; ſed in aliis omnibus ſe depreſſit, & abjecit, deditaque opera omnibus irridendum propinavit ridicula, ridendaque perpetrando. Ea propter paſſim amens, & territus audiebat. Uſque adeo pueri ſannis eum & ſarcaſmis per compita inſectabantur, non illum Jacobum, quod germanum ejus nomen erat, ſed contempte Jacoponum appellando; quod ipſe nomen ſibi voluit eſſe perpetuum. Nec vero ullis conviciis quidquam, velut Marpeſia cautes movebatur; nec ulla re magis quam opprobriis gaudebat; jamque plerique cives pro deliciis habebant eum animi cauſa ludum facere, & colloquendo deridere. Quod quidem partim hominum faciebant; illius exagitandi, vexandique cauſa, partim vero ob voluptatem, quam ex gra-

vibus

vibus ejus reſponſis percipiebant; plerumque enim dicta & monita optima de ſui, ſuorumque vitiorum cognitione, animique ſubmiſſione, cujus ipſemet facem prælucebat, ad perfectionem aſſequendam proferebat. Civis forte Tudertinus par pullorum mercatus fuerat, quos cum domum vellet mittere, Jacoponum conſpicit; eumque ut ſibi pullis domum ſuam deferendis gratificetur, orat, qui ſe vero libenter facturum pollicetur: *Cape igitur*, ait ille, *defer, obſecro; nec mihi imponas velim*. Jacoponus excipit; *mihi tu fidito; domum tuam pullos feram*. Fide data, recta ad ædem ſacram ſancti Fortunati, in qua civis monumentum ſuum habebat, ſe confert, ſepulcrale ſaxum molitur, pullos injicit, lapidem reponit. Civis ad ædes revenit, pullos Jacopono commiſſos deſiderat: circumventum ſe ratus in forum recurrit; conſpectoque Jacopono, & quid ego, mi vir, nec injuria verebar, teque præmonui, ne juxta conſuetudinem tuam faceres. At vero ad me culpa pertinet, qui tuo perexiguo cerebro tantum tribuerim, male confiſus. Tum vero is mirari ſe inqnit, eum ita ſine cauſa quæri. Ubi ergo, civis ſubjicit, ſunt aves tibi antea a me traditæ? Ego vero eas, refert ille, tuo rogatu domum tuam deportavi. Qui fieri hoc poteſt? civis inquit; inde ego jam proficiſcor, teque a ſe uxor numquam viſum domi affirmat. Hic Jacoponus; mecum ades, virorum optime, jam me tibi obſecutum eſſe monſtrabo. In Templum ergo illum deducit, amotoque monumenti marmore; numquid, amice, inquit, tua hæc eſt domus? Videris, num tibi mei incuſandi fuerit cauſa? Civis nec verbo addito, pullis receptis, non abſque trepidatione, optimis cogitationibus imbutus domum revertit, conſiderans vere hoc facto oſtendiſſe Jacoponum domum noſtram eſſe ſepulcrum, juxta illud Prophetæ: & *ſepulcra eorum domus illorum in æternum*, nec non juxta illud Job: *ſcio quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi*.

Domum noſtram eſſe ſepulcrum perbello facto monſtrat Jacoponus.

Pſal. 48. 12. Job. 30. 23.

XXXIII. Eum, quem diximus, vivendi in quadam inſania tenorem, decennium ipſum retinuit Jacoponus, vili item veſtitu contentus; intra quod tempus incredibilia quædam cum præclara ſui, naturæque victoria facinora edidit, ſolidum jaciens animi demiſſi, uti ipſe in ſuo canit Odario, fundamentum. Enimvero, cognito genus hoc vitæ non adeo tutum eſſe, minorique ſe periculo, & ſecurius obedientiæ imperio, & præſcripto victurum, cum beato Franciſco amore ſingulari eſſet addictus, cujus religio in mundi deſpicientia, rerumque cœleſtium ardore occupata ſtabilitaque conſiſteret, in Fratrum Minorum familiam ſe abdere decrevit. Nec illi id impetrare facile, ſed magnæ fuit moleſtiæ, multique laboris; cunctabantur enim, & aut dubitabant aut gravabantur eum in Ordinem ſuum coaptare, eo potiſſimum nomine, quod vulgo ſtultus, & amens haberetur. Diem ergo ex die trahebant, ambigui conſilii, animumque juxta & conſtantiam ejuſdem varie periclitabantur. Interea loci libellum, brevemque commentarium de mundi contemptu compoſuit, Fratribuſque legendum, & recognoſcendum tradidit, ex quo minime obſcure intellexerunt, eum probe ſani eſſe capitis, Deique inſuper inſtinctu impulſi, veſte Ordinis inſigni, Ordineque ipſo ſine tergiverſatione donarunt. Dei ſervus nobilis erat Juriſperitus & Doctor, magnoque in pretio & auctoritate apud cives; nihilominus ad Sacerdotii dignitatem evehi ſe noluit, ſed demiſſionis animi ſtudio in laicorum numero uſque recenſeri: & quoniam extra Cœnobium ſtulti vocabulum aut cognomen erat adeptus, eo etiam in vita religioſa ad ſe magis deprimendum uti vo-

Fit Minorita.

Remanet in ſtatu humili.

voluit: ideoque libentem, volentem Jacoponum vocitabant.

Severus in ſeipſum & durus.

XXXIV. Religionem ingreſſus in aſperrimis pœnitentiæ generibus ſeſe exercere inſtitit, ac ſi omnes annos priores in honoribus, deliciiſque traduxiſſet. Præter inauditam porro abſtinentiam, ſummo ſtudio Monaſterii infima viliſſimaque munia ambibat, obibatque, & quod reliquum ea faciebant, tempus precando tranſmittebat. In illud maximopere incumbebat, ut Jeſum Chriſtum imitaretur, adverſis omnibus æquo animo perferendis, ad eamque rem obtinendam, preces ad Deum frequens fundebat, jejuniaque ſuſcipiebat, quorum pleraque pane & aqua contentus colebat, exolvebatque: & quemadmodum tanto ſuo fervore importunus etiam in petendo fuit, ita & Deum liberalem in concedendo ipſi multo plus etiam, quam poſtulabat, expertus eſt.

Perfectam Dei & ſui cognitionem aſſequutus.

XXXV. In tenebrarum ſilentio precibus deditus, recordatus quod beatum Franciſcum ea nocte, quam in ædibus ſancti Bernardi de Quintavalle, e ſuis diſcipulis omnium primi, tranſegit, in illa pia ſane meditatione (*Domine Deus meus, qui es tu, & quis ego ſum?*) occupatum fuiſſe, cujus etiam beneficio lumen ad Deum, ſeque pernoſcendum percepiſset, eadem ille cogitatione, precationeque & ipſe pariter eamdem cognitionem eſt aſſecutus, & ex eo die ſummos in virtute fecit progreſſus. Cum enim cognoſceret Deum ſummum bonum eſſe ipſamque bonitatem, præ omnibus aliis rebus eum amare incepit, idque non inferorum metu, aut cœleſtium ſpe præmiorum, ſed ob unam ipſius infinitam bonitatem, digniſſimum utique natura ſua amore. Contra oculis in ſe converſis, ſeque vilem, ſordidum ſceleratumque intuitus; conſiderans etiam Deum rei tam vilis amore carne ſe noſtra induere, mortemque doloris ignominiæque pleniſſimam ſubire dignatum, tanto in ſe ipſum odio exarſit, tormentum ut nullum, nullamque ærumnam quamvis magnam & gravem ſuo corpore animoque excipere, ac ſuſtinere, ultroque accerſere in ſe ipſum dubitaret; nec id aliam ob cauſam tantopere expetebat, niſi ut juſtiſſima de ſuis ſceleribus, quæ ipſiſſimam unamque crudelis mortis, quam Chriſtus ſervator in Crucis ſupplicio ſubivit, cauſam fuiſſe ſibi perſuadebat, vindicta pœnaque, legibus debita ſumeretur.

Deſiderium imitandi Chriſtum.

Quantum deſiderium pro Chriſto patiendi.

XXXVI. Rogatus olim Dei ſervus, quid Jeſu Chriſti amore patienti animo ſufferre paratus eſſet? reſpondit: *Ex animi ſententia deſidero ad Chriſti amorem ſumma mentis tranquillitate ſuſtinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores, moleſtias & dolores, qui verbis exprimi aut animo & cogitatione concipi poſſunt. Nec id perferre ſatis habeam: ſed & pervelim ut ſimul ac ex hac vita demigravero, Cacodæmones animam meam abreptam in horrendum ſuppliciis deputatum Inferorum locum deferant, ut inibi pœnas omnes, & meis, & eorum omnium, qui in igne purgante attinentur, atque attinebuntur, ut & æternum condemnatorum, ſi fieri poſſit (uti non poteſt) peccatis debitas animo meo perpeſſus divinæ Juſtitiæ ſatisfaciam.* Nonne hoc eſt cum Moiſe, & Paulo velle anathema fieri a Chriſto pro Chriſtianis, Paganis, Judæis, & ipſis hoſtibus Dei dæmonibus?

XXXVII. *Ad hæc Jeſu Chriſti amore ſupplicia tolerarem omnia pro ipſis dæmonibus, paratus ad Inferos ad diem uſque ſupremum judicii habitare, & diutius etiam, quamdiu videlicet divinæ Majeſtati videretur neceſſarium. Enimvero præter hæc omnia mihi foret gratiſſimum, ſummæque voluptati, ſi ii omnes, quorum cauſa iſta omnia exantlarem, ante me etiam*

in

in cælum intromitterentur, ſicque mihi demum illuc clementer admiſſo, iidem univerſi congregati objectarent, mihi ſe pro tormentis omnibus ſua cauſa ſubitis nihil penitus debere. Ex animo inſuper cupio pro omnibus abſque meo emolumento maxime horrenda quæque pati, una Chriſti Domini mei æmulandi ſtudio, qui pro nobis tot ac tanta ſuſtinuit, nulla ullius ſpe præmii, ſed ut dumtaxat diſceremus, eum nobis in benefaciendo aliis, ſine remuneratione eſſe imitandum. Hic porro obſervandum eſt, eum iſta & id genus alia incredibili ſpiritus fervore pronunciaſſe ob ſanctum odium, quo Jeſu Chriſti cauſa & amore, ſe ipſum proſequebatur. Et quamvis ipſas Inferorum pœnas perferre non recuſaverit, non tamen unquam Dei gratia aut amore carere velle.

XXXVIII. Luce divina tam copioſè colluſtratus adeo fervebat Dei amore, uti mente a ſenſibus alienata eſſe videretur; interim pſallebat, interim plorabat, creberrime autem in ſuſpiria erumpebat. Sæpenumero ſeſe a congreſſu hominum ſubducens præcurrebat acri divini amoris ſtimulo incitatus, ſibique Jeſum Chriſtum amplexari, conſtringereque viſus amplectebatur arborem quempiam; vociferans, eumque ſumma voce nominibus diverſis inclamans, ingeminando identidem: O *Jeſu dulcis*; *o Jeſu ſuavis*; *o Jeſu amantiſſime*. Amore divino totus inflammatus hoc modo nimium mitigabat æſtum. Divini quoque honoris tam acer defenſor, & propugnator erat, ut periculum nullum ac dimicationem capitis ſubire vereretur, dum ſuum divina Majeſtas amiſſum honorem recuperaret. Vitia reprehendebat libertate abmirabili, nec ſolum æqualium, verum & majorum: præſertim quando cernebat eos, non quem par erat, Deo cultum religioſe præſtare: uti & circa ipſum pontificem Bonifacium VIII. præſtitiſſe diximus ſuperius.

Ebrius ſpiritu videbatur.

XXXIX. Cum eo perſecutionis virtutumque imitator Chriſti, quo explicatum eſt, proceſſiſſet, hoſtis capitalis totus in eo fuit, ut gulæ vitio expugnatum dejiceret, ingenti cupiditate & orexi veſcendæ bubulæ in eo excitata. Cujus petitiones ſentiens, cacodœmon imponere conſtituit, ſimulando triumphari velle. Itaque licet carnium abſtinentiam continuam obſervaret, bubulam ut indipiſceretur, operam dedit; quam nactus minime comedit, ſed crudam in cella appendit. Quod ut Antagoniſta Dœmon vidit, magis magiſque deſiderium edendi in eo accendit, enimvero ille, prandii hora appetente, cellam petebat, bubulam contemplabatur; & ore imminens etiam deoſculabatur; quo facto in triclinium cum aliis concedebat; ubi de more pane & acqua genium famemque placabat. Hanc porro rem ludumve per multos continuans dies inſidiatori illudendo ægerrime faciebat. Caro corrupta jam putiſcebat fœtebatque. Quam graveolentiam, etſi ipſe æquiſſimis ferret naribus animoque, ea tamen ad cellas Fratrum ceterorum intoleranda deferebatur. Indagare igitur ſodales, a quo tantus fœtor proficiſceretur, magna ad deprehendendum adhibita diligentia: appropinquantes demum Jacoponi conclavi, obſervant inde ad alios dimanare: credebant hic in primis eum putidum quid ſenſus affligendi vicendive gratia privatim aſſervare; voluerunt ergo omnino inveſtigare, quid id eſſet; cellam demum introgreſſi, id, quod erat, comperiunt. Jacoponus tempori ſuperveniens ipſis inſpectantibus carnem olfacit, & ceu rem adoratiſſimam baſiatur; ob quam rem a præſide graviter fuit objurgatus, ac pœnæ nomine in locum fœtentiſſimum dejectus; quam mulctam tam læto vir optimus accepit animo, ac tanta habere cœpit voluptate, quanta avarus quiſpiam Euclio lo-

Dolum dœmonis dolo eludit.

locum theſauro vicinum accoleret. In hac vel ſua velut aula multas Deo laudes ingenti gaudio voce elata decantare inſtituit: eoque loco cantilenam illam compoſuit, cujus initium eſt: *O giubilo del cuore, che fai cantar d'amore.*

XL. Cum in hunc modum caneret lætitia delibutus incredibili, quod in loco naturæ domandæ accommodatiſſimo moraretur, unoque Dei amore captus & occupatus, in ipſo canendi ardore Chriſtus Dominus (qui ſuos non prætermittit reviſere amicos, quamvis in contemptis locis attineantur) ei ſe contuendum præbuit, verbis inſuper amicis conſolatus: *Jacopone chariſſime, quandoquidem mei amore iſtac injuria nihil moveris, nec hanc odoris gravitatem horres, te ut ſolarer acceſſi; poſce quod optas; & impetrabis.* Ubi Dei ſervus agnovit eum, quem unice amabat Chriſtum: *præſto eſſe Domine*, ait, *hanc mihi fieri gratiam poſtulo, ut me in locum iſto longe horribiliorem fœtidioremque detrudas, ut in eo mea poſſim rite expiare peccata, cum hunc parum gravem, & moleſtum exiſtimem.* Ob reſponſum tantæ demiſſionis animi, tanta illum Dominus conſolatione perfudit, quanta numquam antea perceperat. Secundum hoc cœleſte viſum continue magnam Dei notitiam tam ſtupendo cum amore & ſuavitate animo retinuit conjunctam, ut extra ſe eminere crederetur; ideoque in una rerum cœleſtium contemplatione, alia omnia nihil moratus, acquieſcebat perlibenter. Jamque aſſiduo humilitatis ſeu ſui deſpicientiæ ſtudio & exercitatione, ac adverſorum jugi tolerantia ad tam ſublimem gratiæ pervenerat gradum, ut malis ærumnis, tormentiſque omnibus quæcumque in vita omni evenire poſſent, ſuperior eſſe videretur. Nec vero ulla res erat, quæ magis illum cruciaret, quam intueri divinum numen perpetuo in mundo contumeliis affici, offendique quod abſque mœrore & lacrymis non tolerabat. Equidem rogatus aliquando a Fratre quid adeo lacrymaretur? Reſpondit, id ſe eo facere quod *Amor non amaretur*. Conſueverat præterea affirmare ſummam beatitudinem & tranquillitatem, qua in hac vita perfrui poſſit animus, in eo ſitam eſſe, ut ſemper in Deo, ac propter Deum occupetur; ad quem ſtatum gradumve Sanctus hic in vita perveniſſe creditur. Cetera quæ ſuperſunt de hoc homine dicenda ad mortis tempus differimus.

Chriſtus præſens præſentem affatur.

Dignum amante reſponſum.

XLI. Auxiliani, quod Galliæ Narbonenſis oppidum eſt, ante hoc tempus conſtructum Minoribus domicilium, inde conſtat quod in quodam elaborato lapide ſculptum inveniatur, hujus loci Guardianum fuiſſe ſub hoc anno fratrem Joannem Fornerium. Neque longe ab ætate ſancti Franciſci originem accepiſſe inde colligitur, quod ibidem jaceat ſocius quidam ejuſdem ſancti Patriarchæ. Euſtachium de Levis Comitem Auxiliani & Inſulæ Jordanis (cui nobile appoſitum eſt in Eccleſia Mauſoleum) quidam volunt hujus ædis fundatorem; alii vero rectius ſcribunt reſtauratorem, ſeu ampliatorem.

Con. Auxiliani. *Gonzag. in prov. S. Ludov. Con. 13.*

XLII. Ex relato ſuperius miraculo ſancti Ludovici, & facta ibidem mentione Monaſterii Vilalpandienſis, necnon ex aliis indiciis, nimirum quod prius dum ſuberat Patribus Conventualibus, connumerabatur inter præcipua & primæva Provinciæ domicilia, & quod campana fuſa ſit anno MCCLXXXIII. colligere licet ante hoc tempus fuiſſe conſtructum. Primi fundatores judicantur ipſi Fratres ex eleemoſynis hinc inde collectis. Illic initiatus eſt beatus Franciſcus Blanco glorioſus fidei athleta, qui cum aliis quinque conſodalibus, & quindecim diſcipulis fortiter occubuit in regno Japponico, quos inter ſanctos martyres hoc anno MDCXXVII. retu-

Hoc anno n. 20. Idem in prov. S. Jacobi con. 36. Con. Villalpandi. *Monu. MS. hujus prov.* B. Franciſcus Blanco.

tulit ſanctiſſimus dominus Urbanus VIII. Ibidem ſuum nomen dedit Minoribus frater Joannes de Cabrera, cujus præclara acta, & vita pie tranſacta referuntur a recentioribus Ordinis ſcriptoribus. Requieſcit ibidem frater Antonius Bacca Villa Majorica, nobilibus oriundus parentibus, pietate & animarum lucrandarum zelo perilluſtris.

Daza 4. par. Chron. Memoriale Prov. S. Gabriel.

XLIII. Conceſſit hoc anno Pontifex Clariſsis Monaſterii de domo gratiæ beatæ Mariæ Virginis Londonienſis diœceſis, juxta indultum ſuperius a nobis allatum, poſſeſsionem Eccleſiæ de Hertindon Conventrenſis & Lichefeldenſis diœceſis, cum omnibus ſuis proventibus, quæ erat juris patronatus nobilis viri Edmundi fratris Eduardi Regis Angliæ, ſui Monaſterii fundatoris: *Petitio veſtra*. v. nonas Martii. Clariſsis ſancti Silveſtri in Urbe regulam tradidit Urbani IV. eaſque ſubjecit regimini Cardinalis Matthæi Rubei Urſini Ordinis Protectoris: *Ad apicem Apoſtolicæ dignitatis*. nonis Aprilis. Eodem die conceſsit ut Moniales ſanctæ Claræ gauderent omnibus exemptionibus & privilegiis, quæ quoquo tempore concederentur Minoritis: *In ſinu Sedis Apoſtolicæ*.

Privilegia Clariſſarum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. TErræ ſanctæ rebus conſulturus Bonifacius ad Armeniæ Re-
„ gem ſcripſit: *Regiæ ſerenitatis &c.* Philippo etiam Franco-
„ rum Regi pro ſubſidio ac transfretatione in Paleſtinam: *Chariſſimo in*
„ *Chriſto &c.* ambæ III. nonas Octobris: replicavit Armeno ſuper eodem
„ negotio: *Ex litterarum tuarum &c.* VII. Kal. Novembris: præter hæc
„ autem data quadam executoriali Guardiano Peruſino: *Devotionis &*
„ *Fidei &c.* Kal. Februarii: ad Inquiſitorem Provinciæ Romanæ litteras
„ expedivit: *Expoſcit nuper &c.* v. nonas Maii: & alias ad Inquiſitorem
„ Provinciæ ſancti Franciſci: *Exhibita nobis &c.* Kal. Octobris: Monia-
„ libus autem beatæ Mariæ de gratia dato reſcripto: *Petitio veſtra &c.*
„ v. nonas Martii: Indulgentiam Claramontano Monaſterio conceſsit:
„ *Glorioſus Deus &c.* VI. Idus Junii.

Literæ ap. pro T. S. *Indic.* — *Ex Oder. nu. 16. & 19.* — Ad Inquiſ. Ordinis. *Ode. n. 17. Vatic.* — Pro Mon.

„ II. Refert autem Toſſinianus quemdam fratrem Antonium, virum
„ ſanctiſſimum, & miraculis clarum in Provincia Burgundiæ floruiſſe hoc
„ anno MCCXCVIII. pridie Kal. Januarii: ejus vero corpus Podii Velau-
„ norum in Gallia maxima in veneratione haberi. Juncta pariter de Be-
„ vegnatis vir religioſiſſimus Provinciæ Tuſciæ floruit, qui beatæ Mar-
„ garitæ Cortonenſi a ſacris confeſſionibus cum fuiſſet, ejuſdem vitam
„ duodecim capitulis diſtinctam deſcripſit: in qua, vel quæ ipſe viderat,
„ vel quæ ex ore ipſius famulæ Dei, ſeu ab ejuſdem Confeſſariis perce-
„ perat, fideliter & ſincere enarravit: memoratur Juncta in Bibliotheca
„ Minorum.

Toſſin. in Prov. Burgun. fol. 187. Antonius quidam floret in Burgund. Veneratur Podii. — *Bibliot. Viror. Illuſt. Ord. Min. fol. 233. col. 1.*

„ III. Opolium civitas in Sileſia ad Viadrum amnem culta, & legi-
„ bus, artiumque humanarum ſtudiis exornata, XII. M. P. germanic. ab
„ Uratiſlavia Metropoli diſtans, noſtrorum habet Monaſterium, ad
„ quod aſcitis Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ Fratribus habita ſunt hoc
„ anno in feſto exaltationis ſanctæ Crucis comitia provincialia, in qui-
„ bus frater Matthæus Provincialis reelectus in miniſteriatu, quem pru-
„ denter exequebatur confirmatus fuit, & Conventus Radizicioviensis
„ ab Uladiſlao Loctrico fundatus, ut habet Miechovius, receptus eſt.

Comitia prov. Boemiæ &c. ibi. *Caſim. Biern. cit. ar. 20. n. 4.* Matthæus reeligitur Miniſter. *Vide infra ad ann. 1316. n. 3.*

ARGUMENTUM.

Creatur Rex Romanorum Albertus Auſtriacus. Aſſumuntur ad infulas Pontificias aliquot ex Minoritis. In diverſis Provinciis florent multi viri docti. Celebrantur Comitia generalia. Referuntur aliquot miracula ſancti Ludovici Regis. Jacobus filius & hæres Regis Majoricarum fit Minorita. Extruuntur Monaſteria.

Nauclerus hoc anno. Panvin. in Chronol. Siffridus in epitome. Chron. Citizen. Chron. Beſſiana.

Albertus Auſtriacus fit Rex Romanorum.

I. HOc anno, menſe Julio, quibuſdam placet, in prælio Vormatienſi fuſum, & cœſum Adolphum Imperatorem ab Alberto Auſtriaco Rodulphi Imperatoris filio; alii id factum ſcribunt anno ſuperiori. Belli cauſa fuit, quod cum ob varias & multas in Imperio perturbationes compeſcendas, potentiori quodam capite in Germania opus eſſet, & Electores Principes Adolphi ſordes, & ambitionem pertæſi, conventu habito, eo rejecto, Albertum Auſtriæ Ducem Regem elegerint. Adolphus vero vi Imperium retinere volens, auxilio fretus Ottonis Bavariæ Ducis, Rodulphi Comitis Palatini, & quarumdam Imperialium civitatum, armatis copiis imprudenter Alberto occurrit. Auſtriacum juverunt ſubſidio pecuniario Anglus, Galluſque Reges, copiis vero militum multi Principes utriuſque Germaniæ. Prælio commiſſo infeſtis armis, ſex horis pugnatum eſt: in quo conflictu captis multis nobilibus, multiſque calore ſuffocatis, Adolphus ipſe cæſus eſt, annis ſeptem, ſeu ut alii volunt, octo potitus Imperii.

Cõfirmatur ejus electio.

II. Albertum ſecundo & rite Romanorum Regem ab Electoribus renunciatum Bonifacius confirmavit, quod male habuit Philippum Regem Galliæ, qui ſperabat dandum iri ſceptrum fratri ſuo Carolo Valeſio, auxitque erga Pontificem inimicitiam, quæ aliis additis fomentis, uſque adeo crevit, ut ſpreta Religione & reverentia Chriſti Vicario debita, ultimam molitus ſit Papæ perniciem, uti ſuo loco opportunius narrabimus. Interim Bonifacius ſcripſit Gregorio Electo Strigonienſi in Hungaria Archiepiſcopo, ut turbulentum nimis Regnum, hæreticorum & paganorum peſtiferis dogmatibus infectum ſedare & purgare conaretur, aſſumptis in adjutorium ex Prædicatorum, ſeu Minorum Ordinibus viris prudentibus, quos ſuperiores ipſorum ducerent nominandos. Deinde ſcripſit Miniſtro Provinciali Syriæ Ordinis Minorum, ac Prioribus Nicoſienſibus Prædicatorum, & Eremitatum ſancti Auguſtini, ut proviſionem, ſeu conventionem quamdam factam inter Henricum Regem Cypri, & Archiepiſcopum Nicoſienſem, & ſuffraganeos ejus, necnon magiſtros, & Fratres domorum hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani, & Militiæ Templi, in dicto Regno morantes, pro majori ſecuritate, & feliciori ſtatu ejuſdem Regni, nec non validiori ſubſidio tranſmittendo pro recuperatione Terræ ſanctæ, diligenter & prudenter ſtuderent promovere.

Tom. 6. an. 1303. Reg. Vat. ep. 18.

Ibid. ep. 181.

Frater Porchettus Spinola Archiepiſ. Januenſis

III. Ex Ordine Minorum aſſumpſit ad Archiepiſcopatum Genuenſem per mortem fratris Jacobi de Voragine Ordinis Prædicatorum vacantem, fratrem Porchettum Spinolam, virum illuſtrem & generis nobilitate præclarum: *In ſupremæ dignitatis*. III. Non. Februarii. Hic tamen varias paſſus eſt in dignitate viciſſitudines, cedens aliquando oneri, & Papæ indignationi, aliquando ad ſuam Sedem reſtitutus, turbato & tumultuoſo Reipublicæ ſtatu, Spinolis & Auriis familiis primariis hoſtiliter ſe invicem oppetentibus. Hic ille eſt, cui quidam indigne fabulantur,

tur, Pontificem Bonifacium in die cinerum pulverem in oculos conjeciſſe, mutato verſiculo dicentem: *Memento homo quia Gibelinus es, & cum Gibelinis morieris*: eo quod putaret Cardinalibus Columnenſibus anathemate damnatis, & ſibi valde infenſis, receptum apud ſe dediſſe. Archiepiſcopatum Arborenſem in Sardiniæ Inſula, cui univit ipſe hic Pontifex anno II. ſui Pontificatus IV. Kal. Maii, uti habetur in ejus Regeſto, Eccleſiam Tyrenſem (licet hujus neque Eccleſia Plovacenſis, eujus habetur mentio in bulla aſſumptionis, quam damus in regeſto, non ſit modo memoria; attamen in veteri Provinciali Romano habetur Epiſcopatus Plovacenſis ſeu Plonatenſis ſub Archiepiſcopo Turritano) per obitum Scolay Archiepiſcopi dedit fratri Alamanno, de quo nos ſupra, viro docto & prudenti, qui grata & devota præſtiterat Eccleſiæ obſequia in gravibus negotiis ſibi commiſſis: *Ad regimen univerſalis*. IV. Kal. Maii. Et eodem tempore propter dexteritatem, & prudentiam in rebus agendis, eumdem creavit Urbis Vicarium: *Eccleſiarum omnium*. IV. Kalend. Maii. Sed parum his dignitatibus potitus eſt, nam in Epiſtola 376. data XI. Kalend. Decembris, qua in Archiepiſcopatu ei ſubſtituitur frater Conſilius Ordinis Prædicatorum refertur, Alamannum hunc in Curia obiiſſe. Fratrem Joannem de Sameſio, uti diximus ſuperius, ab Eccleſia Redonenſi tranſtulit ad Lexovienſem tunc vacantem per obitum Guillelmi de Aſneriis: *Apoſtolatus officium*. III. Nonas Februarii.

Blondus dec. 2. lib. 9.
Platina in Bonif.
Epiſt. 195.

Frater Alamannus Archiepiſcopus Arborenſis.

Ep. 195.

Anno 1295. n. 2. & 1288. n. 22.

Fr. Joannes Epiſcopus Lexovienſis.

IV. Multi floruerunt ſub hoc tempore in Religione viri docti. In provincia Januenſi, & Cuſtodia Montisferrati frater Joannes de Monte Caſali, & frater Antonius de Valentia, qui tamdem aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Caetanum in Regno Neapolitano. Ibidem frater Ubertinus de Ilia de Caſale, vir pius & doctus, paupertatis Franciſcanæ & regularis diſciplinæ acerrimus propugnator, qui plurimos in partibus Vallis Spoletanæ, Marchiæ, & Tuſciæ ad eamdem retinendam & reſtituendam tam ſuæ vitæ exemplo, quam multiplici exhortatione incendit. Anno MCCCV. trium menſium & ſeptem dierum ſpatio, in monte Alvernæ ſcripſit pium, aliquanto tamen pro illius temporis ratione indigeſtum, & minime ad incudem reductum opus, quod inſcripſit, *Arbor vitæ crucifixi*. Aliqua in hoc opere caute legenda monet Joannes Gerſon, tacito auctoris nomine, in opuſculo de ſuſceptione humanitatis Chriſti, ſed expreſſo in alio tractatu de caute legendis quorumdam libris; non enim omnibus obvia & intellectu facilia ſunt, quæ de perfectione ſpiritus & excellentia extaticorum virorum tractat multis in locis diffuſe, de quibus ipſe ait, ſe nequaquam auſum altius ſcribere: *quia timebam*, inquit, *ne erronice caperentur ab ingeniis ingroſſatis nimia imbuitione paganicæ vanitatis, quæ fortiſſime claudit intellectum ad ſublimia fidei noſtræ ſacramenta capeſſenda*. In primo prologo operis ait, ſe anno citato, quo opus complevit, trigeſimum ſecundum in Sodalitio Minorum tranſegiſſe, ex quo conficitur initiatum anno MCCLXXIII. ſub Generalatu ſancti Bonaventuræ, eo ipſo anno, quo factus eſt Cardinalis. Natus itaque eſt anno MCCLIX. nam in principio prologi ait, anno quartodecimo ſuæ ætatis ſe Minoribus nomen dediſſe. Deinde addictus ſtudiis Philoſophicis, magno conatu ſpiritualibus ſe applicuit exercitiis, in quibus dum per quatuordecim annos occuparetur, & viſitaret ſanctuaria Romana, deſcendit ad vallem Reatinam, pia illa loca a ſancto Franciſco inſtituta, uti ſuo loco diximus, viſitaturus, inviſit pium virum beatum Joannem Parmenſem in tuguriolo Græcii (quod rupem vocat Ubertinus, quia in ru-

Florent viri docti.
Fr. Joannes de monte Caſali.
Frater Antonius de Valentia.
Ubertinus de Ilia.

Joan. Gerſon.

Quo tempore floruit.

Tom. I. an. 1217. n. 11. & ſeq.

Ibid. n. 14.

rupe, uti nos alias admonuimus exciſum) multis annis hærentem, a quo ſe confortatum, abſolutum, & inſtructum ad celebrem Portiunculæ Indulgentiam abiiſſe recenſet, atque illic divinas ſenſiſſe immutationes. Sub titulo ſtudii, quod forte propter vitæ ſpiritualis functiones interruperat, miſſus ad Provinciam Tuſciæ, familiares habuit Petrum de Senis Pectinarium, Petrum Joannem Olivi, de quibus diffuſe ſuis egi-

An. 1289. n. 35.
An. 1278. n. 25.

mus locis, & Cæciliam de Florentia Virginem devotiſſimam. Miſſus deinde Lutetiam Pariſiorum ibidem legit, ſeu docuit per annos novem, ſed ita laxatis habenis, & dimiſſis exercitiis ſpiritualibus, ut per ſomnium terribiliter ei appareret Chriſtus, ad perfectiorem vitam revocaturus. Regreſſum in Italiam adjuvit non parum in ſpirituali profectu ſanctiſſima fœmina Angela de Fulgineo, quam vigeſimo quinto anno ætatis ſuæ, & illo, quo ſcribebat ſupradictum opus, inviſit, ab eademque multa ſpiritualia recepit documenta. Legit adhuc annos quatuor, deinde dimiſſa lectione, ſoli prædicationi, & animarum intendit profectui. Offendit aliquos ex ſuggeſtu in urbe Peruſina, apertius, quam vellent, explicata veritate, quare juſſus ſuſpendere ſermonem, miſſus eſt ad montem Alverniam, ubi dum per aliquot annos hæreret, & importune rogaretur ab amicis & Fratribus, ſuo præſertim Guardiano, & fratre uterino Joannino ſe juniore, dictavit Guardiano propria manu ſcribenti, vel ſaltim incipienti prædictum opus. Quod ut compleret valde ſibi auxiliatam ſcribit quamdam virginem de civitate Caſtellana, quam mirifice commendat, ſed nomen tacet. Hæc omnia ea ipſa ejus obſcura narratione clarius & ſerius digeſſi propter varias exortas de hujus hominis ætate inter viros doctos, mihi perquam reverendos & caros D. Conſtantinum Caetanum Abbatem Benedictinum, & P. Heribertum Roſweydum Societatis Jeſu, ſcriptis hinc inde apologeticis circa auctorem devoti libelli de imitatione Chriſti. Adſtipulabitur Patris Roſweydi aſſerto, quo juniorem volebat Ubertinum, quam cuperet Abbas Caetanus, Pontificium diploma Joannis XXII. quo anno 11. ſui Pontificatus poteſtatem facit Ubertino tranſeundi ad Monachos Monaſterii ſancti Petri Gemblacenſis tunc Leodienſis, nunc Namurcenſis diœceſis in Brabantia; quod nos ſub illo anno dabimus opportunius.

Fr. Clarus de Florentia.
Fr. Jacobus de Griſanto.
Fr. Bindus de Senis.
Fr. Antonius de Luca.
Fr. Thomas de S. Omero.

V. In provincia Tuſciæ frater Clarus de Florentia, ut nomine, ita & ſcientia clarus, præſertim in jure canonico, vir religioſus & pius. In eadem provincia & Cuſtodia Florentina frater Jacobus de Griſanto, qui plurimos de re prædicabili libros compegit. Ibidem frater Bindus de Senis ſcientia & virtute præclarus, concionator egregius. Frater Antonius de Luca inſignis prædicator & ſcriptor, prius Marchiæ, deinde Tuſciæ Miniſter. In eadem Provincia hoc ipſo anno mortuus frater Thomas de ſancto Omero vir gravis & doctus, dum Miniſtrum ageret

Fr. Marchiſinus de Reggio.
Fr. Gentilis de Monteflorum.
An. 1298. n. 4.

ejuſdem. In provincia Bononiæ, & Cuſtodia Ferrarienſi frater Marchiſinus de Reggio, auctor illius vulgaris libri, quem Mamotrectum appellant. In provincia Marchiæ, & Cuſtodia Aſculana frater Gentilis de Monte-Florum, quem ſuperiori anno creatum diximus Cardinalem.

Fr. Franciſcus Rubeus.
Petrus Queſvellus.
Pitſeus de ſcriptor. Anglic. in Append.
Marian. cit. c. 15.

Ibidem frater Franciſcus Rubeus de Pignano, qui egregie & luculenter plurima ſcripſit opuſcula Theologica & Philoſophica, celebris etiam verbi divini concionator. In provincia Angliæ, & Cœnobio, ut judicat Pitſeus, Norvicenſi, Petrus Queſvellus Juriſconſultus & Theologus, cujus plura ſervabantur opera in Bibliotheca Norvicenſi. Eum hoc tempore floruiſſe ſcribit Marianus, licet Pitſeus dicat, ſe neſcire qua vi-

xerit ætate. Ibidem aliquanto prius vixiſſe Philippum Gualenſem Doctorem Theologum, virum pietatis & eruditionis nomine, ſuo tempore non obſcurum, ſcribit idem Piſeus ex Lelando, ejuſque doctrinæ famam ita percrebuiſſe ut extra Angliam, Galliam, atque Italiam pervaſerit; deinde Lugduni ad annos multos Philoſophiam, mox Theologiam ſolemniter docuiſſe. Aliorum Anglorum ſuis ætatibus memorias agemus. Philippus Gualen.

VI. Celebravit Joannes de Muro Miniſter Generalis hoc anno Comitia generalia in civitate Lugdunenſi, & provincia Burgundiæ: Quid in eis ſtatutum ſit, non eſt qui recenſeat. Capitulum Generale 32.

VII. Hoc anno Ebroicis in Gallia dedicata eſt inſignis Eccleſia Ordinis Prædicatorum honori, & nomini ſancti Ludovici Galliarum Regis recens canonizati, quæ fuit ejus cultui conſecrata. In ea multa Deus operatus eſt miracula per interceſſionem ſanctiſſimi Regis, quæ largius refert Claudius Menardus Regius Conſiliarius, Proprætor Andegavenſis ad calcem vitæ & geſtorum ſancti Viri, quæ ex vetuſtis codicibus MSS. exſcripſit. Hic damus omnia ſub compendio. Joannes Pelliperius Cadomenſis diœceſis Bajocenſis, & Parochiæ ſancti Stephani veteris per annum integrum ægrotans, neque valens abſque fulcimentis incedere, in feſto ſancti Ludovici venit ad ejus Eccleſiam, in qua dum ſe eidem commendaret, protinus ſanus effectus eſt. Similiter accidit Beatrici de parochia ſancti Petri Ebroicenſis duobus annis languenti, nec non Joanni e parochia Campi Oſſent per aliquot menſes gravi infirmitate detento. Alii inſuper claudi ibidem ſancti Viri meritis deſideratam obtinuerunt ſoſpitatem. Miracula S. Ludovi Regis.

VIII. Joannam de parochia de Loveris, & Joannam Roſe de parochia de Ylliers a duobus annis cæcam, Petronillam de Domo Dei, Ebroicenſem, quinque annis viſu privatam, Amelinam le Boite de Aurilejo divitem valde undecim annis lumine oculorum deſtitutam, ut viderent, effecit. Robertum de Miniis annis quadraginta nervis contractis totum confractum, Simonem de Iſaico gutta Paleſtina, Æmiliam Joannis Anglici uxorem, & Joannam de parochia de Aſneriis gutta laborantes, nec non Petrum de parochia *de la baſſe Croiſille*, juxta villam de Conchis infirmitate quadam dicta *morbus ſancti Joannis* detentum miraculoſe ſanavit. Puerulum Gillottum Petri Malart filium parochiæ ſancti Leodegarii Ebroicenſis a ſummo vitæ diſcrimine, ob hærentem in gutture denarium, quem pueruli more tranſglutivit, liberavit. Alterum, uti refertur in antiqua legenda apud me MSS. in molendino ſubmerſum, in eadem Prædicatorum Eccleſia ad vitam revocavit. Juvenem Gillotum Catonem de Parochia de Berengeville ætatis annorum quindecim, qui per totam vitam ſuam quadrupedis more pedibus & manibus inceſſit, neque unquam ſe erexit recto corpore, ita repente curavit, ut ſtatim altare ſancti Viri ſanus circumierit recto greſſu, omnibus, qui aderant, obſtupeſcentibus. Joannem Fabrum de parochia de Hoveteville octo annis mutum; Eliſabetham de Villa Caudebec Rothomagenſis diœceſis, & parochiæ ſanctæ Columbæ, juxta novum Burgum triginta quinque annis ſurdam & mutam, & puellam de parochia de Ylliers ab infantia clauſam habens manum perfecte ſanavit. Amiciam Bonavicinam de Ponte Perrino parochiæ ſancti Leodegarii a quinque hebdomadibus ita curvatam, ut caput ad ipſa genua perveniret; Joannam filiam Petri Graverardi de parochia de Boſco Re-

noudi, juxta Barram pedes habentem natibus affixos perfecte curavit.

Zurita to. 2. l. 6. c. 57. Piſa. conf. 8. Platus lib. 2. c. 26. Rodul. fol. 213.

Jacobus hæres Regis Majoricarum fit Minorita.

IX. Circa hoc tempus Jacobus primogenitus Jacobi Regis Majoricarum, cœleſte regnum terreno præferens, relicto jure primogenituræ, quâ ad eum Regnum devolvebatur, patre adhuc ſuperſtite, ut aſſerit Zurita, Inſtitutum Minorum amplexus eſt, in eoque ſancte vixit, & verbo ac exemplo valde profecit, ex humilitate vocatus frater Jacobus de Majoricis. In eo errat Rodulphus, quod Patrem dicat Sanciæ Reginæ Neapolitanæ, non enim hic, qui ſemper cœlibem vitam egit, ſed Jacobus pater ejus, genitor fuit prædictæ Reginæ, vel ipſa Sancia atteſtante in litteris ſuis datis ſub anno MCCCXLIV. quas tunc exſcribemus. Ante hoc autem tempus jam factum Minoritam mihi perſuadeo ex eo quod Zurita referat ſub annum MCCCII. Sancium ſecundo genitum Regis Majoricarum jam ſceptra poſſidentem, Girundam veniſſe ut ſe recognoſceret Jacobi II. Regis Aragonum feudatarium, De hoc fratre Jacobo alias locupletior ſermo redibit.

Conv. de Pace.

X. Ante hunc annum extructum conventum ſanctæ Mariæ de Pace Bononienſis diœceſis in provincia etiam, & cuſtodia Bononiæ mihi conſtat ex Pontificio diplomate dato hoc anno VII. Kalend. Januarii, quo conceduntur Indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam ejuſdem Cœnobii in diebus ſanctorum Franciſci, Martini, Bonifacii, Benedicti, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Præter hoc aliud mihi non ſuppetit monumentum.

Con. Cerreti. *Rodul. in Prov. S. Franciſci & Cuſtodia Montanorum.*

Ex ſimili ferme monumento liquet, Conventum Cerreti in diœceſi Spoletana ante hoc tempus fabricatum; inciſa enim habentur in quodam lapide ſepulcrali hæc rudia carmina quæ ſequuntur.

Mille minus uno anno currente trecento
Feſtum Thomæ Divi, Cerrus celebrando tranſivi.

Mon. Nogenti. *Gonz. in Prov. Franc. Mon. 2. An. 1292. n. 42.*

XI. Hoc anno inchoatum Monaſterium Clariſſarum in urbe Nogenti Hertandi diœceſis Sueſſionenſis, benefactrice Blancha Navarræ Regina, & Campaniæ Comitiſſa, prius deſponſata Henrico Regi Navarræ, deinde nupta Edmundo Eduardi Anglorum Regis fratri, ut ſuperius monuimus. Opus complevit, & auxit Joanna Ebroicenſis, Navarræ Regina, Caroli Regis, & Philippi Pulchri filii conjux. Eccleſia conſecrata fuit ſub titulo ſancti Ludovici Regis & Confeſſoris. Monaſterium Iprenſe Clariſſarum Morinenſis diœceſis ſub hoc tempore excutere volebat jugum obedientiæ, neque Cardinali Protectori, neque miſſis ab eo viſitatoribus obſequi; dedit itaque Pontifex in mandatis Miniſtro Provinciali Franciæ, ut Sorores ad obedientiam reduceret, & Monaſterium tam in capite, quam in membris reformaret: *Ad audientiam noſtram*. III. Idus Julii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Adolphus Imperator deponitur & cur.

Doglion. part. 3. fol. 384.

„ I. HUjus anni initio depoſitionem Adolphi enarrat Waddingus,
„ nos cauſam exprimemus. Diſſidebant Eduardus Angliæ, &
„ Philippus Franciæ Reges, quod ille Guidonem Flandriæ Comitem,
„ ab iſto recedentem amplexatus, tueretur: Anglus dedit Adolpho
„ centum millia marchas argenti, ut validis copiis auxiliariis ſibi adeſſet
„ armatus in Francum: argentum accepit, & retinuit Adolphus, ſed
„ juxta pactum milites non habuit, quod Germaniæ Principibus, cum
„ haud ut debebat, participaſſet acceptum, iſti illum ſequi recuſarunt in
„ bello; hinc etiam fuit eos Principes Moguntinæ congregatos depoſuiſ-

,, fuiſſe Adolphum, & in Imperatorem aſſumpſiſſe Albertum Auſtriæ
,, Ducem Rodulphi Imperatoris filium, quem in ea dignitate Bonifacius
,, ſummus Pontifex confirmavit: qui hæc inter pro Terra ſancta undique
,, ſubſidia cogere ſatagebat; ſcripſit enim ob id Carolo Siciliæ Regi:

Albert. Auſtriac. eligitur Imperator, ejuſque confirmatio a Pontifice.

,, *Actus tuos &c.* v. Idus Januarii: univerſis etiam Chriſtifidelibus: *Or-*
,, *dinamus, providemus &c.* III. Idus Januarii: Jacobo Aragonum Regi:
,, *Adhibe fili &c.* XVIII. Kalend. Februarii: ad Provincialem Syriæ:
,, *Gerentes &c.* Henrico Cypri Regi: *Pro bono & Pacifico &c.* ambæ

Indic. ex Oder. n.5. an. 6. Oder. n.70. Ex Vat. & Oderic. n.18. & 38.

,, IV. Idus Julii: hos omnes paterna ſollicitudine ad ſubſidia pro Terra
,, ſancta extimulabat: ſed Strigonienſi Epiſcopo, ut aſſumeret Minori-
,, tas Inquiſitores: *Utilitate publica &c.* v. Kal. Februarii: Indulgentias
,, vero pro Eccleſia ſanctæ Mariæ de Pace Bononiæ conceſſit: *Ante thro-*
,, *num &c.* VII. Kal. Januarii.

A quo dantur litteræ Regibus & Principib. pro Terra ſancta & Inquiſit.

,, II. Picquetus in ſuo Catalogo commemorat hoc anno floruiſſe Be-
,, nedictum de Eſtercio, virum venerabilem omnique ſanctitate refer-
,, tum, in Provincia ſancti Patris Franciſci, qui quondam beati Rayne-
,, rii Laici ſocius fuit: refert etiam Bajardus in ſuo theatro MSS. quem-
,, dam fratrem nomine Conradum de Offida Provinciæ Marchiæ, incredi-
,, bilis abſtinentiæ, ſanctitatis, & obedientiæ, digna viſione Deiparæ
,, Virginis aliquando conſolatum, quem in ſocium habuit eximius Chri-
,, ſti ſervus venerabilis Petrus de Monticulo: fertur Conradum mulierem
,, quamdam a nefario ſpiritu liberaſſe: mira caritate in animas Purgato-
,, rii flagrantem, precibus apud Deum nonnullis earum liberationis gra-
,, tiam obtinuiſſe: tamdem meritis & virtutibus clarum in præfata Pro-
,, vincia Marchiæ hoc anno XVI. Kal. Februarii in Domino obdormiſſe.

Benedictus de Eſtercio.

Ex theat. Bajard. Vide infra ad an. 1304. n.4.

Obiit 17. Januarii.

,, Joannem etiam in Apuliæ Provincia virtutibus & miraculis clarum
,, occubuiſſe hoc anno, ſcripſit Jacobus de Marchia in ſuo catalogo: &
,, Franciſcus Pizamiglius narrat, Jacobum profeſſione Laicum vitæ ſan-
,, ctimonia inſignem ſimiliter floruiſſe.

Joannes quidam hoc anno claret.

Jacob. de Marchia in ſuo catal. Theatr. Bajard.

Jacobus Laicus floret.

Vide n. 10. ann. 1241.

,, III. Beatum Boguslaum ſanctæ Salomeæ quondam a ſecretis hoc
,, anno obiiſſe, ſcripſit Caſimirus Biernaski: fuit hic Miniſter quintus
,, in Provincia Boemiæ & Poloniæ, electus anno MCCXLVII. in Capitulo
,, celebrato Znoimæ in Moravia, vir magnæ manſuetudinis & modeſtiæ:
,, ſub ipſius regimine Conventus Glacenſis conſtructus fuit, & locus in
,, Beniſſovu admiſſus, quo in loco Thobias Præpoſitus ædes Fratribus
,, conſtruxit ad habitandum, & ipſe factus Minor, ibidemque mortuus
,, anno MCCL. in medio cori tumulatus fuit. Boguslaus autem, de quo
,, præcipue loquimur, habitis ſuæ Provinciæ comitiis primis Gierlitz in
,, feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis ea occaſione Conventum Cor-
,, cinenſem, ac iterato Opolienſem, quod antea dimiſsus fuiſſet, acce-
,, ptavit, ſecunda vero tenuit Cracoviæ in feſto Pentecoſtes; ſed tertia
,, in Gretz die Dominicæ in Albis, quo tempore Conventum Opavien-
,, ſem acquiſivit. Hic Boguslaus conſiderans quod Conventuum nume-
,, rus in Polonia multiplicaretur, mutavit inſcriptionem ſigilli Provin-
,, ciæ, Poloniam præponens Boemiæ, ſic: *Sigillum Minorum Provincialis*
,, *per Poloniam, & Boemiam.* De hoc Boguslao ſcribit Rodulphus,
,, quod tempore obitus ſanctæ Salomeæ in quadam viſione duas colum-
,, nas e cœlo protenſas ante Capellam ejuſdem Sanctæ viderit; & per
,, eaſdem columnas beatam Salomeam aſcendentem in cœlum, audive-
,, ritque dulciſſimum cantum ad ſimilitudinem melodiæ: *Frondoit, flo-*
,, *ruit Aaron virgula,* & hoc idem refert Miechovius. Obiit, ut prædi-

Boguslaus obit.

Thobias Præpoſitus obit & ſepelitur Glacii.

Viſio de B. Salomea.

Rodul. hiſt. ſeraph. fol. 142.

ctum

Sepelitur Cracoviæ.

„ ctum eſt, hoc anno die XIX. Auguſti, ſepultus Cracoviæ apud ſuos, ut
„ Stanislaus Polonus antiquus Theologus in vita ſanctæ Salomeæ teſta-
„ tur.

„ IV. At divertamus calamum: Monaſterii noſtrorum apud Picto-
„ nas in Provincia Turoniæ, Cuſtodia vero Pictavienſi, oppidi ſancti
Wadd. ad ann. 1283. n. 14.
„ Maxentii nomen tantum Waddingus novit, at non ſuæ fundationis
„ & incrementi, fundatorumve, & benefactorum nomina ſaltem. Nunc
„ ex quo novimus, in eo Cœnobio hoc anno MCCXCIX. provincialia
„ comitia celebrata fuiſse, fateri cogimur plurimum antiquitatis ha-
„ bere: libentius autem commemoramus, quod ultimis his temporibus
„ fundatorum eximia caritas emergat. Etenim nobiliſſimus Dominus
„ Franciſcus Tibault, Marchio de Cartavexia titulos produxit antiquos,
„ quibus ſat ſuperque ſuos Atavos propria munificentia, & expenſis illud
„ fundaſse probatur: quamobrem nuper à Definitorio illius Provinciæ
„ tamquam vere fundator agnitus fuit.

„ V. Sed inter hæc nec oblivioni dandæ noſtræ Sanctimoniales, qua-
„ rum incrementa & virtutes minoriticum cœlum exornant. Diceba-
„ mus alias de Monaſterio Clariſsarum Virodunenſe: nunc ejuſdem re-
Supra ad annum 1292. n. 4.
„ moras, ſeu difficultates non tantum ad hiſtoriæ proſequutionem,
„ quantum ad magnificandam bonitatem Dei, a qua bonorum operum
„ ſunt initia, proſequutiones & fines, dicere placet. Statim ac viſum
„ eſt zizaniarum Satori Monaſterium poſse fœliciter ſua initia habere,
„ & fœliciſſime conſummari ad Omnipotentis gloriam, tribulos plan-
„ tavit, ac impedimenta ſevit; hæc enim eſt ejus peſſima natura, vel
„ ars: iis ergo ſuborientibus impedimentis primarum fundatricium ani-
„ mos perturbatos fuiſse, vel confuſos palam conſtitit, cum illud pie-
Coleta, & Agatha bona relinquunt Clariſſis.
„ tatis machinamentum ad nihilum fere redactum fuerit: Coleta ſiqui-
„ dem & Agatha Clariſſis Metenſibus omnia bona ſua, & quaſvis facul-
„ tates, cum quibus opus promoveri debebat, turbine contrariorum
„ conſiliorum ſuſcitato, dederunt. Verumtamen ut placuit Deo, ceſ-
„ ſatis malis intempeſtiviſque turbinibus, lenioreque aura ſpirante, pau-
„ lo poſt, anno ſcilicet MCCXCVI. quæ dederant Metenſibus recuperare
„ potuerunt; nam Agnes Clariſsarum Metenſium Abbatiſſa, conſilio
„ habito cum ſuis, libenter præfatæ donationi renunciavit. Rebus in
„ priſtinum poſitis, tamdem Joanna Barroduci Comitiſsa, & Domina
„ de Puſoja novam, eamque firmam facultatem a Reverendiſſimo Do-
„ mino Joanne de Ribecurto Virodunenſium Epiſcopo facultatem obti-
„ nuit die IV. Auguſti hujus anni MCCXCIX. qua præfatis nobilibus fœ-
„ minis Coletæ Viduæ, & Agathæ Martelli Oratorium, Monaſterium-
„ que ſanctæ Claræ, ut in eo cum ſuis viverent ſecundum regulam ab
Annal. Fr. S. Dionyſii.
„ Urbano IV. modificatam, extruere liceret: quod quidem egregie
„ præſtiterunt, adductis in ſocietatem earum Sara de Friavilla, &
„ Maulde Cerebella, nec non acitis de Monaſterio Metenſi nonnullis
Supr. ad annum 1292. n. 4.
„ Monialibus Urbaniſtis, a quibus regularem, & monaſticam vitam do-
„ cerentur. Inter autem illas primas Sorores ſanctitate, & religione
Agatha floret, & obit.
„ præfulſit Agatha, quæ bonorum operum dives ibidem obiit incerto
„ anno: & quidem de ea in antiquo Monaſterii illius necrologio ita le-
„ gitur. VII. *Kalendas Octobris obiit ſoror Agatha, quæ fuit prima fun-*
„ *datrix hujus Eccleſiæ.*

„ VI. De Monaſterio ſanctæ Claræ Znoimæ in civitate, ab Ottogaro
„ Boemiæ Rege fundato, ut ſupra meminimus, hic denuo dicere cogi-

mur

„ mur: ad hæc uſque tempora in Minoritica paupertate primæ Clariſ-
„ ſarum,ſeuDamianitarum regulæ perſeveravit, eo ſpiritu ſancte vigente
„ in Sororibus, quo divam Claram imitari optimo corde propoſuerant:
„ & quidem ſeminarium virtutis extitit, ut in pluribus earum de Regia *Vide ſup. ad annum 1247. n.3.*
„ ſtirpe, Ducali, & Marchionali proſapiis brevi calamo præſtrinximus.
„ Nunc autem in Venceslao Ottogari filio, Boemiæque Rege in eas
„ creſcente devotione, ne a curis temporalibus, quas ſecum pauperies
„ plerumque trahit, (ut putant male aliqui) earumdem ſpiritus preme-
„ retur, bonis temporalibus regia quidem liberalitate ditavit, ut pu-
„ blicum, ac authenticum teſtimonium, quod mox ſubjicimus oſten-
„ dit.

Nos Venceslaus Dei gratia Rex Boemiæ, Dux Cracoviæ, & Sandomiriæ, Marchioque Moraviæ.

„ *NOtum eſſe volumus tam præſentibus, quam futuris, quod nos prin-* *Ex origin. tranſumpt.*
„ *cipaliter propter Deum, & fælicis recordationis dominæ Agnetæ*
„ *illuſtris Duciſſæ Auſtriæ chariſſimæ ſororis noſtræ, & animarum reme-*
„ *dium, Villam noſtram dictam* Wir Wikz, *ſitam in Villicatione noſtra*
„ *Znoimenſi, cum omnibus agris, pratis, ſilvis, molendinis, pomeriis,*
„ *piſcationibus, vineis, juribus, libertatibus, redditibus, & omnibus*
„ *pertinentiis univerſis Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium Or-* Venceslaus donat Clariſſis Villam.
„ *dinis ſanctæ Claræ in Znoima conferimus de gratia ſpeciali per Abbatiſ-*
„ *ſam & Conventum prædictum proprietatis jure in perpetuum poſſidendum:*
„ *volentes & ſtatuentes ut homines prædictæ Villæ, illa, quæ homines alii,*
„ *aliorum bonorum prædicti Monaſterii gaudere noſcuntur, utantur, &*
„ *gaudeant libertate. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras exinde ſcri-* Litteræ donationis.
„ *bi, & ſigillis majeſtatis noſtræ juſsimus communiri. Datum Brunæ per* *Vide ſup. ad an. 1274. n. 4. inf. ad an. 1327. n. 1.*
„ *manus venerabilis Petri Baſilienſis Epiſcopi Præpoſiti* W*iſkgradenſis, &*
„ *Regni Boemiæ cancellarii noſtri dilectiſsimi, anno Domini* MCCXCIX.
„ *Idib. Maii* XII. *indictione regni noſtri anno* VIII.

ARGUMENTUM.

Promulgatur annus ſacer jubilæi: excitantur ad bellum ſacrum chriſtiani, & Cardinalis Aquaſpartanus Minorita mittitur legatus in Lombardiam. Alii fiunt Epiſcopi ex eodem ſodalitio. Beati Bortholus & Vivaldus tertii Inſtituti diem ſuum ſancte claudunt. Multiplicantur cœnobia & privilegia.

I. HOc anno ſacram Jubilæi indulgentiam, omnium maximam, promulgavit Bonifacius, cujus indictionis litteræ habentur inter Pontificias ſanctiones, necnon in regeſto Vaticano. Undique ex univerſo orbe concurrebat tanta hominum multitudo ad plenam hanc peccatorum remiſſionem aſſequendam, ut advenæ & peregrini aliquando in dies ſingulos ultra cc. M. numerarentur; neque tamen in tanta hominum copia defuit annona, quin potius, quo magis populus multiplicabatur, eo amplius alimentorum proventus redundabat. Eodem etiam anno, læto accepto nuncio de pulſis e Syria Sarracenis, devictaque Hieroſolymorum urbe per Caſſanum, Argonis Tartarorum Regis filium, Sar-

Annus Jubilæi. *Jacob. Cardinalis tract. de Jub. MS. in Vatic. n. 4877. & in biblioth. Vet. Pat. tom. 13.* *Victorel. de Jubil.* *Antiquorum habet. de pœnit. & remiſſ. in extravag.* *In tom. 3. reg. in append. epiſt. 12.*

e Emil. in Philip. Pulchro. Sumont. l. 5. Marian. l. 5. c. ult. Rubeus in histor. Raven. l. 6. Marian. cit.

Sarracenorum prius ut regnum obtineret, amicum, mox chriſtianam religionem profeſſum; miſit Bonifacius ad Reges & Principes Catholicos Oratores, ut copias ſubſidiarias mitterent in Syriam, & redeunte Caſſano in Perſiam, a ſe deficientes regiones in ordinem coacturo, chriſtiani loca ſacra ſibi perpetuo conſervarent. Deinde coacto pro hac expeditione in Terram Sanctam mittenda Romæ Concilio, delegit multos præſertim ex Prædicatoribus & Minoribus Crucis prædicatores, qui ad arma cierent fideles.

Card. Aquaſpartanus legatus.

II. Mox miſit Cardinalem Matthæum Aquaſpartanum Minoritam Legatum in Lombardiam & Bononiam, ea potiſſimum de cauſa, ut Cæſenam, Forolivium, Faventiam, & Forum-Cornelii, quæ Pontificis & Romanæ Eccleſiæ detrectabant imperium, ad parendum induceret. Ille perluſtrata provincia, contulit ſe Bononiam, inde Ravennam cum rediiſſet, omnes convocavit Provinciæ Proceres, & XVI. Kal. Martii, eo loco, cui Canazoſia nomen eſt, in Ravennatum, Faventinorumque finibus conventum habuit, in quo ita egit cum Principibus, & Regulorum Oratoribus, ut plura loca Eccleſiæ & Pontificis imperio reſtituerit, & multis præclare actis laudabiliter ſua functus ſit legatione.

Fr. Henricus Epiſcopus Lucæ.

Catal. Epiſc. Luc. apud Carol. Franciotti de rebus Luc.

III. Unum vel alterum creavit hoc anno ex Minoritis Epiſcoporum Bonifacius. Fratrem Henricum aſſumpſit ad Epiſcopatum Lucanum in Etruria per mortem Paganelli Epiſcopi vacantem: *Romani Pontificis*. Kalend. Auguſti. Errat in eo auctor Catalogi Epiſcoporum Lucanorum, quod hunc ab anno MCCLXXXIV. Epiſcopatum iſtum gubernaſſe dicat, uſque ad annum MCCCXXIII. Etenim ut ex Vaticano monumento conſtat, nonniſi hoc anno fuit electus. Hic commemorare lubet Lucæ natum pium & nobilem virum noſtrum carum amicum, & Collegii hujus liberalem benefactorem, Reverendiſſimum dominum Sebaſtianum Poggium, olim Epiſcopum Ripæ Tranſonæ, quam dignitatem exuit, ut liberius & ſecurius Deo, & ſibi ſoli vacaret. Vel hoc anno vel circiter uti habet, Claudius Roberti aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Vivarienſem in Gallia ſub Archiepiſcopo Viennenſi frater Guillelmus de Falgario, de quo nos ſuperius ſæpe præfati ſumus, quem perperam citatus auctor vocat Gonſalvum Falignerium.

Claud. in Epiſ. Vivar.

Fr. Guillelmus Epiſcopus Vivarien.

An. 1278. n. 31. & an. 1284. n. 1. Marian. l. 3. c. ult.

Legenda ejuſdem.

B. Bartholus Tertii Ord. S. Franciſci.

Pronunciatur ejus ſanctitas.

IV. Obiit hoc anno pridie Idus Decembris, in Caſtro ſancti Geminiani in Etruria, beatus Bartholus presbyter Tertii Ordinis, patre Joanne Bono, matre Gentina nobilis proſapiæ Baronum de Muchio progenitus. Viginti annis abſque liberis parentes in ſancto conſortio vixerunt, donec tamdem genitrix, interventu ſancti Petri Apoſtoli cum multitudine Angelorum ſibi apparentis, filium concepit. Prædixit Apoſtolus ejus ſanctitatem, quam in ipſis incunabulis, antequam integrum annum compleret, indicio quodam mater & nutrix conſpexerunt. Prodibant enim ex ore ejus ſcintillæ quædam ignitæ & crinitæ miri ſplendoris, iis perſimiles, quas ex ferro candenti malleatoris ictus excutiunt. Quinquenniis cultrum confractum, collectis & unitis partibus, integrum reddidit genitrici, aliaque quotidie exhibebat ſigna futuræ vel jam inhærentis

Fit clericus.

ſanctitatis. Ut pervenit ad annos diſcretionis, vitam elegit clericalem, quod ægre ferens pater, modis omnibus contendit ut propoſitum mutaret. Dum vero fruſtra ſe laborare perſpexit, indigne tractavit, cujus iram ut declinaret, ad Piſarum urbem aufugit. Illic in Monaſterio ſancti Viti Ordinis ſancti Benedicti pii monachi, Pauli nomine, ſe tradidit diſciplinæ, & infirmorum curæ ſe totum dedicavit. Placuit valde Mo-

Monachis ejus converſatio, ultroque ei ſuum habitum obtulerunt. Hæſitanti an oblatum admitteret, apparuit Chriſtus Dominus totus lividus, humiliatus, & percuſſus, manu præferens flagellum, dixitque Pœnitentum ſibi obducendum habitum, & flagello recalcitrantem carnem domandam. Viſionem retulit ille quibuſdam piis Monachis, quorum conſilium fuit ut in clericali ſtatu perſeveraret, & ſub Inſtituto Tertii Ordinis ſancti Franciſci pœniteret. Sumpto ille habitu & ſune nodoſo, quo tamquam flagello utebatur, interdixit ſibi eſum carnium diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, & in vigiliis Eccleſiaſticis panem dumtaxat & aquam admittebat. Bis in die divinum recitabat officium; poſt mediam noctem, quo tempore matutinum penſum perſolvebat, cubitum non redibat; ſed ante altare Eccleſiæ veluti immobilis, & extra ſe raptus manebat. *Pœnitentum ſumit habitum.*

V. Invidit communis hoſtis tantæ adoleſcentis virtuti, excitavitque in quadam puella Monaſterio vicina concupiſcentiæ flammas, & potiundi Bartholi vehemens deſiderium. Re tamdem ſuæ genitrici patefacta, ac inter eas decreto, ut honeſte res perageretur, atque in puellæ virum aſciſceretur, miſſi ſunt, qui de hoc conjugio cum eo pertractarent. Nuncios remiſit, & puellæ matrem hoc ipſum repetentem acriter increpavit; ad cujus verba magno perfuſa rubore, ad pedes proſtrata veniam petiit, atque ut pro filiæ extinguendo ardore deprecaretur, oravit: confeſtim ille ingenua provolutus oravit, neque inaniter; nam dum mulier domum rediret, invenit filiam animo omnino pacatam, atque ab omni concupiſcentia alienam. Non tamen hic concluſæ hoſtis inſidiæ, ſed novas præſtruere tentavit, & quem per mulierem non potuit, per ſemetipſum ſuperare molitur. Specioſæ puellæ formam in memoriam revocat, quam vehementer eum dilexerit, opponit; non rependere vices amanti valde ingratum eſſe convincit; non eſſe prohibitum conjugium chriſtiana lege demonſtrat; & demum multas vehementeſque harum rerum ſpecies immittit oranti. Mox hæc ſecum cogitanti in forma ipſius apparet juvenculæ, blandis & ſuaviuſculis verbis perorantis, ut amore languentis vellet miſereri. Dœmonis has artes eſſe ſubodorans, periculoſas excuſſit cogitationes, & ſigno crucis ſe munivit, per quod hoſtis protinus aufugit, liberque remanſit ille ab omni tentatione. Trigeſimum agens annum, jubente Volaterrano Epiſcopo, ſacros Presbyteratus ſuſcepit Ordines, pauloque poſt in caſtro de Pecciolis celebranti apparvit palam Chriſtus crucifixus. Ibidem cuidam nebuloni ſibi exprobranti; & a Domino muto effecto, pie & mirabiliter ſuis precibus loquelam reſtituit. *Tentatur a fœmina. Deinde a diabolo. Sacros presbyteratus ſuſcipit Ordines. Apparet ei Chriſtus.*

VI. Poſt annos decem presbyteratus, electus eſt Rector Eccleſiæde Pichema, cujus proventus, reſervatis ſibi ad tenuem victum & veſtitum omnino neceſſariis, in pauperes erogabat. Hoſpitio pauperes quoſque & pios viros excipiebat, religioſos, præcipue Minoritici Inſtituti, quos ſumme diligebat, omnibus proſequebatur obſequiis. Adventantibus peregrinis, & religioſis pedes lavabat, lectum ſternebat, prandium ſuis manibus parabat, & humiliter in menſa ſerviebat. Horum operum etiam in hoc mundo præmium accepit; nam & Chriſtum Dominum hoſpitio meruit excipere ſub ſpecie pauperis mendici, quem e magna pluvia in domum ſuam, vel nolentem aut fingentem ſe longius ire retraxit; cibo refectum ad lectum noctu deduxit. Sed dum ipſe pro more oraret in cubiculo, audivit vocem dicentem ſibi: *Barthole hoſpes factus es Chriſti*. Con- *Hoſpitalitatem exercet. Chriſtum hoſpitio recipit.*

ſurgens ſtatim abiit ad locum, ubi pauperem cubantem reliquit; ſed neminem reperit.

Fœda lepra percutitur.

VII. Occulto & incomprehenſibili judicio ſervum ſuum annum agentem quinquageſimum ſecundum fœdiſſima lepra Dominus percuſſit, ut igne tribulationis defœcatus, quaſi aurum puriſſimum rutilaret. Abiit ad caſtrum ſancti Geminiani remedium tanto malo petiturus; ſed illud unicum eſſe dixit medicus, ſi veneri indulgeret. Abhorrens medici conſilium, patienter morbum ferre decrevit, potius leproſum, quam luxurioſum in Dei conſpectu apparere deſiderans. Obtinuit itaque ab oppidanis domunculam in Villula de Cellulis per M. P. ab oppido diſtantem; in qua aſperum hoc pro Chriſti amore carnis ſupplicium tulit patienter. A planta pedis uſque ad verticem capitis nulla fuit in eo ſanitas, & velut alter Job in ſterquilinio ſedens, per ſingulas corporis partes vehementiſſimos ſenſit cruciatus. Mortificata namque carne, deciderunt ungues & capilli, naſus putrefactus, oculi deturpati, in manibus & pedibus digitorum ſunt convulſæ juncturæ. Demum per totum corpus corrodentibus vermiculis, ipſa carne per diſſipatas partes diffluente, nervi carne expoliati, nitidi apparebant. Sic marceſcens humoribus, privatus luminibus, laceratus ulceribus, putrefactis viſceribus, per viginti annos vili ſtrato decumbens, non ſolum impatientiæ verbum non protulit, ſed frequenter gratias Deo referebat, & excreſcentibus doloribus, Deum ſua dona augere dicebat. Dei profecto dona eſſe ſolent labores & calamitates, quibus ſuos ſervos non punire, ſed probare cognoſcitur; neque enim ſemper pœnæ ſunt peccatorum mala quæ Dominus infligit, ſed vel occultæ virtutis indicia, vel majorum ſemina meritorum. Qui graviter, ſed patienter paſſus eſt, aperte hoc dixit: Deum aliquando multiplicare *vulnera etiam ſine cauſa*; quod & ipſa veritas ſua confeſſione probavit, dum Satanæ objecit: *Commoviſti me adverſus eum, ut affligerem eum fruſtra*. Fruſtra quidem Dominus Job percuſſit, quia nullum in eo percuſſio terſit peccatum; verumtamen meritum auxit, & robur pacati pectoris oſtendit. Non itaque ex hac parte fruſtra Dominus afflixit Job *Servum ſuum, cui non erat ſimilis in terra, virum ſimplicem, & rectum ac timentem Deum, & recedentem a malo, & adhuc retinentem innocentiam*. Neque abſque cauſa Bartholum hunc ulcere peſſimo percuſſit: *Erat enim neceſſe ut ſancti viri Deo ſoli, ſibique cogniti, quanta virtute pollerent, ad imitandum cunctis innoteſceret. Aperta namque aliis virtutis exempla non darent, ſi ipſi ſine tentatione remanerent. Actum eſt ergo, ut vires eorum cunctis imitanda ipſa vis percuſſionis oſtenderet, & flagella proderent, quod in tranquillitate latuiſſet. Sed eiſdem flagellis crevit virtus patientiæ, atque ex dolore verberis, aucta eſt gloria remunerationis*.

Quare Deus innocentes aliquando affligit.

Job 9. 17.

Job. 2. 3.

Gregor. l. 3. mor. c. 2.

Ejus virtus in tribulatione.

VIII. Et ſane probata virtus Bartholi magis emicuit, dum in miſerrimo ſtatu poſitus, & fœdiſsimo morbo percuſſus, aliorum nihilominus malis & morbis medebatur. Multi eumdem viſum veniebant, qui in tanta calamitate robur animi & patientiæ virtutem admirabantur; & dum conſolari ægrum cupiebant, potius conſolationem reportabant. Quidam ex Florentino comitatu amicus per diem integrum apud eum remanſit, cui cum apponi menſam juberet, pia fœmina, quæ illi inſerviebat, panem nullum ſupereſſe reſpondit: monuit ille, in ſcrinio latitare; negavit illa ſemel ac iterum, dicens ſe paulo ante inveſtigaſſe nec quidquam reperiſſe: illo tamen inſtante, rediit, & ubi nullum antea con-

Probatur miraculis.

conſpexit, invenit panes duos albiſſimos, atque recentes. Alter ejus amicus Joannes nomine, dum quadam vice eum viſitaret, & rogante ipſo Bartholo, pedum ungues præſcinderet, facile primus digitus, quem manu tenuit, e pede avulſus eſt; ita enim computruerant nervi, ut nullo tenerentur articuli ligamine. Nihil ſenſit Bartholus, ſed dum factum referret amicus, rogavit ut ſuo loco digitum reponeret; fecit ille, ſtatimque firmiter adhæſit nova compagine nervorum membrum avulſum. Quædam mulier de territorio ſancti Geminiani *Bella* nuncupata, ſeptem ficis apoſtematicis, & continuam ſaniem emittentibus periculoſe laborans, ad Dei ſervum accedens, ejus meritis deſideratam obtinuit ſanitatem. Quibus aliiſque miraculis permoti quamplurimi ex convicinis populis, necnon Volaterrani, Florentini, & ex remotis partibus ad eum confluebant, atque ex omni genere, ſtatu, & ſexu, nobiles, & ignobiles, juvenes, & ſenes abſque ullo horrore illi aſſidebant, cum eo manducabant in eadem paropſide, nullum fœtorem, ſed ſuaviſſimum ſentientes odorem: quod pro maximo & continuo reputabant miraculo.

IX. Dum autem ardentiſſima mentis contemplatione felicitatem meditaretur æternam, alta voce clamavit: *Tempus eſt Domine; jam tempus eſt, ut me ex hoc ergaſtulo dimittas in pace*: cui ſequenti nocte apparens Chriſtus innumeris circumdatus Angelorum agminibus, dulci voce prædixit, octavo poſt die ad cœlos aſcenſurum. Diſparente tota illa multitudine cœleſti, remanſit ſolus unus Pontificiis indutus paramentis, quem dum Bartholus interrogaret, quiſnam eſſet, aut cur ceteris abeuntibus, ille ſolus remaneret? reſpondit ſe Geminianum Epiſcopum, & illius loci patronum eſſe: *atque hic*, inquit, *ſiſtere juſſus ſum, ut tibi prædicam te meum fore comitem in hoc Caſtro tuendo, cui compatronus a Domino es deſignatus. Moneerim itaque ne corpus tuum alibi, quam intra mœnia Caſtri ſancti Geminiani ſepeliri præſcribas: futurum eſt enim, ut quemadmodum per me hucuſque conſervatum eſt & magnificatum; ita per te amplius condecoretur*. Cœleſtibus obſequutus monitis, ſui teſtamenti tabulas quas antea conſcripſit, adferri juſſit, in quibus ſepulcri locum mutari voluit; prius enim ſtatuit ſepeliri ad oppidum de Cellulis. Adveniente igitur tempore ſibi a Chriſto conſtituto, accepit devotiſſime Eccleſiæ Sacramenta, ſed præcipue ſacroſanctæ Euchariſtiæ, cui reverenter nullo adjuvante aſſurgens, oravit ferventer, ut jam tamdem permitteretur ex hac lacrymarum valle diſcedere, & putridum corpus liceret exuere, quod glorioſus in reſurrectione ſperabat ſuperveſtire. Quibus in verbis ſpiritum reddit Creatori, die ſuperius commemorato, ad auræ diluculum. Suaviſſimus autem odor ex corpore emanavit, & mira claritas ſuper illud e Cœlo deſcendit.

Prædicit ei Chriſtus tempus mortis.

Sancte moritur.

X. Concurrerunt protinus homines innumeri ad ſanctum cadaver deoſculandum, & tanta devotione feretrum circumdederunt, ut per tres integros dies non potuerit ſepeliri. Adveniente demum univerſo clero, & ex regularibus pleriſque, cum hymnis & canticis deductum fuit corpus ad caſtrum ſancti Geminiani, & ſepultum in Eccleſia ſancti Auguſtini. Sed antequam exportaretur, dum pia illa fœmina, quæ ei inſerviebat *Stella*, nomine, adſtaret feretro, & devote fleret, conquerens ſe ab eo derelictam, elevato brachio, manum ejus valide tenuit per horas quinque, neque potuit toto hoc tempore illam retrahere, admirantibus cunctis, qui adſtabant, mortui erga ſuam benefactricem admirandam gratitudinem. Eodem etiam die quædam fœmina Benevenuta tres annos

Varia ejus miracula poſt mortem.

nos contracta, ad ſancti Viri funus adducta, integram obtinuit ſoſpitatem: Necnon puella quædam morbum moleſtum (quem vermem communem appellant) in brachio perpeſſa. Ad ejus etiam ſepulcrum curati innumeri cæci, ſurdi, apoſtematici, vulnerati, energumeni, contracti, & morbo caduco laborantes; navigantes in mari ejus meritis a naufragio liberati, & unus in articulo mortis conſtitutus, ſed & puer jam defunctus ad vitam revocati. Hujus ſancti Viri legenda fuſius ſcripta typis evulgata eſt Florentiæ anno MDLXXV. & de eodem agit Philippus Ferrarius ſub Idibus Decembris in novo catalogo generali Sanctorum, quos præter eos, qui in Martyrologio Romano habentur, collegit.

Marian. lib. 3. cap. 15. Legenda MSS. ejuſdem. B. Vivaldus. XI. Aliquot menſibus poſt Bartholi deceſſum, obiit ejuſdem diſcipulus beatus Vivaldus, quem ſanctis exhortationibus & pietatis exemplo ad Chriſtum reduxit, atque ut eumdem ſecum Tertii Ordinis habitum aſſumeret, perſuaſit. Elegit ſibi habitaculum in nemore rotundo apud Camporenam VIII. M. P. a caſtro ſancti Geminiani in veteris caſtaneæ concavitate, ubi reliquam vitam in magna pœnitentia, continuis lacrymis & orationibus tranſegit. Tranſitus ejus fuit admirabilis; nam cum prima die Maii animam egiſſet, campanæ omnes Caſtri Montaoni per ſe ipſas, nullo mortalium trahente, perſonuerunt: quapropter omnes oppidani merito obſtupefacti, rei admirandæ cauſam inveſtigabant; neque tamen attingere poterant, donec quidam ex venatione regreſſus, narravit, canes ſuos caſtaneam circumdediſſe, & magno latratu, mirifque ſignis indicaſſe Virum ſanctum ibidem latitaſſe; ſe vero introſpexiſſe, & flexis genibus adorantis modum in cava caſtanea mortuum repperiſſe. Mirabilis ejus mors. Patefacta jam miranda cauſa, ceſſavit mirabilis ſonitus campanarum, & populus univerſus accurrit ad locum, & ſanctum cadaver honorifice deportans, ſolemniter tradidit ſepulturæ in Eccleſia caſtri prædicti: deinde illo quo obiit loco Eccleſiunculam conſtruxit in beatæ Mariæ honorem, & Vivaldi memoriam, cujus meritis plurimi multa receperunt a Deo beneficia.

Conv. Nociti. XII. Extructa circa hunc annum plura Minoritarum domicilia. Prope oppidum Nociti in Calabria Conventum ædificavit quædam Marchioniſſa, exiguum tamen & paucorum Fratrum capacem. *Gonza. in Prov. Calabriæ Con. 1.* Ibidem obiit frater Matthæus Citrarius Sacerdos; qui cum adhuc bene valeret, præſago, ut creditur, ſpiritu, patri Guardiano humiliter ſupplicavit, ut ſibi *Fr. Matthæus Citrarius.* poſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem, extremæ Unctionis ſacramentum miniſtrare vellet: quo tamen, quod bene omnino valeret, denegante, ſubjecit, ut ex caritate accelerarer; quandoquidem poſt primum campanæ pulſum, quo fideles ad ſalutandam veſpertino tempore Virginem glorioſam monentur, ſibi ex hac vita ad ſuum Creatorem migrandum foret. Idque certiſſimus rei eventus comprobavit. Cum enim poſt peracta circa eum omnia, quæ ad tantum iter neceſſaria ſunt, primus campanæ pulſus, poſt ſolis occaſum, auditus fuit, religioſiſſimus is pater Viatico, extremaque Unctione præmunitus, ac meritis opimus, animam exhalavit.

Conv. Agrigenti. XIII. In Sicilia Conventus Agrigenti ante vel circa hoc tempus ædificatus eſt; etenim in quodam chori libro ita ſcriptum habetur. *Rodul. in Prov. Siciliæ & cuſtod. Agrigenti.*

Explicit, hunc librum qui ſcripſit, vadat in Paradiſum.
Vivit in cœlo Jacobinus de Milite in nomine fœlix.

Hoc opus ſancti Franciſci de Agrigento notatum eſt per manus Presbyteri Matthæi de Caſtro Joanne, anno MCCCVII. XXVI. *Februarii Indictione* V.

Flo-

Floruit ibidem frater Matthæus ſancti Bernardini ſocius, Doctor Theologus, & nominis Jeſu præco ferventiſſimus. Factus Epiſcopus Agrigentinas, omnes facultates in pauperes erogabat: quare accuſatus apud Pontificem Romanum a quibuſdam qui ſibi potius, quam egenis vellent Eccleſiæ bona diſtribui, ſponte renunciavit dignitati, & conſtruxit Conventum Panormi, in quo modo habitant Fratres Obſervantiæ. Moriens Panormi ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Franciſci; ſed poſt aliquot menſes translatum eſt ejus corpus ad Eccleſiam novi Cœnobii a ſe conſtructi. Floruit etiam in eodem Conventu Magiſter Andreas Scaleſo Agrigentinus.

Conv. Sangueſæ.

Idem in Provin. Cantab. Con. 8. Monumen. MSS. ejuſdem Provinc.

XIV. Tranſtulit circa hunc annum ad oppidi Sangueſæ penetralia Theobaldus III. Navarræ Rex Conventum Minorum, quem extra conſtruxiſſe fertur ſanctus Franciſcus in peregrinatione Hiſpanica prope Eremitorium ſancti Bartholomæi. A Pio V. translatus eſt a Patribus Conventualibus ad Obſervantes Provinciæ Cantabriæ, & ab his ad Patres Burgenſis Provinciæ tranſivit anno MDCII. ſimul cum Conventu Pampilonenſi, pro quibus alios duos reddiderunt. Ad primævi Conventus veſtigia adhuc videre licet morum prægrandem, quam ſanctum Franciſcum plantaſſe tradunt, & vel ob hanc ſolam opinionem cum devotione ejus fructus decerpunt & porrigunt infirmis.

Conv. S. Geneſii.

Rodul. in Prov. Marchiæ & Cuſtod. Firmana. Monumen. MSS. ejuſdem Prov.

XV. Ante hunc annum extructum Conventum ſancti Geneſii in Provincia Marchiæ, & Cuſtodia Firmana, ex eo fertur quod anno MCCCV. Dominus Ramboctus Camerini Epiſcopus vendiderit in uſum Fratrum Nicolæ Palmerii de Macerata, Syndico, domum quamdam poſitam in Caſtro ſancti Geneſii, quæ dicebatur Capella Caſtelli, cum platea, quæ eſt ante dictam domum juxta viam publicam, & campanas duas quæ fuerunt ibidem pro pretio centum & decem lib. Antiquiorem adhuc eſſe inſinuat bulla Innocentii IV. ibidem aſſervata, & Eccleſia erat ſatis vetuſta, quam a quibuſdam Monachis obtinuerunt Minoritæ. Ejuſdem vetuſtatis judicatur Conventus Montis Milonum in Cuſtodia Camerini; licet in recentiori Eccleſiæ janua poſtea extructa, inciſus ſit annus MCCCLXXVIII. Indictione XI. Conventus Molliani Cuſtodiæ Firmanæ receptus fuit circa hunc annum, ut patet per diploma Jacobi Epiſcopi & Principis Firmani ibidem aſſervatum. Datus eſt poſtea Fratribus Obſervantibus, & Conventuales acceperunt eum locum, quem modo incolunt, anno MCCCLXIII. Kalend. Novembris, ut conſtat ex ſcripturis eorumdem. Jacet ibidem beatus Jacobus de Falerono præceptor beati Joannis de Alverna.

Convent. Montis Milonum.

Conv. Molliani.

Conv. Roſſenſis.

Monum. MSS. Prov. Hiberniæ.

XVI. Monumenta mox producenda docent, vetuſtum & ante hunc annum extructum eſſe in Hibernia apud Roſſipontem, Anglis *Roſſe*, Hibernis *Roſſmichbrivin* tunc villam, mox civitatem, in comitatu Vexfordiæ & diœceſe Fernenſe, ab amplo murorum circuitu, & commodo maritimo portu olim percelebrem. Fuit hæc urbs mercimoniis opulenta, & habitatoribus frequens; ſed ob ſacrilegium, & truculentam quorumdam Minorum necem, populari furore intra ipſa Fratrum clauſtra ſceleſte perpetratam, diris modis devota civitas ita paulatim defecit, ut jampridem nihil priſtini ſplendoris appareat. Conventus extructus eſt a Domino Joanne Deuroxe ad Beauru, ſeu Birgi fluminis ripam, ubi naves exonerabantur, conceſſa etiam Fratribus omni auctoritate exigendi a nautis, & mercatoribus univerſa, quæ antea ſolvebant prædicto Domino, cujus erat fundus, & illa pars navalis ad quam extruxit domicilium. Aliquale erat

hoc

hoc emolumentum; quippe magno conatu & tumultu cives id ſibi adſcribere conati ſunt, donec Henricus VI. anno ſui Regni octavo diplomate regio dato Dublinii, ſub Jacobo Butlero Comite Ormoniæ Regis locum tenente in Hibernia, confirmavit jus antiquum a ſuo fundatore Fratribus conceſſum. Aliud ſuppetit Eduardi II. diploma, quo anno II. ſui regni voluit ambitum murorum, quibus cives villam munire parabant (licet Camdenus eos, quibus modo vallatur, tribuat Iſabellæ Richardi Strangbou filiæ) eouſque circumduci, ut Fratrum etiam domicilium & aream comprehenderent: ad ſumptuum vero incrementum conceſſit eis, ut quodam privilegio ſui patris Eduardi de exigendo quodam tributo, frui poſſent per triennium ultra tempus ab eodem conſtitutum. Cepit autem Eduardus regnare anno Chriſti MCCCVII. In Annalibus etiam Joannis Clyn; de quibus egimus alias habetur, obiiſſe anno MCCCXXXIII. pridie Nonas Martii, Dominica IV. Quadrageſimæ fratrem Adamum de Callan virum probum, omnibus amabilem, Guardianum Roſſipontenſem, qui eo munere functus eſt per viginti quatuor annos continuos. Celebratum etiam ibidem Capitulum Provinciale anno MCCCXVIII. & in capitulo celebrato apud Clariam, anno MCCCXLVI. refertur, quinque cuſtodias Provinciæ Hiberniæ, quas ſupra enumeravimus, reductas eſſe ad quatuor, & Conventum hunc Roſſipontis, qui erat cuſtodiæ Caſſellenſis, adjudicatum fuiſſe cuſtodiæ Dublinienſi. Attamen circa cuſtodiarum reductionem ad quaternarium numerum dubium inde ſuboritur, quod Bartholomæus Piſanus, qui anno MCCCXCIX. ſcripſit ſuum opus de conformitatibus, quinas adhuc recenſeat cuſtodias, & ſub Caſſellenſi hoc Cœnobium reponat: quare vel error eſt in priori numero, vel illa reductio Piſanum latuit, quod minus probabile eſt; quippe quinquaginta & amplius annis jam factam facile ſciret vir ſolertiſſimus in his rebus indagandis, præſertim cum opus ſuum remiſerit corrigendum ad Patres Capituli Aſſiſiatis prænumerato anno celebrati, cui etiam ex officio debuerunt intereſſe Patres Hiberni. Modo ædificium totum collapſum eſt, in quo dum aliqui hæretici habitare voluerunt, cæſi, flagellati, atque inde expulſi ſunt a Fratribus eiſdem nocte apparentibus, nolente Domino permittere locum divino cultui deputatum, pollui hæreticorum inquinamentis. Cujuſdam ſancti Fratris corpus ibidem ferunt tumulatum.

Camden. in Hibern. & Provin. Lagenia.

Tom. 1. an. 1214. n. 11.

Tom. 4. an. 1260. n. 14.

XVII. Scripſit hoc anno Pontifex ad Epiſcopum Averſanum, ut curaret inducere Moniales ſancti Gregorii Neapolitanæ urbis, ut commutarent cum Minoritis ſancti Laurentii hortum quemdam Fratribus ſumme neceſſarium, alio ſibi æque commodo: *Ex parte dilectorum*. Kalend. Februarii. Eaſdemque litteras denuo remiſit ad Lectorenſem, qui tunc Neapoli degebat, & Averſanum Epiſcopos XV. Kalend. Julii. Quæ alias ſtatuiſſe diximus Pontificem circa ſepulturæ jura, & canonicas portiones, amplius hoc anno explicat: *Nuper ut diſcordia*. VI. Kalend. Junii. Minoritis Anagninis degentibus extra civitatem in colle de Porto, conceſſit Eccleſiam ſancti Matthæi, & domum contiguam, quæ erant Fratrum Ordinis ſancti Guillelmi, & Eccleſiam ſancti Stephani de Portario, quæ erat clericorum ſecularium, ut infra illarum ambitum commodum ſibi ædificarent domicilium, & facilius vacarent confeſſionibus, prædicationibus, & animarum ſaluti: *Dum fructus uberes*. XVI. Kal. Auguſti. Ad inſtantiam Iſabellæ Principiſſæ Achajæ applicat Monaſterio Clariſſarum ab eadem extructo in diœceſi Olenen. redditus Eccleſiæ ſanctæ Ma-

riæ

Privilegia Minorum.

An. 1295. n. 18.

Rodul. in Prov. Romana, & Cuſtodia Campaniæ. In litteris Cameral. n. 17.

riæ de Camina: *Affluentis devotionis*. Kalend. Novembris. ,, Circa hunc
,, annum inhibuit, ne deinceps Prædicatores, Minores, aut alii Reli- ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
,, gioſi Mendicantes in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocum-
,, que ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere,
,, ſeu hactenus recepta mutare, vel ex venditionis, permutationis, do-
,, nationis, aut cujuſvis alienationis titulo quocumque in alios transfer-
,, re præſumerent, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Habetur
,, hæc prohibitio in corpore Juris in 6. tit. de exceſſibus Prælatorum. ,,
Fratri Porchetto de Spinola, qui nuper, uti indicavimus, curam Epiſco- *An. 1299. n. 3.*
palem Januenſis Urbis depoſuit, commiſit, ut pacem & concordiam in-
ter Januenſes, & Carolum Regem conſolidaret.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. ANnus hic Jubileo datus a Bonifacio VIII. plurimas ad Urbem
,, acivit gentes, inter quas plures Principes numerabantur: at
,, omnibus videbatur prævalere Carolus Valeſius alti animi, & perma- Carolus Valeſius petit a Pontifice Imperator fieri.
,, gni deſiderii: hic ſiquidem a ſummo Pontifice lucratis indulgentiis,
,, ob quas primum Romam adiiſſe exiſtimandum puto, ſibi licitum fieri
,, Imperium Conſtantinopolitanum adoriri, & acquirere poſſe variis
,, adductis rationibus juribus conſentaneis, petiit; non fuit difficilis
,, Papa, qui per eum, ut Imperatorem Orientis, Paleſtinæ res melius
,, proſperari poſſe credebat. Carolo igitur ſine contradictione petita
,, conceſſit, ſed non trabea nec Imperiali ſceptro donavit, invenit ni-
,, hilominus quo illum cum honore remoraretur; diſſidentes enim inter
,, ſe Guelphos, & Gibellinos Florentiæ, qui mutato nomine *Albi &* Guelſi & Gibellini Italiam turbant.
,, *Nigri* vocabantur, Italiæ pacem interturbabant, ut eos componeret,
,, ſed fruſtra dimiſit; cum ipſe interea pro rebus Paleſtinæ ſubſidia quæ-
,, reret; ſcripſit enim diverſis Principibus, ut eos moveret ad ſubſidia
,, ferenda Chriſtianis illis in regionibus a turpibus Sarracenis ad extre-
,, mum oppreſſis; & Joanni Britanniæ Duci: *Gaudemus &c.* IV. Kalen.
,, Octobris: & *Ecce quidem Fratres &c.* II. Kal. ejuſdem menſis: ſcri-
,, pſit pariter Regi Franciæ commemorans illi ſanctum Ludovicum Re- Lit. Pontif. pro Terra ſancta.
,, gem: *Recordare Rex &c.* XV. Kal. Auguſti: ſed Fratribus noſtris
,, Mare magnum conceſſit: *Super cathedram &c.* XII. Kal. Martii.
,, II. Florebat interea Guillelmus *de la Mare* Anglus ſacræ Theolo-
,, giæ Doctor, & profeſſor Oxonienſis, vir ingenio & eruditione non *Indic. ex Oder. n. 20. 27. 31.*
,, tantum, ſed etiam vitæ ſanctimonia conſpicuus: diligens D. Bona-
,, venturæ ſectator, in multis opinionibus ſancti Thomæ de Aquino ad-
,, verſabatur: nomen ſuum his operibus poſteritati commendavit: ſcri-
,, pſit enim ſuper Magiſtrum ſententiarum libros quatuor: Lecturas
,, ſcholaſticas, librum unum: Reprehenſorium Divi Thomæ, librum
,, unum; contra quod ſcripſit Ægydius Romanus librum, quem inſcri-
,, pſit Defenſorium D. Thomæ, & prodiit Coloniæ anno MDCXXIV. De-
,, fenſorium D. Bonaventuræ librum unum: annotationes in eumdem, *Abb. Trith. de ſcriptor. Eccleſiaſt. ad an. 1208.*
,, lib. unum: de arte muſicali librum unum: quodlibeta ſophiſtica librum
,, unum, & alia nonnulla: floruit hoc anno, ejuſque meminit Abbas Philippus Nurſinus pietate clarus.
,, Trithemius. Sed Philippum Nurſinum humilitate, oratione, medita-
,, tione, & abſtinentia claruiſſe etiam hoc anno Thomas Mantuanus in
,, ſuo catalogo notavit.
,, III. Etiam beata Conſtantia Tertii Ordinis ſancti Patris Franci-
ſci,

„ ſci, ſoror & germana beatæ Cunegundis, & beatæ Julentæ migravit „ in cœlum hoc anno, ſepulta Leopoli in Eccleſia ſanctiſſimi Corporis „ Chriſti die xx. Octobris, ut ſcribit Dugloſſen. in vita ſanctæ Cunegundis, & Martinus Baronius in Catalogo Sanctorum. Sclaramunda „ pariter Vidua Majoricarum Regina, ſanctæ memoriæ mulier, & filia „ vera beati Patris Franciſci, & Mater pientiſſima Jacobi Majoricarum „ Regis, & Sanciæ Reginæ Neapoli florebat hoc anno, ibidem honorifice ſepulta jacet die xxii. Julii.

Martin. Baron. in Catal. fol. 55.

Sclaramunda Vidua floret.

„ IV. Interea piiſſimus Princeps Waldemarus Elector & Marchio „ Brandeburgicus ſuis ſumptibus Monaſterium in ſua civitate Ducali „ Sagano, una cum prægrandi Eccleſia ſub patrocinio SS. Petri, & Pauli „ Apoſtolorum fundavit, in eoque Fratres Minores Nudipedes collocavit: Saganum autem civitas in diœceſi Wratiſlavienſi prope fluvium „ Borberum, ad confinia comitatus Luſatiæ jacet; diſtat a Metropoli „ in caurum xvii. m. p. Germanicis.

Chron. MSS. Prov. Boem. Sagan.

„ V. Alberti Gonzagæ ex Ordine Minorum ad inſulas Yporiæ, vel „ Eporediæ a Nicolao IV. aſſumpti caritate & opera Monaſterium ſub „ invocatione ſanctæ Claræ eadem in Urbe pro Sanctimonialibus, lapidi „ marmoreo ad oſtium ejuſdem caracteribus Gothis inciſis, legenti „ oſtendunt; ſunt autem ſequentes.

Monaſter. ſanctæ Claræ Yporienſe conſtruitur ab Alberto Gonzaga.

„ *Annis millenis tritenis carmine denis*
„ *Iſta beata domus jam Claræ dicitur almæ*
„ *Divam ſalutent, foveant Franciſci nobilis alæ:*
„ *In Domino creſcat locus, Ordine, pace quieſcat:*
„ *Templum dotavit, conſtruxit, ordiquenavit*
„ *Præſul condignus Albertus noſter benignus*
„ *Inſtructor morum, quem comprobat Ordo Minorum*
„ *Mantua ſicque probum contulit illa virum,*
„ *Gonzagæque domus, quæ dominatur ibi*
„ *Sit tibi tuta via Genitrix & Virgo Maria.*

„ Albertus igitur Gonzaga Yporienſis Epiſcopus zelo Religionis ampliandæ motus, habito conſenſu a ſuæ Cathedralis Eccleſiæ Capitulo, „ emptis proprio ære in Rucha, ut ajunt, ſancti Mauritii a Dominis „ Odone Stria, & Bonifacio pariter Stria, necnon a Joſepho de Talliendis „ domibus, pro prætio librarum imperialium quatuor centum quinquaginta, ut ex libro Manuali ejuſdem Monaſterii conſtat, eas hoc anno „ in regularem domum conſtruere ſatagebat: interea tamen nonnullas „ mulieres pias, honeſtas, atque Religionem affectantes, non autem „ ſub certa regula viventes, in eas congregavit, ibi ita manſuras uſque „ donec opere completo, in Monaſterium locus rite & publice tranſiret: „ laudabat univerſa civitas ſui Præſulis liberalem pietatem, omnimode „ ſtudioſam ſalutis animarum; Et Adoleſcentulæ concipientes gratiæ „ Divinæ cœleſtes defluxus ſeculi fugam cum prudentibus maturabant, „ & ut Jeſu, quem ſibi in ſponſum deligere meditabantur, circumornatæ omni cum decore & honeſtate obviarent, ſedulæ in operibus virtutis ſeſe exercebant: & quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, factum eſt, ut Antiſtes pluſquam eredi poſſet, acceleraret ædium „ ſtructuram, & neceſſariam auctoritatem meditatum Monaſterium „ aperiendi ſub invocatione, & patrocinio ſanctæ Claræ, ut habebat in „ votis, procuraret, quod quidem ſuo loco & tempore ad Omnipotentis laudem apparebit.

Inf. ad an. 1303. n. 3. & ſeq.

RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

JOANNES XX. ALIIS XXI.

Electus eſt anno MCCLXXVI. *Idibus Septembris.*

ANNO CHRISTI 1276. JOANNIS XX. ANNO I.

BULLA I.

Ut confirment electionem Epiſcopi Lechlinenſis. Reg. Vat. epiſt. 3.

Epiſcopo Clonferten. & dilectis filiis Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Ordinum Dublinen.

§. I. EX parte dilectorum filiorum Decani, & Capituli Eccleſiæ Lechlinen. fuit expoſitum coram nobis, quod eadem Eccleſia Lechlinen. olim per mortem bonæ memoriæ T. Epiſcopi Lechlinen. Paſtoris regimine deſtituta, iidem Decanus & Capitulum die ad eligendum præfixa, prout moris eſt, convenientes in unum, vocatis & præſentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode intereſſe, Spiritus ſancti gratia invocata, dilectum filium Magiſtrum N. Archidiaconum Lechlinen. virum ſcientia præditum, vitæ ac converſationis honeſtæ, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, in ſuum, & ejuſdem Eccleſiæ Lechlinen. Epiſcopum & paſtorem canonice ac concorditer elegerunt. Cumque Dublinen. Eccleſia, cui præfata Eccleſia Lechlinen. Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, Paſtore, ſicut dicitur, vacet ad præſens, ac ſanctæ Trinitatis, & ſancti Patritii Eccleſiarum de Dublinen. Capitula, ſive Canonici inter ſe invicem ſuper jure electionis Metropolitico ipſius Dublinen. Eccleſiæ non modicum diſſentiant, & diſcordent, dicti Decanus & Capitulum Lechlinen. ſuper electione ſua de dicto Archidiacono in eorum Eccleſia celebrata recurſum ad Sedem Apoſtolicam habuerunt, electionem eamdem confirmari per Sedem Apoſtolicam inſtanter, & ſuppliciter poſtulantes, præſertim eum, ſicut aſſeruit electus, ipſe propter viarum timenda diſcrimina, Sedem eamdem perſonaliter adire nequiverit, confirmationis ſuæ beneficium petiturus.

§. II. Cum autem nobis apud Sedem prædictam de meritis electi & electionis hujuſmodi plene liquere non potuerit, prædictorum Decani & Capituli ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiſita de modo electionis, eligentium ſtudiis, & Electi meritis, diligentius veritate, ſi electionem ipſam inveneritis de perſona idonea canonice celebratam, eamdem auctoritate Apoſtolica confirmantes, ac ipſum Electum in poſſeſſionem bonorum ipſius Epiſcopatus in-

inducentes, faciatis eidem munus conſecrationis impendi, ſibique de perſonis & ſubditis ipſius Eccleſiæ Lechlinen. obedientiam debitam, & reverentiam exhiberi. Contradictores &c. Non obſtante indulgentia Sedis ejuſdem, per quam Fratribus veſtrorum Ordinum, filii Prior & Guardiane, dicitur eſſe conceſſum, quod de negotiis, quæ ipſis a Sede Apoſtolica committuntur ſe intromittere minime teneantur. Alioquin eadem electione rite caſſata, facias ipſi Eccleſiæ Lechlinen. per electionem vel poſtulationem canonicam de paſtore idoneo provideri. Quod ſi non omnes &c. uſque *exequaris*. Nolumus autem quod per commiſſionem hujuſmodi factam vobis hac vice aliquid Eccleſiæ, vel Archiepiſcopo Dublinen. qui pro tempore fuerit, ſive alicui perſonæ in poſterum præjudicium generetur.

Datum Viterbii IV. Kal. Octobris anno I.

II.

Confirmat erectionem Collegii in Inſula Majoricenſi, in quo Minores addiſcant idioma Arabicum. Reg. Vatic. epiſt. 54.

Nobili viro Jacobo nato claræ memoriæ Regis Aragonum.

§. I. Laudanda tuorum progenitorum veſtigia, in quibus devotionis & fidei zelus reſplenduit, ſtudiis ſalubribus imitans, & tamquam filius benedictionis & gratiæ ad ejuſdem fidei terminos ampliandos anhelas, ut qui in terris magnitudine præemines, altum tibi locum conſtituas in excelſis, pro tuæ ac eorumdem progenitorum animarum remedio ſtatuiſti, & etiam ordinaſti, ut in Inſula Majoricen. ad te jure hæreditario pertinente, in loco, qui dicitur Daya, in parochia ſancti Bartholomæi vallis de Maſſa, Monaſterium, ſive locus religioſus de tuis bonis propriis conſtruatur, in quo tredecim Fratres Ordinis Minorum, qui juxta ordinationem, & inſtitutionem Provincialis Miniſtri continue in Arabico ſtudeant, & commorentur, ut tandem inſtructi competenter in illo, ad terras Paganorum ſe conferant, animarum profectibus intendentes. Et ne Fratrum ipſorum ſtudium neceſſariorum defectus impediat vel perturbet, quoſdam redditus ad te ſpectantes, ex quibus eiſdem Fratribus hujuſmodi neceſſaria miniſtrentur, ſpecialiter deputaſti, prout in patentibus litteris inde confectis, tuo ſigillo munitis, plenius dicitur contineri. Unde nobis humiliter ſupplicaſti, ut ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & noſtra, locum recipientes eumdem, in quo per Miniſtrum Provincialem hujuſmodi Fratrum numerus jam eſt ad hoc per Dei gratiam inſtitutus, & inibi per eoſdem laudabiliter ſtudio inſiſtitur memorato, aliaque præmiſſa pia intentione a te edita confirmare de benignitate Sedis Apoſtolicæ curaremus.

§. II. Nos itaque qui tuis precibus annuentes favorabiliter, quod in hac parte per te pie ac provide factum eſt, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nolumus autem, prout dilecti filii Generalis Miniſter, & Fratres ipſius Ordinis cupiunt, & etiam de intentione præfati nobilis proceſſiſſe videtur, quod eidem Ordini ſeu præfatis, aut quibuſcumque aliis ipſius Ordinis Fratribus, vel alii pro eis in Monaſterio, ſeu loco præfatis, vel in perceptione dictorum redituum proprietas, vel dominium, aut aliquod jus in percipiendo eoſdem redditus, ſive actio, vel petitio in eiſdem aliquatenus acquiratur, ita quod pro-

feſſioni, vel Regulæ Fratrum dicti Ordinis propter hoc nullatenus in aliquo derogetur.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Datum Viterbii xvi. Kalend. Decembris anno 1.

III.

Fit Epiſcopus Tudertinus. Reg. Vatic. epiſt. 76.

Fratri Bentivengæ Ordinis Fratrum Minorum electo Tadertin.

ONeroſa Paſtoralis officii ſummi depoſitione Paſtoris, qui pro ſuis ovibus animam poſuit, nobis licet immeritis, cura commiſſa ſollicita nos pulſat inſtantia, ut inter cetera, quæ undique negotia confluunt, quibuſve noſter animus redditur multiplici varietate diſtractus, ad proviſionem Eccleſiarum vacantium ſollicitius intendamus, ne ipſis Paſtorum præſidio deſtitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis aſtutia earum oves rapiat & diſpergat, ne manus avida illarum bona diripiat, ne jura præſumptuoſus uſurpet: ideoque ſolliciti reddimur, ut eædem Eccleſiæ Paſtoribus gubernentur idoneis, & Rectores providi regimen exerceant earumdem. Sane Tudertin. Eccleſia per translationem venerabilis fratris noſtri P. Anagnin. tunc Tudertin. Epiſcopi, ad Anagninam Eccleſiam, nuper ſolatio deſtituta Paſtoris, nos paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne ipſa Eccleſia Tudertin. diſpendia prolixæ vacationis incurrat, & ad perſonam tuam, quam odor famæ nobis reddit acceptam, cum habearis vir vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, litterarum ſcientia præditus, morum honeſtate decorus, & diſcretionis maturitate conſpicuus, præclarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, ſpecialis benevolentiæ dirigentes affectum, ſperantes quoque quod de virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus eamdem Eccleſiam Tudertinam ſalubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipſaque utilis præſidio munita Paſtoris optatis affluet incrementis, te Capellanum dilecti filii noſtri I. ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis ipſi Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in Epiſcopum præficimus & Paſtorem. Quocirca &c. uſque *conſequi merearis*.

Datum Viterbii xv. Kalend. Januarii anno 1.

NICOLAUS III.

Electus anno MCCLXXVII. VII. *Kalend. Decembris*.

Anno Christi 1277. Nicolai III. anno 1.

I.

Mittit Nuncios ad Regem Galliæ Præfectos Generales Prædicatorum & Minorum. Reg. Vatic epiſt. 3.

Regi Francorum Illuſtri.

§. I. QUanto ex poteſtate Apoſtolorum Principi, ejuſque ſucceſſoribus a Domino tradita, humilitati noſtræ ad promovenda commoda regia, diſpendiaque vitanda liberior conceſſa eſt ex Motivum Conſtitutionis.

ex cœleſti permiſſione facultas, tanto noſter affectus ad claræ memoriæ Patrem tuum Regem, Regnumque Franciæ in nobis radicatis ab olim ad tuam Regalem Excellentiam, & ejuſdem Regni ſtatum provehendos ad proſpera, & a quovis diſcrimine præſervandos, ferventior inardeſcit; adeo ut ſui fervoris inſtantia nec nobis, nec Fratribus noſtris, quos proviſioni Eccleſiæ cum ſollicitudine multa vacantes, clauſura diutina, non leviter moleſta vexarat, quietem aliquam quamquam ſatis neceſſariam indulgere permiſerit: nec obſervantias Eccleſiæ Romanæ ſolitas obſervare.

Diſtinctum prodit erga Regem affectum.

§. II. Hinc præter ipſius Eccleſiæ morem, ſecundum quem ſolent litteræ Apoſtolicæ promotionem Romani Pontificis nunciantes, præſertim ad Principes quoſcumque alios ipſius Pontificis prævenire, nos Celſitudini Regiæ Patrem prius paternis exhibemus affectibus, quam litteratoriis ad hoc conceptis affatibus nuntiemus, vocati ſiquidem, licet impares meritis, ad Apoſtolatus officium, in craſtinum vocationis hujuſmodi, Fratribus ipſis convenientibus una nobiſcum, poſt conſuetum caritatis alloquium ad eoſdem, amaram nobis & eis diſcordiam, quam inter te, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Caſtellæ ac Legionis illuſtrem, pacis æmulus tuus, & illius, immo potius Chriſtianitatis per te potiſſime, ac ipſum contra hoſtes fidei ampliatis profectibus invidens excitavit, ante omnia obtutibus noſtræ conſiderationis expandimus animarum pericula, ſtrages corporum, damna rerum, impedimenta negotiorum Domini tuam ſingulariter expectantium potentiam promotricem, quæ niſi eam virtus præcedat Altiſſimi, proculdubio eadem diſcordia comminatur, in multa mentis amaritudine recenſentes:

Quantum diſcordia noxia.

Quæ Pontificium animum exagitat.

§. III. Specialiter autem tuam, ejuſdemque tui Regni ob præmiſſam, ut intelleximus, excitatam diſcordiam, conſiderata commotio eo gravius nos anxiat & perturbat, quo eam perionloſiorem advertimus, & ſi veritati non parcitur, multorum judicio a laudabilibus progenitorum tuorum ſemitis alienam. Numquid enim Gallicanæ Eccleſiæ gladius in Catholicæ fidei profeſſores vel limari conſueverat ut terreret, vel acui ut feriret? aut Chriſtianum ſitire vel effundere ſanguinem? ſeu Catholica regna ſubvertere, vel etiam conculcare, in Chriſti blaſphemos ad ipſius exaltationem fidei, & dilatationem Chriſtiani cultus limatus hucuſque potius & acutus? Hæc, fili cariſſime, quæſumus, tecum ipſe conſidera, conſultius tecum penſa, & ſalubrius noſtris monitis & conſiliis ex ſingularitate caritatis ad te filium prædilectum præcedentibus acquieſce, ad quæ magnificentiæ tuæ plenius exprimenda & præparanda inter te ac memoratum Regem pacis & ſolidæ concordiæ fœdera per dilectos filios fratrem Joannem Magiſtrum Prædicatorum, & Hieronymum Miniſtrum Minorum Fratrum Ordinum ad hæc Apoſtolicæ Sedis nuntios reformanda pariter, & confirmanda dilectum filium fratrem Joannem de Viterbio ejuſdem Prædicatorum Ordinis Procuratorem religione, prudentia, & fidelitate conſpicuum, ac grata experientia nobis, & Fratribus noſtris acceptum ad tuam præſentiam ut affectum, monita & conſilia noſtra preſſius tuis præcordiis imprimat, quam litteralis ſeries exprimat, deſtinamus.

Compenſatio affectus a Rege tribuenda.

§. IV. Sic enim ad promotionem Regalis proſperitatis afficimur, ut in iis, & litteras Nuncii, & nuntium litterarum exiſtimemus ſuffragio indigere, nec contenti ſumus alterutro, immo vix noſtris deſideriis ſatisfacere poſſe reputemus utrumque, niſi quod ex eo quem ad dictum Ge-

Genitorem tuum hactenus geſſimus, & ad te idemque Regnum gerimus animo, de tua generoſitate veriſimili conjectura ſupponimus, quod præmiſſum noſtræ ſingularis dilectionis affectum liberali gratitudine compenſabis, nec precum noſtrarum primitiis repagulum alicujus difficultatis oppones.

§. V. Ex hoc itaque grandi concepta fiducia, ſerenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui prætioſiſſimi Sanguinis obteſtantes, quatenus memorato fratri Joanni de Viterbio in præmiſſis, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, benignam audientiam præbeas, & audita ſic prompte ad gratiam exauditionis admittas, quod ad occurrendum tanti ipſius Chriſtianitatis incommodis, & periculis obviandum in hujuſmodi reformatione concordiæ tua noſtris vota conformes, & prædictorum nunciorum Sedis ipſius conſiliis, ſuaſionibus, commonitionibus, aliiſque proceſſibus acquieſcas. Gratum ex hoc Creatori tuo, cujus proinde negotia, & præcipue Terræ ſanctæ impedimentis ſubmotis, efficaciorem executionem habebunt, præſtaturus obſequium, & in hac noſtra novitate nobis, qui multo id deſiderio petimus, munus acceptabile oblaturus. Ceterum ſcire te volumus, quod ad ſæpefatum Regem ſuper iis, quæ ad ipſum exigit præſentis negotii qualitas, & congruere publicæ utilitati putavimus, alium nuncium deſtinamus. Nec mireris &c.

Nuncium commendat, & pacem.

Nec non Terræ ſanctæ negotium.

Datum Viterbii IV. Non. Decembris anno I.

II.

Mittit Nuncium Minoritam ad Regem Caſtellæ. Reg. Vatic. epiſt. 4.

Regi Caſtellæ & Legionis Illuſtri.

QUanto ex poteſtate, &c. ut in ſuperiori uſque *facultas*, tanto animus noſter ad id, faciente pacis auctore, directus ab olim nunc plenius inardeſcit. Verum etſi ad omnium corda in pacis unanimitate ſervanda noſtra ſuſpiret intentio, Principes tamen, alioſque magnates, & te præcipue, ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Francorum Illuſtrem eo magis deſideramus eſſe concordes, quo inter vos maxime ceteroſque participes regiæ dignitatis, perniciosa diſcordia & pluribus eſt onuſta diſpendiis, & plures involuit; hujus quippe noſtri ferventis deſiderii, nos ſic urget inſtantia, ut nec nobis, nec fratribus noſtris, quos proviſioni Eccleſiæ cum ſollicitudine multa vacantes clauſura diutina non leviter moleſta vexarat, quietem aliquam, quamquam ſatis neceſſariam, indulgere permiſit, nec obſervantias Eccleſiæ Romanæ ſolitas obſervare. Hinc, &c. ut in ſuperiori uſque *recenſentes*, propter quod ad præciſionem ipſius remedia quæ præſens ſtatus Romanæ Curiæ, anguſtiæque temporis patiuntur, ſine moræ diſpendio proſequentes, dilectum filium fratrem Beneventum de Ordine Minorum, virum utique religione, prudentia, & fidelitate conſpicuum, ac grata experientia nobis & fratribus ipſis acceptum, ad effectum, ſuaſiones, noſtraque monita & conſilia in præmiſſis magnificentiæ tuæ plenius exprimenda, & præparanda inter te ac memoratum Regem pacis & ſolidæ concordiæ fœdera per dilectos filios fratres Joannem Magiſtrum Prædicatorum, & Hieronymum Miniſtrum eorumdem Minorum fratrum Ordinum, ad hoc Apoſtolicæ Sedis Nuncios reformanda pariter & firmanda, de ipſorum fratrum conſilio, ad Regalem præſentiam deſtinamus. Sereni-

nitatem Reglam monentes, &c. uſque *acquieſcas*. Gratum ex hoc Creatori tuo, &c. uſque *oblaturus*. Ceterum ſcire te volumus, &c. uſque *deſtinamus*. Nec mireris &c.

Datum Viterbii ut ſupra.

III.

Mittuntur ad Regem Galliæ & Hiſpaniæ. Reg. Vatic. epiſt. 6.

Fratribus Joanni Magiſtro, & Hieronymo Miniſtro Minorum Fratrum Ordinum.

Quanta ſit animi ſui moleſtia, & ſollicitudo exprimit.

§. I. Vocatis nobis, licet inſufficientibus meritis, ad Apoſtolatus officium, occurrit quaſi confeſtim conſiderationis noſtræ conſpectui acerbis infeſta moleſtiis periculoſa diſſenſio, quam inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Franciæ & Caſtellæ Reges Illuſtres incenſor malorum omnium ſuſcitavit, amaras nobis ſuas circumſtantias, quas frequenter dum nos minor ſtatus haberet, intra pectoris clauſtra revocavimus, repræſentans. Hinc enim noſtris ſe offerebant obtutibus, impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipue Terræ Sanctæ: hinc ſe animarum pericula chriſtiani ſanguinis non quævis effuſio, gravia rerum diſpendia, & non ſolum eorumdem Regum, ſuarumque gentium, ſed & totius quaſi chriſtianitatis in ipſorum commotione damnoſa turbatio ingerebat. Hæc quidem noſtri cordis intima ſtimulant, acutiſque ſtimulis inſtanter noſtrum officium interpellant, ut ad occurrendum tanto religionis Chriſtianæ diſcrimini per opportuna remedia ocius exurgamus.

Prælatorum eſt diſſidentes componere.

§. II. Conſiderantes itaque quod, cum ad Prælatos omnes, & Epiſcopos maxime, ſpectare noſcatur in diœceſibus propriis exhortationibus prius & tamdem ſuæ juriſdictionis ac poteſtatis vigore ad concordiam revocare diſcordes, multo magis ad nos, qui licet immeriti, poteſtatis plenitudine fungimur, Apoſtolorum Principi ſuiſque ſucceſſoribus ex alto conceſſæ ſingulariter pertinet in univerſali Eccleſia cunctave congregatione fidelium pacem quærere, ac ipſam facere diligentius obſervari. Et attendentes inſuper quod in Lugdunen. Concilio in favorem negotii terræ prædictæ provida fuit deliberatione ſtatutum, ut in toto Orbe terrarum, inter Principes præcipue ac alios chriſtianos pax generaliter obſervetur. Itaque quod per Eccleſiarum Prælatos diſcordantes reducantur ad pacem vel firmam treugam certi temporis ſpatio inviolabiliter obſervandam, & acquieſcere contemnentes per excommunicationis in perſonas, & in terras ipſorum interdicti ſententias compellantur, noſtri circa hoc partes officii cenſuimus exequendas, & vobis quos ad tantæ utilitatis opus fervere confidimus & nequaquam ad eorumdem Regum ſtatum pacificum affici dubitamus, executionem hujuſmodi deliberavimus committendam.

§. III. Ideoque diſcretionem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, vobis de fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus Reges eoſdem & gentes ipſorum, non tantum ab omni congreſſu bellico, & invaſione ſeu inſultu alterutrius in alterum, aut in terras vel bona cujuslibet eorumdem, ſeu ad ipſorum quemvis ſpectantia quoquo jure, immo etiam a præparatione ſeu diſpoſitione qualibet ad præmiſſa, & innovatione quavis circa ea, occaſione quorum eſt exorta diſſenſio inter eos, per excommunicationis in perſonas,

Mandat bellum per cenſuras impediri.

nas, & interdicti ſententias in terras eorum, non obſtante qualibet indulgentia Regibus ipſis vel eorum alteri, ſeu cuilibet alii, ſub quacumque verborum forma, vel ex profeſsione ab Apoſtolica Sede conceſſa, quando & prout ſecundum Deum expedire videritis, auctoritate Apoſtolica per vos vel per alios ſeu alium compeſcatis, nihilominus pervigili ſtudio & inſtantia indefeſſa pacis & concordiæ reformandæ inter Reges eoſdem, cœpto vacaturi tractatui, & cauſas ac modos per quos id obtinere efficacius poſſe putabitis, nobis cum quanta celeritate poteritis, ſerioſius reſcripturi; cum noſtri ſit omnino propoſiti ſic nos hujuſmodi conferre negotio, ſic curioſas, ſic ſolertes circa illud curas impendere, ac omni qua poterimus diligentia providere, quod ſatis inter Reges ipſos hactenus zizaniis radicitus extirpatis, diſcordiaque ſublata, ac extincto diſcordiæ incentivo, pacis & concordiæ noſtris admodum votis accommodæ, mundoque perutilis reintegratio ſolida inter eos celeriter, Deo auſpice, ſubſequatur. Nec miremini, &c.

Datum Viterbii IV. nonas Decembris, anno I.

IV.

Fit Epiſcopus Egitanienſis frater Joannes. Reg. Vatic. epiſt. 210.

Venerabili Fratri Joanni Epiſcopo Egitanien.

§.I. IN diſpenſatione miniſteriorum Eccleſiæ Dei nobis credita potiſſimum conſiderare nos expedit tempus, cauſam, perſonam, ac locum, ſecundum quæ pro emergentibus negotiis interdum nova ſunt conſilia capienda, & prout temporis neceſſitas vel cauſæ depoſcit utilitas, nunc per aſſumptionem, nunc per tranſlationem providam a Sede Apoſtolica locorum ſollicitudines ſunt imponendæ perſonis, & loeis perſonarum miniſteria providenda, ut ex perſonarum induſtria locorum creſcat utilitas, & ex opportunitate locorum fructificatio perſonarum. *Quæ a Pontifice in diſpenſatione Miniſteriorum conſideranda.*

§.II. Nuper ſiquidem Egitanien. Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Gualaſci Egitanien. Epiſcopi, qui apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, paſtoris regimine deſtituta: nos proviſionem hac vice de Prælato ipſi Eccleſiæ faciendam nobis duximus reſervandam, decernentes irritum & inane, ſi quid contra reſervationem hujuſmodi contigerit attentari, & demum nolentes, ut eadem Eccleſia diu ſine Præſule remaneret, ſed de tali perſona providere ipſi Eccleſiæ intendentes, quæ adminiſtrationem ejuſdem, quoad ſpiritualia & temporalia ſalubriter exerceret, ad te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem noſtræ conſiderationis intuitum duximus convertendum, teque de fratrum noſtrorum conſilio a vinculo, quo tenebaris Gadicen. Eccleſiæ, cui præeras, abſolventes & transferentes ad Egitanien. Eccleſiam ſupradictam, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, te ipſi Egitanien. Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum & paſtorem, liberam tibi dantes licentiam ad eamdem Egitanien. Eccleſiam tranſeundi, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod cum eſſe dicaris vir litterarum ſcientia præditus, religione conſpicuus, vita & morum honeſtate decorus ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, eadem Egitanien. Eccleſia, auctore Domino, per tuam ſolertiam, induſtriam & providentiam circumſpectam, ſpiritualiter & temporaliter gratis proficiet incrementis, & tam Clerus quam populus tuo commiſſus regimini, tua ſalubri doctrina & piæ actionis exemplo ad ſalutem ædificabitur animarum. *Epiſcopum ab una ad aliam Eccleſiam tráſfert.*

§. III. Tu ergo tuum jactans in Domino cogitatum, ac juxta ſpem noſtram & gratiam a Domino tibi traditam, commiſſum tibi ſuper gregem Dominicum virgæ vigilantis officium officioſe, ac vigilanter exercens, extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus ſollicitudine invigiles efficaci, & tamquam ſtella fixa in Eccleſiæ firmamento tibi per vitæ meritum, & aliis proficiens per exemplum, dum plures erudieris ad ſalutem in æternitatis gloria gratulari, ac relucere inter alios clarius merearis, & nos in tuis delectari laudibus merito valeamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum xx. Kal. Januarii, anno 1.

V.

Fit Archiepiſcopus Bracharenſis frater Tellius Minorita. Regeſt. Vatic. epiſt. 25.

Fratri Tellio Electo Bracharen.

Proemium. §. I. Militanti Eccleſiæ, diſponente Domino, licet immeriti præſidentes, circa curam omnium Eccleſiarum ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta paſtoralis officii debitum, crediti nobis Dominici gregis Cuſtodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, ſtudeamus.

§. II. Sane Bracharen. Eccleſia per translationem Venerabilis fratris noſtri O. Epiſcopi Tuſculan. tunc Archiepiſcopi Bracharen. in Epiſcopum Tuſculan. aſſumpti, nuper ſolatio deſtituta paſtoris: nos paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne ipſa Bracharen. Eccleſia diſpendia prolixa vacationis incurrat, & ad perſonam tuam, quam odor famæ nobis reddit acceptam cum habearis vir vitæ laudabilis, litterarum ſcientia præditus, diſcretionis maturitate conſpicuus, præclarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis aciem extendentes, ſperantes quoque quod eamdem Eccleſiam ſalubri, Epiſcopi elogiū. dante Domino, regimine gubernabis, ipſaque utilis præſidio munita paſtoris optatis affluet incrementis, te Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum in regno Caſtellæ, licet abſentem, prædictæ Bracharen. Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis in Archiepiſcopum præficimus & paſtorem, adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ tibi ſpiritualiter & temporaliter plenarie committentes. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino devote ſuſcipiens ſic curam & adminiſtrationem prædictæ Bracharen. Eccleſiæ diligenter gerere ſtudeas, & ſalubriter ac utiliter proſequaris, quod ipſa ſub tua vigilantia votivis amplietur commodis, & in omnibus, divina cooperante clementia, proſpere dirigatur, tuque noſtram, & dictæ Sedis gratiam exinde tamquam benedictionis & obedientiæ filius, uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod Sedem Apoſtolicam adeas pro conſecrationis munere obtinendo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum vii. Idus Aprilis anno 1.

Fit

VI.

Fit Epiſcopus Groſſetanus frater Bartholomæus. Regeſt. Vatic. epiſt. 45.

B. Epiſcopo Groſſetan.

MIlitanti Eccleſiæ &c. ut in ſuperiori bulla uſque *ſtudeamus*. Sane vacante olim Eccleſia Groſſetan. Capitulum ipſius Eccleſiæ Bindum de Monte Orgiali ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum inibi poſtularunt. Negotio itaque poſtulationis hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam devoluto, nos poſtulatione ipſa ex cauſis variis non admiſſa, volentes eidem Eccleſiæ paterna ſollicitudine præcavere, ne prolixioris diſpendia vacationis incurreret, te fratrem Ordinis Fratrum Minorum de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis dictæ Eccleſiæ &c. uſque *duximus impendendum*, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod eadem Eccleſia, per diligentiam & induſtriam tuam, cum habearis bonitate conſpicuus, religionis honeſtate præclarus, & ſollicitudine circumſpectus, ac in magnis & arduis comprobatus, laudabilia in ſpiritualibus ac temporalibus ſuſcipiet incrementa. Te igitur ad præfatam Eccleſiam cum plenitudine noſtræ benedictionis, & gratiæ remittentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſic laudabiliter curam ejuſdem Eccleſiæ gerere ſtudeas, quod tibi per vitæ meritum, & aliis proficias exemplum, noſque perſonam tuam exinde præcipui favoris gratia proſequi non immerito teneamur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Idus Aprilis, anno 1.

VII.

Concedit Minoribus Cæſarauguſtanis locum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti. Regeſt. Vatic. epiſt. 58.

Episcopo Cæsaraugustan.

§. I. SUa nobis dilecti filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum Cæſarauguſtan. petitione monſtrarunt, quod locus eorum civitatis Cæſarauguſtan. ubi manent ad præſens, in quo Sarracenorum decedentium corpora conſueverunt antiquitus ſepeliri, aeris corruptionem & intemperiem, aliaſque multiplices incommoditates non ſolum habitationi eorumdem Fratrum ineptus, ſed & ipſis pernicioſus exiſtit. Quare iidem Guardianus, & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum in loco Fratrum qui de pœnitentia Jeſu Chriſti dicuntur, civitatis prætactæ, quorum Ordo non eſt de reſervatis per conſtitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam in Concilio Lugdunen. in quo dudum viginti Fratres, & plures etiam ipſius Ordinis de Pœnitentia Jeſu Chriſti manere conſueverant, perpauci commorentur ad præſens, propter quod eſt veriſimiliter præſumendum, quod poſt non magni temporis ſpatium locus ipſe, juxta tenorem prædictæ conſtitutionis diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ relinquitur, ipſis Guardiano, & Fratribus Minoribus locum ipſum cum pertinentiis ſuis obtinendum ab eis, cum illum Fratres dicti Ordinis de pœnitentia Jeſu Chriſti deſeruerint, concedere dignaremur.

Fratres loci antiqui exponunt incommoda.

Et novum acquirunt.

§. II. Nos igitur qui dictum Ordinem Fratrum Minorum, ejuſque profeſſores ſincera in Domino diligimus caritate, volentes eiſdem Guardia-

diano, & Fratribus in hac parte gratiam facere ſpecialem, fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum locum prædictorum Fratrum de pœnitentia Jeſu Chriſti, cum juribus & pertinentiis ſuis eiſdem Guardiano & Fratribus ex nunc auctoritate noſtra, per te, vel per alium juxta infra ſcriptam formam inhabitandum ab eis libere conferas & aſſignes.

§. III. Volumus etenim quod ſi præfati Fratres de pœnitentia Jeſu Chriſti, ſive ſimul omnes, ſive ſingulariter ſe transferre voluerint ad prædictum Ordinem Fratrum Minorum, vel alium ſeu alios Ordines approbatos, ſuper quo eis prædicta conſtitutione nequaquam obſtante, auctoritate noſtra licentiam largiaris, eoſdem Guardianum, & Fratres Minores ex tunc, alioquin quam cito præfatum locum ab eodem Ordine Fratrum de pœnitentia Jeſu Chriſti prædicto modo, vel alias contigerit derelinqui, ſicque ſecundum conſtitutionem eamdem in diſpoſitione Sedis remanere prætactæ, in corporalem poſſeſſionem ipſius loci, jurium & pertinentiarum ejus pro ipſorum inhabitatione, per te, vel per alium inducas, & defendas inductos. Contradictores &c. Non obſtante quod ſi aliquibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Idibus Maii, anno 1.

VIII.

Confirmat Ordinem ſanctæ Claræ. Reg. Vatic. epiſt. 88.

Abbatiſſæ & Conventui Monialium Pauperum Incluſarum Monaſterii ſanctæ Claræ Aſſiſinaten.

Pontif. vult annuere petitionibus.

§. I. MUndi ſpernentes illecebras, & ſeculi blandimenta noxia fugientes divinis obſequiis vos ſub paupertatis arctitudine ſalubri conſilio dedicaſtis, partem optimam eligentes, quæ a vobis, Deo auxiliante, perſiſtentibus in aſſumpto propoſito minime auferetur. Ex quo provenit, ut circa veſtrum, & veſtri ſtatum Monaſterii conſervandum benignius cogitemus, petitionibus veſtris, prout ſecundum Deum poſſumus, favorabiliter annuendo.

Moniales ſuas exponunt indigentias.

§. II. Sane nobis expoſuit veſtræ devotionis humilitas, quod cum conſtitutio Concilii Lugdunen. per quam cunctæ religiones, & Ordines mendicantes poſt generale Concilium adinventi, qui nullam confirmationem Sedis meruerunt Apoſtolicæ, revocantur, confirmatos per Sedem eamdem, poſt idem tamen generale Concilium inſtitutos, quibus ad ſuſtentationem congruam redditus, & poſſeſſiones habere profeſſio ſive regula, vel conſtitutiones quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum incerta mendicitas tribuere victum ſolet, ſuccidere decrevit, certo modo ſollicitudo vobis ingeritur, ne cum nullas habeatis poſſeſſiones aut redditus, ſed per quæſtum hujuſmodi victus vobis provenire noſcatur, & Ordo, quem profitemini, quamquam per dictam Sedem confirmatus, poſt prætactum tamen generale Concilium fuerit inſtitutus, circa ſtatum veſtrum, & ipſius Monaſterii, vobis per conſtitutionem eamdem aliquod præjudicium ſit paratum. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere ſuper hoc de benignitate Apoſtolica mandaremus.

§. III. Nos itaque ſollicite attendentes animarum profectus, qui jugiter ex veſtra religione provenit, quæ a vobis dicitur laudabiliter obſervari, ac per hoc digne vos intendentes in hac parte proſequi favo-

vore gratiæ ſpecialis, veſtris ſupplicationibus annuentes, præſentium auctoritate decernimus, quod nullum vobis & eidem Monaſterio, per conſtitutionem ipſam præjudicium generetur, ſed vos & Monaſterium ipſum, per omnia in ſtatu & firmitate, in quibus eratis ante conſtitutionem eamdem, abſque immunitate ac præjudicio aliquibus maneatis.

Nulli ergo noſtræ conſtitutionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XII. Kal. Junii, anno 1.

IX.

Fit Epiſcopus Eugubinus frater Benevenutus. Reg. Vat. epiſt. 91.

B. Epiſcopo Eugubino.

§. I. Debitum officii noſtri requirit, ut inter ſollicitudines alias, quibus aſſidue premimur, ſpecialiter circa Eccleſias ſolertiam adhibentes, ipſarum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis, ne longæ vacationis diſpendia patiantur, de talium celeriter noſtræ diligentiæ ſtudio provideatur ſubſtitutione paſtorum, per quos ſpiritualiter & temporaliter, auctore Domino, continuum ſuſcipiant incrementum. Præfatio.

§. II. Dudum ſiquidem Eccleſia Eugubina, per mortem bonæ memoriæ Jacobi Epiſcopi Eugubini deſtituta paſtore, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ ad tractandum de futuri Prælati ſubſtitutione inſimul convenerunt, & demum votis eorum in diverſa diviſis, quidam ex Canonicis ipſius Eccleſiæ dilectum filium Raynerium natum nobilis viri Andreæ de Monte millino Clericum conſtitutum in Minoribus poſtularunt, reliqui vero dilectum filium Ubaldum ipſius Eccleſiæ Canonicum elegerunt in diſcordia in Epiſcopum Eugubinum. Hujuſmodi autem poſtulationis & electionis negotio ad Apoſtolicam Sedem delato, ac lite ſuper eo coram fel. rec. Innocentio Papa V. prædeceſſore noſtro, per procuratores partium legitime conteſtata, & deinde factis poſitionibus & reſponſionibus ſubſecutis, ac datis quibuſdam articulis coram dilecto filio noſtro Guillelmo tituli ſancti Marci Presbytero Cardinali, quem idem prædeceſſor in eodem negotio dedit dictis partibus Auditorem. Tamdem dicto prædeceſſore viam univerſæ carnis ingreſſo, præfatus Ubaldus pro ſe, & memoratus procurator prædicti Raynerii, ejuſdem Raynerii nomine, cujus ad hoc ſufficiens mandatum exhibuit, ſponte ac libere in noſtris renunciaverunt manibus, omni juri, quod eidem Raynerio & Ubaldo ex prædictis poſtulatione & electione forſitan competebat. Capitulum duos eligendos poſtulat. Qui jura ſua renunciant.

§. III. Nos igitur de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſollicite cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis eadem Eccleſia expoſita remaneret, in te Fratrem Minorum Ordinis profeſſorem direximus oculos noſtræ mentis, quem apud nos de litterarum ſcientia, morum maturitate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia fide dignorum teſtimonium commendavit. Quapropter gregi Dominico ſpeciali volentes diligentia providere, de Fratrum noſtrorum conſilio, te ipſi Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, tibique poſtmodum per nos ipſos conſecrationis munus duximus impendendum, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod per tuæ induſtriæ & circumſpectionis fructuoſum ſtudium dicta Eccleſia, Deo auctore, tam circa ſpiritualia, quam temporalia gratis proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino ſuſcipiens reverenter, curam & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ ſic di- Et Benevenutus eligitur.

li-

ligenter geras, & ſollicite proſequaris, quod ipſa gubernatori circumſpecto ac fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, ac bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, & præter benedictionis æternæ præmium, benevolentiæ noſtræ gratiam exinde pluribus conſequaris.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Junii, anno 1.

X.

Confirmat ſententiam Inquiſitoris Minoritæ de admittendis quibuſdam in poſſeſſionem ſuorum bonorum. Reg. Vat. epiſt. 69.

Nobilibus Viris Raynaldo, & Ufreducio natis quondam Ugolini Petri Peregrini de Montorio Narnien. diœceſis.

Supplicantium petitio.

§. I. Petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dudum vobis humiliter exponentibus, dilecto filio fratri Nicolao de Ordine Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis a Sede Apoſtolica deputato, anteceſſorum veſtrorum culpam fuiſſe tam gravem, tamque ipſos in hæreſis crimine deliquiſſe, quod juxta legitimas & canonicas ſanctiones, nec ad ſucceſſionem parentum, nec ad honores anteceſſorum ipſorum rite poteratis, niſi de ſpeciali gratia, pervenire, ac poſtulantibus cum lacrymis in hac parte vobis, qui eratis labis hujuſmodi innocentes, nec unquam proponebatis parentes ipſos in errore alicujus hæreſis imitari, miſericorditer provideri, ut non obſtante culpa prædictorum parentum, vobis concederet, quod in bonis olim avitis & paternis, quæ pro eo quod quondam Ugolinus pater, & Petrus Peregrini avus veſtri fuerunt hæretica labe infecti, ipſo jure confiſcata erant, & poterant ſententialiter confiſcari, ſuccedere valeretis, & promittentibus pro vobis & ſucceſſoribus veſtris auctoritate matris & aviæ tuarum, Ufreducie, tutricum; vos eadem bona Eccleſiæ Romanæ nomine ad Inquiſitionis ſervitium perpetuo poſſeſſuros, præſtantibus quoque vobis in ipſius Inquiſitoris, & aliorum præſentia juramentum de parendo mandatis ipſius Eccleſiæ, atque noſtris, cum tunc nos in minori officio conſtituti eſſemus a præfata Sede ſuper Inquiſitionis hæreticorum officio deputati, nec non & præceptis illis, quæ idem Inquiſitor, ejuſque ſucceſſores vobis injungerent in Inquiſitionis officium & favorem, & quod ſemper in fide Catholica maneretis, quam prædicta Romana Eccleſia credit, docet, & præcipit obſervari, & quod non ſolum aliquibus cujuſcumque ſectæ hæreticorum non præſtaretis favorem, verum etiam perſequeremini totis viribus utriuſque ſexus hæreticos, & credentes, fautores, quocumque modo complices eorumdem, & quam citius ſciretis, id manifeſtaretis Inquiſitori hæreticorum, vel Epiſcopo, in cujus civitate & diœceſi tales contingerent reperiri.

Et cautio data de fidelitate ſervanda.

§. II. Ad prædicta inſuper omnia, & ſingula obſervanda dicto fratri Nicolao ſponte ac ſcienter pro dicta Romana Eccleſia, vobis obligantibus omnia bona veſtra mobilia, & ſtabilia, jura & actiones, quæ tunc habebatis, & habere poteratis etiam in futurum, ita quod bona eadem ſine ampliori conditione judicii, dictæ applicarentur Eccleſiæ, ſi ex certa ſcientia offenderitis in aliquo prædictorum. Idem Inquiſitor ad vos veſtramque intentionem compaſſionis oculos extendens, vos a pœna, qua propter dictorum parentum culpam eratis obnoxii, abſolvit, vobis nihilo-

Inquiſitor gratiã concedit.

hilominus diſpenſando concedens, ut de cetero libere uti paternis bonis poſſetis, illaque tenere pariter, & habere, & cetera facere quæ faciunt Catholici, & alii orthodoxi, ſalvo ſemper quod ſi ullo unquam tempore conſtare poſſet, quod vos vel hæredes veſtri contra prætactam obligationem faceretis, dicta abſolutio atque conceſſio nullius eſſet efficaciæ vel valoris, prout in inſtrumento publico inde confecto, cujus tenor infra de verbo ad verbum ſubjicitur, plenius continetur.

§. III. Licet igitur per hujuſmodi gratiam ab ipſo Inquiſitore vobis factam ab omnibus pœnis contra filios & poſteros hæreticorum a jure ſtatutis; vos fore omnino abſolutos aliquibus videatur; quia tamen gratioſi favoris ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam adhiberi præſidium ſuppliciter petiiſtis: Nos attendentes quod de matre & avia Catholicis procreati, ac nutriti cum ipſis nulla unquam labe hujuſmodi criminis dicimini maculati, ſed potius Catholici, & fideles ſupradictæ fidei ze!·tores, eamque firmiter credere & obſervare, prout eadem Romana Eccleſia tenet, & docet, & præcipit obſervari; quodque dicta labe reſperſos perſequimini, ut aſſeritur, toto poſſe, ac volentes vobis æquitatem potius, quam rigorem juſtitiæ in hac parte miſericorditer providere, prætactas abſolutionem, diſpenſationem, & conceſſionem per eumdem fratrem Nicolaum vobis factas approbamus, & ex certa ſcientia confirmamus, ac nihilominus ad ſtatum veſtrum perfectius ſolidandum, omnes penas, quibus forſan vos veſtrique filii ac poſteri eſtis ob prædictorum Ugolini & Petri culpas obnoxii, totaliter relaxantes, ac concedentes vobis ut vos & iidem filii, atque poſteri bona ipſa libere tenere, ac ipſis uti, & de illis plene ac libere diſponere valeatis, decernimus vos propter hoc nulli pœnæ vel maculæ infamiæ ſubjacere, & quod ad honores & omnes actus legitimos poſſitis admitti, & ipſos plenarie exercere de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis. Et Pontif. confirmat.

§. IV. Per hoc autem, vel eorum aliquod nullam Inquiſitori, vel Inquiſitoribus dictæ pravitatis a præfata Sede deputatis in illis partibus, vel in poſterum deputandis, ſeu quibuſcumque aliis, quibus hoc de jure competeret adimimus poteſtatem, quin potius ipſam reſervamus expreſſe procedendi tam contra vos, quam contra prætactos veſtros filios, & poſteros ex illis, quæ tam vos quam illos circa prædictum crimen committere forſan contigerit in futurum, vel pro eo etiam quod forſan ea, quæ a prætacto fratre Nicolao vobis ſunt præcepta, injuncta ſive mandata non curaveritis, ut prædicitur, obſervare ad pœnarum impoſitionem, quæ tam vobis, quam eiſdem filiis & poſteris imponi deberet, juſtitia exigente, ſed ſi de præteritis, quod abſit, reperiri poſſit in poſterum, vos in confeſſione veſtra Eccleſiam voluiſſe decipere, utpote quia contra ea quæ in eadem confeſſione dicto Fratri expreſſiſtis inveniremini in crimine hæreſeos notabiliter deliquiſſe, prædictæ abſolutio, diſpenſatio, & conceſſio per eumdem Fratrem, ac noſtra in hac parte gratia vobis factæ, nullius penitus ſint momenti. Non intendit Pontifex auctoritati Inquiſitor. derogare.

§. V. Ne autem præter ea, ad quæ ex hac noſtra ordinatione tenemini, propter obligationes & verba in prædicto inſtrumento vobis poſteriſque veſtris, in perſonis & bonis, per alicujus levis tranſgreſſionis notam poſſit periculum imminere, præſentium vobis auctoritate concedimus, quod prætextu prædictarum obligationum, & eorum, quæ in ipſo inſtrumento continentur, nullam pœnam ipſo facto aliquatenus incurratis, & nullus abſque ſpeciali conſcientia, & expreſſo mandato Eccleſiæ memoratæ faciente de hac noſtra gratia plenariam mentionem præ-

præmiſſorum occaſione contra vos procedere valeat, vel in perſonis aut rebus quomodolibet aggravare.

Inſtrumenti tenor.

§. VI. Tenor autem prædicti inſtrumenti talis eſt. *In nomine Domini Amen. Anno ejuſdem nativitatis* MCCLXXII. *Sede Apoſtolica paſtore vacante, die* XXIII. *menſis Februarii, Indictione* XIII. *per venerabilem virum fratrem Nicolaum Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, in præſentia mei Notarii, & ſubſriptorum teſtium facta eſt obligatio ſub hac forma. Univerſis in Chriſto fidelibus præſentes litteras inſpecturis frater Nicolaus in adminiſtratione ſancti Franciſci Inquiſitor hæreticæ pravitatis per Sedem Apoſtolicam deputatus, pacem & ſalutem in Domino ſempiternam. Venientes ad me Raynaldus adultus, & Ufreduciolus filii quondam Ugolini Domini Petri Peregrini, & ipſius Domini Petri nepotes virorum nobilium, quamquam in Chriſtiana religione degenerum, quia labe hæretica infectorum, expoſuerunt humiliter prædeceſſorum ſuorum culpam, fatentes tam gravem ipſam fuiſſe, tamque eos multipliciter in crimen pravitatis hæreticæ deliquiſſe, quod juxta leges civiles, ac canonicas ſanctiones, nec ad ſucceſſionem parentum, nec ad honores anteceſſorum ipſorum, niſi de ſpeciali gratia poterant pervenire. Verum quia prorſus hujuſmodi labis erant prædicti juvenes innocentes, nec unquam proponebant parentes ipſos in errore alicujus hæreſis imitari, cum lacrymis poſtularunt ſibi miſericorditer provideri, ut non obſtante priorum culpa, concederem, quod in bonis olim avitis vel paternis, quæ ipſo jure erant confiſcata, & poterant ſententialiter confiſcari, ſuccedere poſſent, promittentes dicti Raynaldus, & Ufreduciolus pupillus pro ſe & ſucceſſoribus eorum auctoritate matris & aviæ ipſius Ufreducioli tutricum, ipſa bona nomine Romanæ Eccleſiæ, & ad Inquiſitionis ſervitium perpetuo poſſeſſuros, & ad majorem hujus promiſſionis certitudinem, in mea & aliorum præſentia tactis ſacroſanctis Evangeliis, juraverunt obedire ſemper mandatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac venerabilis Patris D. Joannis ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis a Sede Apoſtolica ſuper officio Inquiſitionis pravitatis hæreticæ conſtituti, immo & præceptis meis, & ſucceſſorum meorum Inquiſitorum, quæ & quanta eis fecerimus ore, nuntio, vel litteris in inquiſitionis officium & favorem, ſine fraude, ac totis viribus obedire, permanere etiam ſemper in fide Catholica, quam ſacroſancta Romana tenet Eccleſia, credit, docet, præcipit obſervari, & quod non ſolum aliquibus cujuſcumque ſectæ hæreticis favorem non præſtabunt, verum etiam utriuſque ſexus hæreticos, credentes, fautores, & quoquo modo complices eorumdem totis viribus perſequentur, & quam citius ſciverint, manifeſtabunt Inquiſitori, vel Epiſcopo Civitatis. Verum ad prædicta omnia & ſingula obſervanda, ac etiam inviolabiliter attendenda ſponte ac ſcienter obligarunt mihi Inquiſitori pro Eccleſia Romana recipienti, ac legitime ſtipulanti omnia bona eorum mobilia & ſtabilia, jura & actiones, quæ nunc habent, & habere poterunt in futurum, quod ſi ex certa ſcientia offenderent in aliquod prætactorum, prædicta bona ſine ampliori conditione judicii ad Romanam Eccleſiam revertantur, prout manu Vincentii Notarii Inquiſitionis omnia iſta patent. Ego igitur Inquiſitor, qui quantum valeo & ſcio, pietatis viſcera ſancte Matris Eccleſiæ debeo imitari, ad prætactos juvenes, necnon eorum innocentiam oculum compaſſionis intendens, habito prius ſuper his prætacti venerabilis Patris D. Joannis diligenti tractatu pariter & aſſenſu, juxta prædictas conditiones, quemadmodum patent monu prætacti Notarii, ipſos Raynaldum & Ufreduciolum a pœna, qua obnoxii propter dictorum parentum culpam forent, abſolvo, & cum eis prætacti Domini auctoritate diſpenſo, quod libere de cetero uti poſſint*

ſint

ſint paternis bonis, tenere pariter & habere, & cetera facere, quæ faciunt Catholici & alii orthodoxi. Salvo ſemper quod ſi ullo unquam tempore conſtare poterit, quod ipſi vel hæredes eorum contra prætactam obligationem fecerint, abſolutio, diſpenſatio & conceſſio nullius ſit efficaciæ vel valoris. In cujus rei teſtimonium, & ad majorem rei debitam firmitatem volo præſentes litteras mei ſigilli munimine roborari, & per Vincentium, meum, & nunc ipſius Inquiſitionis publicum Notarium publicari. Datum in Eccleſia ſancti Franciſci loci Fratrum Minorum de Narnia, anno, menſe, & die, Indictione prætactis. Angelutius Matthæi ipſius Inquiſitoris famulus. Jacobus Joannes Altamen. D. Conradus de Albiano. Ugolinus de Albiano. Frater Ægidius de Caſtronovo. Frater Petrus de Padio, rogati ſunt teſtes hujus rei. Ego Vincentius Anaſtaſii a ſancta Romana Eccleſia Notarius conſtitutus his omnibus interfui, & de mandato & auctoritate ipſius Inquiſitoris ſcripſi, & publicavi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, relaxationis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere &c. uſque *incurſurum*. Datum Vetrallæ XII. Kalend. Julii anno I.

XI.

Jubet ut procedat frater Sinibaldus Inquiſitor contra hæreticos Syriani.
Reg. Vatic. epiſt. 21. in litteris ſecretis.

Dilecto filio Fratri Sinibaldo de Ordine Fratrum Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis &c.

§. I. CUm ſicut noſti contra Pandulphum militem, Stephanum Pandulphum, & Petrum filios quondam Porcarii de Syriano, hæreſeos labe conſperſos, eorumque fautores, ipſorum culpis exigentibus, per te ac alios Inquiſitores hæreticæ pravitatis diverſi habiti ſunt proceſſus; Noſque poſtmodum Pandulphum, & alios ſupraſcriptos, & & Guſtapanem, & alios exiſtentes in caſtro Syriani, per dilectum filium Magiſtrum Benedictum de Anagnia Notarium noſtrum moneri ſecimus, & requiri, quod ad noſtra, & Eccleſiæ Romanæ mandata redirent, expoſito eis ex parte noſtra per Notarium eumdem, quod ſi juſtitiam peterent, eam non negaremus eiſdem, quin etiam nos paratos obtulimus ipſis miſericordiæ januam aperire, ſi ad illam ſe humiliter conformaſſent, prout conſideratis eorum exceſſibus, & aliis circumſtantiis, prout ſecundum Deum, & honeſtatis debitum expediens videretur, ipſi pertinacia cæcitatis obtuſi ſuos in rebellione damnabili animos obfirmarunt. Reorum nomina pandit.

§. II. Attendentes igitur, quod niſi eorum protervitas opportunis remediis celeriter caſtigaretur, vigor Catholicæ fidei multipliciter deperiret, volumus, & per Apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ad extirpandum tantum errorem ſerventer intendens, contra hæreticos & fautores eoſdem, ſeu quoſcumque alios adhærentes, & ſaventes eiſdem, de quibuſcumque Provinciis, terris, & locis extiterint, ſpiritualiter & temporaliter, prout ad exaltationem & conſervationem ejuſdem fidei, ac depreſſionem taliter damnatorum, juxta formam contra tales tibi ab Apoſtolica Sede conceſſam procedere non omittas. Invocato ad hoc auxilio brachii ſecularis. Quorum præcipit errorem extirpandum.

Datum Viterbii X. Kal. Auguſti anno I.

XII.

Fit Epiſcopus Nepeſinus frater Thomas. Reg. Vatic. epiſt. 126.

Thomæ Epiſcopo Nepeſin.

Duo recenſentur a Capitulo electi.

§. I. Militanti Eccleſiæ &c. ut ſupra in bulla 5. Nicol. III. uſque *ſtudeamus*, & quamquam aſſidue circa ſingularum commoda vigilemus, tamen erga illas, quæ deplorant viduitatis incommoda propenſiori cura, & majori propulſamur inſtantia, ut eis præficiamus viros ſecundum cor noſtrum idoneos in paſtores. Dudum ſiquidem Nepeſina Eccleſia, per mortem bonæ memoriæ Laurentii Epiſcopi Nepeſini paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Canonici ipſius Eccleſiæ, obtenta prius ab Apoſtolica Sede licentia, providendi eidem Eccleſiæ de Prælato, prout moris eſt, convenientes in unum, dilectum filium fratrem Bartholomæum de Corbonaria Ordinis Minorum ad Eccleſiæ prædictæ regimen concorditer poſtularunt, ſed eidem fratri Bartholomæo ſuſcipiendi regimen ipſum a ſuo Prælato licentia denegata, & poſtmodum præfatis Canonicis in diverſa dividentibus vota ſua, contigit duas in Eccleſia ipſa electiones, unam videlicet de præsbytero Ægyptio ſancti Apollinaris, & aliam de quodam Joanne Andreotti ſanctæ Mariæ in Tranſtyberim Eccleſiarum Canonicis a memoratis Canonicis ejuſdem Eccleſiæ Nepeſin. in diſcordia celebrari.

Quorum loco Thomas præficitur.

§. II. Cum autem prædictus Ægyptius ſponte rennutiaſſet juri, ſi quod ei fuerat, ex electione hujuſmodi acquiſitum, dictuſque Joannes naturæ debitum perſolviſſet: Nos proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Nepeſin. nobis ea vice duximus reſervandam; ac demum de ordinatione ipſius Eccleſiæ Nepeſinæ ſollicite cogitantes, ac ei de tali perſona providere volentes, per quam ſalubriter gubernari valeret, in te prædicti Ordinis Minorum profeſſorem direximus oculos noſtræ mentis, teque de Fratrum noſtrorum conſilio præficimus eidem Eccleſiæ Nepeſinæ in Epiſcopum, & paſtorem, tibique conſecrationis munus noſtris manibus duximus impendendum, firma concepta fiducia, quod cum tibi de competenti litterarum ſcientia, honeſtate morum, & vitæ ac circumſpectione ſpiritualium & temporalium fide dignorum teſtimonium ſuffragetur, dicta Eccleſia Nepeſina per tuum miniſterium ſpiritualiter & temporaliter, auctore Domino, grata ſuſcipiet incrementa. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus humiliter ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus, prædictæ Nepeſin. Eccleſiæ ſollicitam curam geras, gregem Dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando, ita quod exinde perennis vitæ præmium merearis, noſque ſollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendemus.

Datum Viterbii v. Idus Auguſti anno 1.

Anno Christi 1279. Nicolai III. anno 2.

XIII.

Frater Joannes fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. Reg. Vatic. epiſt. 20.

Dilecto filio Joanni electo Cantuarien.

Paſtoralis ſollicitudo erga Eccleſias Paſtore viduatas.

§. I. Sollicitudinis Apoſtolicæ ſtudium circa diverſa, quæ noſtris incumbunt humeris agenda diſtrahitur, & juxta paſtoralis officii debitum ad ſingula noſtræ diffundimus conſiderationis intuitum, ſed er-

erga euram Ecelefiarum nobis, licet immeritis, Domino diſponente, commiſſam animum potiſſime eoncernenres plena de ipſarum ſtatu ſolertia cogitamus, & illarum ſpecialius miſeremur, quas inſpicimus viduitatis incommoda deplorare aſſiduæ meditationis excitati vigiliis, ut eis præficere valeamus viros idoneos in paſtores.

§.II. Sane dudum Cantuarien. Eccleſia, per translationem venerabilis fratris noſtri R. Portuen. Epiſc. tunc Archiepiſcopi Cantuarien. in Epiſcopum Portuen. aſſumpti ſolatio deſtituta Paſtoris, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ venerabilem fratrem noſtrum R. Batonien. & Wellen. Epiſcopum in Cantuarien. Archiepiſcopum poſtularunt, & nobis poſtulatione hujuſmodi præſentata, ipſam & eam contingentia venerabili fratri noſtro B. Albanen. Epiſcopo, & dilectis filiis noſtris G. tituli ſancti Marci Presbytero ac M. ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinalibus, juxta modum, quem in his Romana ſervat Eccleſia, examinandam commiſimus diligenter. Qui poſtulatione ac contingentibus diſcuſſis eiſdem, quod perceperunt ex eis, nobis provide retulerunt.

Capitulum Bathonien. & Wellen. Epiſcopum poſtulat.

§.III. Et quia per ea, quæ ex hujuſmodi relatione percepimus, præmiſſa poſtulatio tunc admitti non poterat nec debebat, propter aliqua Ipſam contingentia, quæ ex qualitate ſui majorem indaginem merito requirebant, & expediebat illa ſollicitudine propenſiori perquiri, quod abſque tractu longi temporis non poterat fieri, cum facienda eſſet in partibus Anglicanis, & ut tempus indagationis ſeu perquiſitionis hujuſmodi nedum ad indagationem & perquiſitionem eaſdem, verumetiam ad præſentationem prædicti Bathonien. & Wellen. Epiſcopi, ſi ex qualitate negotii examinationi perſonæ locus exiſteret, utile redderetur, voluimus per Procuratores dicti Capituli ſe ipſos ut dictum Bathonien. & Wellen. Epiſcopum examinandum, ſi ut prædicitur, examinationi locus adeſſet, infra Kalend. Junii Apoſtolico conſpectui præſentarent.

Sed juſtis de cauſis non approbatur.

§.IV. Poſtmodum vero quaſi e veſtigio nondum confectis aliquibus litteris ſuper dictis indagine & proceſſu, ſed adhuc dictis Procuratoribus in Romana Curia morantibus, nonnulla dictæ poſtulationis negotium contingentia ad noſtram & fratrum noſtrorum audientiam a fide dignis perſonis non leviter pervenerunt, propter quæ poſtulationem eamdem ſana conſcientia, nec poteramus, nec debebamus admittere, & credebamus divino beneplacito magis acceptum, qund idem Epiſcopus in ea vocatione, ad quam vocatus eſt, videlicet in Bathonien. & Wellen. Eccleſia remaneret, quam quod ad Cantuarien. transferretur. Sicque commoti ex cauſis urgentibus & ſtimulis conſcientiæ coarctati, cum nulla juris neceſſitas nos ea quæ, ut prædicitur, ad nos & fratres eoſdem pervenerant poſtulantibus, ſeu poſtulato patefacere, vel eis præſentibus indagare contingeret, ſed ad non admittendum poſtulationem ipſam, quæ dependebat a gratia ſola ex ipſis noſtra, & dictorum fratrum rationabiliter informatio percepta ſufficeret, expeditionem proviſionis, accommodæ dilationis diſpendio, ex qua præfatæ poſtulationis, ut præmittitur, admiſſio ſequi non poterat, quin potius animarum pericula, perſonarum gravamina, damna rerum, patens læſio Cantuarien. Eccleſiæ elarius imminebant, non immerito præferentes, & circa ſtatum ipſius Eccleſiæ Cantuarien. quam multo nitore ſulgentem meritaneis affectibus intuemur, noſtræ ſollicitudinis ſtudia convertentes, ne diutinæ vacationis incommoda deploraret, & eidem Bathonien. & Wellen. Epiſcopo, ne ſibi propter hoc inanes expenſas & labores adjiceret, præcaventes, poſtulationem ipſam, de fratrum eorumdem con-

F. Joannes eligitur, & commendatus.

conſilio, non duximus admittendam, & ad perſonam tuam ſcientiarum altitudine præditam, diſcretionis maturitate conſpicuam, præclaram meritis, religionis claritate fœcundam, quam produxit Regnum inclytum, efferens viros induſtrios, cui præſidet Rex devotus, & quam nobis acceptam ſperamus eidem Regi & Anglicano populo affabilitatia gratia placituram, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectam, noſtræ conſiderationis aciem extendens.

§.V. Sperantes quoque quod eamdem Cantuarien. Eccleſiam ſalubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipſaque utilis præſidio munita paſtoris optatis affluet incrementis, & diffundet latius ſui luminis claritatem, te fratrum Minorum Ordinis profeſſorem præfatæ Cantuarien. Eccleſiæ, &c. uſque *committentes*. Quocirca, &c. uſque *conſequi merearis*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum quinto Kal. Februarii, anno II.

XIV.

Fit Epiſcopus Valuenſis frater Ægidius Leodienſis. Reg. Vatic. epiſt. 30.

Venerabili fratri Ægidio de Leodio Epiſcopo Valven.

§.I. IN ſupremæ dignitatis ſpecula licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, curis continuis angimur & pulſamur inſultibus ſucceſſivis, ut Eccleſiis paſtoribus viduatis de talibus provideatur perſonis, quarum induſtria & virtute eædem Eccleſiæ in ſuis juribus, & libertatibus conſerventur, reddatur tranquillior Cleri ſtatus, & commodis ſalutis & gaudii plebs lætetur.

§.II. Sane dudum Valven. Eccleſia ſolatio deſtituta paſtoris, & Capitulo ipſius Eccleſiæ in diverſa dividentibus vota ſua, Guidonem ſanctæ Mariæ in Baſilica, & Theodinum Bomniacen. Monaſteriorum Abbates Ordinis ſancti Benedicti Theatin. & Valven. diœceſis in Valven. Epiſcopum in diſcordia poſtularunt. Negotio itaque poſtulationum hujuſmodi ad Apoſtolicam Sedem deducto, felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter dilectum filium noſtrum M. ſanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem deputavit ſuper hoc partibus Auditorem, coram quo diutius extitit inter partes ſuper ipſo negotio diſceptatum. Et tamdem eiſdem Abbatibus reſignantibus libere poſtulationes hujuſmodi, earum proſecutiones & omne jus, ſi quod eis ex ipſis poſtulationibus competebat; nos proviſionem ipſius Eccleſiæ nobis ea vice duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus a quoquam contingeret attentari; ac poſtmodum volentes eamdem Eccleſiam a diſpendiis, quæ ſibi ex vacatione diutina iminere poterant, præſervari; te profeſſorem Ordinis Fratrum Minorum eidem Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, & tibi munus conſecrationis de manibus noſtris duximus impendendum, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod cum tu de honeſtate vitæ, ac morum & providentia ſpiritualium & temporalium fide dignorum teſtimonio commenderis, prædicta Eccleſia per tuam induſtriam, Deo propitio, ſpiritualiter & temporaliter gratis proficiet incrementis. Quocirca, &c. uſque *conſequi merearis*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Kalend. Martii, anno II.

XV.

Confirmat eis donationem cujuſdam loci. Reg. Vatic. epiſt.76.

Guardiano & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Cuman.

§.I. SIcut nuper ad noſtrum pervenit auditum, Alegrantia quondam Goffredi de Lucino civis Cuman. Alegrantia quondam Joannis Poiri de Lantate, Valentia quondam Montenarii de Prio, & Sonerbella quondam Petri de Guardinſacis laicorum filiæ, in loco, qui dicitur Zebertum prope Foſcatum civitatis Cuman. commorantes, quæ nullius Ordinis obſervantiæ ſunt aſtrictæ, ſed tamquam ſingulares perſonæ proprium habent, licet locum ipſum habeant in communi: attendentes, quod locus ipſe vobis in arcto loco morantibus accommodus exiſtebat, & cupientes quod locus ipſe vobis proveniret, pro animarum ſuarum remedio, dictum locum ad eas de jure communiter pertinentem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, quia vobis poſſeſſiones ſeu proprietates habere poſſe rigor veſtræ profeſſionis adenit, Finiberto Zachariæ Notario civi Cuman. noſtro & Eccleſiæ nomine contemplationi veſtri Ordinis, & ad veſtram conſolationem liberalitate pia & provida donaverunt, transferentes in nos & ſucceſſores noſtros verum dominium & poſſeſſionem loci, ac pertinentiarum, & jurium prædictorum, uſufructu in eis dum vixerint tantummodo reſervato, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Donantium nomina referuntur.

§.II. Nos autem donationem hujuſmodi pie ac provide ſactam acceptantes & etiam approbantes, attendentes quoque quod dictus locus veſter commode dilatari non poteſt, pro horto habendo, ædificandis domibus, & Ordinis veſtri decentia conſervanda, prædictum locum de Zeberto taliter vobis prædicti Ordinis contemplatione donatum vobis ad uſum veſtrum, in veſtræ conſolationis augmentum, auctoritate præſentium duximus concedendum, proprietate dicti loci de Zeberto nobis & eidem Eccleſiæ nihilominus reſervata; volentes quod vos in perpetuum ipſo loco libere uti, ac eum noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine tenere poſſitis, niſi forſan per nos ſeu ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices ex certa ſcientia conceſſionem hujuſmodi contigerit revocari. Volumus autem quod per hoc prædictis mulieribus quoad uſumfructum prædictum nullum præjudicium generetur. Nulli ergo liceat noſtræ acceptationis, approbationis, conceſſionis, & reſervationis infringere, &c. Pontifex donationem confirmat, & proprietatem loci ſibi reſervat, quod eſt notandum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Kalend. Aprilis, anno II.

XVI.

Scribit aliis circa idipſum. Reg. Vatic. epiſt.77.

Venerabili fratri Epiſcopo Alben. & Dilecto filio Abbati de ſancto Nazario Vercellen. Diœc.

SIcut nuper, &c. ut in præcedenti uſque *habeant in communi*, attendentes quod locus ipſe Guardiano & fratribus Ordinis Minorum Cuman. in arcto loco morantibus accommodus exiſtebat, & cupientes, quod locus ipſe eiſdem Guardiano & Fratribus proveniret, pro animarum ſuarum remedio dictum locum ad eas de jure communiter pertinen-

tem

Hic etiam nota, Minores bonorum proprietatem habere non poſſe.

tem cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis * quia Guardiano & Fratribus ejuſdem poſſeſsiones ſeu proprietates habere poſſe rigor eorumdem profeſsionis ademit, Fimberto Zachariæ Notario, &c. uſque *plenius dicitur contineri*. Nos autem donationem hujuſmodi, &c. uſque *contigerit revocari*. Volumus autem, &c. uſque *generetur*. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem mulieribus cedentibus vel decedentibus, eoſdem Guardianum & Fratres in corporalem poſſeſsionem prædicti loci de Zeberto jurium & pertinentiarum ejus, vos vel alter veſtrum, per vos vel per alium ſeu alios, juxta acceptionis, approbationis, conceſsionis & reſervationis noſtræ tenorem inducatis auctoritate noſtra, & defendatis inductos, contradictores, &c. Non obſtante, &c.

Datum ut ſupra.

XVII.

Frater Tancredus fit Epiſcopus Neucaſtrenſis. Reg. Vatic. epiſt. 60.

Venerabili fratri Tancredo de Monte Fuſculo Epiſcopo Neucaſtren.

Roberti Antiſtitis crimina recenſentur.

§. I. MIlitanti Eccleſiæ diſponente Domino &c. ut ſupra in bulla v. Nicolai III. uſque *ſtudeamus*. Dudum ſiquidem intellecto, quod Robertus, qui pro Neucaſtren. Epiſcopo ſe gerebat, ſimoniacum habuerat ingreſſum, bona Neucaſtren. Eccleſiæ dilapidabat, & enormiter conſumebat, quodque incontinentiæ vitio laborabat, & ſuper his & aliis gravibus & enormibus exceſſibus erat publice diffamatus, ipſum auctoritate litterarum noſtrarum citari fecimus, ut coram nobis certo termino perſonaliter compareret, prout præmiſſorum qualitas exigeret recepturus, ei nihilominus omni alienationis genere interdicto, ſicut in eiſdem litteris plenius continetur. Eodem itaque Roberto coram nobis, licet poſt præfixum ſibi terminum, generaliter comparente, ſuper præmiſſis, tam per nos, quam per alios ex Fratribus noſtris incepimus inquirere diligenter, & tandem idem Robertus libere in noſtris manibus honori & oneri ceſſit ſpontaneus, ne forſan compelleretur invitus.

Ob quæ ſponte Epiſcopatum renunciat.

§. II. Nos autem ceſſionem hujuſmodi admittentes, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ illa vice nobis duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus a quoquam ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Et tamdem paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne ipſa Eccleſia diſpendia prolixæ vacationis incurreret, ad perſonam tuam cum habearis virtute laudabilis, religionis claritate conſpicuus, præclarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis aciem extendentes, ſperantes quoque, quod eamdem Eccleſiam ſalubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipſaque utilis præſidio munita Paſtoris, optatis affluet incrementis, te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem, eidem Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, tibique munus conſecrationis per venerabilem fratrem noſtrum Portuen. Epiſcopum fecimus exhiberi.

Et propterea Fr. Tancredus eligitur.

§. III. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino devote ſuſcipiens, ſic curam & adminiſtrationem præfatæ Eccleſiæ diligenter gerere ſtudeas, & ſalubriter, ac utiliter proſequaris, quod ipſa ſub tua vigilantia votivis amplietur commodis, & in omnibus, divina cooperante clementia, proſpere diri-

dirigatur. Tuque noſtram & dictæ Sedis gratiam exinde, tamquam benedictionis & obedientiæ filius, uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Idibus Maii, anno II.

XVIII.

Committitur ei cura & adminiſtratio Eccleſiæ Gadicenſis. Reg. Vatic. epiſt. 95.

Joanni Epiſcopo Egitanien.

VAcante dudum Egitanien. Eccleſia per mortem bonæ memoriæ V. Egitanien. Epiſcopi, nos de proviſione ipſius Eccleſiæ cogitantes, te tunc Gadicen. Epiſcopum a vinculo, quo Gadicen. tenebaris Eccleſiæ, abſolutum, ad eamdem Egitanien. Eccleſiam duximus transferendum. Verum quia propter generalem perturbationem Regni Portugalliæ, in quo ipſa Egitanien. Eccleſia conſiſtit, inter Prælatos ipſius Regni, & claræ memoriæ A. Portugalliæ Regem exortam, cujus occaſione ſunt iidem Prælati ſuis redditibus Eccleſiaſticis ſpoliati, tu pacificam poſſeſſionem Epiſcopatus Egitanien. habere, ſicut aſſeris, hactenus nequiviſti, ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ providentiam humiliter imploraſti. Nos autem juris decentia ſuadente, incongruum reputantes, quod tali prætextu tu adminiſtratione ſic careas Eccleſiæ utriuſque, vel in contemptum Pontificalis officii rerum inopiam patiaris, ac intendentes, quod eadem Gadien. Eccleſia tali occaſione non fluctuet, ſed in ſtatu proſpero conſervetur diligenti adminiſtratore directa, curam & adminiſtrationem ipſius Gadicen. Eccleſiæ taliter vacantis ad præſens ſpiritualiter, & temporaliter tuæ circumſpectioni committimus per te plene in omnibus gubernandam, uſque ad noſtræ beneplacitum voluntatis, prout tibi ante abſolutionem & translationem hujuſmodi competebat. Ita tamen, quod ſi hujuſmodi beneplacito noſtro durante, poſſeſſionem eamdem fueris pacifice aſſecutus, beneplacitum ipſum re ipſa expiret, tuque ex tunc de adminiſtratione ipſa te nullatenus intromittas. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus curam & adminiſtrationem hujuſmodi, juxta commiſſionis noſtræ tenorem, ſic laudabiliter gerere ſtudeas, quod exinde retributionis æternæ tibi proveniat incrementum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kal. Junii, anno II.

XIX.

Concedit eis locum Fratrum de Pœnitentia. Reg. Vatic. epiſt. 105.

Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum de Villa Franca Elnen. Diœceſis.

§. I. NUper exponentibus vobis accepimus, quod homines Villæ Francæ Elnen. diœceſis, attendentes, quod in loco Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti dictæ Villæ, quorum Ordo non eſt de reſervatis per conſtitutionem fœlicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam in Concilio Lugdunen. in quo ante dictum Concilium tredecim & plures etiam Fratres ipſius Ordinis de Pœnitentia Jeſu Chriſti manere conſueverunt, tres tantummodo morabantur, cum reliqui poſt prædictum Concilium ſe ad loca alia tranſtuliſſent, quod-

Quæ FF. in loco ceſſitas.

quodque in præfata villa ſita In montanis, & a populoſis Civitatibus nimis remota, nulli Religioſi alii exiſtebant, quorum miniſterio poſſet ſaluti conſuli animarum, ac per hoc affectantes in dicta villa Fratrum Minorum condecens Collegium collocari, apud Miniſtrum & Fratres dicti Ordinis Fratrum Minorum In Provinciali Capitulo congregatos precibus inſtiterunt, ut aliquos Fratres ipſius Ordinis ad dictam villam tranſmitterent inibi moraturos.

Qui proinde ejus Incolæ fiunt.

§. II. Sane dicti Miniſter & Fratres in eodem Capitulo conſtituti conſiderantes, quod exinde magnus profectus provenire poterat animarum, tredecim Fratres ipſius Ordinis Minorum ad memoratam villam, ut Inhabitarent ibi, aſſidue tranſmiſerunt, iidemque homines quemdam fundum prædicto loco eorumdem Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti contiguum, quem juſto titulo acquiſierant, veſtræ habitationi, & uſui conceſſerunt, pia intentione ſperantes, quod idem locus, in quo dicti Fratres de Pœnitentia Jeſu Chriſti morantur, ad hujuſmodi uſum veſtrum in poſterum deveniret, emerunt nihilominus homines memorati ab Abbate & Conventu Monaſterii ſancti Michaelis dictæ diœceſis dominium ac cenſum, quæ in dicto loco Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti dictum Monaſterium obtinebat, ut ſi dictum locum veſtro uſui Sedes Apoſtolica decerneret concedendum, poſset dictus locus Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti a vobis abſque obligatione qualibet & onere habitare.

Et ipſis FF. de Pœnitentia conceditur ædes.

§. III. Cum itaque prædictus locus veſtro uſui a prædictis hominibus ſic conceſſus, ut aſseritis, nimis arctus exiſtat, dictuſque locus ipſorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti ad ampliationem ipſius loci a dictis hominibus ſic conceſſi, & habitationem veſtram ſit plurimum opportunus, ſitque veriſimiliter præſumendum, quod poſt non magni temporis ſpatium locus ipſe dictorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti, juxta prædictam conſtitutionem, in diſpoſitione Sedis Apoſtolicæ remanebit; nos qui Ordinem veſtrum, ejuſque profeſsores ſincera diligimus in Domino caritate, volentes vobis in hac parte gratiam facere ſpecialem, uſum & habitationem præfati loci prædictorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti vobis in veſtræ conſolationis augmentum auctoritate præſentium duximus concedendas, quouſque per nos, vel ſucceſſores noſtros ex certa ſcientia conceſſionem hujuſmodi contigerit revocari, * proprietate ejuſdem loci Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti nobis, & dictæ Sedi nihilominus reſervata.

** In hac etiam Conſtitutione Pótifex ſibi bonorum proprietatem reſervat.*

§. IV. Et damus etiam venerabili fratri noſtro Epiſcopo Elnen. & dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Michaelis de Coxano Elnen. diœceſis ſub certa forma noſtris litteris in mandatis, ut ſi dicti Fratres de Pœnitentia Jeſu Chriſti, ſive ſimul omnes, ſive ſingulariter ad aliquos Ordines approbatos ſe transferre voluerint; alioquin quam cito præfatum locum prædictorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti ab eiſdem Fratribus de Pœnitentia prædicto modo, vel alio contigerit derelinqui, ſicque juxta conſtitutionem eamdem in diſpoſitione Sedis remanere prædictæ, vos in corporalem poſſeſſionem ipſius loci Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti jurium & pertinentiarum ejus pro veſtro uſu & habitatione inducant & defendant inductos. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & reſervationis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, v. Kal. Julii, anno II.

XX. *Com-*

XX.

Committit eis executionem ſupradictæ conceſſionis. Reg. Vatic. epiſt. 106.

Venerabili fratri Epiſcopo Elnen. & dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Michaelis de Coxano Elnen. Diœceſis.

EXpoſuerunt nobis dilecti filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum de Villa Franca Elnen. diœceſis attendentes &c. ut in ſuperiori bulla uſque *habitaturi*. Cum itaque prætactus locus uſui prædictorum Guardiani & Fratrum a prædictis hominibus ſic conceſſus &c. uſque *reſervata*. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. uſque *defendatis indultos*. Contradictores &c. Non obſtante &c. Datum ut ſupra.

XXI.

Confirmat litteras Honorii III. quibus regulam approbavit Minorum. Reg. Vatic. epiſt. 157. & Arch. Aracœli ſub plumbo num. 32.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus, & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

LItteras felicis recordationis Honorii Papæ III. prædeceſſoris noſtri regulam veſtram & confirmationem ipſius continentes, non abolitas, non cancellatas, non viciatas, vera bulla bullatas inſpeximus diligenter, quarum tenorem de verbo ad verbum ex certa ſcientia præſentibus fecimus annotari: decernentes ac ſtatuentes, ut idem tenor, eamdem vim, eumdemque vigorem ad idem robur per omnia obtineat ſic inſertus, quæ ipſæ litteræ bulla ipſa munita obtinere noſcuntur, etiamſi dictæ litteræ numquam in poſterum apparerent, & eadem ſibi fides in judicio, & extra judicium adhibeatur omnino, quæ prædictis originalibus litteris præberetur. Prædictus vero tenor litterarum earumdem talis eſt: Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica &c. *ut ſupra in 2. tom. anno* 1221. Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. ſi quis &c. Datum Lateran. III. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno VIII. Nulli ergo noſtræ annotationis & conſtitutionis &c. ſi quis &c.

Datum Suriani XII. Kalend. Septembris, anno II.

XXII.

Confirmat litteras Gregorii IX. circa ſtigmata ſancti Franciſci. Reg. Vatic. epiſt. 155. & Arch. Aracœl. ſub plumbo num. 107.

Univerſis Chriſtifidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

LItteras felicis recordationis Gregorii Papæ IX. prædeceſſoris noſtri non abolitas, non cancellatas &c. ut ſupra in bulla præcedenti uſque *prædictis originalibus litteris præberetur*. Prædictus vero tenor earumdem litterarum talis eſt: Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalu-

tem & Apoſtolicam benedictionem. Confeſsor Domini glorioſus beatus Franciſcus, qualis vitæ meritis &c. *ut in* 1. *tom. anno* 1237. *n.* 1. *uſque in finem*. Datum Viterbii Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno xi. Nulli ergo noſtræ annotationis & conſtitutionis &c. ſi quis &c.

Datum Suriani viii. Kal. Septembris, anno ii.

XXIII.

Frater Conradus fit Epiſcopus Tullenſis. Reg. Vatic. epiſt. 167.

Fratri Conrado Electo Tullen.

IN ſupremæ dignitatis ſpecula &c. ut ſupra in bulla xiv. hujus Pontificis uſque *plebs lætetur*. Sane vacante dudum Eccleſia Tullen. per obitum bonæ memoriæ Gilonis Epiſcopi Tullen. primo de quondam Joanne de Fronteneto ipſius Eccleſiæ Canonico, qui hujuſmodi electionis proſeqnendo negotium apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, & poſtmodum de Rogero Archidiacono de Portu, in eadem Eccleſia fuerunt electiones inibi celebratæ. Opponentibus itaque ſe quibuſdam ex Canonicis Eccleſiæ prædictæ hujuſmodi electioni factæ de Archidiacono ſupradicto, ſuper ipſo negotio ad Sedem prædictam deducto, extitit apud Sedem eamdem diutius litigatum, & tamdem eodem Archidiacono libere reſignante omne jus, quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, Nos ea vice proviſionem ejuſdem Eccleſiæ nobis duximus reſervandam, & paterna volentes ſollicitudine &c. ut in bulla citata num. xiv. uſque *poterant præſervari*. Te tunc Miniſtrum Fratrum Ordinis Minorum ſuperioris Alemanniæ, licet abſentem, prædictæ Tullen. Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ Sedis plenitudine poteſtatis, in Epiſcopum præfecimus & paſtorem, adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ tibi ſpiritualiter & temporaliter plenarie committentes. Quocirca &c.

Datum Viterbii iv. Nonas Octobris, anno ii.

XXIV.

Frater Gentilis fit Archiepiſcopus Reginus. Reg. Vatic. epiſt. 165.

Venerabili fratri Gentili Archiepiſcopo Regin.

Eccleſiæ idonei dari debent regendæ Paſtoribus.

§. I. REcte tunc Eccleſiarum utilitati proſpicitur, & indemnitati ſalubriter præcavetur, cum diſcretis & providis earum cura committitur, & viduatarum regimini paſtores idonei præponuntur. Unde Romanus Pontifex, cui ex officio Apoſtolatus incumbit de univerſis Eccleſiis ſollicite cogitare, hoc maxime circa ipſas attendit, & ad id propenſius incitatur, ut per bonos & dignos gubernentur Rectores, per duces perſpicuos in ſuis gregibus dirigantur.

§. II. Olim ſiquidem Regin. Eccleſiæ per obitum bonæ memoriæ Jacobi Archiepiſcopi Regin. paſtoris regimine deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, prout nobis exponere curaverunt, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode intereſſe, convenientes in unum, Spiritus ſancti gratia invocata, dilectum filium Robertum de Caſtellione Decanum ipſius Eccleſiæ, quaſi per inſpirationem in Regin. Archiepiſcopum communiter & concorditer elegerunt, ac idem Decanus ſuum præſtitit hujuſmodi electioni conſenſum, dictique Capitulum

tulum facientes nobis poſtmodum ejuſdem electionis decretum per ſuos ad hoc procuratores idoneos & nuntios præſentari, a nobis ut electionem confirmaremus eamdem ſuppliciter poſtularunt.

§. III. Nos igitur electionem ipſam & perſonam electi per aliquos ex Fratribus noſtris, prout moris eſt, examinari fecimus diligenter, & quia invenimus eam de perſona in ſcientia ad regimen ejuſdem Eccleſiæ patiente defectum minus canonice celebratam, electionem eamdem de Fratrum noſtrorum conſilio, exigente juſtitia, caſſavimus, & irritavimus, & caſſam & irritam nuntiantes, nobis ea vice proviſionem prædictæ Eccleſiæ duximus reſervandam. Electio Capituli non approbata.

§. IV. Ceterum periculis, quæ per vacationem diutinam poſſent eidem Eccleſiæ imminere, proviſione celeri occurrere intendentes, ac illam ad ipſius regimen deſiderantes perſonam aſſumi, cujus eſſent nobis virtutum merita non ignota, & per cujus induſtriam poſſet eadem Eccleſia in ſpiritualibus & temporalibus ſalubriter gubernari, in te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem direximus noſtræ conſiderationis intuitum, quem nobis de litterarum ſcientia, vita laudabili, converſatione placida, morum honeſtate, diſcretionis & conſilii maturitate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia, fide dignorum teſtimonia, ac familiaris & diutina experientia approbaſſe noſcuntur.

§. V. Quapropter volentes gregi Dominico ſpeciali providere diligentia, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ Sedis plenitudine poteſtatis, te prædictæ Eccleſiæ præfecimus in Archiepiſcopum & paſtorem, tibique conſecrationis munus noſtris manibus duximus impendendum, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod dicta Eccleſia per tuam ſolertem induſtriam & prudentiam circumſpectam in ſpiritualibus & temporalibus, Deo auctore, proficiet incrementis, & tam Clerus quam populus tuo commiſſus regimini tua ſalubri doctrina, & piæ actionis exemplo ad ſalutem ædificabitur animarum. Pontifex Epiſcopum eligit Gentilem, propriiſque manibus conſecrat.

§. VI. Tu ergo tuum jactans in Domino cogitatum, ac juxta ſpem noſtram, & gratiam a Domino tibi datam, commiſſum tibi ſuper gregem Dominicum paſtoris vigilantis officium, officioſe ac vigilanter exercens extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus ſollicitudine invigiles efficaci, ut tamquam ſtella fixa in firmamento Eccleſiæ tibi per vitæ meritum, & aliis proficiens per exemplum, dum plures erudiens ad ſalutem in æternitatis gloria gratulari ac relucere inter alios clarius merearis, & nos qui tibi favorabiliter in omni opportunitate adeſſe proponimus, in tuis delectari laudibus valeamus. Daniel. 12.

Datum Viterbii VII. Idus Octobris, anno II.

XXV.

Frater Nicolaus de Caſoach præficitur Eccleſiæ Darenſi. Regeſt. Vatican. epiſt. 178.

Fratri Nicolao de Caſoach Electo Daren.

§. I. Rationis oculis intuentes commoda, quæ vacantibus Eccleſiis de ſalubri proviſione proveniunt, reddimur corde ſolliciti, ut circa proviſionem hujuſmodi faciendam fructuoſæ attentionis ſtudium habeatur.

§. II. Olim ſiquidem Daren. Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Simonis Daren. Epiſcopi deſtituta paſtore, ac ejuſdem Eccleſiæ Cano-

gicis, qui ad tractandum de ſubſtitutione Prælati convenerunt in unum, in diverſos dividentibus vota ſua, duas io ipſa Eccleſia electiones, unam videlicet de dilecto filio Magiſtro Stephano Decano, & alteram de Guilleſmo ejuſdem Eccleſiæ Theſaurario contigit ab ipſis Cannnicis in diſcordia celebrari.

§. III. Cauſa igitur prædictarum electionum per appellationes partium ad Sedem Apnſtolicam devoluta, felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter in ea dilectum filinm noſtrum A. tituli ſanctæ Praxedis preabyterum Cardinalem dedit eis partibus Auditorem. Poſtmndum autem cum jam eſſet coram Cardinale prædicto in cauſa præfata concluſum, memorato Theſaurario jus, ſi qnod ex præfata electione facta de ipſo competebat, eidem ſponte per ſuas patentes litteras reſignante; demum prædictus Decanns conſtitutns perſonaliter coram nobis omni juri libere ac ſponte ceſſit, quod ſibi ex prædicta electione celebrata de ipſo forſan fuerat acquiſitum.

IV. Nos itaque de ipſius Eccleſiæ ordinatione, quæ diu vacationis incommoda eſt perpeſſa, ne prolixioris vacationis diſpendiis expoſita remaneret, ſolerti diligentia cogitantes, ac ei de tali perſona providere volentes, cujus ſtudio & providentia dicta Eccleſia poſſit ſalubriter gubernari, noſtræ conſiderationis intuitum in te Fratrum Minorum Ordinis Profeſſorem duximus convertendum, teque cui clara moruu vitæ ac ſcientiæ merita, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia ſuffragari dicuntur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis Eccleſiæ prædictæ præfecinus in Epiſcopum & Paſtorem, firma concepta fiducia, quod eadem Eccleſia, Deo auctore, per tuum Miniſterium præſervabitur a noxiis, & gratis temporaliter & ſpiritualiter proficiet incrementis. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus, quam ſuave, in dilectione Dei paſcendum ſuſcipe gregem ejus, ſuper quem noctis vigilias diligens ſollicituſque cuſtodi, ut liber non pateat aditus invaſori, & Dominus inſuſpicabili hora venturus, ſi te invenerit ſic agentem, curſu conſummato, qui tuo labori proponitur, & hora fide ſervata, quæ tuæ ſollicitudini committitur, te fidelem compertum in modico, ſupra multa conſtituat, & in dilecta gaudiorum ſuorum tabernacula introducat.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Kalend. Decembris, anno II.

XXVI.

Frater Gualterus Brugenſis fit Epiſcopus Pictaviæ. Reg. Vatic. epiſt. 174.

Venerabili fratri Gualtero Epiſcopo Pictavien.

Vide Conſtit. 5. hujus Pontif.

§. I. Militanti Eccleſiæ diſponente Domino &c. uſque *ſtudeamus*. Sane dudum Pictavien. Eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, Capitulum ipſius Eccleſiæ duas electiones, unam videlicet de Rodulpho Decano, reliquam vero de Jnanne Capicerio ejuſdem Eccleſiæ in diſcordia celebrarunt.

§. II. Negotio igitur electionum earumdem per appellationes ad Sedem Apoſtolicam devoluto, poſt multos & varios proceſſus apud eamdem Sedem habitos in eodem, iidem Decanus & Capicerius omne jus, quod eis ex electionibus hujuſmodi competebat, ſponte ac libere in noſtris manibus reſignarunt.

§. III.

§. III. Nos autem paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne dicta Eccleſia diſpendia prolixioris vacationis incurrat, & ad perſonam tuam, quam odor famæ nobis reddit acceptam, cum habearis vir vitæ laudabilis, litterarum ſcientia præditus, diſcretionis maturitate conſpicuus, præclarus meritis, & alias in ſpiritualibus circumſpectus, aciem noſtræ mentis convertimus, ac ſperantes, quod eadem Pictavien. Eccleſia &c. uſque *affluet incrementis*, te tunc Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum in Francia, prædictæ Pictavien. Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio &c. uſque *præfecimus & paſtorem*, tibique munus conſecrationis noſtris manibus duximus impendendum. Quocirca fraternitati tuæ &c. uſque *conſequi merearis*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Non. Decembris, anno II.

XXVII.

Frater Philippus præficitur Eccleſiæ Raguſinæ. Reg. Vatic. epiſt. 184.

Dilecto filio Philippo Electo Raguſin.

§. I. Militanti Eccleſiæ &c. ut ſupra in bulla v. hujus Pontificis uſque *ſtudeamus* & quamquam aſſidue circa ſingularum commoda vigilemus, tamen erga illas quæ deplorant viduitatis incommoda, propenſiori cura & majori propulſamur inſtantia, ut eis præficiamus viros ſecundum cor noſtrum idoneos in paſtores.

§. II. Dudum ſiquidem Raguſin. Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Salvii Raguſini Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, Canonici ejuſdem Eccleſiæ, quondam fratrem Marcum de Venetiis Ordinis Minorum in Archiepiſcopum Raguſin. ut dicitur, elegerunt, ſed eodem fratre Marco, antequam eſset ejus electio confirmata, naturæ debitum perſolvente, prædicti Canonici ad tractandum de futuri ſubſtitutione Paſtoris inſimul convenerunt, & dubitantes ne ſi ad electionem procederent, & non poſsent omnes pariter in unam concordare perſonam, exinde oriretur inter ipſos diſſenſionis materia, per quam eis & ipſi Eccleſiæ diſpendia imminerent, deliberaverunt communi conſenſu, & unanimi voluntate ut nobis humiles preces porrigerent, quod dignaremur eidem Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica de paſtore idoneo providere, ac ſuper hoc ſubſequenter tam ipſi, quam dilecti filii nobilis vir Comes, Conſilium, & commune civitatis Raguſinæ nobis ſuas ſupplicatorias litteras, per certum eorum nuncium deſtinarunt.

§. III. Nos igitur dictorum Canonicorum votis volentes favorabiliter annuere in hac parte de ipſius Eccleſiæ ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis expoſita maneret incommodis, attente duximus cogitandum, & poſt vigilem quam ad ponendam ibidem approbatam, idoneamque perſonam appoſuimus diligentiam, in te præfati Ordinis profeſſorem, tunc executioni officii Inquiſitionis contra hæreticos in Marchia Tarviſina commiſſi tibi a Sede Apoſtolica inſiſtentem, quem nobis & Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, morum maturitate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia fide dignorum teſtimonia commendarunt, direximus oculos noſtræ mentis. Quapropter gregi Dominico paterna volentes diligentia providere, de dictorum Fratrum conſilio, te ipſi Eccleſiæ præficimus in Archiepiſcopum & paſtorem, firma ſpe, fiduciaque tenentes, quod eadem Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, in executione negotiorum tuæ ſollicitudini a præfata Sede com-

Digitized by Google

commiſſorum hactenus comprobatam, grata in ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, ſuſcipiet incrementa. Quapropter &c. uſque *conſequi merearis*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Idus Decembris, anno II.

Anno Christi 1280. Nicolai III. anno 3.

XXVIII.

Ut liberent Minores a gravaminibus Epiſcopi Placentini. Regeſt. Vatic. epiſt. 20.

Venerabili fratri Epiſcopo Parmen. & dilectis filiis Cremonen. & ſancti Auxiani de Frangran. Mutinen. diœceſis Eccleſiarum Archipresbyteris.

Malitia humana noxia ſervis Dei.

§. I. FRagilitatis humanæ malitia ſuccreſcente, ſagittæ potentis acutæ paſſim adverſus humiles perſonas conſpicuas meritis virtutum conſurgunt, & eas maxime, quarum vigiliæ Dominici gregis pedibus ſunt lucernæ & lumen ſemitis ejus, inſultationibus terrent, ſedulis vulnerant multipliciter & jacturis. Quare Miniſtros Dominicos præſertim Pontificali dignitate præditos, in earum præſidium decet defenſionis excitare dexteram, & eas conſolationis ſolatiis confovere.

Placentinus Antiſtes infenſus Minoritis.

§. II. Sed proh dolor! Venerabilis frater noſter Philippus Epiſcopus Placentinus, ut proponitur, ab his pietatis actibus paſtoralis officii caritatem avertens, & contemnens advertere, quod in horto Dominico relegati a ſeculo per ſanctæ contemplationis otium, & ſpecialiter Minorum Ordinis profeſſores, quaſi oliva fructifera & ſpecioſa in campis piorum fructuum exuberant ubertate, & ſtudiis virtutum intenti ſalutaris unguenti conſilio mentes plurium conſolidant, errorum ſpiculis ſauciatas, dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Placentin. ejuſdem Ordinis ſe ſuper diverſis articulis moleſtum reddit graviter, notabiliter & infeſtum.

Perſequutionis narratio.

§. III. Nam ſicut dudum crebra inſinuatione accepimus, cum dicti Guardianus & Fratres locum, quem in civitate Placentina obtinebant, infra eamdem civitatem, prout poterant ex Apoſtolico indulto, mutaſſent, Poteſtate, Conſilio, & communi Placentinis id gratum habentibus & acceptum, idem Epiſcopus ad injurias & moleſtias Fratrum eorumdem aſpirans, præter omnium Redemptoris offenſam nota, qua inde reſpergitur, non vitata, ordinaſſe vel conſenſiſſe dicitur, quod per quoſdam clericos Placentinos quædam crux lignea, quam in loco prædicto dicti Fratres cum magna ſolemnitate infixerant, poſt quindecim dies exinde de nocte contemptibiliter fuit evulſa, & fracta ac projecta turpiter in latrinam. Dictos quoque Fratres, nulla canonica monitione præmiſſa, etiam poſt comparitionem legitimam, & privilegiorum allegationem, & nihilominus appellationes interpoſitas ad cautelam, & ex abundanti per Vibertum Corvum, primo de facto, cum de jure non poſſent excommunicari, per Girardum vero Aghinonum Vicarios ſuos, poſtmodum tam ipſos, quam benefactores eorum, & accedentes ad locum ipſum pro Miſſis & prædicationibus audiendis ſeu alias intuitu pietatis & compaſſionis, ad ipſos diebus Dominicis & feſtivis pulſatis campanis & candelis accenſis, excommunicatos faciens publice nuntiari per annum & amplius, continue mandavit, ſive mandari fecit Clericis ſuæ diœceſis ſub excommunicationis pœna, quod nullo modo ad hoſpitium Fratres ipſos ad-

admitterent, nec cum eis participarent in aliquo, ſed eos tamquam excommunicatos potius evitarent. Ex quo ſecutum eſt, quod cum aliquando Fratres tamquam pauperes eſſent recepti hoſpitio, hoſpites illi, qui alias conſueverunt recipere Fratres, mandatum ipſum ad memoriam reducentes, Fratres ipſos impie ſine pabulo, omnique ſubſidio expulerunt, & non parvo periculo expoſuerunt eoſdem.

§. IV. Mandavit etiam ſimiliter Archipresbytero & Clericis Eccleſiæ de Florentiola ejuſdem diœceſis, quod quemdam barbitonſorem, qui Fratres omnes a longis temporibus ſicut & pater ejus, quondam hoſpitio tamquam pauperes recipere conſuevit, niſi omnino deſiſteret, evitarent, necnon ſalarium ſibi ſubtraherent, quod pro ſuo ſervitio eidem dare tenebantur & conſueverant annuatim. Ad majorem inſuper confuſionem Fratrum eorumdem, ut fortius ab omnibus evitarentur, quibuſdam religioſis & uni recluſo propria idem Epiſcopus auctoritate commiſit, quod ab illis, qui ad locum præfatum pro Miſſis, vel prædicationibus audiendis acceſſerant, quod illuc pro his non accedant ulterius, juramento recepto, abſolverat ab excommunicationis pœna, quam eos propter hoc reputat incurriſſe, quod ſi non facerent, abſolutionem hujuſmodi non haberent, graves illis pœnitentias & diſciplinas etiam infligendo, propter quod plures a devotione dictorum Fratrum, & Ordinis retrahi compelluntur. Præterea præfatus Epiſcopus, non niſi ſpiritu nequitiæ, Fratribus ipſis omnes gratias, quas conceſſerat eis ſubtraxit, & dicitur præcepiſſe quod nullus parochialium ſacerdotum ad prædicandum in Eccleſiis ſuis Fratres recipiat ſupradictos. Qui quidem Presbyteri præcepto acquieſcentes hujuſmodi, memoratos Fratres & eorum prædicatores etiam in loco præfato, in ſero & meridie perturbant pulſationibus campanarum, prout in feſto ſancti Stephani aſſeritur ſpecialiter contigiſſe, fratre Joannino de Lupicinis ejuſdem Ordinis lectore prædicante, & efficaciter populum auctoritate inducente Apoſtolica ad ſuſcipiendum Crucis ſignaculum in ſubſidium Terræ ſanctæ, ita quod occaſione hujuſmodi turbationis fere tota civitas commota extitit, & turbata, & non ſolum diurnis, ſed etiam nocturnis gravibus inſolentiis Fratribus conculcatis, eiſdem per Clericos, ſicut aſſeritur, inter alia de nocte multi magni lapides fuerunt intus per quamdam feneſtram, & ſupra tectum domus loci præfati projecti in contemptum Fratrum, & mortis periculum eorumdem, non ſine aliorum ſcandalo plurimorum, ſicque Fratribus ipſis contemptis, ſuſtinet præfatus Epiſcopus, quod poſt Fratres prædictos, cum pro ſuis neceſſitatibus per civitatem diſcurrunt eamdem, per pueros & famulos verbis contumelioſis & indecentibus proclametur.

§. V. Cumque idem Guardianus, & Fratres diutius hujuſmodi preſſi gravaminibus & injuriis laceſſiti in humilitate ſpiritus expectaſſent, quod ipſos dictus Epiſcopus ad benevolentiam paternam reſtituens præmiſſa revocare gravamina, & ab inferendis ceſſaret omnino, tamdem dicti Guardianus, & Fratres conſpicientes, quod non ſolum dictus Epiſcopus, ſed etiam Præpoſitus & Capitulum Placentin. contra eos ſuper hoc aſſumentes duritiam Pharaonis, in ipſorum conculcationem notabilem honeſtatis, injurias injuriis, & gravamina gravaminibus cumulabant, ad Apoſtolicæ Sedis providentiam recurrerunt, nobis humiliter ſupplicantes, ut cum ipſi auxilio proprii voluntarie deſtituti tolerare nequeant longa litigiorum diffugia, & anfractus, eis ſuper his faceremus apud Sedem Apoſtolicam exhiberi juſtitiæ complementum. Fratres pro juſtitia recurrunt ad Apoſtolicam Sedem.

§. VI. Nos autem ex præmiſſorum qualitate plenius colligentes, quod

quod pietati deſeruit imbecillitati eorumdem Guardiani, & Fratrum ſuper hoc efficaciter conſulere, ac inſolentiis, quibus, ut præmittitur, inceſſanter premuntur, efficacius obviare, ac propter hoc volentes ipſorum in hac parte providere quieti, & eis in ſua juſtitia favoribiliter adeſſe, in qua ſumus omnibus debitores, cauſam, quam dicti Guardianus, & Fratres contra præfatos Epiſcopum, & Præpoſitum, ac Capitulum, & alias quaſcumque perſonas ſuper loco ſeu domo, quem & quam iidem Guardianus, & Fratres, & eorum Conventus conſtruunt, ſeu ædificare intendunt in civitate Placentina, & omnia alia cauſam ipſam tangentia movent, Venerabili fratri noſtro O. Epiſcopo Tuſculano commiſimus audiendam; coram quo Procuratoribus partium in judicio comparentibus, & libellos offerentibus, exceptiones, & replicationes contra libellos ipſos in aſſignatis ad hoc terminis fuerunt exhibitæ hinc inde. In præfato ſiquidem libello pro parte dictorum Guardiani, & Conventus oblato inter cetera continetur, quod prædictus Ubertus in præfatum Guardianum, ac alios de dicto Conventu, qui rebelles & contradictores exiſterent eorum, ut dicebat, exigente contumacia, injuſtæ excommunicationis ſententiam, ut præmittitur, promulgavit. Poſtmodum autem nos, ut concluderemus ſub compendio, quod cavillaotium ſtudia in hac parte prætendere videbantur in longum, volentes examinare & audire hujuſmodi excommunicationis articulum per nos ipſos, Procuratoribus partium coram nobis in publico conſiſtorio conſtitutis, ſuper eadem ſententia, ejuſque gravaminibus, & denunciationibus, per quas memorati Guardianus, & Fratres, ac eorum fautores, & nominatim Ruffinus de Fontana, Thomaſinus de Parma, Albertinus de Arcellis, & Bonganinus de Tavaſca Fratres de dicto Conventu, & omnes viri ac mulieres, qui ad prædicationem & officium ipſorum Fratrum irent, & qui eis darent conſilium, auxilium, vel favorem, ut ædificarent in domibus, quæ fuerunt nobilis viri Ubertini de Andito, vel de Lando, mandantur excommunicati publice nuntiari; examinationem & diſcuſſionem habuimus diligentem, quamquam ſuper præfatis libellis non eſſet ad litis conteſtationem proceſſum.

Pontifex per ſemetipſum cauſam examinat.

§. VII. Et quia ex iis, quæ coram nobis acta fuerant, & etiam ex tenore dictæ ſententiæ apparebat ſententiam ipſam, & præmiſſas aggravationes injuſtas fuiſſe, præſertim pro eo, quod quantum ad Fratres de dicto Conventu, & omnes alios, qui contradictores & rebelles extiterant, ac alios viros & mulieres, qui ad officium ipſorum Fratrum irent, ſeu eis impenderent auxilium, conſilium, & favorem canonica monitio non præceſſerat, quæ de jure præcedere debuiſſet, nec pro parte dictorum Epiſcopi, & Præpoſiti, ac Capituli Placentini aliquid rationabile oſtenſum fuerat ad juſtificandum hujuſmodi ſententiam & proceſſum Vicarii ſupradicti. Demum auditis & plenarie intellectis, quæ præfati procuratores ſuper eiſdem ſententia, aggravationibus, & denunciationibus allegare, dicere, & proponere voluerunt, memorato Epiſcopo Tuſculano in eodem conſiſtorio injunximus oraculo vivæ vocis, & voluimus ut ſententiam, aggravationes, & denunciationes prædictas, & quidquid ex eis, vel ob eas ſecutum eſt quoad dictum Conventum, & tam ipſius quam Fratres ſuperius nominatos, qui contradictores & rebelles extiterunt, & eorum fautores, & quoſcumque alios tangunt, & tangere poſſent, caſſaret, & revocaret, ac pronunciaret injuſta. Quoad Guardianum vero hæc relinqueret indiſcuſſa, donec ſuper his deliberatio plenior haberetur.

Et injuſtam declarat latam excommunicationem.

§. VIII.

§. VIII. Idem igitur Epiſcopus Tuſculanus, auctoritate mandati noſtri taliter ſibi facti, dictis procuratoribus in ejus præſentia conſtitutis, ſententiam, aggravationes, & denunciationes præmiſſas, & quidquid ex eis, vel ob eas ſecutum eſt quoad eumdem Conventum, & Fratres eoſdem, qui contradictores & rebelles extiterunt, & eorum fautores, & quoſcumque alios contingunt, & tangere poſſunt, exigente juſtitia, caſſavit, & nihilominus pronunciavit fore injuſta; tamen excommunicationis ſententiam, aggravationes, & denunciationes eaſdem quoad dictum Guardianum indiſcuſſas relinquit, donec ſuper eis, ut præmittitur, deliberatio plenior habeatur, ſicut in inſtrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

§. IX. Ceterum quia, ſicut aſſeritur, dictus Epiſcopus Placentinus pontificalis modeſtiæ ruptis habenis, non contentus præmiſſorum illatione gravaminum, contra eoſdem Guardianum & Fratres frenis dirius perſecutionis laxatis, necnon præfatus Vicarius de mandato ſuo coram eodem Epiſcopo Tuſculano, cauſa ſic pendente hujuſmodi, contra eos non expavit renovare gravamina, multiplicare injurias, & multiplices jacturas inferre: Nos veriſimiliter autumantes, quod præſumptorum hujuſmodi in dictos Guardianum, & Fratres tamdiu continuata temeritas Placentinum Epiſcopum non latuit memoratum, ſed ſequitur ex hoc probabiliter iis potius conſenſiſſe, ac propter hoc conſiderantes, quod eodem Epiſcopo Placentino apud Sedem conſtituto præfatam, nube cunctationis ceſſante, ſuper his plenius & facilius innoteſcet claritas veritatis, quodque dicti Epiſcopi honeſtati accreſcit, ſi compendioſo proceſſu hujuſmodi negotium ſopiatur; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios præfatos Epiſcopum Placentinum, & Vicarium ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra duos menſes poſt citationem hujuſmodi cum omnibus actis & juribus, & munimentis ſuis, cauſam hujuſmodi contingentibus, perſonaliter compareant coram nobis. Epiſcopus ſuper præmiſſis omnibus, Vicarius vero ſuper lata per ipſum dicta excommunicationis ſententia, facturi & recepturi, quod ordo dictaverit rationis. Et nihilominus eumdem dicti Tuſculani Epiſcopi proceſſum publicantes in locis quibus expedire videritis, tam Epiiſcopo Placentino, quam Præpoſito, & Capitulo ſupradictis ex parte noſtra inhibere curetis, ne præfata cauſa coram memorato Epiſcopo Tuſculano pendente, contra præfatos Guardianum, & Fratres, aut eorum aliquem, vel quoſcumque alios viros, ſeu mulieres occaſione dictæ ſententiæ excommunicationis, excommunicatos nuntient, vel faciant nuntiari. Contradictores &c. Non obſtante ſi aliquibus &c. Diem vero citationis &c. Jubetur Epiſcopum inhiberi.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Januarii anno III.

XXIX.

Præcipit ut Monachi Cluniacenſes permittant Minoribus Conventum ædificare in villa Cariloci. Reg. Vat. epiſt. 50.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Olim ex relatione dilectorum filiorum Miniſtri, & Fratrum Ordinis Minorum in Burgundia accepimus admirantes, quod dudum Miniſtro dicti Ordinis in eadem Burgundia, ſignificante fe- Miniſter Ordinis novam petit domum conſtrue re.

 licis

licis recordationis Alexandro Papæ prædeceſſori noſtro, quod in villa de Caroloco Matiſconen. diœceſis, conſideratis quæ ſalutem animarum reſpiciunt, domus Ordinis Fratrum ipſorum foret plurimum opportuna, dictus prædeceſſor eidem Miniſtro per ſuas duxit litteras concedendum, ut ſi devotione fidelium ſive alio modo locus ad hoc utilis concederetur eidem, illum recipere ad conſtruendum ibidem domum ipſam, & habendum Oratorium, & cœmeterium in eodem, juxta indulta eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſa, valeret, non obſtante quod Prior Prioratus dictæ Villæ Cluniacen. Ordinis temporalem juriſdictionem in ea & in parochiis Eccleſiarum ipſius villæ vim obtinet patronatus, quod dicto Cluniacen. Ordini ab eadem Sede dicitur eſſe conceſſum, ut nullis omnino religioſis infra terminos parochiarum Cluniacen. Monaſterii Eccleſiam, & Capellam conſtruere, vel cœmeterium habere liceat abſque Abbatis, & Conventus ejuſdem Monaſterii Cluniacen. beneplacito & mandato, ſeu qualibet indulgentia quibuſcumque conceſſa, per quam hujuſmodi gratia impediri poſſet, vel etiam retardari, & de qua plenam & expreſſam fieri oporteret in eiſdem mentionem, eis ſuper hoc bonæ memoriæ Dien. Epiſcopo conſervatore conceſſo.

Monachi ædificium impedientes excommunicantur.

§. II. Cumque Guardianus, & Fratres prædictæ villæ, de ipſius Miniſtri mandato in domibus, ibi, juxta hujuſmodi conceſſionem dicti prædeceſſoris obtentis, Oratorium & officinas alias ordinaſſent eorum uſibus opportunas, dictus Epiſcopus in Priorem, & nonnullos Monachos præfati Prioratus pro eo quod ſuper hoc ſe manifeſte ac temere opponentes, eoſdem Guardianum, & Fratres Oratorium & officinas ipſa conſtruere minime permittebant, & diligenter moniti ab oppoſitione hujuſmodi deſiſtere non curabant, excommunicationis ſententiam, exigente juſtitia, promulgavit, & eorum contumacia excreſcente, fecit ipſos per diverſas civitates & diœceſes excommunicatos diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis ſolemniter nunciari.

Et præcipitur de eo loco amoveri.

§. III. Poſtmodum autem illis in ſua pertinacia permanentibus animo indurato, quondam Abbati prædicti Monaſterii ad prædicti prædeceſſoris præſentiam interim accedenti, prædictus prædeceſſor oraculo vivæ vocis injunxit, ut Guardianum, & Fratres prædictos habens pro ſua & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, Monachos dicti Prioratus injuriatores eorum exinde amovere ſtuderet, ita quod ipſi Guardianus & Fratres in eodem loco Eccleſiam & domos ejus neceſſarias conſtruere poſſent, & ibi ſub obſervantia mandatorum Domini delectari.

In virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis.

§. IV. Et licet Abbas ipſe id prædicto prædeceeſſori promiſerit ſe facturum, tamen ipſe mandati dicti prædeceſſoris & promiſſionis ſuæ immemor, hoc facere non curavit, propter quod dictus prædeceſſor ei per ſuas litteras in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis dedit diſtrictius in præceptis, nt prædictos Priorem, Monachos, & Converſos dicti Prioratus, & quoslibet alios ſuæ juriſdictioni ſubjectos, quod ab eorumdem Guardiani, & Fratrum omnimoda moleſtatione deſiſterent, compellere procuraret, præfato Epiſcopo per alias noſtras litteras injuncto, ut ſi Abbas ipſe mandatum dicti prædeceſſoris in hac parte adimplere negligeret, ipſe in eum excommunicationis ſententiam proferens, ipſum uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicatum ubi & quando expedire videret, ſolemniter nunciaret, & ab omnibus faceret arctius evitari.

§ V. Unde dictus Epiſcopus in eumdem Abbatem, pro eo quod ipſe hujuſmodi litteras dicti; prædeceſſoris directis ſibi receptis,

præ-

præceptum ipſius prædeceſſoris expreſſum in illis, & in ipſius Epiſcopi monita damnabiliter vilipendens, prædictos Priorem, & Monachos, & Converſos, & alios ab hujuſmodi eorumdem Guardiani & Fratrum moleſtatione compeſcere non curavit, excommunicationis ſententiam duxit, exigente juſtitia, promulgandam, ipſumque fecit excommunicatum publice nuntiari, & quia præfati Abbas, Prior, & Monachi ſententias hujuſmodi damnabiliter contemnentes, & divina celebrantes, quin potius quantum in eis erat, prophanantes officia, ſic ligati circa præmiſſa dicti prædeceſſoris diſpoſitionibus non parebant, idem prædeceſſor cœptum erga præfatos Fratres pietatis opus volens effectu proſequente complere, primarium lapidem ad opus Eccleſiæ ſupradictæ benedixit de gratia ſpeciali, dando bonæ memoriæ Matiſconen. Epiſcopo per ſuas in virtute obedientiæ diſtricte litteras in præceptis, ut perſonaliter ad locum ipſum accedens, eumdem lapidem honorifice, ut deceret, inibi poneret, ac circa ipſam Eccleſiam cœmeterium benedicere procuraret, non obſtante contradictione prædictorum Prioris, & Monachorum, vel ſi eis aut perſonis prædicti Cluniacen. Ordinis foret, ut prædictum eſt, a Sede ipſa conceſſum, ut aliquis intra fines Parochiarum ſuarum, abſque ipſorum conſenſu, Eccleſiam, Oratorium, vel Capellam conſtruere non auderet. Contradictores &c.

Iterum in eos excommunicatio indicta.

§. VI. Cumque idem Epiſcopus Matiſconen. tamquam obedientiæ filius, perſonaliter ad dictum locum accedens, mandatum exequi diſpoſuiſſet injunctum, ex hoc ex more pontificalibus jam indutus, nonnulli Monachi dicti Prioratus, & alii in eum, præſente dicto Priore effreni audacia irruerunt, & librum ejus de manu cujuſdam Capellani violenter eripere, cruces infringere, ſalem & aquam ut benediceretur paratum, irreverenter ſpargere præſumentes, ac mitram de capite ſuo auſu temerario molientes auferre, ipſum cum multa ignominia, infecto negotio, redire ad propria coegerunt. Corpus etiam cujuſdam Fratris dicti Ordinis Minorum, quem ibi mori contigit, in cœmeterio Eccleſiæ dictæ villæ prohibuerunt per conceptam malitiam ſepeliri. Propter quod dicti Guardianus & Fratres coacti ſunt corpus ipſum ad cœmeterium alterius villæ deferre, & illud inibi ſepelire. Ac his non contenti, ad locum ſupradictum dictorum Fratrum ex inſperato cum quibuſdam aliis iniquitatis filiis accedentes, prædictos Guardianum & Fratres ab eodem loco violenter ejicere præſumpſerunt, & in Guardianum ipſum injectis uſque ad effuſionem ſanguinis manibus, Dei timore poſtpoſito, temere violentis, & alias eo, & dictis Fratribus ignominioſe tractatis. Poſtmodum quoque vaſis, & omni pannoſa ſuppellectili eorumdem Guardiani & Fratrum per violentiam aſportatis, hujuſmodi eorum Oratorium & officinas funditus diruerunt.

Temerarie invehunt in Epiſcopum Pontificalia facientem.

Et alia etiam committunt facinora.

§. VII. Sane prædictus prædeceſſor conſiderans quod erant hæ culpæ, in quibus culpa eſſet diſciplinæ non exercere rigorem, prædictis Epiſcopis in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis dedit per alias ſuas litteras diſtrictius in præceptis, ut ipſi vel alter ipſorum ad ſupradictum locum perſonaliter accedentes, ſi per evidentiam facti vel per inquiſitionem, quam de plano & abſque judicii ſtrepitu ſuper his dictus prædeceſſor fieri voluit de hujuſmodi ejectione, ſpoliatione, & Oratorii ac officinarum diruptione conſtaret, ſæpedictos Priorem & Monachos ex parte ſua efficaciter monerent, & attentius inducere procurarent, ut infra quindecim dies poſt monitionem hujuſmodi prædictos Guardianum & Fratres in eodem loco cum honore reſumerent, & reſti-

Sub aliis pœnis reſtitutio in integrum facienda Fratribus præcipitur.

tuerent eis omnia ſic ſubtracta, & prædictum corpus facientes cum honorificentia debita ad denegatum ei cœmeterium reportari, non ſolum de reædificandis ædificiis per eos deſtructis, ſed etiam de aliis opportunis habitationibus ipſorum Guardiani & Fratrum conſtruendis ibidem in ſatisfactionem exceſſuum prædictorum, & de ipſis Guardiano & Fratribus, vel eorum benefactoribus de cetero occaſione hujuſmodi minime moleſtandis tam juratoriam, quam aliam, prout expedire viderent, cautionem exhibere ſtuderent. Alioquin ex tunc dictos Priorem & omnes ex dictis Monachis adminiſtrationem habentes, ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, appellatione poſtpoſita, ſuſpenderent, & ſi in hujuſmodi ſuſpenſione per quindecim dies manerent, eos exemptionis & aliis privilegiis & indulgentiis eorum Monaſterio ſpiritualiter & dicto Cluniacen. Ordini generaliter ab Apoſtolica Sede conceſſis, quibus per tantum contemptum indignos ſe redderent, perpetuo privare curarent, & ſi nec ſic dicti prædeceſſoris monitioni parerent, & per alios quindecim dies in ſua pertinacia perdurantes, dictos Priorem a Prioratu & alios ab adminiſtrationibus ſuis abſque ſpe reſtitutionis, auctoritate Apoſtolica, amoverent, ipſum Priorem ac prædictos Monachos nihilominus per omnes civitates & loca Regni Franciæ, in quibus expedire viderent, publice pulſatis campanis, & candelis accenſis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicatos, uſque ad ſatisfactionem condignam publice nunciando, necnon citando eoſdem Priorem & adminiſtrationes habentes, ut infra duos menſes poſt citationem hujuſmodi coram eodem prædeceſſore ſic privati, & amoti perſonaliter comparerent, pro meritis recepturi.

Iterum e Monachorum Prioratu Abbati demandata remotio.

§. VIII. Et poſtmodum idem prædeceſſor attendens quod Prioratus prædictus, & degentes in eo perſonæ in plena dicti Abbatis diſpoſitione manebant, ac ideo prædictorum Prioris & Monachorum exceſſus præmiſſi, quos idem Abbas videbatur diſſimulando fovere, ſibi ad culpam debebant merito imputari, ac proceſſum & ſententiam ſupradictos contra ipſum Abbatem, per ipſum Dien. Epiſcopum habitos approbans, bonæ memoriæ H. Oſtien. Epiſcopo tunc Archiepiſcopo Ebredunen. & dilecto filio nobili viro Philippo Comiti Sabaudiæ tunc Lugdunen. Electo in virtute obedientiæ, & ſub pœnis ſupradictis, per ſuas diſtricte dedit litteras in præceptis, ut ipſi vel eorum alter, per ſe vel per alium, ſeu alios, dictum Abbatem ex parte prædicti prædeceſſoris monere ac inducere procurarent, ut infra terminum, quem ei ad hoc ducerent præfigendum, præfatos Monachos injuriatores Fratrum ipſorum ab eodem amovens Prioratu, eoſdem Guardianum & Fratres in dicto loco faceret cum honore reſumi, & reſtitui eis omnia ſic ſublata. Corpus quoque prædictum ad denegatum ei præfatum cœmeterium reportari, & illud inibi ſepeliri, necnon cautionem exhiberi præfatam, prout ſuperius eſt expreſſum. Alioquin ipſum ex parte prædicti prædeceſſoris citare ſtuderent, ut infra duos menſes poſt citationem hujuſmodi coram eo perſonaliter compareret, ejus ſuper his beneplacitis pariturus, eumdem nihilominus Abbatem ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis in locis, in quibus expedire viderent, facientes excommunicatum publice nunciari, & ab omnibus arctius evitari.

Monachorum defenſiones adductæ.

Demum autem dictis Abbate & Conventu Cluniacen. ſuggerentibus piæ memoriæ Urbano Papæ prædeceſſori noſtro, quod poſt conceſſionem hujuſmodi prædicto Miniſtro factam, quidam Fratres Minores accedentes ad prædictam villam Cariloci in quodam fundo, qui ab eodem Prio-

ra-

Digitized by Google

ratu tenebatur in fundum, & quem Fratres ipſi a feudatario, qui eum tenebat a prædicto Prioratu, præfatis Priore & Conventu ipſius Prioratus irrequiſitis omnino, de facto acquiſiverant Eccleſiam, & officinas eis neceſſarias conſtruere nitebantur. Quodque Prior & Conventus prædicti attendentes quod fundus ipſe ad Prioratum pertinebat eumdem, & quod eis, qui de oblationibus & mortuariis pro magna parte vivunt, ut dicebant, poterat grave præjudicium generari, ſi prædicti Fratres Eccleſiam & officinas in fundo ædificaſſent eodem, ipſos ibidem Eccleſiam conſtruere minime permiſerant, & quod propter hoc dicti Fratres contra Abbatem & Priorem prædictos ſuper boc ab eodem prædeceſſore Alexandro diverſas litteras impetraverant, quodque dictus fundus, quem ad Prioratum ipſum pertinere dicebant, juſto modo ipſis Fratribus non fuerat acquiſitus, propter quod iidem Fratres ibidem contra voluntatem dictorum Prioris & Conventus ædificare non poterant, & quod prædictis Priori & Conventui, ac eidem Prioratui ſi dicti Fratres in villa morati fuiſſent eadem, poſſet grave præjudicium generari; dictus prædeceſſor Urbanus eiſdem Abbati & Conventui Cluniacen. per ſuas ſub certa forma litteras duxit indulgendum, ut præmiſſis veris exiſtentibus, per hujuſmodi litteras ab eiſdem Fratribus impetratas libertatibus & immunitatibus ipſius Abbati & Conventui, ac eorum Monaſterio ſeu membris ejus ab Apoſtolica Sede conceſſis, in aliquo derogari non poſſet, ſeu præjudicium aliquod generari. Piæ quoque memoriæ Clemens Papa prædeceſſor noſter cupiens hujuſmodi negotium, quod tempore non modico protractum erat, providentia ſalubri decidi, venerabili fratri noſtro Claromonten. & bonæ memoriæ Anicien. Epiſcopis ſuis ſub certa forma dedit litteris in mandatis, ut negotium ipſum judicio vel concordia potius amicabili, infra ſex menſes a receptione litterarum hujuſmodi terminarent, & deinde per alias ſuas litteras injunxit eiſdem, ut cum intenderet omnino, quod finis imponeretur negotio ſupradicto, ſi forte negotium ipſum non eſſet infra præſcriptum tempus, juxta formam eis traditam terminatum, ex tunc idem negotium in ſtatu, in quo eſſet, remitterent ad Apoſtolicæ Sedis examen, præfigentes partibus terminum peremptorium competentem, quo per ſe vel Procuratores idoneos Apoſtolico ſe conſpectui præſentarent facturæ & recepturæ, ſuper his quod juſtitia ſuaderet, & dictus prædeceſſor expedire videret. Conſulitur ſi. tem amicabiliter ditimere.

§. IX. Sane idem Claromonten. & Anicien. Epiſcopi prædictum negotium infra præſcriptum tempus decidere nequeuntes, illud juxta prædictam formam ad examen Apoſtolicum remiſerunt, ſicque procuratoribus utriuſque partis in ejuſdem prædeceſſoris Clementis præſentia conſtitutis, idem prædeceſſor ſuſtinere noluit, quod ordinaretur judicium inter eos, ſed ex ſuo dumtaxat officio fecit indulgentias & reſcripta, quibus ſe partes juvare poterant, exhiberi. Quibus diligenter inſpectis, idem aſſeruit prædeceſſor, quod licet a Fratribus Minoribus exhibita coram ipſo magnum favorem exprimerent, quem ad Ordinem Fratrum ipſorum Apoſtolica Sedes habuerat, cujus judicio regitur totus Ordo. Ipſe tamen prædeceſſor Clemens advertens, quod prædicti Abbas & Conventus ſunt Romanæ Eccleſiæ filii ſpeciales, procedendum non duxit ad contentionem hujuſmodi ſententialiter dirimendam, ſed voluit quod ſuperſederent dicti Fratres a præfati proſecutione negotii, donec ei placeret aliud ordinare. Et cum iidem Fratres ſe ipſius per omnia beneplacitis humiliter coaptarent, memoratis Abbati & Conventui Sed denuo remittitur ad Apoſtolicam Sedem.

tui

tui ſuis dedit litteris in mandatis, ut & ipſi ad eoſdem Fratres caritatis viſceribus affluentes, deliberarent ſecum quid magis ipſos deceret, quid etiam magis expediret eiſdem: an benevole admittere Fratres certis pactis adhibitis, an prædictæ Sedis præſtolari judicium, quæ peculiari gregi ſuo compatiens multo forſan tempore ſuſtinere non poſſet ſuorum ſcandala puſillorum. Sicque prædicti Miniſter & Fratres proſecutioni dicti negotii ſuperſedere curarunt, ſperantes, ſibi per ſalubrem proviſionem Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc miſericorditer provideri.

§. X. Quare memoratis Miniſtro & Fratribus nobis humiliter ſupplicantibus, ut ſuper his congruum remedium adhiberi paterna ſollicitudine curaremus. Nos qui ad dictum Ordinem Fratrum Minorum, ejuſque profeſſores ab olim dum adhuc eſſemus in minori officio conſtituti, ſpecialem geſſimus caritatis affectum, & ad apicem Apoſtolatus aſſumpti eos favore intendimus proſequi, quantum cum Deo poſſumus, ſpeciali, attendentes quod magis prædictorum Abbatis, Prioris, & Conventus ejuſdem Prioratus ſaluti expediat, atque quieti eos noſtris ſuper hoc beneplacitis ſuos animos coaptantes, præmiſſa per exhibitionem celeris ſatisfactionis corrigere, ac porrectas in hac parte ipſis preces noſtras per ſe efficaciter adimplere, quam ſuper illis ejuſdem Sedis judicium expectare, dictos Abbatem, Priorem, & Conventum rogandos, monendos duximus attentius & hortandos, noſtris ſibi dantes litteris in mandatis, ut infra duorum menſium ſpatium poſt receptionem earum, prædicta contra præfatos Fratres Minores minus provide attentata emendantes provide per ſeipſos eos in prædicto loco reſumerent cum benevolentia & honore, ipſoſque ibidem morari libere permittentes, de hujuſmodi damnis & injuriis, ipſis, ut prædicitur, irrogatis, ac rebus ablatis eiſdem, ſatisfactionem plenam & debitam impenderent, & prædictum corpus facerent cum honorificentia debita ad prædictum denegatum ſibi cœmeterium reportari, ſcituri pro certo, quod ſi ipſi non obedirent infra præſcriptum tempus hujuſmodi noſtris precibus, monitis, & mandatis, nos qui ex commiſſo nobis Apoſtolatus officio ſumus omnibus in juſtitia debitores, eiſdem Fratribus in ſuo jure aſſiſtere favorabiliter intendentes, nec volentes ulterius hujuſmodi eorum gravamina, moleſtias, & injurias tolerare, ipſis ex tunc ſuper præmiſſis exhiberi de plano & ſine ſtrepitu judicii plenam juſtitiam faceremus, venerabilibus fratribus noſtris Biſuntin. Archiepiſcopo, & Epiſcopo Cabilonen. per alias noſtras litteras injungentes, ut ſi præfati Abbas, Prior & Conventus infra prædictum tempus non parerent eiſdem monitis & mandatis, ipſi vel eorum alter eos ex tunc ex parte noſtra peremptorie citare curarent, ut infra trium menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi, quatuor de Monachis dicti Prioratus fide dignos, odientes malum, & pacis & concordiæ amatores ad hujuſmodi negotium ſufficienter inſtructos, per quos ſuper prædictis poſſet veritas reperiri, ad noſtram præſentiam deſtinarent, per eos habentes ab ipſis Abbate, Priore & Conventu ſuper his mandatum ſufficiens, Apoſtolicum ſubituri judicium, de plano & ſine ſtrepitu judicii exercendum, vel proviſionem ſeu ordinationem, quam ſuper his nos facere contingeret, recepturi. Et nihilominus iidem Archiepiſcopus & Epiſcopus denunciarent eiſdem, quod ſive taliter coram nobis in aſſignando eis ab ipſis terminos comparerent, ſive non, nos ex tunc in eodem negotio procederemus, prout nobis viſum foret, eorum abſentia non obſtante.

Iterata Monachis facta inhibitio.

§. XI. Li-

§. XI. Licet autem præfatis Abbate, Priore, & Conventu infra præſcriptum duorum menſium ſpatium non parentibus prædictis monitis, & mandatis, Archiepiſcopus sd hujuſmodi citationem & denunciationem, juxta formam mandati Apoſtolici proceſſiſſet, tamen hujuſmodi quatuor Monachi in aſſignato ad hoc a dicto Archiepiſcopo termino, noſtro ſe conſpectui minime præſentarunt, quamquam aliqui non ipſius Prioratus, ſed præfati Monaſterii Monachi comparuiſſent in eodem termino coram nobis, propter quod evidenter apparuit, eoſdem Abbatem, Priorem, & Conventum exiſtere contumaces. Nos igitur prædictis Fratribus ſuper tot laboribus & moleſtiis, quos occaſione hujuſmodi quæſtionis pertuliſſe noſcuntur, paterno compatientes affectu, & in eadem quæſtione præfatis Priore & Monachis dicti Prioratus in ſua protervia perſiſtentibus, per longi temporis ſpatium jam duravit, viam alicujus proviſi compendii eligentes, per quam ſaltem in aliquo Prioris & Monachorum prædictorum contumacia ſeu protervia contundatur, nec realiter vel ex toto jus depereat, ſi quod in hoc prioratu competit ſupradicto a præfatis Monachis in præſentia noſtra, ut prædicitur, comparentibus, inquiſivimus ſollicite, prout potuimus, de negotii prædicti qualitate, habitoque ſuper bis cum Fratribus noſtris diligenti tractatu, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, ordinamus, atque decernimus, quod prædicti Abbas, Prior, & Conventus, ac Monachi dicti Prioratus ex nunc ipſos Fratres Minores in prædicto loco præfatæ villæ, de quo agitur, admittere teneantur, & nullo modo impediant per ſe vel alios publice vel occulte, quominus iidem Fratres, juxta præſentis ordinationis noſtræ tenorem, illuc venire valeant, & tute inibi commorari, quin potius in iis, quæ ad eos pertinent in præmiſſis dictis Fratribus, contra quoſcumque ipſos impedire volentes, ſine fraude faveant & aſſiſtant, iidemque Fratres licite ac libere poſſint in loco ipſo morari, & Oratorium, & alias officinas conſtruere & habere, non tamen adhuc ſine noſtris licentia vel ſententia, ſeu proviſione, aut conſenſu dictorum Abbatis, Prioris, & Monachorum, Eccleſiam vel cœmeterium habeant, ſeu ipſa ædificent in eodem.

Fiunt inobedientes, & contumaces.

§. XII. Et quia nobis cordi eſt, quod omnino hujuſmodi noſtra proviſio ſeu ordinatio per eoſdem Abbatem & Conventum, Priorem & Monachos præfati Prioratus inconcuſſe ſervetur, eadem auctoritate in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quod Abbas Cluniacen. qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, omnimode dictos Priorem & Monachos prædicti Prioratus ad obſervationem ejuſdem proviſionis ſeu ordinationis compellat, nec ſuper hoc per excommunicationem prætendat ſe feciſſe, quod potuit, & non poſſe amplius forſitan aſſerendo, cum nequaquam veriſimile videatur, Abbatem ipſum non poſſe, ſi quidquid poteſt ſuper hoc, duxerit faciendum, ſed procuret penitus ſive per ſpirituales, ſive temporales cohertiones, quod eadem proviſio ſeu ordinatio a prælibatis Priore & Monachis inviolabiliter obſervetur.

Iterum, iterumque repetitę cōminationes.

§. XIII. Si vero dictus Abbas id, juxta hujuſmodi præcepti noſtri tenorem, infra decem dies, poſtquam hæc ordinatio noſtra ad eorum notitiam potuerit veriſimiliter pervenire, & per ſupradictum Archiepiſcopum, & venerabiles fratres noſtros Matiſconen. & Bellicen. Epiſcopis, quibus ſuper boc noſtras ſub certa forma dirigimus litteras, juxta tenorem litterarum ipſarum, fuerit publicata, non curaverit adimplere, & dictos Priorem, Conventum aut Monachos ejuſdem Prioratus Cariloci contra eamdem proviſionem, ſeu ordinationem venire contigerit, non pa-

parendo, dictum Abbatem pro ſua contumacia, ſeu inobedientia, & eoſdem Priorem & Monachos ob ipſorum contumaciam, vel inobedientiam eo ipſo decernimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

§. XIV. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis ſeu indulgentiis Apoſtolicis eiſdem Abbati & Conventui, vel Ordini Cluniacen. ſeu dictis Priori ac Monachis ejuſdem Prioratus Cariloci communiter vel diviſim, conjunctim vel disjunctim, generaliter vel ſpecialiter aliquibus eorum, vel alicui ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſeu dicti Ordinis expreſſione vel nomine ſpecialem, determinatam & expreſſam oporteret in noſtris litteris fieri mentionem, & per quæ ipſius noſtræ ordinationis ſeu proviſionis effectus impediri poſſet quomodolibet vel differri; & nihilominus tam dicti Abbas, Conventus ejuſdem Monaſterii Cluniacen. ſive Conventus ipſe, juxta mandatum Apoſtolicum per dictos Archiepiſcopum & Epiſcopos eis auctoritate dictarum litterarum noſtrarum in virtute ſanctæ obedientiæ faciendum opem & operam, quantum in eis fuerit, non dederit efficacem, quod prædicta omnia per eoſdem Abbatem, Priorem & Monachos, juxta eamdem proviſionem ſeu ordinationem noſtram, inviolabiliter obſerventur, quam iidem Prior & Monachi ejuſdem Prioratus Cariloci omnium privilegiorum & indulgentiarum ipſis Abbati, Conventui, Priori ſeu Monachis a Sede Apoſtolica conceſſorum, & juris, ſi quod eiſdem Priori & Monachis in præfato loco competit privationis pœnam infligendam per vos pro tanto eorum contemptu in eamdem Sedem commiſſo, & temeritatis exceſſu, poterunt merito formidare.

§. XV. Quoniam autem intentionis noſtræ, ut præmittitur, non exiſtit, quod per hujuſmodi proviſionem, ordinationem ſeu decretum jus dictorum Prioris, Conventus & Monachorum abſque alia indagine vel proceſſu pereat realiter vel ex toto, volumus & etiam ordinamus, quod diligens babeatur tractatus de ſedanda quæſtione hujuſmodi amicabiliter inter partes, & ſi ſuper hoc provenire compoſitionem amicabilem non contingat, per præfatos Archiepiſcopum & Bellicen. & Matiſconen. Epiſcopos ad inquiſitionem, citationem, denunciationem, & remiſſionem ſub certis modis & formis faciendas in hujuſmodi negotio procedatur, prout in prædictis noſtris ſibi directis litteris ſerioſius continetur. Nulli ergo &c. noſtræ proviſionis, ordinationis, conſtitutionis & præcepti &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Idibus Februarii, anno III.

XXX.

Super ædificandis Conventibus Minorum Moyſiacenſe & de Rapeſtagno, Reg. Vatic. epiſt. 53.

Archidiacono Albien. & Archipresbytero Eccleſiæ de Mirapice Tholoſan. Diœceſis.

§. I. SUa nobis Miniſter Provincialis, & Fratres Ordinis Minorum Aquitaniæ petitione monſtrarunt, quod eum ipſi in villis Moyſiacen. & de Rapeſtagno Caturcen. & Albien. diœceſis quædam loca & ædificia ad opus ſuum de novo conſtruere incepiſſent, Abbas & Conventus Monaſterii Moyſiacen. ejuſdem Caturcen. diœceſis eis ſuper his ſe contra juſtitiam opponentes, Fratres ipſos de prædictis locis violenter ejicere, & in quoſ-

Monachorum in Fratres violentia.

quoſdam ex eis, Dei timore poſtpoſito, violentas manus injicere temere præſumpſerunt, propter quæ inter eoſdem Miniſtrum & Fratres ex parte una; & dictos Abbatem & Conventum ex altera ſuper præmiſſis diverſis quæſtionum articulis ſuſcitatis, dicti Miniſter & Fratres cupientes in hac parte anfractus, & prolixitatem judicii evitare, utpote qui auxiliis bonorum temporalium non juvantur, nobis humiliter ſupplicarunt ut negotium hujuſmodi tractari apud Sedem Apoſtolicam faceremus.

§. II. Sicque nos venerabili fratri noſtro O. Epiſcopo Tuſculano cauſam hujuſmodi ſub certa forma commiſimus audiendam. Eodem vero Abbate tunc apud Sedem eamdem commorante citato, & in ipſius Epiſcopi præſentia comparente, ac proponente ſe comparere ulterius ex certis cauſis coram eodem Epiſcopo auctoritate citationis hujuſmodi non teneri, tamdem extitit ſuper præmiſſis in dictum Epiſcopum, ſicut accepimus, ab ejuſdem Abbatis pro eo, ac eodem Conventu ipſo Abbate præſente & conſentiente, ac dicti Ordinis Generali Procuratoribus, ſub certis alias licitis formis & conventionibus compromiſſum. Committitur cauſa Tuſculano Epiſcopo.

§. III. Cumque poſtmodum peteretur a nobis ut defectum, qui extiterat in hoc pro eo, quod Conventus ejuſdem Monaſterii non intervenit in compromiſſo ipſo, conſenſus defectum auctoritate Apoſtolica ſuppleremus, petitioni hujuſmodi tunc non duximus annuendum, ſed volentes in hac parte diſpendiis partium, quæ ex longis judiciorum protractibus conſueverunt conſurgere, obviare; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios Conventum præfatum ad conſentiendum compromiſſo facto ſuper prædictis, juxta formam, quam prædictus Abbas compromiſiſſe dicitur in eumdem Epiſcopum, & ratificandum quidquid per dictum Abbatem factum extitit in præmiſſis, efficaciter inducere ſtudeatis. Alioquin prædictos Abbatem & Conventum ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra trium menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi, procuratores idoneos, fide dignos, odientes malum, Deum timentes, pacis & concordiæ amatores ad hujuſmodi negotium ſufficienter inſtructos, per quos ſuper prædictis poſſit veritas aperiri, cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis negotium hujuſmodi contingentibus ad noſtram præſentiam ſtudeant deſtinare, per eos habentes ab ipſis Abbate & Conventu ſuper his mandatum ſufficiens, Apoſtolicum ſubituri judicium vel proviſionem, ordinationem ſeu compoſitionem, ſuppletionem, ſi quas ſuper præmiſſis faciendas duxerimus recepturi. Diem autem citationis &c. Defectui compromiſſi providetur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum xv. Kalend. Martii, anno III.

XXXI.

Frater Raynerius præficitur Eccleſiæ Trojanæ. Reg. Vatic. epiſt. 29.

Raynerio Electo Trojan.

§. I. Licet continuata ſupervenientium negotiorum inſtantia nos, qui diſponente Domino, univerſali regimini, quamquam inſufficientibus meritis, præſidemus, inſultibus impetat ſucceſſivis, ſollicitudo tamen omnium Eccleſiarum noſtris incumbens humeris, tanto arctius quotidiana nos meditatione perurget, quanto ad id ſumus ſpecialius, immo principalius obligati. Introductio.

§. II. Sane dudum Trojana Eccleſia per tranſlationem venerabilis

Capitulum poſtulat Epiſcopum Eſculanum ſibi concedi.

fratris noſtri Hugonis Bethleemitani, tunc Trojani Epiſcopi, ad Eccleſiam Bethleemitanam, paſtoris regimine deſtituta, dilecti filii Cantor & Canonici ejuſdem Eccleſiæ Trojanæ tunc ibidem præſentes ad tractandum de futuri ſubſtitutione Paſtoris convenientes in unum, ac deliberantes per viam procedere compromiſſi, duobus ex eis, ſcilicet Nicolao diacono, & Simoni ſubdiacono Canonicis Trojanis providendi per electionem, vel poſtulationem eidem Trojanæ Eccleſiæ de paſtore conceſſerunt liberam poteſtatem. Prædicti autem duo ſecedentes in partem, ac in hujuſmodi negotio ex præfata poteſtate a memoratis Cantore & Canonicis ſibi tradita procedentes, venerabilem fratrem noſtrum Benedictum Epiſcopum Eſculan. in Trojanum Epiſcopum poſtularunt, dictique Cantor & Canonici facientes nobis decretum poſtulationis hujuſmodi præſentari, a nobis ſuppliciter petierunt, ut eamdem poſtulationem admittere dignaremur.

§. III. Nos igitur prædictam poſtulationem per venerabilem fratrem noſtrum B. Epiſcopum Albanen. examinari fecimus diligenter; & demum audita ſuper hoc ejuſdem Epiſcopi relatione fideli, poſtulationem ipſam ex variis cauſis tam ejuſdem Trojanæ, quam Eſculanæ Eccleſiarum utilitate penſata, de Fratrum noſtrorum conſilio, non duximus admittendam. Et deinde cupientes per noſtræ providentiæ ſtudium dictæ Trojanæ Eccleſiæ præeſſe Pontificem, per quem poſſet ſalubriter gubernari, ne ipſa Eccleſia Trojan. per vacationem diutinam diſpendiis, quæ imminere ſolent viduatis Eccleſiis, ſubjaceret, ad te Fratrem Minorum Ordinis profeſſorem, tunc Capellanum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Siciliæ Illuſtris convertimus noſtræ conſiderationis intuitum, teque &c. ut in bulla XXVII. hujus Pontificis uſque *augmentari*. Quocirca &c. uſque *conſequi merearis*.

Qui tamen non admittitur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum V. Nonas Maii, anno III.

XXXII.

Frater Sinibaldus præficitur Eccleſiæ Melfienſi. Reg. Vatic. epiſt. 39.

Sinibaldo Epiſcopo Melfien.

IN ſupremæ dignitatis ſpecula &c. ut ſupra bulla XIV. hujus Pontificis uſque *plebs lætetur*. Nuper ſiquidem venerabilem fratrem noſtrum F. Urbevetanum Epiſcopum, tunc electum Melfien. a Melfien. Eccleſia abſolutum ad Urbevetanam Eccleſiam transferentes, proviſionem ipſius Melfien. Eccleſiæ nobis ea vice duximus reſervandam, & paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne ipſa Melfien. Eccleſia diſpendia vacationis incurreret, ad perſonam tuam, quam odor famæ, ac alias ex parte tuæ probitatis ſtudia, quæ pro Catholicæ fidei conſervatione, ac extirpatione pravitatis hæreticæ, & inquiſitionis officio pravitatis ejuſdem adhibere diutius ſtuduiſti, nobis reddit acceptam, cum habearis vitæ laudabilis, litterarum ſcientia præditus, religionis claritate conſpicuus, præclarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, aciem noſtræ mentis convertimus, ſperantes quoque, quod eamdem Melfien. Eccleſiam ſalubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipſaque utilis præſidio munita paſtoris optatis affluet incrementis, te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem prædictæ Melfien. Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in Epiſcopum præfecimus, & paſtorem; tibique munus conſecrationis noſtris ma-

manibus duximus impendendum. Quocirca &c. uſque *conſequi merearis*. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Maii, anno III.

XXXIII.

Frater Fernandus fit Epiſcopus Burgenſis. Reg. Vatic. epiſt. 38.

Fernando Epiſcopo Burgen.

§. I. Conſulte tunc utilitati Eccleſiarum proſpicitur, cum diſcretis & providis earum cura committitur, & viduatarum regimini paſtores idonei præponuntur. Unde Romanus Pontifex, cui ex Apoſtolatus officio imminet de univerſis Eccleſiis ſollicite cogitare, hoc maxime circa ipſas attendere debet, & ad id propenſius vigilare, ut per bonos gubernentur dignoſque Rectores, per duces conſpicuos in ſuis gregibus dirigantur, per ſacros & eruditos Miniſtros in ſpiritualibus fulgeant, & per diſpenſatores prudentes temporalium proficiant incrementis. Sic enim navis, quæ perito remige ducitur, liquida tute ſolet percurrere ſpatia, & domus ubertate rerum excreſcere, quæ patreſfamilias regitur ſtudioſo. Miniſtris idoneis eccleſiaſticū regimen commendandum.

§. II. Sane venerabili fratre noſtro Gundiſalvo Burgen. Epiſcopo ad Toletanam Eccleſiam eo tempore paſtore carentem, de noſtra proviſione tranſlato, ſicque per tranſlationem hujuſmodi Eccleſia Burgen. vacante, nos diligentius attendentes, quod eadem Burgen. Eccleſia Sedi Apoſtolicæ nullo eſt mediante ſubjecta, & propter hoc ſpecialius nobis cura incumbit ipſius, quodque per nos, ut præmittitur, ſtatum viduitatis incurrerat, ut manus per quam ipſa Burgen. Eccleſia cauſari poterat in ſubtractione ſui paſtoris, non leve ſit vulnus illatum, ſalubrem e veſtigio in prompta ſubſtitutione alterius ferret opem, proviſionem ipſius Eccleſiæ Burgen. nobis ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, & ne de vacationis prolixitate, quam eligentium diffidentia ſolet frequenter inducere, cum non facile multitudo concordet, præfata Burgen. Eccleſia gravia ſentiret incommoda, quæ vacationis hujuſmodi conſequuntur, redditi ſumus corde ſolliciti, illum ſibi deputare Pontificem, cujus certa nobis eſſet notitia meritorum, nec dubia caritas erga plebem ſuo regimini committendam, & in cujus fide poſſet ſida recumbere ſecuritas ſubditorum. Ideoque in te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem, quem litterali ſcientia præditum, virum quoque vitæ laudabilis, converſationis placidæ, ac morum honeſtate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, familiari experientia novimus, oculos dereximus noſtræ mentis. Quapropter intendentes tam gregi Dominico, quam dictæ Burgen. Eccleſiæ ſalubriter providere, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis te ipſi Eccleſiæ Burgen. præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, tibi conſecrationis munus noſtris manibus impendendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod eadem Burgen. Eccleſia per tuam ſolertem induſtriam & prudentiam circumſpectam in ſpiritualibus & temporalibus, Deo auctore, votiva recipiet incrementa, & tam Clerus, quam populus tuo commiſſus regimini, tua ſalubri doctrina & piæ actionis exemplo ad ſalutem ædificabitur animarum. Tu ergo tuum jactans in Domino cogitatum &c. uſque *provenire paſtorem*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XII. Kal. Junii, anno III.

Digitized by Google

XXXIV.

Hortatur eum ut ſolvat debita Conventus Pariſienſis. Reg. Vat. epiſt. 4.

EPISCOPO PICTAVIEN.

Quænam Minoribus debeatur aſſiſtentia.

§. I. CIrca ea, quæ ſummo Patri ſunt placita ſedulo cogitantes, & circumſpicientes undique quod illi a quo cuncta proveniunt, debeatur ſpeciale debitum, inter alia pietatis opera repetamus pie manum auxiliis aperire, pauperibus illis potiſſime, qui mandatorum Chriſti humiles ſectatores, mundi ſpretis divitiis, degunt in præſenti vita ſub exercitio paupertatis, voluntarii, non coacti, ut tamdem militent abundantius in gloria ſupernorum. Tunc enim ipſe Chriſtus glorificatur & collaudatur in gentibus, & illi condigna laus & honor impenditur cum talibus ſaltim in opportunitatibus ſubvenitur, qui ejus veſtigia ſunt ſecuti, ut clarius eluceat fides obſequentium Creatori. Et tunc hujuſmodi pietatis opus in illud exercentibus potiori virtute clareſcit, & per hoc animarum ſalus etiam in aliis producatur cum ex fervore caritatis ad Dominum gratioſe indigentibus ſubvenitur, quod tibi ex cauſa eo fiducialius recenſemus, quo tu Ordinis Fratrum Minorum, in humili paupertate fundati, profeſſor majorem humilitatem dignoſceris obtinere.

Epiſcop. Pictav. Minorita.

§. II. Unde provenire conſpicimus, quod Miniſter Generalis, & nonnulli diſcreti Fratres ipſius Ordinis, & univerſaliter Ordo ipſe ad te in ſuis neceſſitatibus, ſicut ad refugium ſingulare, confugiunt & nunc ſpecialiter, Guardiano & Conventu Fratrum Pariſien. dicti Ordinis, propter ſtudentium multitudinem, & alia eis incumbentia, cum inibi fons ſcientiarum ſcaturiat, & ex illo per univerſum Ordinem rivuli deriventur, gravi onere debitorum oppreſſis, ipſi, qui ſicut noſti, nedum in rebus temporalibus non abundant, nec ſibi ipſis ſufficiunt, ſed interdum etiam pro eorum tenui ſatis victu penuriam magnam patiuntur, niſi aliorum ſubſidiis adjuventur, videntes per eos in hac parte non poſſe prædictum exonerari Conventum; & dubitantes pericula, quæ provenirent eidem Ordini, ſi Conventus ipſe deficeret, vel ſtudentibus, immo, quod abſit, Ordini proficiendi materia veriſimiliter tolleretur, eo confidentius tuum implorant auxilium, quo ſecurius confidunt de tua caritate, quam habere te decet ad Ordinem, in quo tu nutritus, informatus, doctus, & demum Provincialis Miniſter in illis partibus non ignoras quid illi, & ejus profeſſoribus competat, ac tamdem ex illo ſuccreſcens per Dei gratiam rebus temporalibus, præſertim his diebus ſatis abundans, habito reſpectu ad ea, quæ tempore diutinæ vacationis Pictavien. Eccleſiæ reſervata, & quæ ad te in magna copia perveniſſe dicuntur, ſicque idem Miniſter & Fratres in his, quæ in te pluſquam in alio ſeculari Prælato concurrunt, cum alio talia petere non tentarent, ſed ad te in tantæ neceſſitatis articulo convertentes, & ſperantes quod ex tuis ſuperexcreſcentibus facultatibus, tibi conceſſis a Domino, dictus Conventus, nec minus Ordo præfatus ab hujuſmodi debitis relevetur, petierunt a nobis humiliter, ut te induceremus monitis & excitaremur mandatis Apoſtolicis, pro debitis ipſis, quæ ad duorum millium librarum Turonen. ſummam dicuntur aſcendere, perſolvendis, & ut exinde apud alios in mandatorum noſtrorum obſervatione excuſationem decentius haberes, certum ad id tibi præfigeremus terminum, & ex tunc ſi expediret, te ad id compelli per alium faceremus.

Conventus Pariſien. debitis multis gravatus petit ſublevari.

§. III.

§. III. Nos autem qui in fulgenti claritate dicti Ordinis delectamur, & in illa quieſcimus, attendentes, quod dictus Miniſter, & ejuſdem Ordinis Fratres circa virtutum exercitium augendum inſudantes, per devotarum orationum inſtantiam ſalutem quærunt ubilibet animarum, & proſperi ſtatus generalis Eccleſiæ fervidi zelatores eidem indefeſſis laboribus argumentoſe deſerviunt, & ſummæ præeminentiam libertatis acquirunt miniſterio ſervitutis. Conſiderantes etiam evidentes utilitates, quæ prædictis Eccleſiæ & Ordini ex ipſo Conventu proveniunt, & nihilominus formidantes pericula, quæ poſſent aliis emergere, ſi, quod avertat Altiſſimus, quovis caſu diſſolveretur, ſeu decideret prætactus Conventus, a quo ſemina fructifera in Domo Domini conſperguntur, nec minus advertentes, quod tu ſpecialiter in eodem Conventu degens a tuæ culturæ principiis ex illo finaliter Theologiæ facultatis Cathedram aſcendere meruiſti, quodque præmiſſa & alia plura, quæ tu ipſe, ſicut gratus attendere poteris, in te digne concurrunt, & debent tibi eo merito, ſicut & nobis, etiam eſſe motiva tuo præcedenti, & præſenti ſtatu penſato. Recolentes inſuper, quod in tuæ promotionis auſpiciis contrahendi mutuum uſque ad magnam ſummam pecuniæ, ut aſſerebas, erogandam pauperibus, a nobis poſtulaſti licentiam, quam tibi tunc ex eo quod non erat nobis plene nota ipſius Eccleſiæ Pictavien. conditio, & ex aliis certis cauſis non duximus concedendam: ſed præſenti tempore habendo reſpectu ad conſervata prædicta, quæ dicuntur ad te, ut prædicitur, perveniſſe, ita quod ab hoc, abſque menſæ tuæ notabili gravamine, ſufficiens eſſe crederis, concedendi præfatis Miniſtro, & Fratribus pro tam pio ſubſidio de rebus mobilibus Eccleſiæ tuæ ad te ſpectantibus uſque ad prædictam ſummam duorum millium libr. Turonen. licentiam elargimur. Conſiderantes quoque id tibi non poſſe nec debere merito diſplicere, cum contingentia dictum Ordinem te contingant, & ejus proſperitas tibi ſuccedere valeat ad gaudium ſalutare, fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus noſtris beneplacitis juxta providentiæ tuæ decentiam te conformans, cum de bonis Epiſcoporum abundantium deceat pauperibus & indigentibus ſubveniri, hujuſmodi debitum duorum millium libr. Turonen. infra duos menſes a receptione præſentium computandos, ſic liberaliter creditoribus ſecundum modum conſtitutionis, quam per viam ordinationis circa obſervantiam regulæ ipſius Ordinis nuper edidimus, cum integritate perſolvas, & perſolvi procures, quod in hoc Deo, & nobis digne placeas, tibique ſit meritorium apud Dominum.

Quanta Pontificia ſollicitudo ut Fratres ſubleventur.

§. IV. Ipſa ergo te cogat pietas pia piis operibus miniſtrare ſubſidia, accendat & caritas in præbendo eiſdem Fratribus caritativa ſolamina, moveat te ipſius Conventus tibi non ignota, ſed palpata penuria, immo & te conſortio Epiſcoporum aggregatum fore conſiderans, quorum gloria eſt, & eſſe debet pauperum inopiæ providere, Chriſti pauperis cujus patrimonii curam geris, pauperes filios, & paupertatis ejus ſedulos ſectatores, eorumdemque de ipſorum patris patrimonio relevanda gravamina, tibi ad eorum levamen, ſicut fidelis diſpenſator, aſſumas, ut de pulvere ſuſcitatus egenus, de carnis ergaſtulo erectus ut pauper, cum principibus inter Principes populi Dei præſentialiter collocatus, in filiorum ipſius ſublevandis inopiis gratus filius, caritativus frater, diſpenſator fidus & diligens, quam profeſſus es, ſublevator inopiæ comproberis. Si vero aliquid rationabile te retraheret forſitan a prædictis, quia nolumus,

nius, nec ipſi Miniſter & Fratres volunt, quod inter te ac eos ibi, vel etiam alibi hac occaſione litigium oriatur, illud infra dictos duos menſes coram venerabilibus Fratribus noſtris Cenomanen. & Petragorien. Epiſcopis, vel eorum altero exponere ſtudeas, & ipſi aut ipſorum unus hoc a te diligenter audito, ſi talia proponeres, quæ probata deberent legitima reputari, tibi præfigant ex parte noſtra terminum competentem, quo tu ad nos ſpecialem procuratorem, cum pleno mandato ſuper omnibus negotium ipſum contingentibus, ſufficienter inſtructum deſtinare procures, & denuncient nihilominus Guardiano & Conventui prætactis, ut ipſi ad præſentiam noſtram in eodem termino aliquem, vel aliquos Fratrem ſeu Fratres ſui Ordinis pro noſtra in hac parte informatione tranſmittant, ut nos tamdem de negotii circumſtantiis plenius informati ſuper eo, quod expediens fore videbimus, ordinemus. Quod ſi tu infra prætactum terminum prædicta non ſolveres, vel cauſas rationabiles, ut præmittitur, non proponeres, eiſdem Epiſcopis damus noſtris litteris in mandatis, ut ipſi vel alter eorumdem te ad ſolutionem prætactam, ut præmittitur, auctoritate noſtra compellant.

Datum Suriani Idibus Junii, anno III.

XXXV.

Mittit Legatum ſuum in Germaniam fratrem Hieronymum Aſculanum Ordinis Minorum Cardinalem. Regeſt. Vatic. in epiſtolis Cameralibus epiſt. 85.

R. Regi Romanorum Illuſtri.

§. I. AD perſonam tuam exuberans caritativus affectus in mente noſtra concreſcit, & quanto te benignius meritoriis oculis intuemur, & majora nobis de tuis actibus repromittis, tanto præſentaris ſenſibus noſtris acceptior veluti filius in armario noſtri pectoris collocatus, ſicque contingit, quod vota tua grata noſtris adveniunt, & nos illis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuentes ad ea, quæ tuis ſint acceptata præcordiis, prompte conſurgimus, de iis ſicut de re nobis amabili cogitando.

§. II. Nuper ſiquidem venerabilis frater noſter Gurten. Epiſcopus ad Apoſtolicam Sedem accedens, ſe nobis ex parte tua provide præſentavit, & quæ per te ſibi fuere commiſſa retulit, & exercuit diligenter, noſque ipſum tuam in eo contemplando perſonam benigne recepimus, & quæ nobis expoſuit in tabernaculis mentis noſtræ conſcripſimus, locum bene placitum, in noſtra memoria ſortitura. Et quia inter alia per eumdem Epiſcopum Legatum mittendum ad partes Alemanniæ, cum inſtantia poſtulaſti, nos fervore caritatis intimæ, qua te ac incolas partium earumdem ſpeciali prærogativa proſequimur excitati, licet Fratres noſtros Cardinales tunc non haberemus nobiſcum pro majori parte præſentes, ipſos tamen ſuper hoc fecimus convocari, & tamdem cum eis deliberatione habita diligenti, providimus dilectum filium noſtrum Hieronymum tituli ſanctæ Potentianæ Presbyterum Cardinalem, cujus induſtriam, & in magnis & arduis probata merita, ut ſperamus, & evidentia ſuorum operum comprobabit, ad partes illas deſtinare Legatum, ut in hoc tuæ petitionis inſtantia, & in eiſdem partibus, quæ Deo ſint placita & accepta Chriſtianis populis impleantur. Tu quoque fili, quæ imminent exequenda, & ea quæ inter te & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum

ſtrum Carolum Siciliæ Regem Illuſtrem tractata ſunt hactenus, prudenter advertens in reditu ipſius Epiſcopi, & Regis ejuſdem nuntiorum adventu, ſic te ad omnia ſincera & ſolida perfectione conformes, & illa providis ſtudiis proſequaris, quod tractata ipſa, & demum dictus Legatus in ſuo jucundo adventu fructificent ad laudem Altiſſimi, augeatur in terris pacis amænitas, de bono in melius tua culmina vigeant, & per hoc cumulus exultationis adveniat nobis & aliis diligentibus nomen tuum.

Datum Suriani II. Nonas Julii, anno III.

MARTINUS IV.

Electus anno MCCLXXXI. VIII. *Kalend. Martii.*

ANNO CHRISTI 1281. MARTINI IV. ANNO 1.

I.

Concedit facultatem inſtituendi Prædicatores, & Confeſſarios. Ex ipſo autographo.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

Religioſi in Dei Eccleſia permaxime utiles.

,, §. I. AD fructus uberes, quos in agro Dominico prædicando pa-
,, riter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia vir-
,, tutum exercitia ſatis Ordo veſter & humiles ipſius Ordinis profeſſores
,, produxerunt hactenus, & ſperantur in futurum, Deo auſpice, produ-
,, cturi, attentæ conſiderationis aciem convertentes, ut Fratres ejuſ-
,, dem Ordinis prædicationis, & audiendi confeſſiones officia eo liberius
,, & efficacius exequi valeant, quo citius de ipſorum circa eadem de-
,, auctoritate Apoſtolica conſtabit, tibi fili, Miniſtro Generali per te,
,, vobis vero Provincialibus Miniſtris cum Diffinitoribus in Provincia-
,, libus veſtris Capitulis congregatis committendi auctoritate Apoſtoli-
,, ca Fratribus ejuſdem Ordinis in ſacra pagina eruditis examinatis, &
,, approbatis a vobis, prædicationis officium, audiendi vero confeſſio-
,, nes, & abſolvendi pœnitentes, ſalutares eis injungendi pœnitentias,
,, & Fratribus alias idoneis concedendi, eiſdem quoque ſæpefati Ordi-
,, nis, quibus dicta officia, per vos taliter conceſſa, ſeu commiſſa fue-
,, rint, quod eadem libere valeant exercere plenam damus, & concedi-
,, mus, auctoritate præſentium, facultatem, diſtrictius inhibentes, ne
,, quis Fratres ipſius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda
,, duxeritis, ut præmittitur, ſive etiam committenda in exercitio, ſive
,, executione officiorum ipſorum, audeat quomodolibet impedire.

Facultates Superioribus Ordinis conceſſæ.

,, §. II. Volumus autem quod hi, qui Fratribus confitebuntur, eiſ-
,, dem, ſuis Parochialibus presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno,
,, prout generale Concilium ſtatuit, teneantur. Quodque iidem Fratres
,, eoſdem ad hoc diligenter & efficaciter ſecundum datam eis gratiam a
,, Domino exhortentur.

Debebant olim Fideles proprio Sacerdoti peccata ſaltem ſemel in anno confiteri.

,, Nulli ergo &c. ſi quis autem &c. Datum apud Urbem veterem
,, IV. Idus Januarii, anno I.

II. *Fra-*

II.

Frater Simon fit Epiſcopus Aſſiſias. Regeſt. Vatic. epiſt. 107.

Fratri Simoni Epiſcopo Aſſiſinaten.

Vide ſupr. Conſt. 5. Nicolai III.

§. I. Militanti Eccleſiæ &c. uſque *ſtudeamus*. Sane vacante dudum Eccleſia Aſſiſinaten. per obitum bonæ memoriæ Illuminati Epiſcopi Aſſiſinaten. duæ electiones in diſcordia in Eccleſia factæ fuerunt, ſed taliter electis non conſentientibus electionibus de ſe factis, tam ipſi Electi, quam Electores eorum non fuerunt hujuſmodi electionis negotium proſecuti. Nos autem ex abundanti tam electos & electores, ac poſtulatos & poſtulantes, ſi qui eſſent, in eadem Eccleſia, quam etiam omnes, qui electis & poſtulatis, electionibus & poſtulationibus hujuſmodi ſe opponere vellent, ac qui ſua crederent intereſſe, in audientia publica peremptorie citari mandavimus, ut perſonaliter illi, qui ad hoc tenebantur, alii vero per Procuratorem idoneum coram nobis certo termino comparerent, proſecuturi prædictarum electionum, poſtulationum ac oppoſitionum negotia, & recepturi ſuper eiſdem negotiis, quod juſtitia exigeret, vel quod circa ipſius proviſionem Eccleſiæ nobis ejuſdem utilitas ſuaderet. Alioquin eorum abſentia non obſtante, procederetur per nos ad ſententiandum, definiendum, privandum, ordinandum, diſponendum ſuper eiſdem Eccleſia & negotiis, ſicut expediens videremus.

§. II. Et cum nullus in prædicto termino coram nobis pro talibus compareret, nos poſtulatos & electos, ſi qui eſſent, omni jure, ſi quod eis eſſet, ex poſtulatione vel electione, aut alias illa occaſione quæſitum, de Fratrum noſtrorum conſilio, per conſtitutionem & moderationem felicis recordationis Nicolai Papæ prædeceſſoris noſtri decrevimus eſſe privatos, nobis ea vice proviſionem ejuſdem Eccleſiæ reſervantes. Sicque poſtmodum paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne ipſa Eccleſia remaneret ulterius viduata paſtore, ad perſonam tuam religionis claritate fœcundam, & nobis de honeſtate morum, litterarum ſcientia, & providentia ſpiritualium & circumſpectione temporalium commendatam, mentem noſtram convertimus, ſperantes quod eamdem Eccleſiam ſalubriter, dante Domino, gubernabis, & ipſa per tuæ circumſpectionis induſtriam in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa, te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem ipſi Eccleſiæ, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, in Epiſcopum præfecimus, & paſtorem, tibique munus conſecrationis de noſtris manibus duximus impendendum. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Apoſtolicis beneplacitis humiliter acquieſcens, & devote ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus, ipſius Eccleſiæ ſollicitam curam geras, gregem Dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando, ita quod ipſa Eccleſia diligentiæ tuæ ſtudio multiplicibus augeatur commodis, & optatis, cooperante Domino, conſurgat augmentis.

Datum apud Urbem veterem VI. Idus Martii, anno I.

III. *Fra-*

III.

Frater Bonaventura Parmenſis fit Archiepiſcopus Raguſinus. Reg. Vatic. epiſt. 101.

Dilecto filio fratri Bonaventuræ de Parma electo Raguſin.

§. I. Militanti Eccleſiæ &c. uſque *ſtudeamus*. Sane vacante dudum Eccleſia Raguſina per obitum bonæ memoriæ Salvii Archiepiſcopi Raguſini, Canonici ejuſdem Eccleſiæ quondam fratrem Marcum de Venetiis Ordinis Fratrum Minorum in Raguſinum Archiepiſcopum, ut dicitur, elegerunt; ſed eodem fratre Marco antequam eſſet ejus electio confirmata, naturæ debitum perſolvente, prædicti Canonici ad tractandum de futuri ſubſtitutione Paſtoris inſimul convenerunt; & dubitantes, ne ſi ad electionem procederent, & ſi non poſſent omnes pariter in unam concordare perſonam, exinde oriretur inter ipſos diſſenſionis materia, per quam eis, & ipſi Eccleſiæ diſpendia imminerent, deliberaverunt communi conſenſu, & unanimi voluntate felicis recordationis Nicolao Papæ prædeceſſori noſtro humiles preces porrigere, ut dignaretur eidem Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate de Paſtore idoneo providere, ac ſuper hoc ſubſequenter tam ipſi, quam dilecti filii nobiles viri Comes, & Conſilium, & Commune Raguſin. eidem prædeceſſori ſuas ſupplicatorias litteras per certum Nuncium deſtinarunt. Sicque dictus prædeceſſor dictorum Canonicorum votis favorabiliter annuens, de dilecto filio fratre Philippo de Mantua ipſius Ordinis Inquiſitore hæreticæ pravitatis in Marchia Tarviſina, de Fratrum ſuorum conſilio Eccleſiæ præfatæ providit; ſed dictus frater Philippus proviſionem hujuſmodi non acceptans, omne jus, ſi quod ſibi ex proviſione competebat eadem, libere reſignavit, & dictus prædeceſſor hujuſmodi reſignationem admittens, de dilecto filio fratre Luca de Padua ejuſdem Ordinis Eccleſiæ memoratæ de ſimili conſilio iterato providit. Quo quidem fratre Luca proviſionem de ipſo factam minime acceptante, ac omne jus, ſi quod ſibi ex proviſione ſimili competebat, ſimiliter reſignante, dictus prædeceſſor proviſionem Eccleſiæ memoratæ illa vice diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervavit. *Vt in Conſtit. 5. Nicolai III.*

§. II. Nos autem Eccleſiæ præfatæ, quæ diutinæ vacationis incommoda deploravit, paterno compatientes affectu, ac Canonicorum, & aliorum prædictorum vota ex præteritis contemplantes, illa proſequendo benignius, de ipſius Eccleſiæ ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis expoſita remaneret incommodis, diligentius cogitantes, ad perſonam tuam, quam nobis & Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, honeſtate morum, providentia ſpiritualium, & circumſpectione temporalium fide dignorum teſtimonia commendarunt, direximus oculos noſtræ mentis, teque dicti Ordinis profeſſorem, licet abſentem, de ipſorum Fratrum conſilio noſtrorum ſupradictæ Eccleſiæ in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem, adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſpiritualiter & temporaliter tibi plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaque concepta &c. uſque *ſuſcipiet incrementa*.

§. III. Reverenter itaque ſuſcipe jugum Domini, & ſuavi ejus oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia, ipſius adminiſtrationem Eccleſiæ prudenter exequi ſtudeas, & gregis tibi commiſſi cuſtodiam proſequi diligenter, ſolerter, & conſtanter, oppoſiturus te murum pro domo Domini aſcendentibus ex adverſo, ut laudabili de ipſo red-

reddita in die diſtricti examinis ratione, regnum Patris æterni ab origine mundi præparatum electis accipias, in dilecta Domini tabernacula letabundus introeas, & eumdem tibi commiſſum gregem ad uberioris meriti retributionis commodum introducas.

Datum apud Urbem veterem x. Kalend. Januarii anno 1.

IV.

Frater Henricus de Brem præficitur Eccleſiæ Gneznenſi. Reg. Vatic. epiſt. 126.

Fratri Henrico de Brem electo Gneznen.

§. I. ONeroſa paſtoralis officii ſummi diſpoſitione Paſtoris nobis, licet immeritis, cura commiſſa, ſollicita nos pulſat inſtantia, ut inter cetera, quæ undique negotia confluunt, quibuſve noſter animus redditur multiplici varietate diſtractus, ad proviſionem Eccleſiarum vacantium ſollicitius intendamus, ne ipſis Paſtoris præſidiis deſtitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis aſtutia earum oves rapiat diſperdat, ne manus avida illarum bona diripiat, & jura præſumptionis uſurpet. Ideoque ſolliciti reddimur, ut eædem Eccleſiæ paſtoribus dirigantur idoneis, & rectoribus providis gubernentur: tunc enim puppis ſalubri progreſſu dirigitur, cum rectoris induſtrii gubernatione non caret: tunc etiam fructibus ager exuberat, cum ſibi cultoris non deeſt præſentia diligentis.

§. II. Sane dudum Gneznen. Eccleſia, Paſtore vacante, per obitum bonæ memoriæ Martini Gneznen. Archiepiſcopi, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ convenientes in unum, Wloſtiberium Eccleſiæ ejuſdem Canonicum in Archiepiſcopum Gneznen. concorditer elegerunt. Poſtmodum autem prædictis Capitulo ſupplicantibus felicis recordationis Nicolao Papæ prædeceſſori noſtro, ut cum idem Canonicus propter inopiam Eccleſiæ præfatæ, ac expenſarum defectum, necnon & viarum diſcrimina non poſſet commode ad Apoſtolicam Sedem accedere pro ſuæ electionis negotio proſequendo, providere ſuper hoc paterna ſollicitudine dignaretur. Idem prædeceſſor Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Firman. in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato, inquiſitionem faciendam de modo electionis prætactæ, ac ipſius Canonici meritis per ſuas litteras ſub certa forma commiſit. Cumque prædictus Legatus præfatum Canonicum ad ſuam præſentiam evocaſſet, idem Canonicus juri, quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, vel competere poterat, libere ac ſponte in manibus Legati renunciavit ejuſdem.

§. III. Nos itaque paterno deſiderantes affectu, quod de ſponſo legitimo & idoneo provideretur Eccleſiæ memoratæ, & attendentes quod ſi ejus proviſio differretur, multis ſubjaceret periculis, & gravia in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſubiret, ad perſonam tuam, de qua ſuper litterarum ſcientia, honeſtate morum, aliiſque virtutum meritis laudabile teſtimonium a fide dignis accepimus, noſtræ mentis oculos duximus dirigendos, ac te Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis prædictæ Eccleſiæ in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem, ſperantes quod cum eſſe dicaris conſilio providus, generis nobilitate præclarus, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, Eccleſia ipſa quæ hactenus debitæ defenſionis auxilio deſtituta direptioni patens, & prædæ, gravis deſolaminis jacturam dicitur incurriſſe, tuæ circumſpectionis indu-

duſtria & virtute ad ſtatum debitum reſtauretur, & optata in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiat incrementa. Ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum a Domino tibi onus devote ſuſcipiens, ſic ſuper gregem Dominicum tibi commiſſum noctis vigilias diligenter obſerves, ut liber invadendi aditus non pateat invaſori. Beatus ſiquidem eris, ſi Dominus inſuſpicabili hora venturus te invenerit ſic agentem, quia curſu conſummato, qui tuo labori præponitur, & horum fide ſervata, quæ tuæ ſollicitudini committuntur, te immarceſcibili corona juſtitiæ decorabit.

Datum apud Urbem veterem x. Kalend. Januarii anno 1.

Anno Christi 1282. Martini IV. anno 2.

V.

Ut componant liter Academiæ, & Urbis Bononienſis. Reg. Vat. epiſt. 96.

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Ordinum Bononien.

§. I. Nuper ad noſtrum pervenit auditum, quod olim ſcholares in civitate Bononiæ morantes Poteſtati, Capitaneo, Antianis, Conſulibus, Conſilio, & Communi Bononien. quaſdam petitiones reſpicientes favorem dictorum ſcholarium porrexerunt, & præſtito juramento firmarunt, quod niſi infra certum temporis ſpatium a prædicto Communi petitiones admitterentur præfatæ, ſcholares ipſi uſque ad feſtum beati Michaelis proxime venturum, de Civitate ipſa recederent, ad eam ex tunc infra quinquennium cauſa ſtudii minime rediturи. Et inter alia petitiones hujuſmodi continebant, ut privilegia univerſitati prædictorum ſcholarium conceſſa, & impoſterum concedenda integre ipſis ſcholaribus conſerventur, ita quod ſi contingat, dicta privilegia in totum, vel in aliqua ſui parte infringi, promittat & teneatur dictum Commune mille libras Imperialium, nomine pœnæ, ſolvere Romanæ Eccleſiæ applicandæ. Quodque Poteſtas, vel Capitaneus, ſeu aliquis vices eorum gerens, non poſſint Bononien. ſtudium impedire, prohibendo Doctoribus ne legant contra voluntatem ſcholarium prædictorum, vel alio quoquo modo. *Scholarium prætenſiones.*

§. II. Verum quia, ſicut accepimus, præfati Poteſtas, Capitaneus, & Commune ſe ad prædictam pœnam teneri nolle, ac Doctores ipſos cives Bononien. pro negotiis dicti Communis velle deſtinare quoties expedit, reſponderunt, quamquam in ceteris eædem petitiones ab eis admiſſæ fuiſſe dicantur, prædictis ſcholaribus formidantibus ſe hujuſmodi juramento teneri, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc de benignitate Sedis Apoſtolicæ curaremus. *Nolũt cives poſtulatis annuere.*

§. III. Nos autem tanto incommodo prædictorum ſcholarium, deformationi ſic famoſi ſtudii efferentis, propagatione fertili, viros induſtrios, & ſcientiæ claros radios diffundentis, ac præfatæ Civitatis diſcrimini, quo inde poſſet affici, prædictorum quoque omnium diſpendiis obviare ſollicitius intendentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi id ad commune commodum ſcholarium eorumdem, ad evidentem utilitatem ſtudii prædicti, ad quietem quoque Civitatis prædictæ, ac plenum profectum omnium prædictorum, ac alias etiam ſecundum Deum expedire videritis, eos de præfata univerſitate, quos ſuper hoc *A mendicato juramento abſolvuntur.*

hoc contigerit abſolutionis, vel proviſionis beneficium implorare, noſtra auctoritate a vinculo, ſeu obſervatione hujuſmodi juramenti abſolvatis, & nihilominus eiſdem, prout expedire videritis, providere ſalubriter ſtudeatis, ne hujuſmodi juramenti prætextu, vel tranſgreſſionis ſeu violationis exceſſu, ipſorum ſtatus integritas alicujus inventionis aſtutiæ impoſterum feriatur. Non obſtante indulgentia qua vos &c. uſque *expreſſa mentio habeatur*.

Datum apud Montem Flaſconem III. Idus Septembris anno 2.

VI.

Mittitur in Luſitaniam rationem exacturus a collectoribus decimarum pro ſubſidio Terræ ſanctæ. Reg. Vatic. epiſt. 113.

Fratri Monaldo de ſancta Anatolia Ordinis Minorum.

In eum fiducia Pontificis.

§. I. Illa te credimus erga nos, & Apoſtolicam Sedem devotionis ſinceritate fervere, ut humiliter mandatis noſtris obediens, & beneplacitis Apoſtolicis prompto aoimo te conformans, ea quæ tibi committimus, & ſpecialiter negotium Terræ ſanctæ tangentia ſollicitis ſtudiis exequaris.

§. II. Cum itaque de ſtatu decimæ Regni Portugalliæ partibus prædictæ Terræ conceſſæ ſubſidio habere velimus notitiam pleniorem, & de tuæ probitatis induſtria ſpecialiter confidamus, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad prædictum Regnum te perſonaliter cooferens, a dilecto filio G. Archidiacono Bracharen. Collectore decimæ in eodem Regno a Sede Apoſtolica deputato, tribus aut duobus Epiſcopis vel aliis perſonis illarum partium conſtitutis in dignitate præſentibus, ſi commode nequeat, Epiſcoporum haberi præſentia prædictorum, de decima totius temporis, per quod in prædicto regno ſubventioni ejuſdem Terræ Concilium Lugdunen. conceſſit, plenam & diligentem exigere ſtudeas rationem.

Nominat eos quibus decimæ debent diſtribui.

§. III. Et tandem hujuſmodi ratione recepta, tertiam partem totalis prædictæ decimæ, quam pro ejuſdem terræ commodis promptam haberi volumus & paratam, dilectis filiis Blandino Amannati, Joanni Gerardini, Lante Agolantis, Beſſo Bartholomæi, & Nello Bonacurſii, de ſocietate Amannatorum de Piſtorio, vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo, & dictæ ſocietatis nomine. Aliam vero tertiam partem ejuſdem decimæ Dino Jacobi Fortiſ-guerræ, Joanni & Nicolao Paganelli, Dulcis Fratribus, Fregiotto Bugieri de Monteclaro, Dino Jacobi Benectonis, & Joanni Guidi Jordani de ſocietate Orlandini, & Ubaldi Candelini civibus & Mercatoribus Lucan. vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo & dictæ ſocietatis nomine, ac reliquam tertiam partem dictæ decimæ Bulliono Roſſillioni, Ruſtico Romagnoli, Aldefrando Ghriſtophori, Raynerio Butricho, & Soffredo Dinerſi de ſocietate Bartoli de Luca, vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo & dictæ ſocietatis nomine, de quorum probitate & fidelitate ſpecialem fiduciam obtinemus, facias auctoritate noſtra per collectorem eumdem, noſtro & ejuſdem Terræ ſanctæ nomine integre aſſignari, in ipſius utilitatem & commodum convertendam, & per eos nobis, vel cui ſeu quibus apud Sedem Apoſtolicam exhiberi mandaverimus aſſignandam. Contradictores vero ſi qui fuerint, vel rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, ceſſante appellatione, compeſcas. Nos enim Collectori prædicto per alias litteras noſtras injungimus, ut cum a te fuerit re-

requiſitus, tam tibi hujuſmodi reddere rationem, quam totam prædictam decimam præfatis aſſignare mercatoribus non omittat. De hujuſmodi autem aſſignatione per dictum Collectorem fieri facias dua publica ſimilia inſtrumenta, quorum alterum eidem exhibeas Collectori, & reliquum una cum prædictorum Epiſcoporum, ſeu perſonarum, & etiam Collectoris teſtimonialibus patentibus litteris, quod & quantum de decima ipſa collectum inveneris plenarie continentibus, nobis cum ad noſtram præſentiam te redire contigerit, apportare procures, ut nobis plene conſtare valeat de ſtatu decimæ prælibatæ. Sic ergo diligenter & ſollicite in commiſſo tibi negotio procedere ſtudeas, ut quod de tua circumſpectione concepimus, per effectum operis agnoſcamus, tuque Sedis Apoſtolicæ gratiam uberius merearis.

Datum apud Montem Flaſconem III. Idus Novembris anno II.

ANNO CHRISTI 1283. MARTINI IV. ANNO 2. & 3.

VII.

Concedit facultatem inſtituendi Syndicos. Ex Archivo Salamantino, & Roderico bulla I.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus univerſis Ordinis Fratrum Minorum.

EXultantes in Domino, quod ſacri veſtri Ordinis profeſſores in Dei beneplacitis confirmati, promptitudine devotionis & operis illius ſtudent imitari veſtigia, ejuſque vias summopere cuſtodire, qui deſcendens a Patre luminum, & ſervi formam accipiens, ſe in laudis ſacrificium placabilem hoſtiam immolavit, cogitare inducimur honeſta remedia, quibus dicti Ordinis pura obſervantia in ſui vigore ſervetur, iidemque Fratres, qui pro nulla re temporali poſſunt in judicio experiri, excluſis quibuslibet ſollicitudinibus, liberius & quietius divinis vacent obſequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus ejuſdem Ordinis aliquid propter Deum pia intentio non fraudetur: ſicque nos ſollicitudini, qua prædictus Ordo pro ſuis neceſſitatibus, quotiens ingrueret neceſſitas, vel utilitas ſuaderet, recurrere ad Romanam Eccleſiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium & immobilium, quibus Fratres uti poſſunt, jus, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat: penſata incommoditate vel difficultate potius, quæ per hoc ingeri poſſet Fratribus ſupradictis benignius indulgentes: volentes quoque hæredum & executorum negligentiis obviare, ut Fratres ſecundum modos licitos & congruos ipſi Ordini, relictis ſibi in teſtamentis eleemoſynis non fraudentur, ac ſperantes quod his, quæ pro ſtatu proſpero dicti Ordinis agenda fuerint, per vos eo ſalubrius & utilius conſuletur, quo majori fueritis in hac parte auctoritate muniti; Diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, perſonas ſpeciales, quæ non ſint de ipſo Ordine nominandi pro locorum indulgentia ſingulorum, quos perſonas per vos taliter nominatas in his adminiſtrationem legitimam generalem & liberam gerere, & ipſos veros & legitimos adminiſtratores, œconomos, ſyndicos & actores eſſe de plenitudine poteſtatis præſentium auctoritate conſtituendo decernimus, qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & prædictas eleemoſynas nomine ipſius Eccleſiæ recipiant per eoſ-

Conſtitutionis motivum.

Munera Syndicorum.

Digitized by Google

eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates (prout eis licet ex regula vel declaratione Regulæ) convertenda: ſicut & quando a te fili Generalis, vel ſingulis aliis veſtrum in Provincia vel cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu veſtro extiterint requiſiti, ac eædem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, tranſigendi quoque & paciſcendi, conveniendi & promittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum præſtandi, cum illos & contra illos, qui hujuſmodi res mobiles & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamentis occuparent, vel violenter auferrent: ſive contra voluntatem Fratrum quomodolibet detinerent, & generaliter in omnibus cauſis pro rebus & locis hujuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus ipſorum Fratrum uſui conceſſis; Necnon pro immunitatibus, libertatibus, & juribus ac privilegiis, & indulgentiis eorumdem, ſine cujuslibet ſatiſdationis, & cautionis onere plenam, generalem, liberam habeant, auctoritate Apoſtolica, in judicio, & extra judicium poteſtatem, revocandi quoque perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi, vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quotiens opportunum fuerit, quæ eamdem in prædictis, vel ſimilem habeant poteſtatem, plenam & liberam concedimus auctoritate præſentium, facultatem. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, conſtitutionis &c. ſi quis &c.

Datum apud Urbem veterem xv. Kalend. Februarii Pontificatus noſtri anno II.

VIII.

Conſtituuntur viſitatores Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Rotundæ in Urbe. Reg. Vatic. epiſt. 2.

Venerabili fratri Epiſcopo Tiburtin. & dilecto filio Guardiano Fratrum Minorum de Urbe.

AD audientiam noſtram pervenit, quod in Eccleſia ſanctæ Mariæ Rotundæ de Urbe, propter malitiam & injuriam perſonarum degentium in eadem, multa committuntur enormia, quæ Deum offendunt & homines ſcandalizant. Nos itaque ſtatum ipſius Eccleſiæ, quæ nobis eſt, & Eccleſiæ Romanæ immediate ſubjecta, proſperum affectantes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad Eccleſiam ipſam perſonaliter accedentes, ac inibi vice noſtra viſitationis officium exercentes, corrigatis & reformetis ibidem hac vice, auctoritate noſtra, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noveritis indigere. Contradictores, &c.

Datum apud Urbem veterem IV. Idus Aprilis, anno III.

IX.

Conſtituit eum conſervatorem privilegiorum Minoribus conceſſorum. Reg. noſtrum vetus, fol. 39.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caſtellano.

INundans malitia perſonarum viris ſanctæ religioni deditis adeo frequenter exhibet ſe infeſtam, quod ipſi divino cultui, ut deberent, vacare non poſſunt, dum illorum malitiis agitantur. Cum igitur, ſicut di-

dilecti filii Miniſtri & Fratres Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci nobis ſignificare curarunt, ipſi a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, moleſtias multiplices patiuntur, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Miniſtro & Fratribus ſubſidio efficacis defenſionis aſſiſtens, non permittas eos contra indulta privilegiorum Sedis Apoſtolicæ ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtante ſi aliquibus, &c. uſque *mentionem*, attentius proviſurus ne de his, quæ cauſæ cognitionem exigunt, vel quæ de indulto hujuſmodi non contingunt. Nos enim ſi ſecus præſumpſeris, tam præſentes litteras, quam etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic prudenter & fideliter exequeris, quod ejus fines quomodolibet non excedas, præſentibus per triennium minime valituris.

Datum apud Urbem veterem x. Kal. Auguſti, Pontif. noſtri anno III.

X.

Ut abſolvat Peruſinos cenſuris innodatos. Reg. Vatic. fol. 185. epiſt. 43.

Dilecto filio fratri Deotaleve de Peruſio Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Dudum in Poteſtatem, Capitaneum, Conſiliarios, & certas ſingulares perſonas civitatis Peruſinæ excommunicationis, & in civitatem ipſam interdicti ſententias ſub certa forma, præter alias temporales & perſonales pœnas per nos ipſis impoſitas, propter deteſtabiles eorum inobedientias & notorias contumacias, necnon & propter graves & multiplices exceſſus perpetratos, & continuatos diutius per eos contra Fulginates; & terras ac bona ipſorum in noſtrum & Eccleſiæ Romanæ contemptum, ſicut in noſtris continetur proceſſibus, duximus, exigente juſtitia, promulgandas. *Interdictum Peruſium, & Cives.*

§. II. Cum autem Poteſtas, Capitaneus, & alii ſupradicti derelicto indevotionis invio, per quod periculoſius aberraverant, ad devotionis ſemitam ſe conſultius reducentes, per ſyndicum proprium ad hoc ſpecialiter conſtitutum ſuper præmiſſis exceſſibus juraverint, noſtris & ipſius Eccleſiæ præciſe ſtare mandatis, & nonnullas de ſatisfaciendo præſtiterint cautiones. Nos licet contra dictos Peruſinos, conſideratis ipſorum gravibus & notoriis exceſſibus, ac contumaciis manifeſtis, majorem de jure potuiſſemus exercuiſſe rigorem, tamen ad manſuetudinem Nos potius convertentes, ac rememorantes devotionis conſtantiam, qua prædicti Peruſini præteritis temporibus erga prædictam Eccleſiam viguerunt; ſperantes quoque quod quanto benignius ſe a nobis tractari perciperent, tanto ferventius in Eccleſiæ præfatæ devotione conſurgerent; voluimus & venerabili fratri noſtro G. Corinthien. Archiepiſcopo per noſtras litteras ſub certa forma mandavimus, ut ipſe ad Civitatem prædictam ſe perſonaliter conferens, ſingularibus perſonis Civitatis ejuſdem ac diœceſis Peruſinæ, cum foret requiſitus ab eis, auctoritate noſtra, juxta formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impenderet, & venerabili Fratri noſtro Epiſcopo, & dilectis filiis Clero Peruſino, tam religioſis quorumcumque Ordinum, quam ſecularibus quos de Civitate *A quo abſolvantur.*

te prædicta præceperamus exire, redeundi ad Civitatem eamdem, & interdicto relaxato prædicto, ibidem quæ ad ſuum ſpectant officium ſicut prius exercendi liberam auctoritatem, & licentiam largiretur, prædictis proceſſibus quo ad omnia alia in proceſſibus ipſis contenta in ſuo robore duraturis.

Satisfactio præſtanda.

§. III. Mandaset quoque Peruſinis prædictis ex parte noſtra, quod infra diem Dominicum, quo cantatur *Lætare Hieruſalem*, proximo futurum de dictis pœnis pecuniariis, quas incurrerant, & de illatis damnis atque injuriis ab aliis contentis in proceſſibus ſupradictis, juxta noſtrum arbitrium, nobis & eidem Eccleſiæ plenariam ſatisfactionem intenderent. Alioquin prædiceret eiſdem, quod ſi hoc facere juxta noſtrum beneplacitum non curarent, ex tunc prædictos Poteſtatem, Capitaneum, Conſiliarios & alias ſingulares perſonas excommunicationis ſententiæ, quam ex tunc in ipſos pertulimus, & prædictam Civitatem interdicto Eccleſiaſtico, cui ex tunc ſimiliter ipſam ſubjecimus, voluimus ſubjacere, ita videlicet quod ex tunc ſi ſecus facerent, ſingulares perſonæ in excommunicationis, & eadem Civitas in interdicti ſententias relaberentur. Epiſcopus etiam & Clerus prædicti de Civitate memorata iterum exirent, quæ per proceſſus prædictos hactenus mandabantur eiſdem per omnia ſervaturi.

§. IV. Verum licet idem Archiepiſcopus mandatum Apoſtolicum in parte ſuper præmiſſis extiterit executus, quia tamen, ſicut aſſeritur, aliqui ex prædictis nondum hujuſmodi abſolutionis beneficium habuerunt: Nos eis ſicut aliis in hac parte provideri volentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnibus illis utriuſque ſexus prædictarum Civitatis & diœceſis dumtaxat, quos ex prædictis inveneris non abſolutos taliter remanſiſſe, cum ab eis fueris humiliter requiſitus, prædictarum litterarum eidem Archiepiſcopo directarum per omnia modo & forma & conditionibus ac tenore ſervatis, juxta formam Eccleſiæ auctoritate noſtra, per te vel per alium ſeu alios Fratres tui & Fratrum Prædicatorum Ordinum beneficium abſolutionis impendas, reſcripturus nobis fideliter quidquid fieri contigerit in prædictis. Non obſtante indulgentia, &c. uſque *expreſſa mentio habeatur*.

Datum apud Urbem veterem 11. Nonas Februarii, anno III.

XI.

Ut frater Leonardus Minorita poſſit aſſumi ad Epiſcopatum Tricaricenſem. Reg. Vatic. epiſt. 17.

Epiſcopo Sabinen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

§. I. EX parte tua nobis extitit intimatum, quod nuper Tricaricen. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ P. Tricaricen. Epiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, quædam pars Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ dilectum filium A. de Turbio, reliqua vero pars Canonicorum ipſorum dilectum filium I. de Bendino Monaſteriorum Abbates in Tricaricen. Epiſcopum in diſcordia elegerunt. Verum eiſdem Abbatibus renunciantibus in manibus venerabilis Fratris noſtri Acheruntin. Archiepiſcopi loci Metropolitani, hujuſmodi electionibus de ſe factis, Capituloque prædictæ Eccleſiæ compromittentibus concorditer & unanimiter ſuper celebranda electione hujuſmodi in Archiepiſcopum prælibatum, idem Archiepiſcopus, auctoritate hujus compromiſſi, de dilecto filio fratre Leo-

Leonardo Ordinis Fratrum Minorum Pœnitentiario tuo, tuiſque obſequiis inſiſtente, prædictæ Tricaricen. Eccleſiæ duxit canonice providendum.

§. II. Cum autem dictus frater Leonardus, cui non eſt liberum abſque ſui ſuperioris permiſſione, ſuum ad hoc præbere conſenſum, a Provincia Januen. unde idem Frater exiſtit,adeo diſtare dicatur, quod ſuum Provincialem Miniſtrum ipſius provinciæ, a quo ſecundum ipſius Ordinis ſtatuta, & ſpecialem indulgentiam Sedis Apoſtolicæ eidem Ordini ſuper hoc conceſſam, eſſet poſtulanda licentia, proviſionem hujuſmodi acceptandi, non poſſit adire commode pro licentia hujuſmodi obtinenda, tu Fratrem ipſum de religionis honeſtate, ac multiplicium muneribus gratiarum commendans, nobis per tuas ſpeciales litteras ſupplicaſti, ut eidem Fratri licentiam ipſam concedere dignaremur.

§. III. Nos itaque de tua circumſpectione provida plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ præſentium auctoritate concedimus, ut ſi conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, quæ ſuper præmiſſis fuerint attendendæ, ſecundum Deum & utilitatem ejuſdem Eccleſiæ id noveris faciendum, aliudque Canonicum non obſiſtat, inſtitutis & indulgentia non obſtantibus prælibatis, eidem fratri Leonardo licentiam ſuper hoc concedere valeas opportunam.

Datum apud Urbem veterem nonis Junii, anno iv.

HONORIUS IV.

Electus eſt anno Chriſti MCCLXXXV. *Kalendis Aprilis.*

Anno Chriſti 1285. Honorii IV. anno 1.

I.

Jubet comparere fratrem Jacobum Epiſcopum Nuſcanum, eo quod Epiſcopatum admiſerit abſque licentia ſuæ religionis ſuperiorum. Reg. Vatic. epiſt. 162.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Beneventano & Epiſcopo Trojano.

§. I. Significarunt nobis dilecti filii Miniſter & Fratres Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Terræ laboris, quod cum ipſi venerabilem fratrem noſtrum fratrem Jacobum Nuſcanum Epiſcopum ſuper eo, quod, ut iidem Miniſter & Fratres aſſerunt, idem Jacobus de Ordine ipſo, in quo eſt vinculo profeſſionis aſtrictus, ſine obedientia exiens Epiſcopatum Nuſcan. de facto recepit contra ipſius Ordinis privilegia, & ſtatuta in animæ ſuæ periculum, & dicti Ordinis detrimentum, petendo eum ab eodem Epiſcopatu repelli, & ad eumdem Ordinem redire, ac in eo obedientiam & regulares obſervantias ſervare compelli, coram venerabili fratre noſtro G. Epiſcopo Sabinen. Apoſtolicæ Sedis Legato in partibus illis traxiſſent in cauſam, tamdem lite ſuper libello pro parte dictorum Miniſtri & Fratrum coram eodem Legato in cauſa ipſa oblato legitime conteſtata, de veritate dicenda ab utraque parte præſtito juramento, factis hincinde poſitionibus, & ad eas reſponſionibus ſubſecutis, datis articulis, receptis teſtibus ab utraque parte pro-

ductis, & eorum atteſtationibus publicatis; exhibitis etiam litteris, inſtrumentis, juribus & rationibus, quæ partes ipſæ coram eodem Legato dare ac producere voluerunt, & demum in cauſa ipſa concluſo, idem Legatus attendens cauſam hujuſmodi de majoribus eſſe factam, ſuper proceſſibus in ea coram ipſo habitis inter partes ipſas, relatione fideli, & ea ab eiſdem partibus approbata, cauſam ipſam ad Sedis Apoſtolicæ remiſit examen.

§. II. Poſtmodum quidem fel. rec. Martinus Papa IV. prædeceſſor noſter venerabili fratri noſtro Epiſcopo Præneſtin. cauſam prædictam audiendam commiſit, coram quo comparentibus in judicio quondam Petro de Baro ipſius Epiſcopi Nuſcan. ac Boncore de Fallerone prædictorum Miniſtri, & Fratrum procuratoribus, aliquandiu in cauſa procedentibus ſupradicta, quia tamdem cauſa ipſa coram eodem Epiſcopo Præneſtino pendente, dictus Petrus naturæ perſolvit debitum, nec poſtmodum pro eodem Nuſcano Epiſcopo, qui propter hoc ab eodem Epiſcopo Præneſtino citatus extitit, pluries in audientia publica procurator aliquis comparuit coram eo, idem Epiſcopus Præneſtin. propter hoc in cauſa omiſit procedere ſupradicta.

§. III. Quare iidem Miniſter & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut ne cauſam ipſam indeciſam remanere contingat, providere ſuper hoc paterna ſollicitudine dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum per vos vel per alium, ſeu alios præfatum Epiſcopum Nuſcan. ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra unius menſis ſpatium poſt citationem veſtram cum omnibus actis, juribus & immunitatibus ſuis cauſam ipſam contingentibus perſonaliter compareat coram nobis, facturus & recepturus ſuper præmiſſis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis & formam, & quidquid ſuper his duxeritis faciendum, nobis per veſtras harum ſeriem continentes ſtudeatis fideliter intimare.

Datum Tibure III. Non. Septembris, anno I.

II.

Concedit quibuſdam piis fœminis regulam Clariſſarum & Monaſterium ſancti Silveſtri in Urbe. Reg. Vatic. epiſt. 117.

Dilectis in Chriſto filiabus Herminiæ Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Silveſtri in Capite de Urbe, ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Moniales commendantur, & potiſſimum Margarita Columnenſis.

§. I. ASCENDIT fumus aromatum in conſiderationis noſtræ conſpectu fide dignorum aſſertione diffuſus de fama & converſatione veſtra laudabili, de meritis commendabilium proceſſuum veſtrorum extollendis merito laudibus virtuoſis. Fragrat enim in domo Domini, audientium mentes multo reficit gaudio, multo replet odore, quod ſicut intelleximus quondam Margarita de Columna, divitiis & nativa proprii generis nobilitate contemptis, ceteriſque ſeculi hujus abnegatis illecebris, prudenter elegit Chriſto pauperi humiliter in paupertate ſervire, ipſique velut apes argumentoſa deſerviens, vos ad id ſuo commendabili provocavit exemplo, ſicque vota veſtra, aſpirante Domino, ac vias miſericorditer dirigente, vos conſultius attendentes, quod tranſit mundus, tranſeunt & concupiſcentiæ ejus, fallaces illius blanditias repudiando, prudentius decreviſtis vobis ipſum crucifigere, & vos ipſi, aliquibus ex vo-

vobis ab adoleſcentia, nonnullis etiam ab infantia ſub religioſo habitu, licet nulli adhuc obſervantiæ ſpecialis eſſetis religionis aſtrictæ, gratum exhibentibus Domino famulatum.

§. II. Demum vero prævenientis gratiæ vos proſequente virtute, in illud robur animi, ſicut ſperatur, erectæ ut conſtanter proponatis habere pro minimo, ſive hoſtis aſpera turbidus inſæviat, ſive mundus proſpera mentibus illudat, deſiderantes in caſtris clauſtralibus ſub obſervantia Ordinis Sororum Minorum incluſarum dimicare ſecurius contra hoſtiles incurſus, ſupplicaſtis humiliter, regulam conceſſam eidem Ordini a fel. rec. Alexandro, & correctam & emendatam a piæ mem. Urbano Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, necnon locum ipſius obſervationi congruum vobis per Sedem Apoſtolicam miſericorditer aſſignari. Earumdem petitio.

§. III. Nos autem veſtris petitionibus ſaluti animarum veſtrarum accommodis benevolo concurrentes aſſenſu, venerabili fratri noſtro Prænestino Epiſcopo ad ſuam diœceſim, ubi tunc temporis in monte Prænestino habitabatis, & adhuc habitare dicimini ſub decenti clauſura, perſonaliter accedenti, viva voce commiſimus, ut vobis petitam regulam aſſignaret, & a vobis recipiens regulæ profeſſionem ejuſdem, Abbatiſſam per vos, ſicut in eadem conceditur regula, eligenda, auctoritate Apoſtolica confirmaret. Qui votis veſtris cum maturitate debita diligentius exquiſitis, vos conſtantes in præmiſſo propoſito veſtro comperiens, aſſignavit vobis regulam memoratam, & ipſius, a vobis id inſtanter petentibus, profeſſione recepta, teque dilecta in Chriſto filia Herminia in Abbatiſſam per viam ſcrutinii electa, concorditer electionem hujuſmodi, quia eam invenit canonicam, & de perſona idonea celebratam, auctoritate ſibi, a nobis in hoc tradita, confirmavit. Epiſcopo Prænestino committitur, ut Regulam poſtulatam impendat.

§. IV. Sane facta nobis per eumdem Epiſcopum ad noſtram præſentiam redeuntem ſuper hujuſmodi ſuo proceſsu relatione fideli, Nos proceſsum ipſum provide habitum, ratum, & gratum habentes, & auctoritate Apoſtolica confirmantes, ac volentes juxta præmiſſæ veſtræ petitionis inſtantiam de loco vobis congruo providere, Monaſterium ſancti Silveſtri in Capite de Urbe ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinens, hactenus Ordinis ſancti Benedicti, vacans per translationem ſui Abbatis ad Monaſterium ſancti Laurentii foris muros Urbis Ordinis ſupradicti, Monachis ipſius Monaſterii ſancti Silveſtri alibi, prout eorum ſaluti expedire putavimus, collocatis; quod quidem Monaſterium ſancti Silveſtri non facile poterat de perſonis ejuſdem Ordinis reformari, quia ipſum conſideravimus habitationi veſtræ, necnon obſervationi ejuſdem veſtri Ordinis congruum, vobis de Fratrum noſtrorum conſilio, ex ſpeciali gratia cum domibus, hortis, vineis, terris, caſalibus, poſſeſſionibus, vaſallis, & omnibus aliis bonis, privilegiis, immunitatibus, & quibuslibet ſuis pertinentiis & juribus duximus concedendum, ſtatuentes ipſum Monaſterium ſancti Silveſtri in capite Ordinis Sororum Minorum incluſarum de cetero nominandum, & quod idem Ordo veſter inibi perpetuis temporibus obſervetur, & tam vos, quam vobis in eodem Monaſterio ſucceſſuræ libere uti poſſitis omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & gratiis eidem Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis, & idem Monaſterium ſancti Silveſtri nobis & ipſi Eccleſiæ Romanæ ſubjectum immediate remaneat, ſicut erat. Monaſterium donatum, cum omnibus pertinentiis.

§. V. Volumus quoque quod quatuor Fratres Ordinis Minorum experientia longa probati, perpetuo in eodem Monaſterio ſeorſum conti- FF. Minores in Monialium obſequiū deſtinati.

nue maneant ad divina celebranda vobis officia, & miniſtranda Eccleſiaſtica Sacramenta, quodque omnia & ſingula ea, quæ vobis ex inſtitutione veſtræ regulæ tam circa electionem Abbatiſſæ, quam circa quæcumque alia, necnon & alia quæ Ordini præfato Minorum, vel perſonis ipſius ex eadem inſtitutione in Monaſteriis ſæpefati Ordinis veſtri competunt vobis, ac eidem Ordini Minorum, & perſonis integra & illibata remaneant, nec illis pro eo quod idem Monaſterium ſancti Silveſtri remanet vobis, & Eccleſiæ Romanæ, ut præmittitur, immediate ſubjectum, detrahatur in aliquo, ſeu aliquatenus derogetur.

§. VI. Ceterum vobis præſentium tenore concedimus, ut ad idem Monaſterium ſancti Silveſtri nulla alia expectata, vel petita licentia tranſeatis. Adjicientes expreſſius, quod ſi contingat ſæpefatum Monaſterium veſtrum ſancti Silveſtri a perſonis ejuſdem veſtri Ordinis deſeri, & pro derelicto haberi, Monaſterium ipſum cum omnibus bonis ſuis, pertinentiis, juribus ſupradictis volumus in noſtra, ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ac ejuſdem Romanæ Eccleſiæ diſpoſitione libera remanere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, conceſſionis, conſtitutionis, & mandati noſtri infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Ego Honorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ordonius Tuſculan. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego frater Bentivenga Albanen. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego frater Latinus Oſtien. & Velletren. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego frater Hieronymus Præneſtin. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Bernardus Portuen. & S. Rufinæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ancherus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Hugo tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gervaſius tit. S. Martini Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Comes tit. SS. Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gaufridus tit. S. Suſannæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gottifridus S. Georgii ad velum aureum Diac. Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Jacobus S. Mariæ in via lata Diac. Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Tibure per manum Magiſtri Petri de Mediolano S. R. E. Vicecancellarii VIII. Kalend. Octobris, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ MCCLXXXV. Pontificatus vero Domini Honorii Papæ IV. anno 1.

III.

Mittit eis regulam Clariſſarum ab Urbano IV. correctam. Regeſt. Vatic. epiſt. 166.

Dilectis in Chriſto filiabus Herminiæ Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſancti Silveſtri de Urbe ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Ordinis Sororum incluſarum.

§. I. IN mandatorum ſuorum ſemitas vos, Domino deducente, ab olim, licet nondum obſervantiæ alicujus certæ religionis aſtrictæ laudabiliter, prout fide dignorum teſtatur aſſertio, & religioſe vixiſtis, & de

& de virtute in virtutem faciente virtute Altiſſimi, gradientes nuper ad regulam Sororum Minorum incluſarum a fel. rec. Alexandro traditam, & correctam ac approbatam a piæ memoriæ Urbano Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, directo devotionis affectu, eam vobis aſſignari ſuppliciter poſtulaſtis, ipſam vobis aſſignatam de noſtro ſpeciali mandato per venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum Epiſcopum, in cujus tunc diœceſi ſub honeſtæ clauſuræ habitaculo manebatis, in ipſius Epiſcopi manibus profeſſionem veſtram recipientis, de ſimili noſtro mandato ſpontanee profitentes.

§. II. Ut igitur eamdem regulam, ipſiuſque ſtatuta eo amplius, eoque accuratius, Deo auſpice, obſervare valeatis, quo plenius per ejus inſpectionem inſtructæ fueritis in eadem, Regulam ipſam, prout correctam & approbatam, litteræ memorati prædeceſſoris Urbani in ipſius regeſto repertæ, quas de illo de verbo ad verbum excipi fecimus, & præſentibus annotari, aperte declarant, vobis ad futuram rei memoriam ſub bullæ noſtræ teſtimonio deſtinavimus. Tenor autem prætactarum litterarum, & Regulæ talis eſt, Urbanus Epiſcopus &c. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Sororum Minorum incluſarum Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Pariſien. diœceſis ſalutem &c. Religionis augmentum &c. ut in bulla VII. regeſti ejuſdem D. Urbani uſque in finem.

Datum Tibure VII. Idus Octobris, annó I.

IV.

Ut concedant aliquot Fratres in obſequium Monaſterii ſancti Silveſtri. Regeſt. Vatic. epiſt. 178.

Dilectis filiis Generali, & Provinciæ Romanæ Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, tam præſentibus, quam futuris.

§. I. Nuper dilectæ in Chriſto filiæ Herminia Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſancti Silveſtri in Capite de Urbe Ordinis Sororum Minorum incluſarum, quæ licet in monte Præneſtini religioſe viverent ſub decenti clauſura, nulli tamen erant obſervantiæ ſpecialis Religionis aſtrictæ, & deſiderantes &c. ut in bulla II. hujus Pontificis verbis competenter mutatis uſque *detrabatur in aliquo, ſeu aliquatenus derogetur*.

§. II. Licet autem præmiſſa, quæ vobis ex prædictæ regulæ inſtitutis competunt, vos etiam non requiſitos a nobis, deceat exercere, ut tamen eo libentius illa exequi ſtudeatis, quo ad id vos induci ſtudioſius per Sedem Apoſtolicam ſentietis, diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædicta vobis in præfato Monaſterio ſancti Silveſtri, ſicut præmittitur, ex inſtitutione dictæ regulæ competentia diligenter & efficaciter exercentes, vos vel alter veſtrum quatuor, vel ſi memorata Abbatiſſa & Conventus præfati Monaſterii ſancti Silveſtri, conſideratis ipſius Monaſterii facultatibus, petierint ſex, tales Fratres ejuſdem veſtri Ordinis ad hujuſmodi miniſteria continue in dicto Monaſterio exercenda prælibatis Abbatiſſæ & Conventui ſine difficultatis obſtaculo concedatis.

§. III. Volumus autem & præſentium tenore concedimus, quod plures etiam Fratres in ejuſdem Monaſterii ſancti Silveſtri feſtivitatibus, ceteriſque ſolemnibus officiis & celebritatibus, quæ pro tempore in dicto

ɑo Monaſterio ſancti Silveſtri contigerit celebrari, Monialium conſecrationibus, exequiis morientium, & aliis caſibus in quibus fuerit plurium miniſteriorum opportunum, vobis & alteri veſtrum, nec non in abſentia veſtra Cuſtodi, & Guardiano Romanis, & eorum cuilibet, ac ipſis abſentibus, eorum Vicariis, ſeu alterius eorumdem liceat ad requiſitionem prætactarum Abbatiſſæ & Conventus ad prænominatum ſancti Silveſtri Monaſterium mittere & accedere cum eiſdem. Non obſtantibus regulæ veſtri Ordinis ſtatuto, vel inhibitione contrariis, ſeu indulgentia, quæ vobis aut eidem Ordini veſtro fore dicitur a prædicta Sede conceſſum, quod non teneamini vos intromittere de negotiis, quæ vobis per ipſius Sedis litteras committuntur, ſive quibuslibet aliis ejuſdem Sedis indulgentiis, ſeu privilegiis, de quibus in veſtris litteris mentionem oporteat fieri ſpecialem, & per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta hujuſmodi mandati, & conceſſionis effectus aliquatenus impediri valeat vel differri.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam IV. Nonas Novembris, anno I.

V.

Ut non teneantur ſolvere decimam pro negotio regni Siciliæ impoſitam. Reg. Vatic. epiſt.203. Archiv. Aracœl. ſub plumbo num.83.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, per Italiam conſtitutis.

ATtendentes benignius, quod vos, mundi contemptis illecebris, quæ cum blandiuntur illudunt, ſponſi cœleſtis obſequiis ſalubriter adhæſiſtis, dignum fore cognovimus, ut vos illius exhibitione gratiæ proſequamur, quæ vobis fore dignoſcitur opportuna. Veſtræ itaque paupertati pio concurrentes affectu, & volentes vobis ob ejus reverentiam, cui devotum & ſedulum famulatum impenditis, gratiam facere ſpecialem, devotioni veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut de fructibus, redditibus, & proventibus veſtris ſolvere non teneamini decimam nuper negotio Regni Siciliæ per Sedem Apoſtolicam deputatam, ac diſtrictius inhibemus, ne quis prætextu ejuſdem decimæ aliquid a vobis, vel Monaſteriis veſtris, ſeu a quibuſcumque aliis pro vobis, aut Monaſteriis ipſis exigere, vel extorquere præſumat. Nolentes omnino quod pro retardatione ſolutionis decimæ ſupradictæ aliquam excommunicationis ſententiam latam hactenus, vel proferendam de cetero incurratis, proceſſus quoslibet occaſione ipſius decimæ contra vos, aut Monaſteria eadem per quoſcumque habitos nihilominus revocando.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam V. Decembris, anno I.

VI.

Ut confirmet donationem quamdam factam Fratribus Minoribus de Monte Alcino. Reg. Vatic. epiſt. 235.

Episcopo Senen.

EXbibita nobis dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Ordinis Minorum de Monte Alcino Aretin. diœceſis petitio continebat, quod Abbas Monaſterii ſancti Antimi Vallis Stratiæ ad Romanam Ecle-

cleſiam nullo medio pertinen. Ordinis ſancti Benedicti dictæ diœceſis, attendens quod Eccleſia ſancti Angeli Caſtriveteris dicti loci de Montealcino, tunc ad Monaſterium ipſum in ſpiritualibus & temporalibus pertinens pleno jure, adeo habebat tenues redditus, & proventus, quod unus ex eis nec ſuſtentari commode, nec ei de facultatibus dicti Monaſterii poterat provideri, & quod ex dicta Eccleſia modicus fructus proveniebat Monaſterio ſupradicto, eam de conſenſu Conventus ejuſdem Monaſterii cum domo, cœmeterio, & horto, ac aliis pertinentiis exiſtentibus circa ipſam, poſſeſſionibus aliis dictæ Eccleſiæ præfato Monaſterio reſervatis Moro quomdam Morandi judici ejuſdem Eccleſiæ Romanæ procuratori pro ipſa, quoad proprietatem, quoad uſum vero prædictorum Guardiani, & Fratrum deliberatione pia & provida duxit perpetuo concedendam, prout in inſtrumento publico inde confecto dicitur plenius contineri. Super quo dicti Guardianus, & Fratres robur Apoſtolici muniminis adhiberi a nobis ſuppliciter poſtularunt. Quia vero de his notitiam non habemus, fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis inquiras ſollicite veritatem, & ſi conceſſionem hujuſmodi rite inveneris, abſque alterius præjudicio eſſe factam, eam auctoritate noſtra confirmare procures.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam III. Idus Decembris, anno I.

ANNO CHRISTI 1286. HONORII IV. ANNO 2.

VII.

Concedit poſſe primum lapidem & cœmeteria a quibuſcumque Epiſcopis benedici, dum a Diœceſanis id commode non poſſit fieri. Specul. Minor. tract. 2. fol. 25.

Dilectis filiis Generali Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum.

Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis per ſpecialia privilegia Sedis Apoſtolicæ ſit indultum, ut ad Civitates vel villas ubi religioſe ac honeſte commorari poſſitis, a populis evocati accedere, ibique pro veſtris uſibus ædificia & Eccleſias ſive Oratoria conſtruere valeatis, diœceſani tamen locorum in Eccleſiis, ſeu Oratoriis, quæ de novo vultis conſtruere, primarium lapidem ponere, & conſtructa conſecrare, ac cœmeteria vobis juxta Eccleſias, vel Oratoria prædicta benedicere denegant pro ſuæ libito voluntatis. Aliqui vero diœceſanorum ipſorum cum ad Eccleſias & loca veſtra pro præmiſſis exequendis accedunt, propter evectionum & perſonarum multitudinem, quas ſecum ducunt, gravant vos non modicum in expenſis. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtræ auctoritate præſentium indulgemus, ut ſi diœceſani prædicti a vobis humiliter requiſiti hujuſmodi lapidem in prædictis Eccleſiis, vel Oratoriis ponere, ac Eccleſias vel Oratoria prædicta, ac etiam altaria veſtra conſecrare, & cœmeteria benedicere denegaverint, vel id facere ultra quatuor menſes diſtulerint: vos per quoſcumque malueritis Epiſcopos gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, præmiſſa recipere libere valeatis.

Nulli ergo noſtræ conceſſioni &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam XV. Kalend. Februar. Pontificatus noſtri, anno I.

VIII. *Ut*

VIII.

Ut permittant transferri corpus Martini IV. ad Eccleſiam ſancti Franciſci, in qua juſſit ſe tumulari. Reg. Vatic epiſt. 267.

Venerabili fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo Perusinis.

Martini IV. erga ſanctum Franciſcū devotio cōmendatur.

§. I. VEſtram non credimus latere notitiam, qualiter felicis recordationis Martinus Papa IV. prædeceſſor noſter ob devotionis ſpecialis affectum, quem gerebat erga glorioſum & venerabilem Confeſſorem beatum Franciſcum de Aſſiſio, cujus clariſſimis meritis Dei decoratur Eccleſia, Italia rutilat, veſtraque regio quaſi quibuſdam ſpecialibus titulis inſignita refulget, in Eccleſia, quæ in honorem ejuſdem Sancti apud Aſſiſium conſtructa dignoſcitur, elegit in ſua voluntate ultima Eccleſiaſticam ſepulturam, nobis tunc in minori officio poſitis, & quibuſdam ex Fratribus noſtris hujuſmodi ſuæ voluntatis executoribus conſtitutis. Poſtmodum autem ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium divina diſpoſitione vocati, magnis & arduis, quæ cura paſtoralis officii ſecum trahit, occupati negotiis, ad exequendum prædeceſſoris ejuſdem hujuſmodi voluntatem operarias manus exhibere nequivimus, prout & gerebamus in votis, & ipſius negotii qualitas requirebat.

Vult defuncti diſpoſitionē ſuum effectum ſortiri.

§. II. Cum itaque magno deſiderio cupiamus, ut pia prædeceſſoris diſpoſitio prælibati ſuum in hac parte conſequatur effectum, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus tamquam viri providi & diſcreti, ac juſtitiæ zelatores, ad exactæ conſiderationis reducentes examen, quod explorati juris exiſtit, quamque mortalibus debitum ut extremæ voluntates ipſorum libere impleantur, reverendum præfati prædeceſſoris corpus non ſolum juxta diſpoſitionem prædeceſſoris ejuſdem ad eamdem libere deferri Eccleſiam permittatis, quinimo illud illuc deportare volentibus tumulandum, ut id digna honorificentia, dante Domino, agi poſſit, pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, quam in veſtris actibus ſummopere conſervare vos condecet, favorabiliter aſſiſtatis, tanto nobis proinde propenſius placituri, quanto efficacius & libentius, quod a vobis in hoc fiducialiter petimus, perducere curabitis ad effectum. Cupimus enim ut ſuper hoc ſic devote, ſic prompte vos gerere ſtudeatis, ut exinde non immerito poſſimus efferre vos laudibus, & aliud in hac parte proviſionis adhibere remedium non cogamur.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam Kal. Februar. anno 1.

IX.

Decernit irrita eſſe pacta quæcumque a Minoribus cum Prælatis Eccleſiarum inita in præjudicium ſuæ religionis. Specul. Min. tract. 2. fol. 53. Roderic. bulla 1.

Dilectis filiis Generali Miniſtro & Fratribus Ord. Min.

Vide ſimilem conceſſionem in regeſto Alex. IV. bulla 96.

§. I. REligionis favor, ſub qua virtutum Domino ſervitis, & fructus uberes, qui ex veſtris laboribus in Eccleſia univerſali, divina gratia cooperante, proveniunt, nos inducunt ut illa vobis favora-

rabiliter concedamus, per quæ ab impedimentorum obſtaculis liberati fructificare liberius in eadem Eccleſia valeatis. Sane ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & Fratres veſtri Ordinis in receptionibus domorum, & locorum ejuſdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus & Clericis Eccleſiarum, in quarum territorio domus & loca prædicta conſiſtunt, ſine tua, fili Generalis, & alicujus prædeceſſorum tuorum, ac generalis Capituli Ordinis prædicti licentia & aſſenſu, compoſitiones & pacta varia in præjudicium indulgentiarum & privilegiorum Apoſtolicæ Sedis eidem Ordini conceſſorum, inire temere præſumpſerint, cum id eis nec ex auctoritate competeret, nec ex ſpeciali eſſet conceſſione commiſſum, nec a te ſive a tuis prædeceſſoribus præfata Generalis, vel ab eorum Capitulo fuerunt compoſitiones & pacta hujuſmodi acceptata. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut quia ex conventionibus & pactis eiſdem præſumptis, taliter in his quæ Ordini præfato, tam ex Apoſtolicæ Sedis privilegiis, ac indulgentiis, quam a jure commmuni conceſſa eſſe noſcuntur, nimium derogetur, providere ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus.

§. II. Nos igitur volentes ſuper hoc de Apoſtolica benignitate providere, præſentium tenore decernimus, quod ex conventionibus & pactis talibus & taliter initis in iis, quæ ipſi Ordini vel perſonis aut locis ejuſdem, ſive de jure communi competant, ſive per privilegia & indulgentias ſint conceſſa eidem Ordini, locis, domibus, vel perſonis præjudicium nullum fiat: ſed compoſitionibus & pactis ipſis (dummodo nec a te memorate Generalis, nec a prædeceſſorum tuorum aliquo, vel dicto Capitulo acceptata fuerint) nequaquam obſtantibus, & tam ipſius Ordinis domibus, perſonis & locis, quam iis cum quibus eædem compoſitiones & pacta ſunt inita, jus priſtinum abſque alicujus impedimenti obice integrum conſervetur. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam IV. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno 1.

X.

Facultas conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in Werkin. Reg. Vatic. epiſt. 180.

EPISCOPO TORNACEN.

Ex parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Iſabellæ Comitiſſæ Flandriæ fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ſibi conſtruendi pro animæ ſuæ ſalute, de aſſenſu & voluntate dilecti filii nobilis viri Guidonis Comitis Flandriæ ejus viri, & in fundo proprio in parochia Eccleſiæ de Werkin tuæ diœceſis conſtituto, Monaſterium Monialium in honorem beatæ Claræ, in quo ſancti Franciſci regula, & inſtituta prædicti Ordinis obſerventur, ac in Monaſterio ipſo, quod de bonis propriis ſufficienter dotare proponit, ut aſſerit, inſtituendi Sorores, ſeu Moniales quæ in perpetuum impendant inibi Domino famulatum, licentiam ſibi concedere dignaremur. Nos autem volentes tibi, qui loci diœceſanus exiſtis, in hac parte deferre, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Comitiſſæ, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, petitam licentiam largiaris ſine juris præjudicio alieni.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam II. non. Febr. anno 1.

XI.

Transfertur frater Stephanus ad Eccleſiam Tuamen. Reg. Vatic. epiſt. 58.

Venerabili fratri Stephano Epiſcopo quondam Waterforden. In Archiepiſcopum Tuamen. electo.

Præfatio.

§. I. ROmani Pontificis, qui diſponente illo, cujus providentiæ magnitudo cœleſtia ſimul ac terrena diſponit, præeſſe dignoſcitur univerſis, plena curis & labore non vacua ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſiæ ſic ſolerter invigilet, ſic proſpiciat diligenter, ut per ejus circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam, nunc per ſimplicis proviſionis officium, nunc per miniſterium translationis accommodæ, prout locorum & temporum qualitas exigit, Eccleſiis ſingulis paſtor accedat idoneus, rector providus deputetur, ut ſuperni favoris cooperante ſuffragio, Eccleſiæ ipſæ votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratulentur.

Capitulum vult per compromiſſum Antiſtitem eligere.

§. II. Olim ſiquidem Tuamen. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Thomæ Tuamen. Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa ſimul convenientes, ac deliberantes ad proviſionem faciendam ipſi Eccleſiæ de Prælato per viam procedere compromiſſi, ſeptem ex Canonicis ejuſdem Eccleſiæ tunc præſentibus providendi ea vice eidem Eccleſiæ de paſtore poteſtatem unanimiter conceſſerunt, promittentes quod illum in Archiepiſcopum eorum reciperent, quem iidem ſeptem vel major pars ipſorum eligendum ducerent, ſeu etiam poſtulandum.

Sed compromiſſarii in electione non concordant.

Dicti autem Canonici ſeceſſerunt in partem; & poſt varios tractatus ab eis ſuper hoc habitos, cum non poſſent omnes in unam pariter concordare perſonam, quinque ipſorum Magiſtrum Nicolaum de Machin Canonicum ejuſdem Eccleſiæ in Tuamen. Archiepiſcopum elegerunt, dicto Decano & reliquis duobus Canonicis poſt electionem hujuſmodi, cum etiam iidem duo ea publicata conſenſerant, eligentibus fratrem Malachiam Ordinis Minorum de Conventu Limbricen. ad regimen Eccleſiæ ſupradictæ.

Negotium ad Apoſt. Sedem devolvitur.

§. III. Cumque hujuſmodi negotium ad Apoſtolicam Sedem cui dicta Eccleſia immediate ſubeſt, delatum fuiſſet, idemque Magiſter Nicolaus præſentato fel. rec. Nicolao Papæ prædeceſſori noſtro ſuæ electionis decreto, ei humiliter ſupplicaſſet, ut electionem ipſam auctoritate Apoſtolica confirmaret, dictus prædeceſſor venerabilibus Fratribus noſtris B. Albanen. & Gerardo Sabinen. Epiſcopis, tunc tit. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbytero, & dilecto filio noſtro I. ſanctæ Mariæ in via lata Diacono, Cardinalibus, tam proceſſus hujuſmodi electionis, quam perſonæ dicti Magiſtri Nicolai examinationem commiſit, qui dicto prædeceſſore vivente, de prædicto proceſſu electionis ipſius cognoſcere cœperunt. Poſt obitum vero prædeceſſoris ejuſdem, quamquam præfatus frater Malachias comparuiſſet perſonaliter coram Epiſcopis & I. Diacono, Cardinalibus prædictis; idem tamen dum adhuc Sedes ipſa vacaret, illicentiatus de Curia Romana diſceſſit, nec electionis ſuæ cauſam fuit ulterius proſecutus. Dicto itaque Magiſtro Nicolao a piæ mem. Martino Papa prædeceſſore noſtro ſuppliciter poſtulante, ut hujuſmodi examinationem ſic inceptam perfici facere dignaretur, idem prædeceſſor Mar-

Martinus, cui fuerat intimatum, quod eidem electioni ſuprsdicti Magiſtri Nicolai ſe aliqui opponebant, dilectum filium noſtrum Comitem tit. ſancti Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem deputavit ſuper boc Auditorem, coram quo prædicto Magiſtro Nicolao perſonaliter, & procuratore dictorum Decani & Capituli in judicio comparentibus, idem procurator libellum obtulit, in quo petebat, prædictam electionem factam de dicto fratre Malachia caſſata & irritata, reliqua confirmari.

§. IV. Verum ex parte præfati Magiſtri Nicolai propoſitis quibuſdam exceptionibus contra dictum libellum, ac aliis pluribus hincinde in ipſius Comitis Cardinalis præſentia rationibus allegatis, demum idem Comes Cardinalis hæc & alia, quæ in negotio prædicto acta fuerunt, nobis fideliter referre curavit: dictuſque Magiſter Nicolaus volens memoratam Eccleſiam a diſpendiis, quæ ſibi ex litigiorum anfractibus imminere poterant, præſervari, ſponte ac libere in manibus noſtris ceſſit omni juri, ſi quod ei ex electione prædicta fuerat acquiſitum.

Nicolaus electus Epiſcopatu ſe abdicat.

§. V. Nos igitur, habito ſuper his cum Fratribus noſtris diligenti tractatu, de ipſorum conſilio prædictam electionem de memorato fratre Malachia factam, quia eam invenimus poſt aliam prædictam, & contra formam præfatis ſeptem Canonicis a memoratis Capitulo traditam, de facto præſumptam, dictumque fratrem Malachiam, ut præmiſſum eſt, illicentistum de præfata curia receſsiſse, nec electionem ipſam fuiſſe poſtmodum proſecutum, caſſam & irritam duximus nuntiandam, ac deinde attenta ſollicitudine de ordinatione ipſius Eccleſiæ cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis eadem Eccleſia ſubjaceret, ac ei cupientes illum præeſſe Pontificem, de quo plenam fiduciam habere poſſemus, quod ipſum clara meritorum ſuorum inſignia redimerent, nec dubia eſset ejus caritas erga plebem ſuæ cuſtodiæ committendam, & in cujus fide fida recumberet ſecuritas ſubjectorum, in te direximus oculos noſtræ mentis, quem nobis & eiſdem Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, morum maturitate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia, necnon & ſincera devotione ad Romanâm Eccleſiam, habita fide dignorum teſtimonia commendarunt.

Et Malachias alius electus repellitur.

§. VI. Quapropter gregi Dominico ſpecisli volentes providere diligentia, de conſilio eorumdem Fratrum noſtrorum, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, te a vinculo, quo tenebaris Waterfordien. Eccleſiæ, cui præeras, abſolventes, transferimus te ad prædictam Eccleſiam Tuamen. ac præficimus te ipſi Tuamen. Eccleſiæ in Archiepiſcopum; & Paſtorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Tuamen. Eccleſiam tranſcundi. Firma concepta fiducia, quod, cum eſſe dicaris vir eximiæ probitatis, dictamque Waterfordien. Eccleſiam hactenus ſalubriter gubernaſſe, dirigente Domino actus ſuos, dicta Eccleſia Tuamen. per tuæ circumſpectionis induſtriam, præſervabitur a noxiis & adverſis, & ſpiritualiter & temporaliter grata ſuſcipiet incrementa. Quapropter Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad eamdem Eccleſiam Tuamen. te conferas, regimen. & curam ipſius diligenter geras, & ſollicite proſequaris, gregem Dominicum in illa tuæ circumſpectioni commiſſum, doctrina verbi & operis informando, ita quod ipſa Tuamen. Eccleſia gubernatori circumſpecto, & fructuoſo adminiſtratori, quo ad ſpiritualia gaudeat te commiſſam, & bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, & præter benedictionis æternæ præmium, benevolentiæ noſtræ gratiam exinde plenius conſequaris.

Datum Tybure IV. Idus Julii anno II.

XII.

Concedit ei licentiam commorandi cum aliquibus puellis in Monaſterio Humilitatis Pariſien. Reg. Vatic. Vatic. epiſt. 14.

Nobili Mulieri Blanchæ natæ claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum.

Litterarum tuarum ſeries adverſorum illiſiones eventuum, quæ tui pectoris penetralia magna nimirum amaritudine repleverunt, ſeriose deſcribens, tuumque laudabile propoſitum cum humilis & devotæ ſupplicationis inſtantia in calce ſupponens, noſtris præſentata conſpectibus, & multæ compaſſionis in nobis excitavit ſpiritum, & congaudendi tibi de tuo ſalubri voto materiam miniſtravit. Licet enim tibi tanto & tali orbatæ parente, tanti viri privatæ conſortio, tantorum germanorum ſolatio deſtitutæ, gravatæ inſuper de natorum, licet juvenum ſubtracta præſentia, paterno ex intimis compatiamur affectu: conſiderantes tamen te in tantis adverſitatibus non muliebriter ſuccumbere fletibus, non ſubſterni gemitibus, ſed tamquam fortem proculdubio, ut hæc perhibent, mulierem in adverſis animo virili conſurgere, ad conſolatorem confugere opportunum, ad animarum hoſpitem aſpirare dulciſſimum, habitationis ſecretæ confugium, ſalutari quærendo conſilio, in quo a ſecularibus congregatæ ſtrepitibus, deſiderata illius, prout ipſe conceſſerit, conſolatione fruaris, tam devotæ in Chriſto filiæ non immerito congaudemus. Ideoque tuum in hoc deſiderium delectabiliter adjuvantes, juxta tuæ ſupplicationis inſtantiam præſentium tibi auctoritate concedimus, ut intra ſepta Monaſterii de Humilitate beatæ Mariæ Virginis Pariſien. diœceſis cum mulierum & puellarum honeſtarum numero, dilecti filii Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum Franciæ, necnon & dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ ipſius Monaſterii arbitrio moderando, tibi liceat habitare. Volumus tamen, ut per eoſdem Miniſtrum & Abbatiſſam ita diligentia provideatur exacta, quod nec per hoc, nec per adventum aliquorum tuam volentium adire præſentiam, dicti Monaſterii, aut perſonarum ipſius honeſtati, ſeu famæ derogetur in aliquo, vel in ipſo Monaſterio Religionis obſervantiæ quomodolibet detrahatur.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam VII. Kalend. Novembris anno II.

XIII.

Monet Miniſtrum Minorum, & Abbatiſſam Monaſterii Humilitatis qualiter ſe gerere debeant circa ingreſſum Blanchæ Principis. Regeſt. Vatic. epiſt. 15.

Dilecto filio Miniſtro Fratrum Ordinis Minorum Franciæ, & dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ Monaſterii de Humilitate beatæ Virginis Pariſien. diœceſ.

Litterarum dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Blanchæ natæ claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum lacrymoſa ſeries &c. ut in bulla antecedenti mutatis competenter mutandis uſque *quomodolibet detrahatur*. Veſtras itaque conſcientias in præmiſſis ſpecialiter onerantes, devotioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus

præ-

præmiſſa ſic exacte, ſic diligenter exequi ſtudeatis, quod honeſtati, & famæ præfati Monaſterii, ac perſonarum ipſius, & obſervantiæ Religionis in eo, ut premittitur, integre conſervandæ veſtra induſtria caveatur ad plenum, veſtraque devotio præmium exinde apud Deum, & apud nos opportuni favoris promptitudinem mereatur.

Datum ut ſupra.

XIV.

Ut vendant domum Fratrum Pœnitentiæ pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum. Reg. Vatic. epiſt. 182.

Archiepiſcopo Eboracen. & Dunelmen. Epiſcopo.

§. I. Dilectus filius nobilis vir Joannes de Veti Dunelmen. diœceſis, nobis humiliter ſupplicavit, ut cum conſtitutio Concilii Lugdunenſis, quæ Ordines Mendicantes per Sedem Apoſtolicam confirmatos, poſt generale tamen Concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem redditus & poſſeſſiones habere profeſſio, ſeu Regulæ, vel conſtitutiones quælibet interdicunt, & poſt quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas ſubſidere certo modo decrevit, inter cetera ſtatuat, ne ipſorum Ordinum profeſſores domos ſeu loca, quæ habent, alienare valeant ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, & ea ipſius Sedis diſpoſitioni reſervans in Terræ ſanctæ ſubſidium, vel pauperum, aut alios pios uſus per locorum Ordinarios, vel alios, quibus eadem Sedes Apoſtolica commiſerit convertenda, & Fratres Ordinis Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, qui eſt de Ordinibus memoratis, domum quam habent in novo caſtro ſuper Tynam Dunelmen. diœceſis duxerint deſerendam, idemque nobilis in ea Monaſterium Monialium, ſeu Sororum Ordinis ſanctæ Claræ pro animæ ſuæ ac parentum ſuorum remedio, conſtruere pia devotione proponat, domum ipſam ad hoc vendi ſibi veſtro miniſterio mandaremus.

§. II. Nos itaque pium nobilis ejuſdem propoſitum commendates, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi quod de ipſius domus deſertione proponitur, veritate fulcitur, ipſam cum ſuis pertinentiis nobili memorato ad prædictos uſus, & non alios vendere, auctoritate noſtra, curetis pro pretio competenti, inducentes eum in corporalem poſſeſſionem illius, & defendentes inductum, contradictores & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Pretium autem quod pro ipſa domo receperitis, vel deponendo apud aliquem locum ſacrum, vel alias in tuto convertentes nobis ipſius, quanto ejus ſignificare ſtudeatis, per veſtras patentes litteras quantitatem.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam III. Kalend. Novembris anno II.

XV. Fra-

XV.

Frater Engleſius præficitur Eccleſiæ Novarienſi. Regeſt. Vatican. epiſtol. 241.

Fratri Engleſio Novarien. electo.

Ex ſuſceptæ ſervitutis officio ſollicitudine pulſamur aſſidua, ut Eccleſias ſpiritualibus & temporalibus commodis augeamus, & earum maxime per debitæ proviſionis miniſterium neceſſitatibus conſulamus, quæ ſolatio deſtitutæ paſtoris diutius viduitatis incommoda deplorarunt. Dudum ſiquidem Novarien. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Singebaldi Novarien. Epiſcopi paſtore vacante, Canonici ejuſdem Eccleſiæ vota ſua dividentes in plures, duas electiones, unam videlicet de Franciſco Archidiacono ipſius Eccleſiæ, & alia de quodam Payno Præpoſito Eccleſiæ ſancti Gaudentii Novarien. in diſcordia celebrarunt. Hujuſmodi ergo electionem negotio per appellationem ipſius Payni ad Sedem Apoſtolicam legitimæ devoluto, felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter piæ memoriæ Martinum Papam prædeceſſorem noſtrum tunc tituli ſanctæ Cæciliæ Præsbyterum Cardinalem in negotio ipſo conceſſit partibus auditorem, ſed eodem Payno poſt nonnullos proceſſus in cauſa ipſa coram eodem Martino habitos naturæ debitum perſolvente, dictoque Archidiacono juri, ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi de ſe facta fuerat acquiſitum, in noſtris manibus renuntiante libere ac expreſſe; Nos diligentius attendentes, quam ſit onuſta diſpendiis, quot & quanta pericula ſecum trahat Eccleſiarum vacatio diuturna, penſantes quoque grandia tuæ probitatis merita, honeſtatem morum, converſationem laudabilem, aliaſque virtutes, quibus perſonam tuam virtutum Dominus decoravit, de te Ordinis Fratrum Minorum eidem Eccleſiæ Novarien. de Fratrum noſtrorum conſilio, duximus providendum, teque ipſi Eccleſiæ præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committentes, firma ſuſcepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Novarien. per tuæ circumſpectionis induſtriam proſpere dirigetur, & ſalubria, dante Domino, ſuſcipiet incrementa. Jugum itaque Domini reverentia prompta ſuſcipias, & ſuavi ejus oneri ſub humilitatis ſpiritu colla ſubmittas, præfatæ Eccleſiæ ſollicitam curam gerens, gregem Dominicum in ea tuæ diſcretioni commiſſum doctrina verbi & operis informando, ita quod per tuæ diligentiæ ſtudium Eccleſia ipſa votivis proficere commodis, & optatis conſurgere valeat incrementis.

Datum Romæ apud ſanctam Sabinam XVI. Kalendas Martii anno II.

NI-

NICOLAUS IV.

Electus anno MCCLXXXVIII. VIII. *Kalend. Martii*,

Anno Christi 1288. Nicolai IV. anno 1.

I.

Facultas conſtruendi Monaſterium Clariſſarum prope Villam ſancti Marcelli prope Lutetiam. Reg. Vatic. epiſt. 3.

Dilecto filio I. tituli ſanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato.

§. I. EX parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Franciæ Illuſtris fuit propoſitum coram nobis, quod dilectus filius Magiſter Galienus de Piſis Canonicus Eccleſiæ de ſancto Audomaro, de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, votoque ſalubri maneria ſua ſita juxta villam ſancti Marcelli prope Pariſius, quæ ſunt circumvallata muris, una cum prato, maneriis ipſis conjuncto, perſonarum, per quas æterni Regis inſiſtatur laudibus, perpetuis uſibus deputare, maneria & pratum prædicta in augmentum cultus divini dedit liberaliter & conceſſit, ordinando & decernendo, ut in ipſis ordinetur Monaſterium, in quo Sorores Minores Ordinis ſanctæ Claræ viventes ſub obſervantia Regulæ, quæ ſervatur in Monaſterio Humilitatis beatæ Mariæ Virginis, prope ſanctum Clodoaldum Pariſien. diœceſ. collocentur. Claræ quoque memoriæ Philippus Rex Franciæ, genitor dicti Regis tam pium opus ſavore proſequens opportuno, in recompenſationem cenſuum, qui ex eiſdem maneriis, & prato ſancti Marcelli, & ſanctæ Genovephæ Pariſien. Eccleſiis, ac Hoſpitali Hieroſolymitan. antea ſolvebantur, a quorum præſtatione prædicta maneria & pratum per Eccleſiarum & hoſpitalis prædictorum perſonas propter hoc ad ipſius inſtantiam abſoluta fuerunt, certos & competentes redditus de bonis regiis aſſignavit. Quare pro parte dicti Regis, & etiam cariſſimarum in Chriſto filiarum noſtrarum Margaretæ, Mariæ & Joannæ Illuſtrium Reginarum Franciæ, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut prædictorum Regis, & Magiſtri Galieni piam actionem, & laudabile deſiderium in hac parte Apoſtolici favoris præſidio benigne proſequi curaremus.

§. II. Nos igitur hujuſmodi regiis precibus annuere favorabiliter intendentes, & quod ſuper præmiſſis per præfatos Regem & Galienum ſactum eſt, ratum & gratum habemus, idque auctoritate Apoſtolica confirmantes, gerentes quoque de circumſpectione tua in Domino fiduciam pleniorem, præſentium tibi auctoritate committimus & mandamus, quatenus præmiſſis veris exiſtentibus, juxta prædictam ordinationem ipſius Magiſtri Galieni concedas, mandes, & ſacias per te vel per alium, aut alios in dictis maneriis Monaſterium ordinari, & hujuſmodi Sorores auctoritate noſtra inſtituas & colloces in eodem, ut ibidem perpetuis temporibus vivant ſub obſervantia Regulæ ſupradictæ, ipſiſque Sororibus poſtquam ibidem collocatæ fuerint, eadem auctoritate concedas, ut poſſint in Eccleſia inibi conſtructa libere celebrare divina, & uti privilegiis & indulgentiis, libertatibus ac immunitatibus, quæ Sororibus prædi-

dicti Ordinis a Sede Apoſtolica ſunt conceſſa. Contradictores &c. Non obſtante ſi aliquibus &c.

Datum Laterani vii. Non. Martii anno 1.

II.

Declarat ex ſingulis Provinciis unum dumtaxat Cuſtodem ſuffragari debere electionibus Capitularibus. Specul. Min. tract. 1. fol. 15. Roderic. bulla 1.

Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

AD ſtatum pacificum veſtri Ordinis conſervandum, quæ cœleſtis Agricolæ ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſiæ, tanto libentius ſtudium efficax, operamque ſollicitam adhibemus, quanto illum ſinceriori caritate complectimur, & uberiores ſalutis fructus ex ipſo proveniunt fidelium animabus. Expoſuit ſiquidem nobis veſtræ devotionis humilitas, quod in beati Franciſci Regula inter cetera continetur, quod Generalis Miniſtri Ordinis ejuſdem electio a Miniſtris & Cuſtodibus Provincialibus celebretur. Cumque ab ipſius Ordinis Fratribus olim vivente adhuc fel. rec. Gregorio Papa IX. prædeceſſore noſtro, revocaretur in dubium, utrum univerſos Ordinis memorati cuſtodes electioni hujuſmodi oporteret perſonaliter intereſſe. Dictus prædeceſſor ſuper hoc ab eiſdem Fratribus requiſitus declarando reſpondit, ut ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe ipſis conſtituant, eique ſuper hoc committant vices ſuas. Similis quoque reſponſionis oraculum a piæ memoriæ Nicolao Papa III. prædeceſſore noſtro extitit in hac parte prolatum. Verum quia in generali Ordinis ſupradicti Capitulo in Monte Peſſulanen. Magalonen. diœceſis nuperrime celebrato, de hujuſmodi dubitationis articulo expreſſa, ut dicitur, mentio fuit; Nos nolentes ut ſuper hoc aliqua poſſit ulterius dubitatio ſuboriri, Apoſtolica auctoritate declarando ſtatuimus, & ſtatuendo etiam declaramus, ut cum hujuſmodi electio fuerit facienda, uniuſcujuſque Provinciæ Cuſtodes, unum ex ſeipſis conſtituant, ut ei vices ſuas committant, ipſumque ad locum, in quo electio eadem tunc fuerit celebranda, tranſmittant, iſque qui ſic ab iſtis Cuſtodibus extiterit electus, unam vocem dumtaxat pro ſe & eis omnibus habeat, & intelligatur habere, ac pro una voce tantummodo ab aliis admittatur, præſertim cum hoc a præfati Gregorii prædeceſſoris noſtri tempore uſque nunc fuerit obſervatum. Quod ſi etiam Cuſtodes illius Provinciæ, in qua hujuſmodi debeat electio celebrari, præſentes aderunt in loco ad hoc tunc temporis deputato, non omnes ad eamdem fuerint electionem admiſſi, ſed unus ipſorum ab eis tunc communiter conſtitutus pro ipſis omnibus admiſſus extiterit, ad eamdem per ſe, ac eis unam vocem tantummodo ſit habiturus, & ſic volumus in poſterum obſervari. Nulli ergo &c.

Datum Reate iii. Idus Martii, Pontificatus noſtri, anno 1.

III. Ne

III.

Ne fiat aliqua diviſio ſeu erectio Provinciarum abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. Specul. Min. tract. 2. fol. 56. Roderic. bulla 3.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum.

QUia Provinciarum Ordinis veſtri diſtinctio in generali Capitulo pridem, dum adhuc felicis recordationis Gregorius Papa IX. prædeceſſor noſter viveret, celebrato, ſuam in capitulo ipſo prædeceſſore præfato exhibente præſentiam, facta fuit, licet poſtmodum fuerit duarum Provinciarum diviſio ſubſecuta. Nos volentes, ut prædicta diſtinctio ſolemniter edita ſive facta, & etiam præfata poſtmodum ſubſecuta diviſio robur obtineat perpetuæ firmitatis, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ordinamus, & diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliarum Provinciarum prædictarum alia diſtinctio, ſeu diviſio, vel novarum Provinciarum multiplicatio abſque Pontificis Romani præſentia, ſeu ipſius licentia ſpecialiter per ejus patentes litteras concedenda facientes plenam & expreſſam de hujuſmodi ſtatuto, ordinatione & inhibitione, necnon dilecti filii noſtri M. ſanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinalis, cui gubernatio, protectio, & correctio Fratrum veſtri Ordinis per Sedem Apoſtolicam ſunt commiſſæ, vel ejus, cui eas committi contigerit in futurum, quomodolibet præſumatur. Nos enim nihilominus irritum decernimus, & inane, ſi ſecus in hac parte contigerit attentari. Nulli ergo &c.

Datum Reate III. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Concedit Epiſcopo Salamantino Minoritæ facultatem teſtamentum condendi. Reg. Vatic. epiſt. 15.

Venerabili Fratri Epiſcopo Salamantin.

QUia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea quæ viſibilem habent eſſentiam, tendunt inviſibiliter ad non eſſe, tu hac ſalubri præmeditatione recogitans diem tuæ peregrinationis extremum, diſpoſitione teſtamentaria prævenire deſideras. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus Eccleſiæ tuæ diſpenſationi, ſeu adminiſtrationi commiſſis, quæ non fuerint altaris ſeu altarium Eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali Eccleſiarum earumdem divino cultui vel uſui deputata, vel quæ Ordinis Fratrum Minorum, quem fuiſti profeſſus, non exiſtant, necnon & quibuſcumque mobilibus bonis a te per Eccleſiam, ſeu Eccleſias licite acquiſitis pro decentibus & honeſtis expenſis tui funeris, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi ſervíverint, ſive ſint conſanguinei, ſeu alii, juxta ſervitii meritum teſtari, ac diſponere poſſis, & alias prius tuæ Eccleſiæ ære alieno deducto, ut ipſa Eccleſia non remaneat debitis obligata, de ipſis in pios uſus ac licitos convertendis Fraternitati tuæ plenam, & liberam, auctoritate præſentium, concedimus facultatem. Volumus tamen, ut in eorumdem Eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum, juxta quantitatem reſidui erga Eccleſias, a quibus eadem per-

percepiſti, te liberalem exhibeas, prout conſcientia tibi dictaverit, & ſaluti animæ tuæ videris expedire.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Idus Aprilis anno 1.

V.

Facultas fundandi Monaſterium Cuſtodiæ beatæ Mariæ Virginis Carnotenſis diœc. Reg. Vat. epiſt. 44.

Dilectis in Chriſto filiabus Julianæ Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii, quod Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis nuncupatur, ſiti in territorio Bleſen. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Ordinis ſanctæ Claræ Carnoten. diœc.

Conſtructi Monaſterii benefactores.

§. I. EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod olim dilectis in Chriſto filiabus nobilibus mulieribus Ælidæ, quondam Joannis de Caſtillione, & Joannæ filiæ ipſius Ælidia quondam Petri nati bonæ memoriæ Ludovici Regis Francorum Comitum Bleſen. relictis viduis Comitiſſis Bleſen. ſignificantibus felicis recordationis Martino Papæ prædeceſſori noſtro, quod dudum præfatus Joannes tunc vivens, & eadem Ælides de ſalute propria cogitantes ac intendentes in hoc Deo acceptabile ſervitium exhibere, quoddam Monaſterium in loco ubi nunc degitis, in fundo videlicet proprio, de diœceſani loci conſenſu propriis conſtruxerant ſumptibus, affectantes ſalubriter, in eodem Monaſterio decens eſſe Collegium Monialium Domino perpetuo famulantium, ſub obſervantia Regulæ, quam Sorores Monaſterii Humilitatis beatæ Virginis Mariæ ſiti juxta Pariſius ſervare noſcuntur, quamque dictus prædeceſſor, dum eſſet in minori officio conſtitutus, de mandato Apoſtolico duxerat corrigendam, & quod pro ſuſtentatione dictarum Monialium de bonis propriis redditus annuos, uſque ad valorem mille librarum Turonen. liberalitate pia & provida aſſignaverant, & in ædificatione ipſius Monaſterii, & officinarum ejus, quamdam non modicam quantitatem pecuniæ duxerant expendendam, ac humiliter & inſtanter ab eodem prædeceſſore petentibus, ut prædeceſſor ipſe in ſupradicto Monaſterio de Cuſtodia ipſius Virginis glorioſæ, juxta piam intentionem eorumdem Joannis, & Ælidis hujuſmodi decens Sororum Collegium ordinans, Monaſterium ipſum ſic eximere, quod alicui alii niſi Romano Pontifici non ſubeſſet, necnon eiſdem Sororibus præfatam Regulam tradere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

§. II. Idem prædeceſſor de probata induſtria dilecti filii noſtri I. tituli ſanctæ Cæciliæ Carnoten. plenam fiduciam obtinens, eidem Legato ſuis dedit litteris in mandatis, ut ſatisfacto prius Eccleſiæ Carnotenſi de temporali commodo, quod ſi dictum Monaſterium remaneret Eccleſiæ jam dictæ ſubjectum, eidem Eccleſiæ proveniret, Monaſterium ipſum cum perſonis, juribus & pertinentiis ſuis in jus & proprietatem beati Petri, auctoritate Apoſtolica, recipiens, illud ab omni ſubjectione quorumlibet Ordinariorum, ut nulli niſi Apoſtolicæ Sedi ſubjaceret, eximeret auctoritate præmiſſa, ſtatuendo certum cenſum a Monaſterio ipſo, ſeu perſonis ejuſdem certo termino ipſi Sedi ſolvendum annis ſingulis, ad indicium hujus libertatis ſicut expedire videretur. Congruum quoque

Monaſterium Apoſtol. Sedi declaratur immediate ſubjectum.

Sororum Collegium inibi ordinaret, ac præfatam Regulam Sororibus ipſis traderet, tam ab eis, quam ab omnibus aliis, quæ in eodem Monaſterio eis ſuccederent in perpetuum obſervandam, & quidquid ſuper

hoc

hoc duceret faciendum, eidem prædeceſſori per ſuas litteras intimaret. Dictus autem Legatus volens mandatum Apoſtolicum exequi reverenter, tam Venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum, & dilectos filios Decanum & Capitulum Carnoten. quos hujuſmodi negotium contingebat, quam prædictas Comitiſſas idem negotium proſequentes, dicto prædeceſſore vivente, ad ſuam propter hoc fecit præſentiam evocari.

§. III. Comparentibus itaque Procuratoribus partium coram Legato prædicto, ac memoratis Epiſcopo & Decano ac Capitulo exemptioni hujuſmodi ſe opponentibus, demum idem Legatus, poſt varios proceſſus coram eo ſuper hoc habitos inter partes, pronuntiavit, ſuadente juſtitia, de ſapientum conſilio, non obſtantibus allegationibus Epiſcopi, Decani, & Capituli prædictorum, quas frivolas merito reputavit, fore ad exemptionem procedendum prædictam, ſatisfacto primitus eidem Eccleſiæ do prædicto commodo temporali; & deinde dictus Legatus, quia ſibi plene conſtitit de præfato commodo temporali ſatisfactum, ac eumdem Epiſcopum ſatisfactionem hujuſmodi acceptaſſe, auctoritate prædictarum litterarum Apoſtolicarum præfatum Monaſterium veſtrum cum perſonis, juribus, & pertinentiis ſuis in jus & proprietatem Eccleſiæ Romanæ recepit, illudque ab omni ſubjectione Ordinariorum quorumlibet, ut nulli niſi Apoſtolicæ Sedi ſubjaceat, eximens, ſtatuit cenſum unius unciæ auri ab eodem Monaſterio veſtro in feſto beati Petri Principis Apoſtolorum ad indicium libertatis hujuſmodi, dictæ Sedi annis ſingulis perſolvendum, facultatibus inſuper ac ſtatu ejuſdem Monaſterii veſtri provida deliberatione penſatis, in eo quinquaginta Sororum Collegium ordinavit. Sed quia de ipſius Monaſterii veſtri ſtatu, propter ejus novitatem, certitudo plena nondum haberi poterat, tam Apoſtolicæ Sedi, quam ſibi ſuper augmentatione & diminutione hujuſmodi Sororum numeri poteſtatem plenariam reſervavit, ac eidem Monaſterio te filia Juliana, tunc ejuſdem Monaſterii Sororem, in Abbatiſſam præfecit, cui, tuiſque ſuccedentibus canonice in regimine ipſius Monaſterii vos filiæ Comitiſſæ, & aliæ Sorores, quæ in eodem Monaſterio pro tempore fuerint, juxta præfatæ Regulæ obſervantiam, quam vobis obſervandam in perpetuum ſuarum litterarum tenore, auctoritate prædicta, tradidit, teneamini cum reverentia obedire. Ac poſtmodum idem Legatus, cum non poſſet ad idem Monaſterium, propter ſui corporis infirmitatem accedere, dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Leodomari Bleſen. Carnoten. diœceſis, & fratri Richardo de Columbero de Ordine Minorum, Pœnitentiario & Capellano ſuo per ſuas ſub certa forma dedit litteras in mandatis, ut ipſi, vel eorum alter ad dictum Monaſterium veſtrum perſonaliter accedentes, hujuſmodi proceſſum & ordinationem ejuſdem Legati tam in eodem Monaſterio, quam alias ubi & quando eis videretur expediens, publicarent, eumdem proceſſum executioni debitæ demandando; & tamdem Abbas & frater Richardus prædicti hujuſmodi proceſſum & ordinationem ipſius Legati executioni demandare diligenter & ſollicite ſtuduerunt.

Cenſus ſolvendus.

Legatus ſuos viceſgerentes conſtituit ad Monaſterium inviſendum.

§. IV. Dicto autem prædeceſſore rebus humanis exempto, præfatus Legatus præmiſſa omnia felicis recordationis Honorio Papæ IV. prædeceſſori noſtro, prout ab eodem prædeceſſore Martino in mandatis habuerat, per ſuas litteras intimavit. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod a præfato Legato in præmiſſis, tam quoad receptionem ipſius Monaſterii cum perſonis, juribus, & pertinentiis in jus & proprietatem beati Petri, necnon & quoad exemptionem ab omni ſubjectione

Decreta ejuſdem Legati confirmata.

ne quorumlibet Ordinariorum, ita ut nulli niſi Sedi Apbſtolicæ ſubjaceat, quam quoad cenſum annuum, numerumque Monialium ſtatutum per ipſum in Monaſterio ſupradicto, & Abbatiſſam in ea præfectam, & regulam ipſis traditam ab eis & ſucceſſuris eiſdem in perpetuum obſervandam, taliter factum eſt, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Litterarum Legati tenor. §. V. Tenorem prædictarum litterarum ejuſdem Legati præfato Honorio prædeceſſori noſtro, ut præfertur, directarum de verbo ad verbum inſeri facientes, qui talis eſt. *Sanctiſſimo Patri ac Reverendiſſima Domino ſuo, Domino Honorio, ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, devotus ejus ſervus & filius Joannes, Dei permiſſione tituli ſanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis, cum humili recommendatione ſui devotiſſima pedum oſcula beatorum. Dudum felicis recordationis Domini Martini Papæ IV. prædeceſſoris veſtri recepi litteras in hæc verba. Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Joanni &c. ſanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lecta nobis dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Ælidis quondam Joannis de Caſtillione, & Joannæ filiæ ipſius Ælidis quondam Petri nati bonæ memoriæ Ludovici Regis Francorum Comitum Bleſen. petitio continebat, quod dudum præfatus Joannes tunc vivens, & Ælides de ſalute propria cogitantes, ac intendentes in hoc Deo acceptabile ſervitium exhibere, quoddam Monaſterium, quod Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis nuncupatur in territorio Bleſen. prope Colonges, in fundo videlicet proprio Carnoten. diœceſis de diœceſani loci conſenſu, propriis conſtruxerant ſumptibus, affectantes ſalubriter in eodem Monaſterio decens eſſe Collegium Monialium, Domino perpetuo famulantium ſub obſervantia Regulæ, quam Sorores Monaſterii Humilitatis beatæ Virginis Mariæ ſiti juxta Pariſius ſervare noſcuntur, quamque per nos, dum eſſemus in minori officio conſtituti, de mandato Apoſtolico duxerat corrigendam, & quod pro ſuſtentatione dictarum Monialium de bonis propriis redditus annuos uſque ad valorem mille lib. Turonen. liberalitate pia & provida aſſignaverant, in ædificatione Monaſterii & officinarum ejus triginta ſex millia librarum Turonen. expenderant. Quare humiliter & inſtanter fuit a nobis pro dictarum Comitiſſarum parte petitum, ut in ſupradicto Monaſterio de Cuſtodia ipſius Virginis glorioſæ, juxta piam intentionem eorumdem Joannis & Ælidis hujuſmodi decens Sororum Collegium ordinantes, Monaſterium ipſum ſic eximere, quod alicui alii niſi Romano Pontifici non ſubeſſet, necnon eiſdem Sororibus præfatam Regulam tradere, de benignitate Apoſtolica curaremus. Nos itaque de tua probata induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſatisfacto primitus Eccleſiæ Carnoten. de temporali commodo, quod ſi dictum Monaſterium remaneret Eccleſiæ immediate ſubjectum, eidem Eccleſiæ proveniret, Monaſterium ipſum cum perſonis, juribus, & pertinentiis ſuis in jus & proprietatem beati Petri auctoritate noſtra recipiens, illud ab omni ſubjectione quorumlibet Ordinariorum, & nulli niſi Apoſtolicæ Sedi ſubjaceret, eximeres auctoritate præmiſſa. Statuendo certum cenſum a Monaſterio ipſo, ſeu perſonis ejuſdem certo termino ipſi Sedi ſolvendum annis ſingulis ad indicium hujus perceptæ libertatis, ſicut expedire videris. Congruum quoque Sororum Collegium inibi ordines, ac præfatam Regulam ipſis Sororibus tradas, tam ab eis, quam ab omnibus aliis, quæ in eodem Monaſterio eis ſuccederent in perpetuum obſervandam. Quidquid autem ſuper hoc duxeris fa-*

Digitized by Google

faciendum nobis, per tuas litteras tenorem præſentiam continentes, ſtudeas intimare. Datum Peruſii VI. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno IV. Quibus quidem litteris, cum ea qua decuit, devotione receptis, mandatum Apoſtolicum mihi in hac parte directum exequi cupiens reverenter, venerabilem in Chriſto Patrem Epiſcopum, ac dilectos viros Decanum & Capitulum Carnoten. quos negotium hujuſmodi contingere videbatur, necnon & prædictas Comitiſſas idem negotium proſequentes, litterarum ipſarum auctoritate feci coram me, propter hoc ante ipſius mandatoris obitum evocari. Partibus itaque per Procuratores idoneos in mea, propter hoc præſentia conſtitutis, dictiſque Epiſcopo, Decano & Capitulo ſe ordinationi opponentibus ſupradictæ, tamdem poſt varios proceſſus coram me ſuper hoc habitos inter partes, ſuadente juſtitia pronunciavi de ſapientum conſilio; non obſtantibus allegationibus Epiſcopi, Decani, & Capituli prædictorum, quas merito reputaveram frivolas, fore ad exemptionem hujaſmodi procedendum, præfatæ tamen Eccleſiæ de dicto temporali commodo, juxta hujuſmodi Apoſtolici mandati tenorem, primitus ſatisfacto. Ac demum quia mihi plene conſtitit ſatisfactum fuiſſe poſtmodum ipſi Eccleſiæ de hujuſmodi commodo temporali, ac eumdem Epiſcopum poſtea ſatisfactionem hujuſmodi acceptaſſe, ego ad conſummationem tam pii operis deſideranter aſpirans, præfatum Monaſterium de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis, cum perſonis, juribus, & pertinentiis ſuis in jus & proprietatem beati Petri, & noſtra auctoritate prædicta, litterarum mearum tenore, recepi, & illud eadem auctoritate ab omni ſubjectione Ordinariorum quorumlibet, ut nulli alii niſi Apoſtolicæ Sedi ſubjaceat, eximens, cenſum unius unciæ auri a dicto Monaſterio de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis, ſeu perſonis ejuſdem in feſto ipſius Apoſtoloram Principis ad indicium libertatis hujuſmodi dictæ Sedi annis ſingulis perſolvendum. Facultatibus quoque ac ſtatu ejuſdem Monaſterii de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis, ea qua tunc potui deliberatione penſatis, ordinavi in ipſo Monaſterio quinquaginta Sororum Collegium. Sed quia de ipſius Monaſterii de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis ſtatu, propter ejus novitatem certitudo plena nondum haberi poterat, tam Apoſtolicæ Sedi, quam mihi ſuper augmentatione & diminutione hujuſmodi Sororum numeri poteſtatem reſervavi, ac eiſdem Sororibus, & Monaſterio religioſam mulierem Julianam de Trecis, tunc Sororem præfati Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Virginis, in Abbatiſſam præfeci, cui & ſuccedentibus ei canonice in hujuſmodi regimine Abbatiſſæ, dictæ Sorores & aliæ, quæ in eodem Monaſterio pro tempore fuerint, juxta præfatæ regulæ obſervantiam, quam vobis obſervandam in perpetuum hujuſmodi litterarum mearum tenore, auctoritate Apoſtolica tradidi, obedire cum reverentia debita teneantur. Ac poſtmodum cupiens, ut hujuſmodi proceſſus meus debitum ſortiretur effectum, cum ad ipſum Monaſterium de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis nequirem, propter proprii corporis infirmitatem accedere, religioſis viris Abbati Monaſterii ſancti Leodomari Bleſen. Carnoten. diœceſis & fratri Richardo de Columbero de Ordine Minorum Capellano & Pœnitentiario meo per meas ſub certa forma mandavi litteras, ut ipſi, vel eorum alter ad dictum Monaſterium de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis perſonaliter accedentes, hujuſmodi proceſſum & ordinationem meam, tam in dicto Monaſterio de Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis, quam alias ubi & quando eis videretur expediens, publicarent, eumdem proceſſum executioni debitæ demandando; & tamdem Abbas, & frater Richardas prædicti hujuſmodi proceſſum, & ordinationem ipſias Legati executioni demandare diligenter & ſollicite ſtuduerunt, prout hæc omnia in inſtrumento publico meis & ipſorum Abbatis & fratris Richardi patentibus litteris plenius

nius continetur. Cum autem præfatus prædeceſſor mihi per prædictas ejus mandaverit litteras, ut quidquid facerem in præmiſſis, ei per meas litteras intimarem, ut ſuperius eſt expreſſum, hujuſmodi proceſſum vobis, quos Dei providentia eidem prædeceſſori ſubſtituens, ad apicem Apoſtolatus aſſumpſit, curavi tenore præſentium intimare. Dominus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ utrumque in vobis conſervet hominem per tempora longiora. Datum apud Vallem Gerardi prope Pariſius xv. *Kalendas Martii, Pontificatus veſtri anno* II.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apòſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Kal. Maii, anno I.

VI.

Prohibet aliarum religionum Monaſteria Aſſiſii ædificari. Regeſt. Vatic. epiſt. 34.

Miniſtro Provinciæ, & Cuſtodi ſancti Franciſci, ac Fratribus Ordinis Minorum de Aſiſio.

Aſſiſii Civitas à SS. Franciſco & Clara decorata.

§. I. DUm ſollicitæ conſiderationis indagine perſcrutamur, quod Rex ille munificus, qui dat affluenter, & non improperat, quique perſonas, & loca fidelium donis proſequitur, gratiis prævenit, attollit honoribus juxta ſuæ inſcrutabilis beneplacitum voluntatis, civitatem Aſſiſii multipliciter honoravit, glorioſa beatorum Franciſci Confeſſoris, & Claræ Virginis corpora in ea benignius collocando.

Aliud Conſtitut. motivum.

§. II. Dum etiam ſedulo intra pectoris clauſtra revoluimus, quod vos mundanis opibus derelictis, quæ cum blandiuntur illudunt, extremæ paupertatis amplectentes inſignia, victum vobis piæ mendicitatis ſtudio vendicatis, quodque nonnullæ aliæ Ordinum diverſorum perſonæ ſibi per eleemoſynam neceſſaria vitæ quærunt, veſtro libenter ſtatui providemus, ut eo commodius divinis inſiſtatis obſequiis, quo ſtatus ipſe uberiori fuerit tranquillitate ſuffultus, ac per habitatores civitatis ejuſdem, quorum erga prædictos Fratres noſcitur fervere devotio, veſtris contingat abundantius neceſſitatibus ſubveniri. Inde fit, quod nos Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut nulli omnino mulierum mendicantium, vel non mendicantium, ſeu aliarum quarumlibet, aut religioſorum mendicantium Ordini liceat Oratorium, Monaſterium, Eccleſiam, vel locum religioſum in Civitate prædicta, vel ejus ſuburbiis, ſeu etiam extra ipſam infra ducentarum cannarum ſpatium quocumque modo habere: quodque nullus penitus de Ordinibus non mendicantibus poſſit in civitate ac ſuburbiis memoratis, ſeu extra illa infra prædictum ſpatium Oratorium, Monaſterium, Eccleſiam, vel religioſum locum de novo acquirere, ſive conſtruere, vel ædificare, aut ab alio vel aliis conſtructum vel ædificatum habere quomodolibet, vel tenere.

§. III. Per hoc autem Ordinibus illis non mendicantibus, qui Oratoria, Monaſteria, Eccleſias vel loca religioſa in Civitate ac ſuburbiis ſupradictis ad præſens obtinere noſcuntur, nequaquam intendimus aliquod præjudicium generari, quin ea retinere libere & habere, ipſiſque, prout conſueverunt hactenus, uti poſſint, ac etiam ædificare in illis, & habere

Con-

Conventum ſui dumtaxat Ordinis in eiſdem; transferendi ea in religioſos alios, dictis Ordinibus non mendicantibus licentia penitus interdicta. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, ac nullius prorſus eſſe momenti, ſi quid contra hujuſmodi ſtatutum & ordinationem noſtra, quacumque auctoritate, a quoquam fuerit attentatum. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum 11. Kal. Maii, anno 1.

VII.

Idem ſtatuit circa Monialium Monaſteria, Ibid. epiſt. 35.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Claræ de Aſſiſio.

DUm ſollicitæ conſiderationis indagine &c. *ut in præcedenti mutatis competenter mutandis uſque ad finem*. Datum ut ſupra.

VIII.

Ut Eccleſiam ſancti Franciſci nullus ſubjiciat interdicto. Reg. Vatic. epiſt. 38.

Miniſtro Provinciæ, ac Cuſtodi ſancti Franciſci, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Aſſiſio.

§. I. PRæclara glorioſiſſimi beati Franciſci merita, quibus univerſalis Eccleſia quaſi quodam ſingulari fulgore prærutilat, ſedulæ conſiderationis indagine perluſtrantes, & recogitantes attentius copioſos ſalutis fructus, qui ex Ordine veſtro proveniunt fidelium animabus, dignum & rationi conſonum, quinimo debitum arbitramur, ut Eccleſia, quæ in civitate Aſſiſii in ejuſdem Sancti honore fundata & dedicata dignoſcitur, & in qua corpus ejus ſanctiſſimum requieſcit, favoribus foveamus eximiis, condignis proſequamur honoribus, & ſpiritualibus gratiis ac privilegiis muniamus.

§. II. Hinc eſt quod nos propter ipſius Sancti reverentiam, volentes prædictam Eccleſiam, quæ totius Ordinis veſtri caput exiſtit, ſpecialiter honorare, ut nullus omnino Eccleſiam ipſam, quæ nulli niſi Romano Pontifici eſt ſubjecta, & totum locum ipſius cum pertinentiis ſuis Eccleſiaſtico ſupponere valeat interdicto, abſque ſpeciali & expreſſo Apoſtolicæ Sedis mandato faciente plenam, certam, determinatam & expreſſam de indulto hujuſmodi, Eccleſia & loco prædictis, ac etiam de nomine dilecti filii noſtri M. ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, cui Fratrum ejuſdem Ordinis gubernatio, protectio, & correctio per Sedem Apoſtolicam ſunt commiſſæ, aut ejus, cui eas in poſterum committi contigerit, mentionem; quodque cujuslibet interdicti tempore, etiamſi per Sedem ipſam, vel litterarum ejus auctoritate fuerit promulgatum, liceat vobis in eadem Eccleſia, & infra locum prætactum clauſis januis, interdictis & excommunicatis ejectis, celebrare divina, & alta voce cantare, ac alia Eccleſiaſtica ſacramenta in eadem Eccleſia, & infra locum recipere prælibatum, vobis auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum ut ſupra.

IX. *Si-*

Digitized by Google

IX.

Similiter concedit pro Eccleſia Portiunculæ. Ibid. epiſt. 39.

Miniſtro Provinciæ beati Franciſci, Guardiano, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Portiuncula prope Aſſiſium.

SUmmæ devotionis affectus, quem ad beatum Franciſcum glorioſiſſimum Confeſſorem ab ipſius juventutis noſtræ primodiis habuimus, & habemus, noſtrum inſtanter ſollicitat animum, ut Eccleſiam beatæ Mariæ de Portiuncula, in qua obſequiis divinis inſiſtitis, dictuſque Confeſſor dum eſſet in ſeculo, non modicam moram traxit, favoribus proſequamur uberibus, & ſpiritualibus gratiis honoremus. Hinc eſt, quod nos propter ipſius Sancti reverentiam, volentes circa eamdem Eccleſiam Apoſtolicæ munificentiæ januam aperire, ut nullus prædictam Eccleſiam & totum locum ipſius, cum pertinentiis ſuis Eccleſiaſtico ſupponere valeat interdicto &c. *ut in præcedenti mutatis mutandis uſque in finem.*

Datum ut ſupra.

X.

Ut oblationes quæ fiunt in Eccleſiis ſancti Franciſci & Portiunculæ convertantur in uſus fabricæ & Fratrum. Reg. Vatic. epiſt. 40.

Miniſtro Provinciæ, & Cuſtodi beati Franciſci.

§. I. REducentes ad ſedulæ conſiderationis examen, quod continua Eccleſiæ beati Franciſci de Aſſiſio conſervatio non modicum noſcitur ſumptuoſa, & quod ad eam, in qua ipſius Sancti corpus glorioſiſſimum requieſcit, ac etiam ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Portiuncula ob ipſius Sancti reverentiam innumera Fratrum veſtri Ordinis confluit multitudo, quodque Aſſiſii civitas brevi concluditur ſpatio, & propterea minus ſufficiens redditur ad ſubventionem Fratrum ipſorum neceſſitatibus impendendam, paternæ ſollicitudinis ſtudio ducimur, ut ſuper his proviſionis opportunæ remedium apponamus.

§. II. Cum itaque noſtræ intentionis exiſtat, ut omnia, quæ in quibuſcumque pecuniis, ſeu monetis in Eccleſiis ſive locis eiſdem a Chriſti fidelibus offeruntur, in hujuſmodi conſervationem ejuſdem Eccleſiæ ſancti Franciſci, ac ſubventionem Fratrum ad Eccleſias confluentium ſupradictas, & eorum etiam, qui commorantur inibi, convertantur: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus aliquam vel aliquas perſonas idoneas, & fideles, de qua vel quibus expedire videritis, & quæ de veſtro Ordine non exiſtant, nomine Romanæ Eccleſiæ, ac pro ipſa quotiens, & prout expedire putabitis, deputare, ac in ipſorum loco aliam vel alias perſonas de Ordine non exiſtentes eodem, ſicut & quotiens vobis videbitur, ſubrogare curetis, quæ prædicta omnia, quæ in quibuſcumque pecuniis ſeu monetis in Eccleſiis ſive locis præfatis a Chriſti fidelibus, prout præmittitur, offeruntur, ſollicite colligant, diligenter cuſtodiant & conſervent. Datum ut ſupra.

XI. *Com-*

XI.

Committit circa prædicta auctoritatem Miniſtris. Reg. Vatic. epiſt. 42.

Generali Ordinis Fratrum Minorum, & Provinciæ ſancti Franciſci Miniſtris.

Reducentes ad ſedulæ conſiderationis examen &c. ut in præcedenti mutatis competenter mutandis uſque *inibi convertantur*. Tibi Miniſter Provinciæ, ac etiam dilecto filio Cuſtodi beati Franciſci per alias noſtras litteras iujungimus, ut aliquam vel aliquas perſonas &c. uſque *diligenter cuſtodiant & conſervent*. Habentes itaque de circumſpectione veſtra fiduciam in Domino ſpecialem, vobis filii Miniſtri, & utrique veſtrum communiter & diviſim ex nunc præſentium auctoritate committimus, ut de oblationibus ſeu eleemoſynis ſupradictis poſſitis, de diſcretorum Fratrum ejuſdem Eccleſiæ ſancti Franciſci conſilio, facere conſervari, reparari, ædificari, emendari, ampliari, aptari & ornari præfatas Eccleſias, & loca earum, eum & prout veſtra diſcretio videbit expedire, ac ſi aliquod de oblationibus & eleemoſynis prælibatis reſiduum fuerit, in neceſſitates Fratrum ad Eccleſias & loca confluentium prælibata, & eorum etiam, qui commorantur inibi cum integritate converti, donec per nos vel ſucceſſores noſtros Pontifices, per eorum patentes litteras, & Apoſtolica bulla munitas, aliud in hac parte contigerit ordinari. Datum ut ſupra.

XII.

Eximit Ordinem Minorum a quorumcumque jurisdictione, & ſubjicit immediate Sedi Apoſtolicæ. Spec. Min. tract. 2. fol. 34. Roderic. bulla 10. Arch. Aracœl. in bulla originaria num. 20.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Quia nonnulli, qui hæſitare ſe aſſerunt, ubi non eſt aliquatenus hæſitandum, dum in malignitatis aſtutia in dubium revocare conantur, utrum vos & Ordo veſter exemptionis privilegio gaudeatis, & an juris & proprietatis beati Petri, ac etiam a cujuſvis alterius juriſdictione prorſus exempti, & tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, quorum vobis uſum habere licet, immediate ſubjecti Sedi Apoſtolicæ exiſtatis, quantumcumque vobis & eidem Ordini per diverſos prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices ſuper his plene, ſicut aſſeritis, ſit proviſum: Nos veſtræ & ejuſdem Ordinis providere quieti paternæ ſollicitudinis ſtudio intendentes, ſicque volentes ſuper hoc omnem dubitationis, ambiguitatis, & querelæ materiam funditus amputare, ne quis vos & eumdem Ordinem ſuper exemptione hujuſmodi, ac aliis veſtris, & ipſius Ordinis libertatibus & immunitatibus quibuſcumque, vobis & ei ab Apoſtolica Sede conceſſis impugnare valeat, vel quomodolibet moleſtare: vos & Ordinem ipſum a cujuſvis alterius juriſdictione omnimoda prorſus eximimus de gratia ſpeciali, decernentes vos & eumdem Ordinem immediate Sedi ſubjacere prædictæ, Eccleſias vero & Oratoria, domos, loca, libros, utenſilia & alia mobilia & immobilia, quorum uſum habetis ex licito, cum ceteris quocumque modo pertinentibus ad prædicta, & ali-

aliquod prædictorum, in jus & proprietatem beati Petri, Apoſtolica auctoritate, ſuſcipimus, illis ex eis dumtaxat exceptis, in quibus expreſſe donatores, ſeu translatores ſibi proprietatem & dominium conſtiterit reſervaſſe. Præterea Eccleſias, Oratoria, domos, & loca prædicta, quæ tenetis & inhabitatis, & tenebitis & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illa tenere & inhabitare contigerit, eſſe omnino exempta decernimus, nulloque medio Sedi memoratæ ſubeſſe. Nulli ergo noſtræ exemptionis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum 11. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno 1.

XIII.

Prohibet ne Minores ad alias Religiones tranſeuntes in iis poſſint habere ullas dignitates aut officia. Arch. Arac. ſub plumbo bulla 23. Specul. Min. tract. 2. fol. 33. Roderic. bulla 4.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. IN veſtri Ordinis regula per Sedem Apoſtolicam confirmata, inter cetera continetur, quod eam profeſſis de ipſa egredi nullo modo licebit, nec vobis licentiandi & abſolvendi ab Ordine ipſo poteſtas tribuitur ex regula ſupradicta. Sed nonnulli Ordinis veſtri Fratres poſt factam in ipſo profeſſionem, ab eis infirmitate mentita, & aliis confectis mendaciis, ac per malignitatis aſtutias occaſionibus variis adinventis, & ambitionibus creſcentibus in eiſdem, a ſuperioribus ſuis interdum exeundi de Ordine ipſo licentiam poſtulant, eamque obtinent ab eiſdem. Interdum vero illicentiati exeunt de eodem ad alios Ordines convolantes, in quibus ad dignitates, prælaturas & officia aſſumuntur, non ſine propriæ ſalutis diſpendio, & derogatione non modica honeſtatis Ordinis memorati.

§. II. Nos itaque volentes huic morbo congruæ medelæ remedium adhibere, & animarum obviare periculis, & evagandi materiam amputare: auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut Fratres veſtri Ordinis, qui poſt profeſſionem ab eis in ipſo Ordine factam, ad quoſcumque Ordines alios profeſſionis cujuslibet, petita vel non petita, obtenta vel non, a ſuis ſuperioribus licentia immediate, vel per alium ſeu alios Ordines mediate tranſiverunt jam ſive tranſiverint, in Ordine vel Ordinibus, ad quem, vel ad quos tranſitum habuerunt, aut eos impoſterum habere contigerit, vel etiam extra illos, ad nullam omnino adminiſtrationem vel officium curam animarum habentia, nec etiam aliquam dignitatem vel prælaturam, ſeu perſonatum quoquomodo poſſint aſſumi abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali & expreſſa licentia, per ipſius Sedis patentes litteras concedenda, facientes plenam, certam & determinatam de ſtatuto & ordinatione hujuſmodi mentionem. Nos enim nihilominus ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus in hac fuerit attentatum.

Nulli ergo noſtræ ordinationis & inſtitutionis &c. Si quis &c. Datum Reate 11. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno 1.

XIV. *Mor-*

XIV.

Mortuo Generali, ne fiat Vicarius generalis abſque Pontificis licentia. Specul. Min. tract. 1. fol. 13. Roderic. bulla 2.

Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

QUoniam revocatur a vobis in dubium, prout veſtræ devotionis aſſertio profitetur: an Generali veſtri Ordinis decedente Miniſtro, poſſit per Ordinem ipſum Generalis inſtitui, vel ordinari Vicarius, donec hujuſmodi Miniſtri electio fuerit ſubſecuta? nos diligentius attendentes, quod in eodem Ordine a ſuæ inſtitutionis exordio, nullus omnino præter unum dumtaxat, eſt habitus poſt Miniſtri Generalis obitum Vicarius Generalis, & nolentes, quod in hac parte dubitatio aliqua ulterius vendicet ſibi locum, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, ac diſtrictius inhibemus, ne Generalis Ordinis ſupradicti Vicarius,nullo Generali Miniſtro exiſtente,aliquatenus conſtituatur, vel aſſumatur, abſque Romani Pontificis, & dilecti filii noſtri M. ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, cui gubernatio, protectio & correctio Fratrum ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam ſunt commiſſæ, vel ejus cui eas in futuro committi contigerit, licentia ſpeciali, per ipſius Romani Pontificis patentes litteras concedenda, facientes plenam & expreſſam de ſtatuto, ordinatione, ac inhibitione hujuſmodi mentionem. Nos enim nihilominus irritum decernimus atque inane, ac nullius exiſtere firmitatis, ſi ſecus ſuper hoc fuerit quomodolibet attentatum. Nulli ergo &c.

Datum Reate II. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno I.

XV.

Quomodo ſe gerere debeant tempore interdicti. Arch. Aracœli ſub plumbo num.21. Specul. Min. tract. 2. fol.28. Roderic. bulla 5.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum.

MEritis veſtræ religionis inducimur, ut petitionibus veſtris in his, quæ animarum ſalutem continent, favorabiliter annuamus. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod contingit interdum, Civitates & alia loca, in quibus habitatis, ſuppoui Eccleſiaſtico interdicto: & non obſtantibus aliquibus privilegiis ſeu indulgentiis quibuſcumque Religioſis ab Apoſtolica Sede conceſſis (exceptis baptiſmate parvulorum & pœnitentiis morientium) omnia in eis Eccleſiaſtica ſacramenta prohiberi, propter quod ſine conſcientiarum veſtrarum diſpendio confiteri peccata, & ab ipſis abſolvi, ac divina celebrare officia, interdicto durante hujuſmodi, non poteſtis, nec etiam Euchariſtiæ ac unctionis extremæ in mortis articulo recipere ſacramenta, ſuper quo per Sedem Apoſtolicam humiliter vobis de ſalutari remedio provideri poſtulaſtis. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, ut tempore talis interdicti, veſtra confiteri peccata & ab ipſis abſolvi, ac ſimul legere divinum officium, miſſas celebrare januis clauſis, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, excommunicatis & interdictis, ac omnibus perſonis, quæ non ſunt de Ordine veſtro excluſis: necnon temporibus conſuetis juxta morem ve-

veſtri Ordinis, ſacræ communionis & unctionis extremæ ſacramenta recipere: prohibitione hujuſmodi ſeu aliquibus litteris ſuper hoc a Sede prædicta impetrandis, quæ de Ordine prædicto, & hac indulgentia ſpecialem non fecerint mentionem, nequaquam obſtantibus, valeatis, auctoritate præſentium vobis indulgemus. Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c.

Datum Reate VIII. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno 1.

XVI.

Concedit amplum privilegium Clariſſis territorii Bleſenſis. Reg. Vatic. epiſt. 128.

Dilectis in Chriſto filiabus Julianæ Abbatiſſæ Monaſterii, quod Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis nuncupatur, ſiti in territorio Bleſen. ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Acta per Cardinalem Legatum recenſentur.

§. I. Olim dilectus filius noſter Joannes tit. ſanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Legatus in Regno Franciæ, Apoſtolicæ auctoritate mandati ſuper hoc ſpecialiter ſibi directi, Monaſterium veſtrum, quod quondam Joannes de Caſtillione dum viveret, Comes, & dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Ælidis vidua relicta ipſius, Comitiſſa Bleſen. in fundo proprio, de diœceſani loci conſenſu, propriis conſtruxerant ſumptibus, cuique de bonis ſuis certos annuos redditus deputaverant, ſatisfacto primitus Carnoten. Eccleſiæ de temporali commodo, quod ſi dictum Monaſterium remanſiſſet Eccleſiæ ipſi ſubjectum, eidem Eccleſiæ proveniret, ac per venerabilem Fratrem noſtrum Carnoten. Epiſcopum, ſatisfactione hujuſmodi acceptata, cum perſonis, juribus & pertinentiis ſuis in jus & proprietatem beati Petri recipiens, illud a ſubjectione quorumlibet Ordinariorum, ut nulli niſi Apoſtolicæ Sedi ſubjaceret, exemit, ſtatuentes annuum cenſum unius unciæ auri eidem Sedi, a dicto Monaſterio perſolvendum, & in eo penſatis ipſius facultatibus, certum Sororum Collegium ordinavit, ac eis & eidem Monaſterio te, filia Juliana, tunc Sororem Monaſterii Humilitatis beatæ Virginis Mariæ ſiti juxta Pariſius in Abbatiſſam præficiens, regulam, quam Sorores ejuſdem Monaſterii Humilitatis beatæ Virginis Mariæ ſervare noſcuntur, olim per fel. rec. Martinum Papam prædeceſſorem noſtrum, dum adhuc in minori officio eſſet conſtitutus, de Apoſtolico mandato correctam vobis tradidit, tam a vobis, quam ab omnibus aliis, quæ in eodem Monaſterio vobis ſucceſſerint, in perpetuum obſervandam.

Quæ a Pontifice confirmantur.

§. II. Licet autem nos, quod in præmiſſis ab eodem Legato factum extitit, ratum & gratum habentes, illud per alias noſtras ſub certa forma litteras duximus confirmandum: volentes tamen circa hoc vobis & dicto veſtro Monaſterio ſpecialius & plenius provideri, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ipſum Monaſterium veſtrum, cum Conventu, & omnibus perſonis, quæ ibidem divino ſunt obſequio mancipatæ, ac domibus infra ipſius Monaſterii ſepta conſtructis, & univerſis pertinentiis eorumdem in jus & proprietatem ejuſdem beati Petri, & prædictæ Sedis recepimus, illud ab omni juriſdictione, poteſtate & dominio tam Epiſcopi Carnoten. in cujus diœceſi Monaſterium ipſum ſitum eſt, & Archiepiſcopi Senonen. Metropolitani ejuſdem, & Capitulorum ſuorum, quam cujuslibet alterius Prælati, ſeu Eccleſiæ ſecularisve perſonæ totaliter per-

Google

perpetuo, ex certa ſcientia eximentes, ita quod nec iidem Archiepiſcopus & Epiſcopus, nec quævis alia perſona ipſum, utpote prorſus exemptum, & Eccleſiæ Romanæ immediate ſubjectum, nec perſonas inibi Domino famulantes, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, ſeu quocumque modo alias in præfatum Monaſterium veſtrum vel perſonas ipſius poteſtatem vel juriſdictionem aliquam exercere, ac decernentes, ut hujuſmodi exemptio taliter per nos facta, & alia omnia in privilegio præſenti contenta plenum robur obtineant firmitatis, etiamſi de prædictis, quæ ab eodem Lægato, ut præmittitur, acta ſunt, neque prædictæ confirmationis noſtræ litteræ, neque alia quævis ſcriptura ſeu probatio apparerent.

§. III. Statuimus inſuper ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & prædictam Regulam Humilitatis beatæ Mariæ Virginis in eodem Monaſterio veſtro inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quæcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, quæ idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & eis quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis. Ex dono præfati Comitis annuum redditum ducentarum librarum Duronen. quem percipitis in porta Bleſen. & aliis redditibus Comitatus Bleſen. Grangiam *Sublemars*, quæ *Tomba* vulgariter appellatur, & aliam Grangiam ſitam in territorio dictæ Tombæ, cum pertinentiis ſuis. Grangiam de Origni cum pertinentiis & appendiciis ſuis. Duo arpenta prati ſiti juxta rivum de Choiſi, quæ fuerunt quondam Thomæ de Boſco. In territorio *Daſmieres* vineas, quæ fuerunt quondam Willelmi Goatias, domum, terras, poſſeſſiones & quidquid juris habetis in territorio, quod dicitur *Lauberore*. Tria ſtagna aquarum, quæ fuerunt quondam Rodulphi de Ponte Militis, ſita inter Promeroy, & ſanctum Ludinum, cum omnibus pertinentiis & appendiciis ſuis. In foreſta de Bleſis ſita juxta præfatum Monaſterium veſtrum, uſum incidendi & faciendi incidi ligna veſtris uſibus opportuna; & in eadem foreſta uſum paſcuorum pro beſtiis, & animalibus veſtris. In foreſta, quæ *Boloigne* vulgariter appellatur, uſum incidendi ligna ad ædificandum & retinendum domos & officinas vobis, & eidem Monaſterio opportunas, & alias poſſeſſiones, redditus, & quidquid juris in prædicta diœceſi Carnoten. dictum Monaſterium veſtrum noſcitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuvagiis & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis.

Loca ad Monaſterium pertinētia.

§. IV. Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Illud diſtrictius inhibentes, ne terras, ſeu quodlibet beneficium vobis ſeu Monaſterio veſtro collatum, liceat alicui perſonaliter dari, ſeu alio modo alienari, abſque conſenſu totius Capituli, vel majoris aut ſanioris partis ipſius. Si quæ vero donationes aut alienationes aliter, quam dictum eſt, factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. Pro conſecrationibus vero altarium vel Eccleſiæ ve-

Præcepta facta Monialibus, & Privilegia conceſſa.

veſtræ, ſive pro oleo ſancto, vel quomodolibet Eccleſiaſtico ſacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis Epiſcopus diœceſanus vobis impendat. Alioquin liceat vobis hæc omnia, auctoritate noſtra, recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis obtinente. Cum igitur generale interdictum fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, divina officia celebrare, dummodo cauſam non dederitis interdicto. Obeunte autem te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel earum aliqua, quæ tibi ſucceſſerit, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia, præponatur, niſi quam Sorores ejuſdem Monaſterii communi conſenſu vel earum major pars conſilii ſanioris, ſecundum Deum & præfatam Regulam providerint eligendam. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum vel perſonas regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis, excommunicationis & interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, Apoſtolica auctoritate prohibemus, ut infra clauſuras locorum vel grangiarum veſtrarum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Monaſterio prætacto conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a præfato Comite Bleſen. vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed ea omnia integra conſerventur, earum pro quarum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam unciam auri nobis, & noſtris ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, & primo, ſecundo, tertiove monita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Privilegia ab aliis Pontificibus conceſſa confirmantur.

Ego Nicolaus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Frater Latinus Oſtien. & Velletren. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Berardus Præneſtin. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Frater Bentivenga Albanen. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Bernardus Portuen. & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Joannes Tuſculan. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Frater Matthæus tit. ſancti Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Frater Hugo tit. ſanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego

Ego Matthæus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Jacobus ſanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Neapoleo ſancti Adriani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus ſancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus ſancti Euſtachii Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Reate per manum Magiſtri Joannis Decani Bajocen. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii III. Nonas Septembris, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXXXVIII. Pontificatus vero Domini Nicolai Papæ IV. anno I.

XVII.

Concedit eis Regulam Clariſſarum. Reg. Vatic. epiſt. 129.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Sororum Minorum incluſarum Monaſterii, quod Cuſtodia beatæ Mariæ Virginis nuncupatur, ſiti in territorio Bleſen. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Carnoten. diœc.

§. I. Olim dilectus filius noſter Joannes tituli ſanctæ Cæciliæ Prebyter Cardinalis in regno Franciæ Apoſtolicæ Sedis Legatus, Apoſtolici auctoritate mandati, Regulam, quam Sorores Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Virginis ſiti juxta Pariſius ſervare noſcuntur, quamque felicis recordationis Urbanus Papa prædeceſſor noſter Sororum Minorum incluſarum ſtatuit nominandam, vobis tradidit, tam a vobis, quam ab omnibns aliis, quæ in Monaſterio veſtro vobis ſucceſſerint, in perpetuum obſervandam.

§. II. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, conceſſionem hujuſmodi per prædictum Legatum vobis factam, ratam & gratam habentes, eamque auctoritate Apoſtolica confirmantes, eadem auctoritate decernimus, ut prædicta Regula in præfato Monaſterio veſtro perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter obſervetur, eamque de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, quæ talis eſt: *Quælibet inſpirata divino flamine* &c. Decernimus ergo, ut nulli Eccleſiaſticæ ſecularive perſonæ liceat præſentem Regulam approbatam & correctam infringere, aut aliqualiter immutare, quæ in ea continentur, vel ipſis auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, conſtitutionis, & annotationis infringere &c. *Vide Tom. 2. fol. 78. & Tom. 3. fol. 482.*

Datum Reate II. Nonas Septembris anno I.

XVIII.

Concedit ei eamdem auctoritatem circa Clariſſas, quam habet circa Minores. Reg. Vatic. epiſt. 57.

Dilecto filio M. ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali.

Licet in Regula Abbatiſſæ, & Sororum Monaſterii ſanctæ Claræ de Aſſiſio contineatur expreſſe, ut illum Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Gubernatorem, Protectorem, & Correctorem, teneantur ha-

habere,qui Gubernator,Protector,atque Corrector Ordinis Fratrum Minorum a Sede Apoſtolica fuerit deputatus,tibique gubernatio,protectio, atque correctio prædicti Ordinis Fratrum Minorum a præfata ſint Sede commiſſæ; ad omne tamen dubium excludendum, præſentium tibi auctoritate committimus gubernationem , protectionem , atque correctionem Abbatiſſæ Sororum , atque Monaſterii prædictorum, curam ipſorum & regimen in ſpiritualibus, & temporalibus, necnon ſervitialium & familiarium eorumdem . Concedentes tibi viſitandi ac reformandi Monaſterium ipſum ,& corrigendi tam in capite , quam in membris , iuſtituendi quoque , & deſtituendi Abbatiſſam , & perſonas alias in Monaſterio memorato , ordinandi etiam , ſtatuendi , diſponendi , præcipiendi & faciendi quidquid ſalubri & proſpero ſtatui prædictorum Abbatiſſæ, Sororum, ſervitialium, familiarium perſonarum , & Monaſterii per te, vel per aliquem, ſeu aliquos Fratres idoneos Ordinis Minorum videris expedire, & contradictores , ſi qui fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam , appellatione poſtpoſita , compeſcendi plenam & liberam , auctoritate præſentium , facultatem .

Datum Reate III. Idus Septembris anno I.

XIX.

Ut in pactis quibuſcumque Clariſſarum poſſit præſtare ſuo vel alterius nomine aſſenſum . Ibid. epiſt. 58.

Eidem.

UT tu , cui Monaſteriorum & perſonarum Ordinis ſanctæ Claræ cura eſt ab Apoſtolica Sede commiſſa , ipſa Monaſteria , & perſonas ſalubrius expedire magis valeas , & gubernare , tibi præſtandi vice noſtra , & cujuslibet alterius Ordinarii , vel Prælati , cujus forſan ſuper hoc foret requirendus aſſenſus , per te vel per alium , ſeu alios , quibus hoc ſpecialiter tu duxeris committendum , conſenſum permutationibus, obligationibus, vel alienationibus quibuſcumque , quæ de rebus, bonis, & juribus Monaſteriorum dicti Ordinis præſentium & futurorum , vel ad ipſa ſpectantibus , occurrerint faciendæ, necnon & contractibus , qui ſuper iis fient, plenam concedimus, præſentium auctoritate, facultatem. Datum ut ſupra .

XX.

Ut a cenſuris quibuſdam valeat abſolvere perſonas prædicti Ordinis. Ibid. epiſt. 59.

Eidem.

CUm cura Monaſterii ſanctæ Claræ de Aſſiſio, necnon & Monaſteriorum Ordinis ejuſdem Sanctæ, tibi ſit ab Apoſtolica Sede commiſſa, ut eo ſalubrius Monaſteria ipſa valeas gubernare , quo plenior tibi ſuper hoc fuerit attributa poteſtas , abſolvendi per te vel alium ſeu alios , perſonas Monaſteriorum , & Ordinis prædictorum ſine Apoſtolica , vel tua licentia ad Sedem Apoſtolicam accedentes , & apud Sedem ipſam morantes , & illuc taliter deſtinantes eaſdem , & dantes ad hoc conſilium , auxilium , vel favorem , necnon quaſcumque perſonas alias religioſas Eccleſiaſticas , vel etiam ſeculares ingreſſum infra clauſuras Monaſteriorum ipſo-

ipſorum habentes in caſibus non conceſſis, quæ ratione prohibitionis, præcepti ſeu ſtatuti Apoſtolicorum, aut Regulæ dicti Ordinis, aut contentorum in ea excommunicationum ſententias incurrerant hactenus, vel in futurum incurrent, & ab hujuſmodi excommicationum ſententiis vice noſtra, injuncta eis ſuper hoc pœnitentia ſalutari, plenam tibi concedimus, auctoritate præſentium, poteſtatem. Datum ut ſupra.

XXI.

Alias ei circa eaſdem Perſonas concedit facultates. Ibid. epiſt. 60.

Eidem.

Cum cura tam Monaſterii ſanctæ Claræ de Aſſiſio, quam aliorum Monaſteriorum Ordinis ejuſdem Sanctæ, necnon perſonarum omnium, Abbatiſſarum, Sororum, familiarium, Converſorum, & Capellanorum dictorum Monaſteriorum, ac Ordinis tibi ſit ab Apoſtolica Sede commiſſa, Nos volentes ut perſonis ipſis, eo per te ſalubrius conſulatur, quo plenior tibi fuerit attributa poteſtas, abſolvendi per te vel per alios, perſonas prædictas præſentes, & futuras ab excommunicationis ſententia, quam incurrerunt hactenus, vel incurrent in poſterum, pro violenta injectione manuum in ſeipſas, & quibuſcumque aliis ſententiis canonum, quas ante, vel poſt Religionis ingreſſum incurrerunt, vel in futurum incurrent; diſpenſandi quoque cum illis perſonis, quæ in prædictis Monaſteriis habuerunt, vel habuerint ingreſſum per ſimoniam, vel alias vitioſe, ac licentiandi perſonas præfatas earum culpis exigentibus, vel pro aliis juſtis cauſis ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinis, vel transferendi, prout tibi videbitur expedire; dandi etiam licentiam Fratribus Minoribus eundi ad alia Monaſteria Monialium Ordinis ſancti Damiani, & alterius cujuſcumque, ac in Monaſteriis ipſis morandi pro incorporatione Monaſteriorum eorumdem eidem Ordini ſanctæ Claræ, ac eorum reformatione de ipſo ſanctæ Claræ Ordine faciendis, quibuslibet conſtitutionibus Regulæ dictorum Fratrum Minorum, & prædictorum Monaſteriorum, ac Ordinum, & declarationibus, prohibitionibus, ſeu præceptis Apoſtolicis, vel aliis quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, liberam tibi concedimus poteſtatem. Datum ut ſupra.

XXII.

Fit Archiepiſcopus Nicoſienſis. Reg. Vatic. epiſt. 237.

Venerabili Fratri Joanni Archiepiſcopo Nicoſien.

§. I. Sponſo cœleſti, cui dignanter placuit inclytæ ſponſæ ſuæ cuſtodiam noſtræ humilitati committere, in iis ſemper placere quærimus, ut ſtatum Eccleſiarum omnium, & earum maxime, quæ noſtræ indigent proviſionis remedio, ad decorem ſalutaris exiſtentiæ dirigamus.

§. II. Dudum ſiquidem Nicoſien. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Ranulphi Nicoſien. Archiepiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta, duæ fuerunt in ea per ipſius Eccleſiæ Canonicos electiones, una videlicet de dilecto filio Magiſtro Guidone de Novarialla Capellano noſtro, litterarum contradictarum Auditore Canonico, & altera de dilecto filio Henrico de Gibeleto Archidiacono ipſius Eccleſiæ in diſcordia celebratæ; ſed præfa-

Electio duorum facta a Capitulo ad Apoſt. Sedem devolvitur.

ro Magiſtro Guidone electioni de ſe factæ conſentire nolente, ac deinde negotio electionis de prædicto Henrico factæ ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluto, tamdem idem Henricus poſt nonnullos proceſſus habitos in cauſa prædicta, juri ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi de ſe facta quæſitum fuerat, in noſtris manibus renunciavit libere ac expreſſe.

§. III. Nos itaque hujuſmodi reſignatione recepta, de ſalubri, ut tenemur, proviſione ipſius Eccleſiæ ſollicite cogitantes, ac attendentes, quam ſit onuſta diſpendiis, quot & quanta pericula ſecum trahat Eccleſiarum vacatio diuturna, ex hoc præfatæ Eccleſiæ, ne ulterius vacationis deploret incommoda, paterna volentes ſollicitudine præcavere, ad perſonam tuam, virum utique litterarum ſcientia præditum, vitæ munditia, honeſtate morum, providentia ſpiritualium, circumſpectione temporalium, & aliis virtutibus multipliciter decoratum, ex cujus operibus gratioſos fructus provenire credimus & ſperamus, direximus oculos noſtræ mentis, illam fore perutilem ad ipſius Eccleſiæ Nicoſien. regimen arbitrantes, propter quod de te Ordinem Fratrum Minorum profeſſo, & in eo diu laudabiliter converſato, præfatæ Nicoſien. Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio duximus providendum, teque ipſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tibi ſpiritualiter & temporaliter committendo: ac conſequenter munus conſecrationis tibi manibus noſtris impendimus, & pallium de corpore beati Petri ſumptum, videlicet plenitudinem pontificalis officii per dilectum filium noſtrum Matthæum ſanctæ Mariæ Diaconum Cardinalem juxta formam, quam in hoc ſervat Romana Eccleſia, fecimus tibi tradi, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Nicoſien. Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam proſpere dirigetur, & in ſpiritualibus & temporalibus ſalubria, dante Domino, ſuſcipiet incrementa.

Electi dotes.

§. IV. Jugum itaque Domini reverentia prompta ſuſcipias, & ſuavi ejus oneri ſub humilitatis ſpiritu colla ſubmitte, ac ad præfatam Eccleſiam cum benedictione gratiæ noſtræ accedens, curam & adminiſtrationem ipſius prudenter & utiliter exequaris, ita quod tuo ſalubri Miniſterio Eccleſia ipſa ſpiritualiter & temporaliter proſpere dirigatur, tuque velut paſtor ſollicitudine pervigil commiſſum in ea tibi gregem Dominicum gubernare ſtudioſo regimine comproberis, ac exinde noſtram & præfatæ Sedis gratiam uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem XIII. Kal. Novembris anno I.

XXIII.

Commendat ei Archiepiſcopum præfatum Reg. Vatic. epiſt. 238.

Regi Cypri Illuſtri.

AD fovendum in caritatis viſceribus Eccleſiarum prælatos, eos præcipue, qui Pontificali dignitate præeminent, eo te fiducialius noſtris precibus invitamus, quo in bonorum operum executione celſitudinis regalis affectum exiſtimamus magis promptum, ac facilem invenire, maxime cum apud Deum, cujus Prælati hujuſmodi ſunt Miniſtri, retributionis æternæ præmium, & apud homines laudis præconium tibi exinde acquiratur. Dudum ſiquidem Nicoſien. Eccleſia &c. ut in ſuperiori verbis competenter mutatis uſque *ſuſcipiet incrementa*. Cum itaque fili cariſ-

cariſſime, ſit virtutis opus Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, præſertim Pontificali præditas dignitate, benigno favore proſequi, ac eas verbis & operibus pro Regis æterni gloria venerari; Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eumdem Archiepiſcopum, ac Eccleſiam Nicoſien. ſibi commiſſam, habens pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia propenſius commendatos, ſic te ipſis reddas Regio favore munificum, & operibus gratioſum, ut idem Archiepiſcopus tuo fultus auxilio in commiſſa ſibi cura paſtoralis officii poſſit, Deo propitio, proſperari, & tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis proveniat actio gratiarum.

Datum ut ſupra.

ANNO CHRISTI 1289. NICOLAI IV. ANNO 1. & 2.

XXIV.

Dat facultatem abſolvendi a cenſuris latis in adjutores Petri Aragonii.
Reg. Vatic. in appendice litter. Curial. epiſt. 75.

Dilecto filio M. S. Mariæ in Porticu Diac. Cardinali.

CUm cura tam Monaſterii ſanctæ Claræ de Aſſiſio, quam aliorum Monaſteriorum Ordinis ejuſdem Sanctæ, necnon perſonarum omnium, Abbatiſſarum, bonorum, familiarium, Converſorum & Capellanorum dictorum Monaſteriorum, ac Ordinis tibi ſit ab Apoſtolica Sede commiſſa; nos volentes ut perſonis ipſis eo per te ſalubrius conſulatur, quo plenior tibi fuerit attributa poteſtas, abſolvendi per te, vel per alios perſonas prædictas præſentes, & futuras ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis, ſi quas eædem perſonæ, maſculini videlicet ſexus poſt religionis ingreſſum, fœminini vero ante & poſt ingreſſum hujuſmodi, incurrerunt hactenus, vel incurrerint in poſterum latis & ferendis a prædicta Sede, vel Legatis ipſius, ſeu auctoritate ipſorum contra quomdam Petrum olim Regem Aragonum, uxorem, & filios ejus, adjutores, & complices, ſequaces, & fautores eorum, ſeu contra non ſervantes interdictum poſitum per eamdem Sedem, aut Legatos ipſius, vel ponendum impoſterum, aut ipſorum auctoritate, vel prædictorum aut alicujus eorum occaſione, vel tam in Regnis, Terris, ſeu locis dictis Petro, uxori, filiis, adjutoribus, complicibus, ſequacibus, fautoribus, adhærentibus, ſeu ſubjectis, vel alicui eorumdem, ac etiam concedendi prædictis perſonis liberam facultatem eligendi ſecundum formam Regulæ dictæ Sanctæ, Abbatiſſas in Monaſteriis ipſis, quæ Abbatiſſis carent ad præſens, vel in futurum carere continget hujuſmodi interdicto durante, confirmandi quoque electiones celebratas & celebrandas in Monaſteriis ipſis, interdicto præfato durante, alias canonice, & de perſonis idoneis, ac inſuper infirmandi eaſdem, ſeu irritas nuntiandi, ſi eas minus canonice, vel de perſonis non idoneis celebratæ fuerint, vel celebrari continget, prohibitionibus, ſeu præceptis Apoſtolicis, vel Legatorum ipſius, vel aliis quibuſcumque contrariis ſub quacumque verborum forma vel conceptione proceſſerunt hactenus, vel deinceps procedent, nequaquam obſtantibus, liberam tibi præſentium auctoritate concedimus facultatem.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem VI. Kalend. Februarii, anno I.

XXV.

Ut non teneantur ſolvere decimas pro negotio regni Siciliæ impoſitas. Reg. Vat. epiſt. 104.

Univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ per Italiam conſtitutis.

ATtendentes benignius &c. ut in regeſto Honorii IV. epiſt. 5. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem x. Kalend. Aprilis, anno II.

XXVI.

Concedit Indulgentias viſitantibus Eccleſiam ſancti Franciſci Aſiiſiatem. Reg. Vatic. epiſt. 158.

Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Aſiſio.

PRæexcelſa glorioſiſſimi Confeſſoris beati Franciſci merita, quæ in Eccleſia Dei quaſi candelabra præclara reſplendent, ſedulæ conſiderationis indagine perluſtrantes & recogitantes attentius, quod ipſe tamquam vitis botris opulentis exuberans in vinea Domini palmites produxit egregios, & ſuperna cooperante gratia, producere non deſiſtit, dignum duximus, & rationi conſonum, quinimmo debitum arbitramur, ut Eccleſiam veſtram, in qua ipſius Confeſſoris corpus ſanctiſſimum requieſcit, eximiis proſequamur favoribus, & præcipuis ac ſpecialibus gratiis & indulgentiis honoremus. Cupientes igitur ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & ut fideles Chriſti eo libentius eam adeant, quo majorem in ea ſe ſenſerint gratiam percepturos, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad prædictam Eccleſiam diebus ſingulis cum devotione acceſſerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, annum unum & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem IV. Nonas Maii, anno II.

XXVII.

Frater Albertus fit Epiſcopus Iporienſis. Reg. Vatic. epiſt. 76.

Venerabili fratri Alberto Epiſcopo Iporien.

LIcet continuata &c. ut ſupra in bulla XXXI. ſub Nicolao III. uſque *principaliùs obligati*. Sane vacante nuper Iporien. Eccleſia per tranſlationem venerabilis fratris noſtri Friderici Epiſcopi Ferrarien. tunc Iporien. Electi ad Eccleſiam Ferrarien. ac proviſione præfatæ Iporien. Eccleſiæ libera in noſtris manibus remanente. Nos qui circa viduatas Eccleſias continuæ attentionis oculis potiſſimum vigilamus, ut mora excluſa, talibus regimen committatur ipſarum, per quos ſalutaria in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa; ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, cui laudabilis diſcretionis induſtria, vitæ munditia, honeſtas profeſſionis, & religionis zelus, ac litteralis ſcientia,

tia, ſicut per gratæ familiaritatis obſequia, experientia probata nos docuit, ſuffragantur, direximus aciem mentis noſtræ, & ne memorata Iporien. Eccleſia viduitatis diutius damna deploret, te de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eidem Iporien. Eccleſiæ in Epiſcopum præficimus & paſtorem, & deinde conſecrationis munus tibi noſtris manibus ſolemniter impendimus, firmam ſpem, fiducismque tenentes, quod ſupradicta Iporien. Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & prudentiam circumſpectam in ſpiritualibus & temporalibus, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, proſpere dirigetur, & ſalubribus proficiet incrementis. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus &c. ut in bulla xxv. Nicol. III. uſque *tabernacula introducat*.

Datum apud ſanctam Mariam Majorem III. Idus Maii, anno II.

XXVIII.

Concedit eis pro pretio locum Fratrum de Pœnitentia. Regeſt. Vatican. epiſt. 184.

Venerabili fratri Epiſcopo, & dilecto filio Scholaſtico Pictavien.

§. I. Sua nobis dilecti filii Guardianus & Fratres Minores Pictavien. provinciæ petitione monſtrarunt, quod locus ipſorum civitatis Pictavien. loco Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti civitatis ejuſdem, quorum Ordo non eſt de reſervatis per conſtitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri, editam ſuper hoc in Concilio Lugdunen. adeo eſt vicinus, quod per quamdam viam dumtaxat plenam ſordibus & immunditiis ab invicem ſeparantur. Quare dicti Guardianus, & Fratres nobis humiliter ſupplicaverunt, ut cum in prædicto loco ipſorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti, in quo dudum quamplures Fratres ipſius Ordinis manere conſueverant, perpauci Fratres commorentur ad præſens, qui etiam frequenter dimittitur abſque fratre, & ſub cuſtodia ſeculari, propter quod eſt veriſimiliter præſumendum, quod locus ipſe juxta tenorem prædictæ conſtitutionis, poſt non magni temporis ſpatium diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ totaliter relinquetur, dictuſque locus Fratrum Minorum, qui valde arctus exiſtit, non niſi per locum ipſorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti commode valeat ampliari, transferre prædictum locum eorumdem Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti in ampliationem dicti loci prædictorum Fratrum Minorum, & in eorum uſus de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos prædictis Guardiano & Fratribus quos ſincera diligimus in Domino caritate, ſic in hac parte providere proponimus, ut ipſius conſtitutionis continentia, quibus omnibus veſtram intendimus conſcientiam onerare, ſi vobis conſtiterit ita eſſe, prædictum locum eorumdem Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti poſtquam illum per deceſſum, vel ceſſionem factam a Fratribus de Pœnitentia prædicta nunc ibi morantibus, juxta tenorem dictæ conſtitutionis, ad diſpoſitionem ipſius Sedis pervenire contigerit, cum domibus, ædificiis, lignis, lapidibus & horto ejuſdem loci, prædictis Fratribus Minoribus auctoritate noſtra vendatis pro pretio competenti. Inducentes, per vos, vel alium ſeu alios, nominatos Fratres Minores in loco domorum, & aliorum prædictorum corporalem poſſeſſionem, & defendentes inductos. Contradictores & rebel-

belles, per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

§.III. Volumus tamen quod hujuſmodi dicti loci pretium, ſeu pecuniam in aliqua æde ſacra penes aliquas perſonas idoneas noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine, integre ac fideliter deponere ſtudeatis, pretium ſeu pecuniam prædictam in Terræ ſanctæ ſubſidium, aut in alios pios uſus juxta tenorem ejuſdem conſtitutionis, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum convertenda, facientes ſuper hujuſmodi depoſito fieri duo publica inſtrumenta, quorum unum apud vos retinere, alterum vero Cameræ noſtræ, & quid & quantum ad locum ubi & penes quos, & coram quibus dicta pecunia deponetur, & quidquid ſuper hoc feceritis, nobis per veſtras litteras harum ſeriem continentes mittere & intimare fideliter ſtudeatis. Non obſtante quod interdici &c.

Datum Reate Kal. Junii, anno II.

XXIX.

Similiter concedit Fratribus Lugdunenſibus. Reg. Vatic. epiſt. 222.

Sacriſtæ Eccleſiæ Lugdunen.

Ex parte dilectorum filiorum Miniſtri Ordinis Minorum in Burgundia & Guardiani, ac Fratrum Lugdunen. fuit propoſitum coram nobis quod Eccleſia loci dictorum Guardiani, & Fratrum civitatis Lugdunen. & etiam ipſe locus adeo arcti exiſtunt, quod eorumdem Guardiani, & Fratrum habitationi per hoc minus accommodi reddi videntur, conſiderata conditione civitatis ejuſdem, in qua non ſolum frequenter provincialia & generalia Capitula dicti Ordinis, & interdum per Sedem Apoſtolicam fuerunt Concilia generalia celebrata. Quare prædicti Miniſter, Guardianus, & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum tibi ſub certa forma noſtris dederimus litteris in mandatis, ut jus quod Fratribus de Pœnitentia Jeſu Chriſti in loco civitatis Lugdunen. in quo Fratres ipſi hactenus habitarunt, nunc, ut dicitur, deſerto ab ipſis Fratribus, competebat, & quod per hoc in diſpoſitione Apoſtolicæ Sedis remanſit, auctoritate noſtra vendas, & in aliquo tuto loco, nomine noſtro, deponas, donec aliud ſuper hoc in mandatis tibi dederimus injungendum, dictum pretium in ampliatione Eccleſiæ & loci eorumdem Guardiani & Fratrum converti de benignitate Apoſtolica mandaremus. Nos igitur dictorum Miniſtri, Guardiani & Fratrum Minorum devotis ſupplicationibus favorabiliter in hac parte annuere intendentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum pretium in hujuſmodi ampliationem Eccleſiæ & loci prædictorum, eadem auctoritate, prout de ipſorum Miniſtri, Guardiani & Fratrum proceſſerit voluntate, convertas. Contradictores &c.

Datum Reate Idibus Junii, anno II.

XXX.

Fit Epiſcopus Tridentinus. Reg. Vatic. epiſt. 351.

Venerabili fratri Philippo Epiſcopo Tridentin.

Romani Pontificis, quem paſtor ille cœleſtis, & Epiſcopus animarum poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena vigiliis ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſiæ ſic vi-

vigilanter excogitet, ſic proſpiciat diligenter, ut per ejus providentiam circumſpectam, nunc per ſimplicis proviſionis officium, nunc per opportunæ proviſionis miniſterium, prout locorum & temporum qualitas exigit, Eccleſiis ſingulis paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, ſicque ipſe, ſuperni favoris auxilio ſuffragante, votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratuletur. Sane Tridentina Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Henrici Epiſcopi Tridentin. qui nuper apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, nos ad Eccleſiam ipſam a longis retro temporibus multipliciter laceratam, habentes debitæ compaſſionis affectum, ac deſiderantes propterea ejus ſtatui proſpere conſuli, ac ipſam a diſpendiis præſervari, ordinationem, diſpoſitionem, & proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ea vice Sedi Apoſtolicæ duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi quid ſcienter vel ignoranter contra reſervationem noſtram hujuſmodi per quemcumque quavis auctoritate contingeret attentari. Volentes igitur eidem Eccleſiæ paterna ſollicitudine præcavere, ne præfata Eccleſia prolixioris diſpendia vacationis incurrat, & cupientes ut ipſa Eccleſia utilis præſidio fulta paſtoris, Deo propitio, relevetur a noxiis, & optatis proficiat incrementis, ad te tunc Ordinem Fratrum Minorum &c. ut in bulla XXVII. hujus Pontif. uſque *ſuffragantur*, direximus aciem noſtræ mentis, cum præteritorum conſideratio rationem probabilem ſoleat inducere de futuris. His itaque digna meditatione penſatis, te de Fratrum noſtrorum conſilio &c. uſque *gubernabit*. Tolle igitur &c. uſque *introducat*.

Datum Reate II. Kal. Auguſti, anno II.

XXXI.

Concedit Clariſſis ne ſolvant ulli ſubſidia. Regeſt. Vatic. epiſt. 407. Spec. Min. tract. 2. fol. 38.

Univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Sororum incluſarum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ.

QUanto ſtudioſius devota mente &c. ut in bulla XI. ſub Clemente IV. uſque *ad finem*. *Regeſt. Tom. 4. fol. ...*

Datum Reate XV. Kal. Septembris, anno II.

XXXII.

Ne propter poſſeſſiones, aut bona quæ poſſident, quidpiam ſolvant. Regeſt. Vatic. epiſt. 430.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ de Monte Lucido Peruſin. Ordinis ſanctæ Claræ.

PErſonis, quæ mundo relicto, ad cœleſtia totis tendunt affectibus, benevolo nos convenit adeſſe favore, piis eorum votis, ut conſequi valeant ſalubris intentionis effectum, miſericorditer annuendo, quatenus contra inquietantium defenſæ moleſtias, pace quieta & quiete pacifica, pacis famulentur auctori. Hinc eſt quod nos tranquillitati veſtræ, ne aliqua ſecularium exactionum infeſtatione vexetur, Apoſtolica ſollicitudine providere volentes, devotioni veſtræ, ut pro molendinis, & aliis bonis veſtris, quæ Eccleſiaſtica debent immunitate defendi, vos ad ſubeundum aliqua onera publica, præſtationes aliquas exhiben-

bendum minime teneamini vel compelli poſſitis, auctoritate præſentium, indulgemus. Decernentes nihilominus irritum & inane, ſi quid ſuper iis contra præſentis noſtræ conceſſionis tenorem a quocumque quavis auctoritate contigerit attentari.

Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Reate xv. Kal. Septembris, anno II.

XXXIII.

Ut citent in curiam Epiſcopum Aurienſem Fratribus injurium. Regeſt. Vatic. epiſt. 417.

Dilectis filiis Archidiacono de Nevia in Eccleſia, ac Roderico Fernandi Canonico Bracharen.

Ep. FF. moleſtus.

§. I. Dilecti filii Guardianus & Conventus domus Fratrum Aurien. Ordinis Minorum nobis ſignificare curarunt, quod Venerabilis frater noſter P. Epiſcopus Aurien. ipſos contra tenores privilegiorum Apoſtolicorum conceſſorum eidem Ordini, multipliciter gravare præſumit: nam cum quondam nobilis mulier Taraſia Joannis, quæ olim in eadem diœceſi deceſſerat, apud locum dictorum Guardiani & Fratrum Aurien. ſepulturam in ſua ultima voluntate elegiſſet, idem Epiſcopus corpus ejuſdem Taraſiæ, quod dicti Guardianus & Fratres ad prædictam eorum Eccleſiam detulerant tumulandum, armata manu per violentiam rapuit, ac illud faciens in cœmeterio Aurien. Eccleſiæ ſepeliri, dictos Fratres nihilominus quibuſdam bonis, quæ dicta Taraſia eiſdem Fratribus in ultima voluntate legaverat, indebite ſpoliando. Præterea in omnes illos, qui corpus quondam nobilis mulieris Sanciæ uxoris nobilis viri Joannis Fernandi, quæ apud locum prædictum libere elegerat ſepeliri, dum ad prædictam Eccleſiam dictorum Guardiani & Fratrum portaretur, præcepit omnibus ne illud comitari, aut illud in cœmeterio præfatæ Eccleſiæ dictorum Guardiani & Fratrum ſepeliri præſumerent, aut ad dictorum Fratrum prædicationem accederent, vel ſua confiterentur peccata, ſive aliquas eleemoſynas largirentur, vel loquerentur, aut alias quoquo modo participarent eiſdem, & in contra facientes excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias motu proprio, immo temeritate propria potius, promulgavit. Qui gravaminibus hujuſmodi non contentus, Canonicis dictæ Eccleſiæ Aurien. ſub pœna gratiæ ſuæ inhibuit, ne dictis Fratribus loquerentur, nec eis aliqua pietatis beneficia erogarent. Inſuper prohiberi fecit idem Epiſcopus, ne aliqui de civitate vel diœceſi Aurien. aliqua de bonis legarent in teſtamentis, vel ultimis voluntatibus, aut aliquas eleemoſynas darent Fratribus memoratis.

In eum Fratres de illatis gravaminibus conqueruntur.

§. II. Cumque dicti Guardianus, & Fratres ſuper his venerabili Fratri noſtro Bracharen. Archiepiſcopo loci Metropolitano conqueſti fuiſſent, ac quidam ex ipſis Fratribus litteras Vicariorum dicti Archiepiſcopi, per quas iidem Vicarii dictum Epiſcopum citari mandaverant, præſentaſſet, dictus Epiſcopus in eumdem Fratrem manus violentas injecit, alias dictos Fratres multis gravans injuriis, & ipſorum pacem & quietem damnabiliter impediens & perturbans. Sed licet dicti Guardianus & Fratres malum in bono vincere ſatagentes, a præfato Epiſcopo humili ſupplicatione petiverint, ut ab ipſorum moleſtiis divinæ pietatis intuitu abſtineret, ipſe tamen piis ipſorum Fratrum votis annuere noluit, ſed ipſos

ipſos poſtmodum per ſe & alios gravius perturbavit, ita quod ipſi vix valent ſub tantis preſſuris & anguſtiis reſpirare.

§. III. Quare pro parte ipſorum Guardiani, & Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ipſi propter potentiam ſæpedicti Epiſcopi non poſſint ſuam ſuper præmiſſis in illis partibus juſtitiam proſequi, providere ipſis ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque nolentes, ſicut etiam non debemus, dictis Guardiano, & Fratribus in ſuo jure deeſſe, in quo ſumus omnibus debitores, ac tot & tantas injurias & gravamina Guardiano, & Fratribus memoratis illata, quæ, ſine Dei offenſa ſalva conſcientia, præterire nequimus, ſub diſſimulatione tranſire, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum præfatum Epiſcopum ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra tres menſes poſt citationem veſtram cum omnibus actis, juribus & immunitatibus ſuis hujuſmodi cauſam contingentibus per ſe, vel procuratorem idoneum Apoſtolico ſe conſpectui repræſentet facturus & recepturus ſuper iis quod ordo dictaverit rationis. Diem autem citationis &c. uſque *intimare*. Non obſtante ſi cauſa ſuper prædictis pendeat coram præfatis Vicariis, vel in ea proceſſus aliqui fuerint habiti coram eis.

Datum Reate vi. Kalend. Septembris anno ii.

XXXIV.

Amplum eis concedit privilegium. Reg. Vatic. epiſt. 515.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ Montis Lucii Peruſin. ejuſque Sororibus tam præſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. I. Religioſam vitam &c. uſque *enervet*. Ea propter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Genitricis Virginis Mariæ in Monte Lucio Peruſino, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ad inſtar felicis recordationis Clementis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo ſanctæ Claræ, qui ſecundum Deum, & Regulam a fel. recordationis Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro ejuſdem Ordinis Sororibus traditam, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *illibata permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt cum omnibus ſuis pertinentiis, terras, vineas, domos, caſalina, ſilvas, oliveta, & poſſeſſiones, quæ habetis in locis, qui Valianum, ſancta Maria de Oliveto, Bolſcianum, Curia Montis Leonis, Galterii, Lupazonis, Morignan. Caſale, Pilla Anteria, planum de flore, & villa de campo vulgariter appellantur: Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Præpo cum terris, vineis, olivetis, & aliis pertinentiis ſuis: Terras, vineas, domos, caſalina, ac poſſeſſiones quæ habetis ibidem: Vineam quam habebatis in loco, qui Paſtina nuncupatur; terras & poſſeſſiones quas habetis in loco, qui dicitur Corrianum, terras & poſſeſſiones ſitas in Pitignano; fundum unum, quem habetis in colle; terras & poſſeſſiones cum pertinentiis ſuis, quas in Monte Cilio poſſidetis, cum terris, vineis, pratis, nemoribus, uſuagiis & paſcuis in

boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis &c. uſque *aliquo retinere*. Prohibemns inſuper &c. uſque *audeat retinere*. Pro conſecrationibus &c. nſque *habente*. Quod ſi Sedes &c. nſque *generetur*. Quia vero interdum &c. uſque *recipere valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *dederitis interdicto*. Obeunte autem te &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis &c. ſententiam promnlgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque &c. uſque *exercere*. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro bonæ memoriæ Joannes Epiſcopus Peruſinus, de Capituli ſui aſſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in inſtrumento inde confecto plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem dicti inſtrumenti ad cautelam duximus præſenti privilegio inſerendum, qui talis eſt.

§. II. *In Dei nomine Amen. Anno Domini* MCCXVIII. *Indictione* VI. *die ultimo Julii exeunte, tempore Domini Honorii Papæ III. Ego quidem in Dei nomine Joannes Dei gratia Peruſinus Epiſcopus, non vi coactus, nec dolo inductus, ſed propria & ſpontanea mea bona voluntate, præſente & auctoritatem præſtante Domino Hugone Oſtien. & Velletren. Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, cum conſenſu Capituli noſtri, concedo tibi Bono Notario, procuratorio nomine recipienti pro omnibus ancillis Chriſti converſis & convertendis, quæ in habitu Religionis debent Domino famulari in terreno & loco conceſſo prædicto Domino Epiſcopo & Legato a Domino Eluito Monaldo poſito in Aſio Montis Lucii, ſicut continetur in inſtrumento a te ipſo Bono Notario condito, plenam licentiam & poteſtatem ædificandi Eccleſiam, ſive Monaſterium ad honorem Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, & primarium lapidem tibi concedo, renuncians & remittens tibi pro dictis ancillis Chriſti recipienti omne jus & actionem, mihi in prædicta Eccleſia, ſive Monaſterio competentem ſive competiturum, quod nihil in ea, vel in illud mihi reſervo, præter unam libram ceræ nomine cathedratici in Aſſumptione beatæ Virginis. Et hæc omnia per me meoſque ſucceſſores tibi prædicto Bono Notario pro prædictis ancillis Chriſti recipienti tenere, facere, adimplere, obſervare, & non contravenire, ſub pæna centum marcharum argenti promitto, & obligo, dataque pæna, vel non data, totum quod hoc continet inſtrumentum, firmum permaneat omni tempore. Hæc acta ſunt apud Monaſterium ſancti Petri de Peruſio intus in area dicti Monaſterii ſancti Petri in præſentia Domini Jacobi Abbatis ſancti Petri, Domini Joannis Cellerarii, Domini Thomaſii Prioris clauſtri, Domini Petri de Maſtinellis, Barntii de ſancto Petro, Raynerii de Bruna, Joannis de Calcaveccla, Benevenati de Albricolo, D. Philppi de Cardinello, & Domini Bernardini Diaconi præfati Epiſcopi Peruſin. qui omnes rogati ſunt teſtes. Ego Petrus Azolini Notarius his omnibus interfui, & ut ſupra legitur, hoc inſtrumentum ſcripſi, & ad publicam formam redegi.* Ad indicium autem &c. uſque *perſolvetis*. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed &c. ut ſupra bulla 16. hujus Pontif. uſque *pacis inveniant*. Amen. Amen.

Ego Nicolaus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopns ſubſcripſi.

Ego Frater Latinus Oſtien. & Velletren. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego

Ego Gerardus Sabinen. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Bernardus Portuen. & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Joannes Tuſculan. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Frater Matthæus tit. ſancti Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Frater Ugo tit. ſanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus tit. ſancti Marci Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Matthæus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Jacobus ſanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Neapoleo ſancti Adriani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus ſancti Euſtachii Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Reate per manum Magiſtri Joannis Decani Bajocen. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii v. Nonas Octobris, Indictione III. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXXXIX. Pontificatus vero Domini Nicolai Papæ IV. anno II.

XXXV.

Concedit eis licentiam vendendi primum locum, quem habebant Placentiæ. Reg. Vatic. epiſt. 607.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali Provinciæ Bononiæ, ac Guardiano & Fratribus domus Ordinis Fratrum Minorum de Placentia.

Ex parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ad ædificationem loci, quem vos fili Guardiane & Fratres in civitate Placentina de novo ædificare cœpiſtis, vobis, cum nihil habeatis proprium, non ſuppetant facultates, vendendi locum, in quo apud civitatem eamdem primitus degebatis, ac pretium recipiendum exinde in ædificium dicti loci convertendi procuratoribus Romanæ Eccleſiæ nominatis, vel nominandis per Miniſtros vel Cuſtodes ejuſdem Ordinis, juxta formam privilegii ſuper hoc a felicis record. Martino Papa prædeceſſore noſtro editi, licentiam largiremur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, præfatis procuratoribus vendendi locum primum prædictum, & pretium recipiendum ex eo in ædificationem dicti loci novi convertendi licentiam, auctoritate præſentium, poſtulatam concedimus, ita tamen, quod prædictus primus locus poſt venditionem hujuſmodi a Fratribus derelictus, juriſdictioni Ordinarii relinquatur. Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem Idibus Novembris, anno II.

XXXVI.

Concedit ei facultatem condendi teſtamentum. Reg. Vatic. epiſt. 661.

Venerabili fratri Guillelmo Epiſcopo Dignen.

Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem &c. ut in bulla IV. hujus Pontificis uſque *provenire*. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus Eccleſiæ tuæ diſpenſationi ſeu adminiſtrationi commiſſis, quæ non fuerunt altaris ſeu

altarium Eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earumdem Eccleſiarum divino cultui vel uſui deputata, vel quæ Ordinis Fratrum Minorum, quem fuiſti profeſſus, non exiſtant, necnon & quibuſcumque bonis mobilibus a te per Eccleſiam ſeu Eccleſias licite acquiſitis &c. ut in bulla citata, uſque *animæ videris expedire*.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem IV. Nonas Decembris, anno II.

XXXVII.

Præponitur Eccleſiæ Marrochitanæ. Reg. Vatic. epiſt. 771.

Venerabili fratri Roderico Archiepiſcopo Marrochitan.

Procemium. §. I. Aſſumpti, quamvis immeriti, diſponente Domino, in plenitudie poteſtatis, perſonas aptas ad Eccleſiaſticas dignitates libenter aſſumimus, & in partem ſollicitudinis evocamus, quoniam per tales Eccleſiarum procuratur utilitas & ſalus etiam animarum.

Pontificis ſollicitudo erga Marrochitanam Eccleſiam. §. II. Sane Marrochitan. Eccleſia dudum regimine ſui Epiſcopi deſtituta, nos ad Eccleſiam ipſam, quæ propter perfidorum Sarracenorum rabiem & potentiam diu ibidem dominantium, peccatis exigentibus, non abſque periculo gravi fidei orthodoxæ, diutius viduitatis detrimenta ſenſivit, habentes paternæ compaſſionis affectum, de ordinatione ipſius Eccleſiæ, juxta debitum paſtoralis officii ſollicite cœpimus cogitare, ut perſona talis ad ipſius Eccleſiæ proviſionem accederet, quæ ipſius Eccleſiæ temporalia regeret & ſpiritualia utiliter præmoveret, propter quod in perſona tua, de cujus operibus, litteralis ſcientia, vita laudabilis, converſatio placida, morum honeſtas & approbata religio fructus utilea ipſi Eccleſiæ repromittunt, noſter animus requievit.

§. III. Ideoque tam gregi Dominico, quam etiam propagationi ejuſdem Catholicæ fidei, cujus augmentum veluti ejus præcipui procuratores ardenti deſiderio anhelamus, quibus per expertam tuæ circumſpectionis induſtriam utiliter conſulere, Deo auctore, ſperamus, intendentes ſalubriter providere, te profeſſorem Ordinis Fratrum Minorum, pro quo, immo potius pro ipſius Eccleſiæ ſtatu tam clerici, & laici illarum partium Chriſtiani, quam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſtellæ ac Portugalliæ Reges illuſtres, ſuppliciter nos rogarunt, eidem Marrochitanæ
Et fiducia in Electum, Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in Epiſcopum præfecimus & paſtorem, tibique poſtmodum ſecimus conſecrationis munus per venerabilem fratrem noſtrum L. Epiſcopum Oſtien. impendi, firma ducti fiducia, quod prædicta Eccelſia Marrochitana per tuam induſtriam, Divina favente elementia, in ſtatu ſalutis, & multæ utilitatis dirigi & in proſperis debeat ampliari.

§. IV. Volumus itaque & fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta
Cui præcipitur, ut ad ſuam Eccleſiam accedat. mandamus, quatenus ad eamdem Eccleſiam de Apoſtolicæ Sedis & noſtro favore confiſus, cum divinæ gratia benedictionis accedas, te in cura ipſius, cujus plenam in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrationem tibi committimus, talem corde ſollicito redditurus, quod grex tuæ circumſpectioni creditus in te ſalutis Miniſtrum reperiſſe gaudeat, & tibi tamdem æterni Paſtoris benignitas unicuique reſponſura pro meritis æternæ retribuat gloriam claritatis.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem III. Idus Decembris, anno II.

XXXVIII.

XXXVIII.

Fit Epiſcopus Humanatenſis. Reg. Vatic. epiſt. 746.

Venerabili fratri G. Epiſcopo Humanat.

§. I. Regimini univerſalis Eccleſiæ, licet immeriti, diſponente Domino, præſidentes, circa Eccleſiarum omnium ſtatum ſalubriter diſponendum juxta paſtoralis officii debitum, quantum nobis ex alto permittitur, Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudium adhibemus, ſed ad illas præcipuæ noſtræ diffundimus conſiderationis intuitum, quas diſpendioſæ vacationis inſpicimus periculis ſubjacere, aſſiduæ meditationis excitati vigiliis, ut eis præficere valeamus viros ſecundum cor noſtrum idoneos in paſtores. Præfatio.

§. II. Dudum ſiquidem Eccleſia Humanaten. Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecta, per tranſlationem factam de venerabili fratre noſtro B. nunc Caſtren. tunc Humanaten. Epiſcopo ad Eccleſiam Caſtren. vacante, dilecti filii Archidiaconus & Capitulum ipſius Eccleſiæ Humanaten. ad quos in eadem Eccleſia Humanat. cum eam vacare contingit, paſtoris electio pro tempore facienda noſcitur pertinere, infra tempus eis a jure conceſſum, ad electionem vel poſtulationem aliquam de futuro paſtore in eadem Humanat. Eccleſia faciendam procedere non curarunt, ſicque eadem Eccleſia Humanat. ſui ſponſi deſtituta ſolatio jamdiu viduitatis incommoda deploravit. Capitulum ſtatuto tempore Epiſcopum non elegit.

§. III. Nos igitur attendentes, quod jus eligendi paſtorem hac vice in ipſa Eccleſia Humanaten. per lapſum hujuſmodi temporis erat ad nos legitime devolutum, ac cupientes paterna ſollicitudine præcavere, ne dicta Eccleſia Humanaten. prolixioris diſpendia vacationis incurrat, talemque ſibi præficere Paſtorem, quod ipſa continuo ſpiritualiter & temporaliter, Divina cooperante clementia, ſalubribus proficiat incrementis, in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. uſque *proficiet incrementis*. Jus eligendi ad Pontificem devolutum.

§. IV. Jugum itaque Domini prompta devotione ſuſcipias, & ſuavi ejus oneri ſub humilitatis ſpiritu colla flecte, ipſius Eccleſiæ Humanat. ſollicite curam gerens, gregem Dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi & operis informando: ita quod eadem Eccleſia Humanat. grexque Dominicus in ea tuæ gubernationi commiſſus Paſtorem ſalutis gaudeant reperiſſe, tuque de talento tibi credito dignam Domino reddens in extremo judicio rationem, ex hoc & aliis tuis piis operibus præmium retributionis æternæ conſequi merearis. Pontificis ad Electum exhortatio.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem IV. Kalendas Januarii, anno II.

XXXIX.

Significat eis ſe mittere fratrem Rodericum Legatum ſuum in Africam. Reg. Vatic. epiſt. 845.

Dilectis filiis nobilibus viris Baronibus, Proceribus, Militibus, & ceteris ſtipendiariis Chriſtianis Marrochitan. Tuniſii & Tremiſeii Regum ſervitio conſtitutis.

§. I. Et ſi omnes, qui Chriſtianæ fidei cultum tenent, ut ſuas Deo lucrifaciant animas, ad recte vivendi regulam dirigi cupiamus, Cura peculiaris Pontificia de iis, qui in regionibus infidelium degunt.

mus, illos tamen, qui in regionibus infidelium, & cum infidelibus converſantur, ut fide, opere ac veritate perfecti ſe incontaminatos coram Deo & hominibus exhibentes, laudabilis vitæ meritis & exemplis infideles etiam pertrahant ad ſalutem, potiori deſiderio exoptamus omnem in ſeipſos juſtitiam, rectitudinem & modeſtiam adimplere, ipſoſque abſtinere ab omnibus, per quæ fidei Chriſtianæ religio poſſit in populis blaſphemari.

Et pro incredulis, atque Apoſtatis convertendis.

§. II. Sane cum illius, licet immeriti, vicem gerentes in terris, qui pro generis humani ſalute de ſuæ ſolio majeſtatis a ſummo cœlo in medium exterminii noſtri terram exiliens, trabea noſtræ humanitatis aſſumpta, ut temporali morte legem mortis aboleret æternæ, pro nobis dignatus eſt, proprio ſanguine fuſo, mori, & diros Crucis perpeti cruciatus, ad animarum profectum intentionis noſtræ aciem totaliter dirigamus, & pro incredulis convertendis, apoſtatis revocandis, confirmandis nutantibus & fidelibus roborandis, omni ſollicitudine laborantes, quia, repugnante natura, præſentialiter diverſis locis ſimul adeſſe non poſſumus, venerabilem fratrem noſtrum Rodericum Marrochitanum Epiſcopum, virum utique providum & diſcretum, ad partes Africæ, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, deſtinamus.

Commendat Legatum miſſum.

§. III. Nobilitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, quatenus eumdem Legatum & nuntios ejus devote recipientes, & honeſte tractantes, eis in iis, quæ ad cultum divini nominis pertinent ampliandum, impendatis conſilium & auxilium opportunum, & verba vitæ æternæ, quæ vobis proponent cum gaudio audientes, eorumque ſalubribus conſiliis acquieſcentes, Chriſtianæ profeſſionis propoſitum firmo ſervetis animo, & conſtanti, ut ſic inter incredulos vos exhibere vita & converſatione probabiles ſtudeatis, caritate magiſtra & pietate præduce, in divinis beneplacitis vos jugiter exercendo, ac abſtinendo ab omnibus, per quæ detrahi valeat nomini Chriſtiano, quod tam fideles, qui in partibus ipſis degunt, quam etiam infideles ad frugem melioris vitæ veſtro proficiant & informentur exemplo, & nos in veſtris laudibus delectabiliter in Domino gloriantes, vobis pro veſtræ devotionis & fidei ſinceritate, reddamur favorabiles & benigni.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem v. Idus Februarii, anno II.

XL.

De eodem. Reg. Vatic. epiſt. 844.

Univerſis Chriſti fidelibus per Africam conſtitutis.

§. I. Illius, licet immeriti, Vicarii conſtituti, qui pro ſalute humani generis de ſupremis cœlorum ad ima mundi deſcendens, & diſcipulos, quos elegit, in univerſum mundum tranſmiſit omni creaturæ Evangelium prædicare, nonnumquam viros providos & diſcretos, cum nequeamus locis ſingulis corporali præſentia imminere, inſtructi ejus exemplo in partem ſollicitudinis evocamus pro negotiorum urgentium qualitate, qui prava in directa, & aſpera convertentes in plana, rectas faciant ſemitas Dei noſtri, populumque acceptabilem ſibi reddant.

§. II. Sane de circumſpectione venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Marrochitan. Apoſtolicæ Sedis Legati plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipſum in Africam univerſam ad cultum divini nominis ampliandum,

dum, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, ut juxta datam ſibi a Deo prudentiam evellat, & diſſipet, ædificet & plantet, inhærendo veſtigiis felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui bonæ memoriæ Blanco Epiſcopo Marrochitan. prædeceſſori ejuſdem Roderici Epiſcopi, ſimilem legationem conceſſit, providimus de Fratrum noſtrorum conſilio deſtinandam.

§. III. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ipſum Sedis prædictæ Legatum, tamquam perſonam noſtram, vel potius nos in eo recipientes cum debita reverentia & honore, illius monitis & mandatis plenarie ac humiliter intendere procuretis, ita quod idem ad gloriam Dei & animarum profectum injunctum ſibi miniſterium exequi valeat inoffenſe, noſque devotionem veſtram poſſimus exinde merito commendare. Alioquin ſententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem xv. Kal. Martii, anno II.

XLI.

Confirmat donationem cujuſdam Eccleſiæ eiſdem factam. Reg. Vat. epiſt. 15.

Guardiano & Fratribus Minoribus Dignen.

Sacram religionem veſtram, in qua cultui divini nominis frequenter intenditis, & animarum profectui ſollicite deſervitis, dignam præſidii favoris Apoſtolici reputantes, quæ pie depoſcitis, aure benigna ſuſcipimus, & benevolentia paterna complemus. Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod bonæ memoriæ B. Dignen. Epiſcopus attente conſiderans, quod Eccleſia ſancti Petri ſita extra muros civitatis Dignen. quæ propter nimiam ſui vetuſtatem minabatur ruinam, adeo erat loco veſtro conjuncta, quod Eccleſia veſtra abſque illa commode conſtrui non valebat, eamdem Eccleſiam ſancti Petri ad ſuam collationem ſpectantem tunc vacantem, nullique alii de jure debitam, vobis pia liberalitate tradidit & conceſſit, idque venerabilis frater noſter E. Dignen. Epiſcopus ſucceſſor ipſius poſtmodum confirmavit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper præmiſſis provide factum eſt, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, defectum, ſi quis in eo extitit, ſupplentes de plenitudine poteſtatis. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis & ſuppletionis &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem II. Kal. Martii, anno III.

XLII.

Fit Epiſcopus Veglenſis. Reg. Vatic. epiſt. 65.

Venerabili fratri Lamberto Epiſcopo Veglen.

§. I. Vacante dudum Veglen. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Marini Veglen. Epiſcopi, duæ fuerunt electiones a Canonicis ipſius Eccleſiæ, una videlicet de fratre Joanne de Vegla Minorum, & altera de fratre Zacharia Prædicatorum Fratrum Ordinum in diſcor-

dia

dia celebratæ. Hujuſmodi vero electionum negotio ad Sedem Apoſtolicam devoluto, cum dicti electi infra tempus a jure ſtatutum & etiam poſt, ad eamdem Sedem accedere non curarent pro hujuſmodi electionum ſuarum negotio proſequendo, nos ipſos in audientia publica citari fecimus, ut ad proſequendum jus, ſi quod eis in hujuſmodi electionibus competebat, certo termino comparerent, & demum cum nullus illorum ad hæc comparere curaret, pronuntiavimus ipſos a jure, ſi quod eis competebat ex eiſdem electionibus, cecidiſſe.

§. II. Deinde vero ne dicta Eccleſia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ei de Paſtore idoneo providere volentes, ad perſonam tuam morum honeſtate decoram, litterarum ſcientia præditam, in ſpiritualibus providam, & in temporalibus circumſpectam, ac aliis virtutum donis multipliciter commendatam, direximus oculos noſtræ mentis, illam fore perutilem ad ipſius Eccleſiæ regimen arbitrantes. Ea propter te Ordinem Fratrum Minorum profeſſum, de Fratrum noſtrorum conſilio, eidem Eccleſiæ in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Veglen. Eccleſiæ ſpiritualiter ac temporaliter committendo, firma de te concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, inibi cultus divinus augebitur, & eadem Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam in ſpiritualibus & temporalibus proſpere dirigetur & ſalubria, dante Domino, ſuſcipiet incrementa.

§. III. Reverenter igitur ſuſcipe jugum Domini, & ſuavi ejus oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia, ipſius Veglen. Eccleſiæ adminiſtrationem exequi ſtudeas diligenter, & gregis tibi in ea commiſſi cuſtodiam proſequaris ſollicite ac prudenter, ut laudabili de ipſo in die judicii reddita ratione, una cum eis regnum Patris æterni ab origine mundi præparatum electis, merearis accipere, ac dilecta Domini tabernacula poſſidere.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem VIII. Idus Martii, anno III.

XLIII.

Fit Epiſcopus Reginus. Reg. Vatic. epiſt. 220.

Dilecto filio fratri Guillelmo Electo Regin.

§. I. INter varia innumeraque negotia, quæ ſollicitudinis curæ nobis ex alto commiſſæ frequenter occurrunt, de illis continua reddimur attentione ſolliciti, & profundis circa ea vigiliis excitamur, ne deſit Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudium, ubi paſtorale tenemur injunctum nobis officium exercere, & in eo potiſſime ſtudiorum noſtrorum ſedulitas officioſa verſatur, ut ad curam Eccleſiarum omnium, quarum licet immeriti, regimini præſidemus, illarum maxime, quas viduitatis incommoda deplorare conſpicimus, opportunam ſolertiam, & ſolertem diligentiam impendamus, eis de fructuoſis paſtoribus, & utilibus providendo. Sane dudum Regin. Eccleſiæ per obitum bonæ memoriæ Guillelmi Epiſcopi Regin. ſolatio deſtituta paſtoris, duæ fuerunt inibi electiones, una videlicet de quondam Franciſco de Fullano Regin. & alia de quondam Teodoſio de Fliſco Laudunen. Canonicis, in diſcordia celebratæ. Quarum electionum negotio ad Sedem Apoſtolicam devoluto, dilectum filium noſtrum Joannem ſanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem in eo conceſſimus partibus Auditorem, coram quo hujuſmodi

modi cauſa pendente, primo Theodoſius, & deinde Franciſcus præfati, prout Domino placuit, naturæ debitum perſoluerunt.

§. II. Nos autem cupientes eidem Eccleſiæ de paſtore idoneo providere, proviſionem ipſius ea vice Apoſtolicæ ordinationi duximus reſervandam, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper hoc a quoquam ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero de ipſius Eccleſiæ utili proviſione penſantes, ne prolixioris vacationis incommodis ulterius ſubjaceret, ad perſonam tuam grata nobis familiaritate notam, quam litterarum ſcientia, honeſtate morum, converſatione vitæ laudabilis, providentia ſpiritualium, & circumſpectione temporalium, & aliis virtutum donis Dominus ex ſuæ largitatis gratia multipliciter decoravit, direximus oculos noſtræ mentis, illam fore perutilem ad ipſius Eccleſiæ regimen arbitrantes, te Ordinem Fratrum Minorum profeſſum in officio Pœnitentiariæ noſtræ laudabiliter comprobatum in ejuſdem Eccleſiæ Regin. de Fratrum noſtrorum conſilio &c. ut in ſuperiori uſque *ſuſcipiet incrementa*. Reverenter ergo ſuſcipe jugum Domini &c. uſque *poſſidere*.

Datum apud Urbem veterem x. Kal. Julii, anno III.

XLIV.

Confirmat donationem cujuſdam Eccleſiæ eis factam. Reg. Vatic. epiſt. 377.

Guardiano & Fratribus Minoribus Anagnin.

§. I. Cum a nobis petitur &c. uſque *effectum*. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, & Sorores Monaſterii ſancti Petri de Vineis Anagnini ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſanctæ Claræ, grata & utilia ſervitia, quæ in ipſarum factis & negotiis a Fratribus veſtri Ordinis dudum receperant, providere attendentes, ac cupientes animarum promovere ſalutem, Eccleſiam ſancti Baſilii Anagnin. eis pleno jure ſubjectam, cum omnibus domibus, portis & pertinentiis ſuis Cuſtodi Fratrum Minorum Campaniæ, ſuo ac Generalis & Romanæ Provinciæ Miniſtrorum, eorumque ſucceſſorum nomine per donationem, quæ dicitur inter vivos, pure ac libere contulerunt, volentes ut Fratres veſtri Ordinis inibi commorantes, devotum impendant Domino famulatum, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Sicque vos poſt hujuſmodi conceſſionem ad prædictam Eccleſiam accedentes, ibi habitationem veſtram & locum, ſicut aſſeritis, facere decreviſtis.

§. II. Cum autem, ſicut aſſeritis, in hoc Romani Pontificis, ſicut intervenire debebat de jure, non interveniſſet aſſenſus, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis in hac parte de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc provide factum eſt, ratum & gratum habentes, defectu hujuſmodi non obſtante, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c.

Datum apud Urbem veterem II. Non. Auguſti, anno III.

XLV.

Jubet ut Fratres tertii Ordinis ſibi eligant Viſitatores ex Minoritis. Roderic. bulla 8. Specul. Min. tract. 2. fol. 39.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis &c.

Suprema poteſtas S. Petro collata.

§. I. UNigenitus Dei filius, cujus livore ſanati ſumus, & ſanguinis fonte regenerati, ſolus ſuam fundavit Eccleſiam, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, beatoque Petro Apoſtolorum Principi, æternæ vitæ clavigero, cœleſtis & æterni ſimul imperii jura commiſit, diſperſos Iſtael ad ovile ſuum miniſterio Paſſionis inductos ligandi atque ſolvendi ſibi, & in eo ſucceſſoribus tradito principatu. Quare Romano Pontifici, ejuſdemque Principis in principatu hujuſmodi ſucceſſori hæ vigiliæ præcipuæ & ſolertiæ ſedulæ ſtudia, & deſideria non vacua imminent ex debito Apoſtolicæ ſervitutis, ut Eccleſiam ipſam novo ſemper fœtu multiplicet, & congreget illi gregem & diſciplinis & regulis informatum. Nam humanæ naturæ conditio tamquam vas figuli ſubjecta frangitur, & facile reparatur, propterea ſiquidem fideles ejuſdem Eccleſiæ, ut in azymis ſinceritatis & veritatis alitos vigilanter oportet cavere, ne ſucceſſores ejuſdem Principis, ordinationibus vel doctrinis minorando detrahant, vel quoquomodo labiis detractionis obſiſtant, cum ſecundum Apoſtolum * ordinationi ſit obvius, qui poteſtati reſiſtit.

Romanus Pontifex Petri ſucceſſor.

* Rom. 13. v. 2.

S. Franciſcus Apoſtolorum diſcipulus.

§. II. Cum itaque ille glorioſus beatus Franciſcus Confeſſor eximius, igne caritatis ſuccenſus, verbo & opere Apoſtolorum diſcipulus ad ampliandam in domo Domini familiam, plenus ſpiritu veritatis conſurgens, ut ambulantium in tenebris pedes eruditionis, ſine litteris, dirigeret in viam ſalutis æternæ, quemadmodum Ordinem inſtituerat Pœnitentium titulo inſignitum, in quo normam tradidit promerendi æterna. Nos Ordinem ipſum opportunis favoribus proſequi, & ad ejus augmentum benignius intendentes, ut quod in zelo ipſius Confeſſoris extiterit, incrementis augeretur virtutis: ejuſdem Ordinis profeſſores adjectione noſtræ ſollicitudinis magis ac magis de virtute proficiant in virtutem, Ordinem ipſum approbando, ordinationes nonnullas ſalutaris perſuaſionis, noſtris litteris in eodem Ordine duximus obſervandas; inter ceteras eiſdem Fratribus paterno conſulentes affectu, ut hujuſmodi normam vivendi ſequerentur, & ſequendo amplecterentur eamdem.

§. III. Et cum naturalis perſuadeat ratio & rationi æquitas acquieſcat, ut prædicti Ordinis profeſſores, ob ipſius Confeſſoris reverentiam dilectorum filiorum noſtrorum Ordinis Minorum dirigantur & regulentur doctrina, qui utriuſque Ordinis almus extitit inſtitutor, de Ordine ſupradicto Fratrum Minorum viſitatores & procuratores aſſumere procurent.

Error quorumdam Fratrum de Pœnitentia.

§. IV. Verum quia proh dolor! nonnulli ex Ordine prædicto Pœnitentium, Eccleſiæ & Confeſſoris eorumdem degeneres filii, adverſus perſuaſionem & conſilium hujuſmodi conſurgentes, non metuunt affirmare, quod hujuſmodi noſtro conſilio acquieſcentes, illoſque ſequi volentes ſalvari nequeunt in eodem Ordine Pœnitentium, nec formidantes præſumptuoſius agere in hac parte, callidis ſuggeſtionibus ſubvertunt, ipſi conſilio adhærere cupientium voluntates, illudque adimplentes prohibitionibus præſumptuoſis & moleſtationibus gravibus perſequendo. Nos præſumptores hujuſmodi nolentes conniventibus oculis pertranſire, pro-

prohibemus, ne quis onus hujuſmodi profeſſionis, cujuſcumque conditionis & ſtatus exiſtat, auſu nefario præſumat impedire, quatenus omnes dicti Ordinis Pœnitentium regulam obſervantes, qui hujuſmodi noſtrum cupiunt ſequi conſilium, illud adimpleant & ſequantur: decernentes omnino proceſſus contra hujuſmodi noſtrum conſilium adhærentes habitos & habendos nullius exiſtere firmitatis.

§. V. Ceterum quoniam cupimus vehementer hujuſmodi noſtrum ſalubre conſilium adimpleri, omnes qui illud ſuſceperint, & adimpleverint reverenter, Apoſtolicæ & noſtræ benedictionis gratiam amplius conſequantur, & gaudeant privilegiis ejuſdem Ordinis Pœnitentium ab eadem Sede conceſſis, & in poſterum concedendis. Impedientes vero, quo minus præmiſſum adimpleant conſilium, quod ab hujuſmodi impedimento deſiſtant, per locorum ordinarios compeſci volumus & mandamus. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ſub quacumque forma verborum obtentis, per quæ effectus præſentium poſſet quodammodo impediri. Et inſuper volumus, quod hujuſmodi Fratres noſtro ſalubri conſilio adhærentes debeant habere miniſtros de ſe ipſis, juxta formam in prædicta regula comprehenſam. *Privilegia Fratribus conceduntur.*

Datum apud Urbem veterem VI. Idus Auguſti, Pontif. noſtri anno III.

XLVI.

Ut non ſolvant decimas de ſuis poſſeſſionibus. Reg. Vatic. epiſt. 349.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Scalalapidis ſanctæ Mariæ Ordinis ſanctæ Claræ Cracovien. diœceſis.

Volentes vobis, quæ, ſicut aſſeritis, eſtis ab hominum habitatione ſemotæ, gratiam facere ſpecialem, devotionis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut de nemoribus & ſilvis, quæ vobis & Monaſterio veſtro pia largitione fidelium ſunt conceſſa, quæ etiam jam ad culturam redacta fore noſcuntur, & de illis, quæ ad culturam redigentur etiam in futurum, dummodo aliquis de ipſis hactenus decimas non perceperit, nulli decimas ſolvere teneamini, & ad id cogi a quoquam non poſſitis invitæ.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum apud Urbem veterem X. Kal. Septembris, anno III.

XLVII.

Conſtituit eos judices in controverſia circa ædificandam domum Minorum Laudunen. Reg. Vatic. epiſt. 356.

Magiſtris Joanni de Vaſonia, & Auberto de Marla Canonicis Laudunen.

§. I. Petitio dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Minorum Laudunen. nobis expoſita continebat, quod eis dudum inſinuantibus fel. rec. Gregorio Papa X. prædeceſſori noſtro, quod cum claræ memoriæ Ludovicus Rex Francorum quemdam locum ſuum intra civitatem Laudunen. ad Quarrellum, juxta Eccleſiam ſancti Cornelii poſitum eiſdem Guardiano & Fratribus ad ſerviendum ibi Domino caritatis intuitu liberaliter conceſſiſſet, Abbas & Conventus Monaſterii ſancti Joan- *Monachi obſiſtunt Fratribus ne ſidum Conventus poſſideant.*

Joannis Laudunen. Ordinis ſancti Benedicti aſſerentes quamdam partem fundi, quem dicti Guardianus & Fratres tenebant, poſtquam ipſi Eccleſiam & domos habitationis eorum uſibus opportunas, juxta tenorem privilegiorum Ordini eorum a Sede Apoſtolica conceſſorum, libere & ſine contradictione aliqua jam pro magna parte duxerant conſtruendas, ad ſe pertinere, ſe illis ſuper hoc opponebant, non permittentes eos inibi pacifice habitare, aut opus perficere inchoatum. Et quod licet dictus Abbas, & quam plures de dicto Conventu recompenſationem congruam a memoratis Guardiano & Fratribus eis oblatam pro jure, ſi quod habebant, in hujuſmodi loco acceptantes conſenſiſſe dicerentur, ut dicti Guardianus & Fratres in loco remanerent libere antedicto, ſicut per patentes litteras ipſius Abbatis ſigillo munitas plenius apparebat, quibuſdam tamen de Conventu ipſo in contradictione ſua perſiſtentibus, ac eoſdem Guardianum & Fratres moleſtantibus multipliciter in hac parte, iidem Guardianus & Fratres quiete inibi non poterant remanere, neque procedere in opere quod cœperunt: dictus prædeceſſor tibi fili Auberte, & quondam Nicolao majori Archidiacono Laudunen. ejus proprio nomine non expreſſo, ſub ea forma ſuis dedit litteris in mandatis, ut ſi eſſet ita, ad reducendum dictos Monachos contradictores ad concordiam cum præfatis Guardiano & Fratribus inpræmiſſis poneretis omnem caritatis opem & operam efficacem. Quod ſi forſan id provenire poſſe nullatenus videretis, de cauſis contradictionis hujuſmodi Monachorum ipſorum, & aliis facti circumſtantiis exacte inquireretis diligentius veritatem, & quod ſuper iis inveniretis, necnon & prædictorum contradictorum numerum, & etiam qualitatem, dicto prædeceſſori per veſtras patentes litteras prædictarum ſeriem continentes ſtuderetis fideliter intimare, ut idem prædeceſſor de hujuſmodi negotii qualitate plene inſtructus, plenius circa illud remedium apponeret, prout expedire videretur. Interim autem non permitteretis ab alterutra partium in alterius præjudicium aliquid innovari. Contradictores &c.

Recenſentur ea, quæ de hac re Gregorius X. decreverat.

§. II. Et licet tu prædicte Auberte, ac idem Archidiaconus adhuc vivens litterarum ipſarum vobis ſuper hoc directarum formam ſervantes, in hujuſmodi negotio aliquandiu procedere cœpiſſetis, & negotium prædicto prædeceſſori retuliſſetis, eodem tamen prædeceſſore interim morte prævento, hujuſmodi relatio effectum non habuit in prædictis, ſicque nominati Guardianus & Fratres nullum ex præfatis litteris commodum reportarunt. Quare nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum Abbas & Conventus prædicti, ipſis Fratribus contradicant ad præſens, propter quod dicti Guardianus & Fratres in eodem loco nequeunt abſque mentium & corporum ſuorum inquietudine commorari, ac Archidiaconus Landunen. ſucceſſor ipſius Archidiaconi in remotis agere dicatur ad præſens, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia dignaremur.

Jubet Pontifex ut Fratribus fundum dimittatur.

§. III. Nos itaque volentes Guardiano & Fratribus præfatis in hac parte quantum cum Deo poſſumus procurare quietem, diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi ita eſt, Abbatem & Conventum præfatos ex parte noſtra efficaciter monere ac inducere procuretis, nt pro parte, quam eos in dicto loco contingere aſſerunt, ab eiſdem Guardiano & Fratribus ad bonorum virorum arbitrium, congrua ſatisfactione recepta, dictam partem ipſis Guardiano & Fratribus dimittant liberam & quietam, ipſoſque inibi ſine perturbatione aliqua commorari. Quod ſi Abbas & Conventus præfati monitionibus & inductionibus veſtris acquieſcere forte noluerint, vos eos tunc ad id Guardia-

diano & Fratribus dictam ſatisfactionem præſtantibus (dummodo hujuſmodi venditio, ſeu alienatio dictæ partis non vergat in enormem ipſius Monaſterii læſionem, in quo quidem caſu vobis coactio ſit adempta) per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis. Non obſtante &c. uſque *mentionem*. Quod ſi non ambo &c. alter veſtrum id nihilominus exequatur.

Datum apud Urbem veterem IV. Nonas Septembris, anno III.

XLVIII.

Fit Epiſcopus Clugienſis. Regeſt. Vatic. epiſt. 493.

Dilecto filio fratri Henrico Electo Clugien.

§. I. Ex ſuſceptæ ſervitutis officio, ſollicitudine pulſamur aſſidua, ut Eccleſias omnes, quarum cura eſt nobis, ſummi diſpoſitione Paſtoris, commiſſa, ſpiritualibus & temporalibus commodis augeamus, & eis maxime per debitæ proviſionis miniſterium neceſſitatibus conſulamus, quæ noſcuntur paſtoris ſolatio deſtitutæ.

§. II. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Stephano Clugien. electo, de quo per Sedem Apoſtolicam Eccleſiæ Clugien. proviſum fuerat, antequam conſecrationis ſuæ munus ſuſciperet, morte prævento, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ convenientes in unum pro futuri ſubſtitutione paſtoris, quondam Percivallum Canonicum Eccleſiæ Modoetien. Mediolanen. diœceſis per viam compromiſſi in Clugien. Epiſcopum concorditer elegerunt, ſed eo electioni hujuſmodi conſentire nolente, in venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham Graden. compromittere curaverunt, conceſſa ei providendi pro ea vice de perſona idonea eidem Eccleſiæ, & paſtore, plena & libera poteſtate.

§. III. Cumque poſtmodum præfatus Patriarcha Leonardum Plebanum plebis ſancti Euſtachii de Venetiis Caſtellen. dioec. ex vi compromiſſi hujuſmodi in Clugien. Epiſcopum elegiſſet, pro parte quorumdam Canonicorum Clugien. contra electionem hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam extitit appellatum. Noſque poſtmodum dilectum filium noſtrum Petrum ſancti Euſtachii Diaconum Cardinalem in hujuſmodi appellationis cauſa, & negotio principali conceſſimus partibus auditorem, coram quo cauſa ipſa pendente, præfatus Leonardus nolens quod prætextu electionis hujuſmodi de ſe factæ, Eccleſia præfata ulterius ſub viduitate langueret, omni juri, quod ſibi ex electione prædicta quæſitum fuerat, ſponte ac libere in manibus dilectorum filiorum noſtrorum H. tituli ſanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis, & ejuſdem Petri Cardinalium de noſtra licentia renunciavit expreſſe.

§. IV. Nos itaque renunciationem hujuſmodi acceptantes, ac paterna volentes ſollicitudine præcavere, ne dicta Clugien. Eccleſia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ad perſonam tuam, quam litterarum ſcientia, honeſtate morum, converſatione vitæ laudabilis, providentia ſpiritualium, & circumſpectione temporalium, & aliis virtutum donis, ex ſuæ largitatis gratia, multipliciter decoravit, direximus oculos noſtræ mentis illam fore perutilem ad ipſius Eccleſiæ regimen arbitrantes. Quapropter te, &c. uſque *ſuſcipiet incrementa*. Reverenter ergo, &c. uſque *poſſidere*.

Datum apud Urbem veterem XV. Kal. Octobris, anno III.

XLIX.

XLIX.

Ut non teneantur præſtare procurationes Legatis Sedis Apoſtolicæ. Reg. Vat. epiſt. 515.

Cuſtodi & Fratribus Hoſpitalis Leproſorum ſancti Lazari de Valencellis Ordinis Fratrum Minorum Spoletan. Diœc.

PAupertati veſtræ, quam propter Deum voluntarie ſuſtinetis, & quieti, paterna impoſterum ſollicitudine præcavere volentes, ad inſtar fel. rec. Clementis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut vos ad præſtationem procurationum Legatorum Sedis Apoſtolicæ, vel Nunciorum ipſius aut executionum, vel collectarum, ſeu ſubſidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictæ Sedis Legatorum, Rectorum, vel Nunciorum ejuſdem cujuſcumque tenoris exiſtant, aut cujuſcumque auctoritate, in perpetuum compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas & inanes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas ſuper hoc in vos vel in veſtrum aliquos, aut hoſpitale veſtrum in poſterum contigerit promulgari. Nulli ergo noſtræ conſtitutionis, &c. Si quis, &c.

Datum apud Urbem veterem Idibus Novembris, anno III.

L.

Ut poſſint ſibi inſtituere Syndicos & Procuratores. Specul. Min. tract. 2. fol. 34.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus univerſis Ordinis Fratrum Minorum.

REligionis favor, ſub qua virtutum Domino deſervitis, & fructus uberes, qui ex veſtris laboribus in Eccleſia univerſali, divina gratia cooperante, proveniunt, nos inducunt ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ veſtri Ordinis pura obſervantia in ſui vigore ſervetur, dictique Ordinis Profeſſores, qui pro nulla re temporali poſſunt in judicio expetiri, excluſis, &c. ut ſupra in bulla 6. Martini IV. uſque ad finem.

Datum apud Urbem vet. x. Kal. Decemb. Pontif. noſtri anno III.

LI.

Ut quaſdam concedant domos Minoribus ſuo Monaſterio ædificandas neceſſarias. Reg. Vatic. epiſt. 574.

Abbatiſſæ & Conventui Majoris Monaſterii Turonen. Ordinis ſancti Benedicti.

§. I. SIgnificarunt nobis dilecti filii Guardianus & Fratres domus Ordinis Minorum Carnoten. quod cum domus eorum extra civitatem Carnoten. poſita maneat, grave non modicum & laborioſum fore dignoſcitur, hyemali præcipue tempore ingruente, dictæ civitatis incolis, ut ſe ad eorum Eccleſiam conferant pro divinis officiis inibi audiendis, propter quod eam ad viciniorem prædictæ civitatis locum tran-

transferre cupiunt, ut ad eam a dictis incolis acceſſus commodior habeatur.

§. II. Verum cum quædam domus parvæ tum ad Monaſterium veſtrum ſpectantes, ex quarum penſionibus xxv. ſolidorum Turonen. ſummam percipere dicebamini annuatim, quamplurimum eſſent neceſſariæ Guardiano & Fratribus ſupradictis, Nos vobis preces per noſtras litteras direximus, & mandata, ut domos eaſdem præfatis Guardiano & Fratribus pro competenti pretio ſeu concambio, juxta bonorum virorum arbitrium, concedere curaretis, ſicque vos tamquam benedictionis & devotionis filii, preces noſtras & mandata ſicut ex parte dictorum Guardiani & Fratrum nobis extitit intimatum, hilariter admittentes, eis domos prædictas liberaliter conceſſiſtis, ſuper quo gratiarum vobis referimus actiones.

§. III. Sane cum dicti Guardianus & Fratres quibusdam aliis domibus ad Monaſterium prædictum ſpectantibus ex quibus annum cenſum quindecim ſolidorum Turonenſium, vel circa, ut dicitur, conſueviſtis percipere, adhuc plurimum indigere noſcantur, & ſine ipſis exequi nequeant, quod intendunt, Nos ea ducti fiducia, ut veſtra devotio, noſtris, prout conſueviſtis, beneplacitis ſe coaptet, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eiſdem Guardiano & Fratribus ob Dei & noſtram reverentiam, domos ipſas quas a vobis humiliter poſtulant, pia liberalitate vel ſaltem pro pretio competenti, ſeu concambio ſecundum bonorum virorum æſtimationem concedere ſtudeatis. Ita quod vobis exinde mercedis æternæ cumulus augeatur, noſque veſtræ devotionis promptitudinem dignis in Domino laudibus commendare merito valeamus.

Datum apud Urbem veterem IV. Nonas Decembris, anno III.

LII.

Conceditur licentia ædificandi Conventum de Silernone. Reg. Vatic. epiſt. 517.

Episcopo Lausanen.

§. I. Expoſuit nobis dilectus filius nobilis vir Oddo de Grandiſono, quod ipſe propter magnæ devotionis affectum, quem ad ſacrum Ordinem Fratrum Minorum ſe gerere aſſerit, in loco ſuo de Silernone vulgariter nuncupato, tuæ Lauſanen. diœceſis: qui quidem locus, quaſi in ſolitudine conſtitutus, nullam Eccleſiam vel Capellam aut religioſam domum infra dimidium milliare poſitam dicitur habere vicinam, Eccleſiam & domos ſumptibus propriis conſtruere ſeu ædificare ad honorem Dei, ſuæque ſalutis augmentum deſiderat, in quibus certus Fratrum ejuſdem Ordinis numerus continue perſeveret.

§. II. Nos itaque ejus laudabile ſalubreque propoſitum multipliciter in Domino commendantes, & volentes illud favore proſequi ſpeciali, ejuſdem ſupplicationibus inclinati, conſtruendi ſeu ædificandi ſuis ſumptibus in loco prædicto taliter conſtituto, Eccleſiam & domos hujuſmodi ad opus Fratrum Ordinis ſupradicti plenam & liberam, auctoritate litterarum noſtrarum, eidem conceſſimus facultatem.

§. III. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus perſonaliter ad locum prædictum, cum ab eodem nobili & Fratribus ſupradictis fueris requiſitus accedens, primarium lapidem ejuſdem Eccle-

cleſiæ conſtruendæ, ac etiam cœmeterium, poſtquam Eccleſia ipſa incepta fuerit, prout moris eſſe dignoſcitur, benedicas.

Datum apud ſanctam Mariam Majorem Idibus Decembris, anno III.

ANNO CHRISTI 1291. NICOLAI IV. ANNO 3. & 4.

LIII.

Ut vendant Clariſſis prope Pariſios quaſdam terras & domos. Reg. Vatic. epiſt.632.

Priori & Fratribus Hoſpitalis Hieroſolymitan. Pariſien.

§. I. SUper iis quæ pietatem ſapiunt & ſalutem reſpiciunt animarum tanto nos promptos haberi competit, quanto noſtræ perſpicuum exiſtit induſtriæ, quod pro bonorum operum ſtudiis acquiritur patria perpetuæ claritatis. Sane circa dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum Monaſterii ſanctæ Claræ prope Pariſius Ordinis ſanctæ Claræ pro claris earum meritis gerentes affectum benevolentiæ ſpecialis, ipſarum pia deſideria quantum cum Deo poſſumus, libenti animo, & jucundo ſpiritu per vos & alios procuramus.

§. II. Cum itaque prædictæ Abbatiſſæ & Conventus, ſicut ex parte ipſarum fuit propoſitum coram nobis, quibuſdam terris veſtris & domibus cenſivis pro ampliatione loci ſui, quem incolunt, plurimum indigere noſcantur; univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus memoratas Abbatiſſam & Conventum, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram libenter in hac parte favorabiliter commendatas, eis quaſdam terras & domos cenſivas, quas juxta locum prædictum habetis, quarum proventus centum ſolidorum Pariſien. valorem annuum, prout aſſeritis, non excedunt, pro pretio competenti vendatis, aut pro illis recipiatis ab eis recompenſationem aliam juxta bonorum virorum æſtimationem congruam, quam vobis ſunt exhibere paratæ, preces noſtras taliter impleturi, quod vobis exinde favoris noſtri gratia, & tamdem proveniat cœleſtium recompenſatio præmiorum.

Datum apud Urbem veterem II. Non. Januarii, anno III.

LIV.

Ut nulli teneantur præſtare ſubſidia. Reg. Vatic. epiſt.674.

Univerſis Abbatiſſis & Conventibus Sororum incluſarum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ.

Regeſt. Tom. 4. fol. . . . QUanto ſtudioſius devota mente, &c. ut ſupra in bulla XI. ſub Clemen. IV. uſque ad fin.

Datum apud Urbem veterem XV. Kal. Febr. anno III.

LV.

Fit Archiepiſcopus Iadrenſis. Reg. Vatic. epiſt.687.

Venerabili Fratri Joanni Archiepiſcopo Jadren.

§. I. AD univerſalis Eccleſiæ regimen divina diſpoſitione vocati, circa ſtatum cujuslibet aciem ſollicitæ conſiderationis extendimus, paſtoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut Eccleſiæ ſingulæ

ſæ a paſtoribus gubernentur idoneis, & rectoribus utilibus diſponantur.

§. II. Dudum ſiquidem Jadren. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ L. Jadren. Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtituta, Capitulum ipſius Eccleſiæ pro futuri ſubſtitutione paſtoris convenerunt in unum, & cum tandem nonnulli ex dictis capitulo Magiſtrum Andream Capſoni Canonicum Eccleſiæ Paduan. in Jadren. Archiepiſcopum elegiſſent, reliqui ad venerabilem Fratrem noſtrum Graden. Patriarcham loci ſuperiorem ab electione hujuſmodi appellarunt. Coram quo aliquandiu negotio hujuſmodi ventilato, nos in eo poſtmodum per appellationem ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluto, dilectum filium noſtrum Joannem tituli ſanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem conceſſimus partibus Auditorem.

§. III. Verum poſtea idem magiſter Andreas cupiens ſuæ providere quieti, juri, ſi quod ſibi in electione hujuſmodi extiterat acquiſitum, in noſtris manibus renunciavit expreſſe. Nos itaque hujuſmodi renunciatione recepta ad proviſionem ipſius Eccleſiæ ſalutarem, debita ſolertia, conſurgentes, ut ipſam avertamus a diſpendiis quæ ſolent Eccleſiis, ex vacatione diutina provenire, in te Ordinis Minorum Fratrum, quem, & fide dignorum teſtimonio laudabili accepimus virtuoſum, prædicant fluenta virtutum, ac titulo multæ circumſpectionis extollunt, oculos direximus noſtræ mentis. Quapropter ſperantes in Domino, quod per miniſterium tuæ virtutis in multis expertum, & experientia comprobatum, præfata Eccleſia in proſperitate conſurget optata, & brachio tuæ conſolationis ſubnixa in ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, gratis proficiet incrementis, te ipſi Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio, præfecimus in Archiepiſcopum & paſtorem, tuæ prudentiæ curam & adminiſtrationem ipſius temporaliter & ſpiritualiter committendo, poſtmodum tibi de noſtris manibus munere conſecrationis impenſo.

§. IV. Rogamus itaque fraternitatem tuam & hortamur in Domino per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tuæ fidelitati commiſſas, devoteque ſuſceptas, ſic prudenter ſtudeas gerere, ipſarumque onus prudentius ſupportare, quod in grege tibi tradito fructus multiplices illi bono paſtori acceptos, qui dat affluenter & non improperat, quique actus ſibi placidos dirigit in viam ſalutis æternæ, id ſic efficaciter ſupernis adjutus auxiliis impleturus, quod proinde una cum tuis ſubditis merearis cum delectis in diſtricto examine, in dexteram collocari, ſempiternæ lætitiæ dulcedine fruiturus.

Datum apud Urbem veterem II. Idus Februar. anno III.

LVI.

Dat licentiam condendi teſtamentum. Reg. Vatic. epiſt. 143.

Venerabili Fratri Jacobo Feltren. & Bellunen. Epiſcopo.

Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea quæ viſibilem habent eſſentiam, tendunt utiliter ad non eſſe, tu hoc ſalubri præmeditatione recogitans, diem tuæ peregrinationis extremum, diſpoſitione teſtamentaria, prævenire deſideras. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per

Eccleſiam, ſeu Eccleſias alias, tamen licite acquiſitis, quæ ad te pertinere omnimode dignoſcuntur, libere teſtari valeas, ac de bonis mobilibus Eccleſiæ tuæ diſpenſationi ſeu adminiſtrationi commiſſis, & quæ non fuerint altaris ſeu altarium tibi Eccleſiarum commiſſarum miniſterio ſeu alicui ſpeciali earumdem Eccleſiarum divino cultui vel uſui duputata, vel quæ Ordinis Fratrum Minorum, quem fuiſti profeſſus, non exiſtant, necnon & quibuſcumque bonis mobilibus a te per Eccleſiam ſeu Eccleſias licite acquiſitis pro decentibus & honeſtis expenſis tui funeris & pro remuneratione, &c. ut in bulla IV. hujus Pontificis, uſque *facultatem*. Volumus tamen, &c. uſque *expedire*.

Datum apud Urbem veterem IV. Idus Junii, anno IV.

LVII.

Ut concedant quaſdam domos Minoritis. Reg. Vatic. epiſt. 515.

Abbati & Conventui Monaſterii ſancti Joannis in Valencenis Ordinis ſancti Auguſtini Cameracen. Diœc.

§. I. SIgnificarunt nobis dilecti filii Guardianus & Fratres de Valencenis Ordinis Fratrum Minorum Cameracen. diœceſ. quod nos olim intellecto, quod ipſi in loco eorum tum propter ipſius loci parvitatem, tum etiam propter ſtrepitum, quem faciebant interdum ſcholares ſtudentes in ſcholis, quas a Monaſterio veſtro ſemotas juxta locum prædictum habetis, non poterant, prout affectabant, devotum Altiſſimo impendere famulatum. Nos eorumdem Guardiani & Fratrum cupientes per veſtræ proviſionis ſtudium quieti & profectui ſalubriter provideri, vobis per noſtras litteras preces duximus dirigendas, ut ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, locum ſive domos, in quibus ſcholæ prædictæ conſiſtunt, cum ſolo poſito juxta eas, dictis Guardiano & Fratribus pro ampliando eorum loco prædicto ab ipſis, juxta proborum virorum æſtimationem, in pecunia vel aliis, ex cambio competenti recepto, ſine difficultate qualibet, concedere curaretis, ſed vos ab hujuſmodi noſtris precibus avertentes auditum, & quaſdam occaſiones frivolas prætendentes, id efficere non curaſtis, propter quod dicti Guardianus & Fratres Apoſtolicæ Sedis providentiam implorantes nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ipſis ſuper hoc de opportuno remedio paterna diligentia curaremus.

§. II. Cum igitur ſalutare pietatis opus agatis, ſi dictis Guardiano & Fratribus benignos & promptos vos reddatis, univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ſcholas & domos juxta eas poſitas, cum ſolo prædicto pro competenti pretio ſive ex cambio alibi, quam in dicto loco, Fratrum Guardiano & Fratribus concedatis eiſdem. Alioquin quod prædicti Guardianus & Fratres de hujuſmodi noſtris precibus & præceptis optatum commodum conſequantur, dilectis filiis Cantori Cameracen. & Scholaſtico Tornacen. Eccleſiarum noſtris damus litteris in mandatis, ut vos ad id monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellant. Non obſtante, quod interdici &c. uſque *mentio ſpecialis*.

Datum apud Urbem veterem VI. Kal. Julii, anno IV.

LVIII.

LVIII.

Confirmat conceſſionem aquarum factam Minoritis. Reg. Vatic. epiſt.306.

Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Cameracen.

§. I. CUm a nobis petitur &c. uſque *effectum*. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod vos olim tempore bonæ memoriæ Nicolai Cameracen. Epiſcopi prædeceſſoris venerabilis fratris noſtri Guillelmi Epiſcopi Cameracen. Eccleſiam tunc ſpectantem acquiſiviſtis licite, congrua recompenſatione facta de loco ipſo Præpoſito & Capitulo Eccleſiæ ſupradictæ, prout ex amicabili compoſitione, quæ intervenit ſuper hoc inter partes, evidenter dicitur apparere, in qua etiam inter alia continetur, quod iidem Præpoſitus & Capitulum vos ſuper eodem loco nullatenus moleſtarent; dictus quoque Nicolaus Epiſcopus compoſitionem hujuſmodi per ſuas patentes litteras approbavit ac etiam confirmavit. *Habet formulam in Regeſto To.3. fol.421.*

§. II. Et quia poſtmodum piſcatores, quibus bonæ memoriæ Ingeramus Cameracen. Epiſcopus prædicti Nicolai ſucceſſor piſcationem aquarum ad dictam Eccleſiam ſpectantium ad firmam conceſſerat in aqua fluvii per medium dicti loci veſtri decurrente ſæpius piſcabantur, & exinde vobis ſcandalum & religionis turbatio imminebant, dictus Ingeramus Epiſcopus, ad quem vos ſuper hoc habuiſtis recurſum, omnem aquam infra clauſuram dicti loci contentam, liberam, quoad viveret, vobis provida deliberatione conceſſit, & poſtmodum eodem Ingeramo viam univerſæ carnis ingreſſo, idem Guillelmus Epiſcopus vos affectu proſequens ſpeciali conceſſionem vobis ſimilem fecit, quamdiu viveret duraturam. Cumque vobis demum ad veſtræ ſupplicationis inſtantiam, pro hujuſmodi ſcandalo & perturbatione in poſterum penitus evitandis, eidem Guillelmo Epiſcopo innovandi prædictam conceſſionem vobis perpetuis futuris temporibus duraturam, juramento, quod de non alienandis bonis ad præfatam Eccleſiam ſpectantibus præſtitiſſe dicitur, non obſtante, plenam per noſtras litteras licentiam duxerimus concedendam; idem Guillelmus Epiſcopus divinæ pietatis & caritatis intuitu, conceſſionem præfatam, juxta prædictarum litterarum noſtrarum tenorem, perpetuis futuris temporibus duraturam, de proborum & maxime Archidiaconorum & quorumdam majorum ejuſdem Eccleſiæ Cameracen. conſilio, innovavit; ita tamen quod infra vel extra ſepta dicti loci inferius aut ſuperius clauſuram facere nequeatis, per quam piſcibus ibidem affluentibus exitus aut introitus præcludatur, prout in patentibus litteris inde confectis dicti Guillelmi Epiſcopi ſigillo munitis, plenius dicitur contineri.

§. III. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc eb eodem Guillelmo Epiſcopo provide factum eſt, ſi quis in hujuſmodi innovatione prædictæ conceſſionis extitit defectus, pro eo quod Capituli ejuſdem Cameracen. Eccleſiæ non intervenit aſſenſus, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. ſi quis &c.

Datum apud Urbem veterem v. Kal. Julii, anno IV.

LIX.

Ut citet ad Sedem Apoſtolicam quoſdam valde injurios Minoritis villæ de Medicino. Reg. Vatic. epiſt. 515.

Archidiacono Socen. in Eccleſia Auxitan.

Nomina eorum recenſentur, qui facinus commiſerunt.

§. I. Significarunt nobis dilecti filii Cuſtos & Fratres Ordinis Minorum Agennen. diœc. quod cum ipſi olim in villa de Medicino ejuſdem diœceſis, ad quam ab univerſitate hominum ejuſdem Eccleſiæ fuerant evocati, in loco pro habitatione ipſorum licito acquiſito, manerent, Bobo Prior, Guillelmus Sacriſta, Berardus Cogot, Guillelmus de ſancto Flore, Martinus, Michael, Joannes, & Petrns de Lavena, & Joannes de Burgundia Monachi Prioratus dicti loci de Medicino Cluniacen. Ordinis, aſſociatis ſibi Gerardo de Niort Monacho Monaſterii de Alecto, Sacriſta Mabiburgeti Ordinis ſancti Benedicti, Joanne de Cachapoi, Bernardo & Guillelmo de Bares, Guillelmo Molinerii, Dominico de Crota, Bernardo de Burgo, Guilhoto de Lectora, Guillelmo de Luto, Odnato familiari Geraldi de Rupeſciſa, Raymundo Fabri, ac Jacobo Jaculatoris, Clericis, Arnaldo Molinerii, Arnaldo de Riveto, Guillelmo de Loba, Gualhardo de Condato, Joanne de Trona, Roſtando de Roquerio, Raymundo de Pluvia, Guillelmo de Montemirato Domicello, Guarſia Boerii, & Arnaldo de Figarolio laicis, & nonnullis eorum in hac parte complicibus Auxitan. Burdegalen. Toloſan. Lectoren. Aquen. Aduren. & Tabien. civitatum & diœc. ad præfatum locum eorumdem Cuſtodis & Fratrum nocturno tempore, dum dicti Fratres matutinale officium celebrabant, temere accedentes, ac diſcooperto tecto & fractis oſtiis Oratorii dicti loci, locum ipſum violenter intrantes, fratres Guillelmum de Pinderiis, Vitalem Latomum, & Guillelmum Gualterii vulneraverunt, in aliquos vero eorum manus injecerunt, Dei timore poſtpoſito, temere violentas. Quibuſdam inſuper operariis & famulis dictorum Cuſtodis & Fratrum, qui ipſorum obſequiis familiariter inſiſtebant, acriter verberatis, ac etiam vulneratis, famulos ipſos ligatos ducere, lectos quoque, vinum, libros, & quædam alia ſupellectilia in domibus loci ejuſdem inventa, ſecum exinde, dictoſque famulos apud prædictum Prioratum in carcere aliquandiu retinere nequiter attentarunt: & demum præfatum Oratorium, & officinas loci prædicti totaliter deſtruxernnt, ſicque Monachi & alii ſacrilegi ſupradicti, juxta tenorem

Percuſſores excommunicati ipſo facto.

indulgentiæ Fratribus prædicti Ordinis Minorum ab Apoſtolica Sede conceſſæ, pro hujuſmodi damnabili violentia in præfato loco ipſorum Fratrum per ipſos ſacrilegns, ut præmittitur, irrogata ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrerunt, & etiam pro hujuſmodi vulneratione, ac manuum injectione in prædictos Fratres præſumptis, in ſimilem inciderunt ſententiam a canone promulgatam.

Delegatio Epiſcopo Agennen. commiſſa.

§. II. Verum Cuſtode & Fratribus prædictis ad nos ſuper præmiſſis humiliter recurrentibus, nos nolentes ut præfati exceſſus remaneant impuniti, venerabili fratri noſtro Agennen. Epiſcopo noſtris dedimus litteris in mandatis, ut ſi ſibi per diligentem indaginem, quam ex officio noſtro ſummarie, ſine ſtrepitu & figura judicii per ipſum fieri volumus, ita eſſe conſtaret, prædictos ſacrilegos tamdiu, appellatione remota, excommunicatos, pulſatis campanis & candelis accenſis, publice nuntiaret in locis, in quibus expedire videret, & faceret ab aliis arctius evitari,

tari, donec ſuper iis ſatisfacerent co mpetenter, & cum ſuarum teſtimonio litterarum ad Sedem venirent Apoſtolicam abſolvendi, ac nihilominus exinde puniret eoſdem, prout facti qualitas & juſtitia ſuaderet.

§. III. Cum itaque præfatus Epiſcopus prædictos Priorem & Monachos ejuſdem Prioratus, auctoritate dictarum litterarum, volens inquirere de præmiſſis, ad ſuam præſentiam evocaſſet, ex parte ipſorum Prioris & Monachorum dicti Prioratus fuit coram eodem Epiſcopo excipiendo propoſitum, quod Abbatibus, Prioribus, & Monachis prædicti Cluniacen. Ordinis a dicta Sede indultum exiſtit, ut per litteras Apoſtolicas, quæ de Ordine ipſo Cluniacen. & indulto hujuſmodi non fecerint mentionem, nequeant conveniri, vel ad judicium evocari, & quod in prædictis litteris præfato Epiſcopo directis, de Ordine Cluniacen. ac indulto nulla mentio habebatur, propter quod per eos conveniri de jure non poterant, nec debebant. Er denum aſſerentes, quod idem Epiſcopus ſuper hoc eos audire contra juſtitiam recuſaverat, ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, ſicque nominatus Epiſcopus tali prætextu in hujuſmodi negotio procedere omiſit in dictorum Cuſtodis & Fratrum non modicum præjudicium & gravamen. Quare præfati Cuſtos & Fratres nobis humiliter ſupplicaverunt, ut providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. *Citati privilegiorum prætextu nolunt comparere.*

§. IV. Nos itaque volentes, quod de hujuſmodi appellatione & negotio principali apud Sedem cognoſcatur eamdem, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Priorem, Monachos, Clericos, & laicos prædictos ex parte noſtra per te vel alium aut alios peremptorie citare procures, ut infra duos menſes poſt citationem tuam Prior & Guillelmus Molinerii prædicti perſonaliter, reliqui vero per procuratorem ſeu procuratores idoneos Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, facturi & recepturi ſuper præmiſſis, quod juſtitia ſuadebit. Diem vero citationis &c. uſque *intimare*. *Iterum commiſſa Archidiacono delegatio.*

Datum apud Urbem veterem Idibus Septembris, anno IV.

LX.

Ut ceſſet a gravaminibus Fratrum tertii Ordinis. Reg. Vatic. epiſt. 534.

Venerabili Fratri Epiſcopo Florentin.

§. I. AD audientiam noſtram pervenit, quod licet olim Fratres de Pœnitentia civitatis Florentinæ panni unius coloris habitum deferre conſueviſſent, iidem tamen Fratres, habitu ipſo dimiſſo, alium aſſumpſerunt motu propriæ voluntatis. Cumque nos omnibus Fratribus de Pœnitentia, modum vivendi, quod Memoriale vocatur, ne Fratres ipſi circa obſervationem vitæ ſuæ aliquatenus fluctuarent, prout a beato Franciſco fuit traditus, duxerimus ordinandum, certam eis regulam concedendo, & faciendo eam ſub bulla noſtra totaliter annotari, Miniſtri dilectorum Fratrum præfatæ civitatis cum multis ex ipſis Fratribus habitu priori reſumpto præfatam regulam & modum vivendi a nobis, ut præmittitur, traditos, ac habitum ſecundum regulam & memoriale prædicta ſuſceperunt humiliter & devote. *Habitus, & regula Fratribus tertii Ordinis datur.*

§. II. Verum tu ex hoc indignationis aſſumens ſpiritum contra eos, non ſolum protectionis tuæ favorem, quem ipſis conſueviſti præſtare, ſubtraxiſti eiſdem, ſed nonnullas eis injurias irrogans, feciſti eis quamdam capſam, in qua regula, privilegia, inſtrumenta, libri & quædam *Epiſcopus eis injurius.*

res

res aliæ ipſorum exiſtebant, auferri, inhibendo eis ne adminiſtratione m gererent quorumdam bonorum, quæ jam a longis temporibus per manus dictorum Fratrum de Florentia mandata ſunt a Chriſti fidelibus in uſus pauperum erogari, ac eos poſſeſſione, vel quaſi juris adminiſtratione, in qua exiſtebant, & quamdiu laudabiliter geſſerant, ſpoliando.

§. III. Et licet dilectus filius Magiſter Nicolaus Camerarius & Notarius noſter ex parte noſtra te affectuoſe requiſierit, tibi de ſpeciali mandato noſtro per ſuas litteras injungendo, ut diligenter attendens, quod Fratres obſervatores & receptores dictæ regulæ, non debebant vocari apoſtatæ, ſicut eis in tua præſentia dictum fuiſſe proponitur, ſed potius digni erant ex hoc potiori gratia & favore, ac ipſos habens ob noſtram reverentiam propenſius commendatos, ab eorum moleſtiis & gravaminibus abſtineres, & ab his tuos ſubditos cohibens, exhiberes te dictis Fratribus in tuo favore munificum, & in eorum opportunitatibus gratioſum, ita quod dicti Fratres ex tunc non haberent de te juſtam materiam conquerendi, tu tamen receptis hujuſmodi dicti Camerarii litteris, præceptis ipſius, immo potius noſtris in hac parte acquieſcere non curaſti, quamquam benigne duxeris reſpondendum, te velle prædictis parere præceptis, & exinde confici mandaveris publicum inſtrumentum.

Non vult Apoſtolicis obtemperare mandatis.

§. IV. Cum igitur Fratres prædicti, qui priorem ſic reſumpſerunt habitum, & regulam per nos traditam receperunt, ſtatum mutaſſe nullatenus videantur, & ob hoc juribus & libertatibus ſuis privari non debeant, ſed in eis potius conſervari, propter quod præmiſſa eis irrogata gravamina nobis admirationis & turbationis materiam noſcuntur non immerito attuliſſe, fraternitatem tuam rogamus, monemus, hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus memoratis Fratribus pro divina & Apoſtolicæ Sedis ac noſtra reverentia te benevolum exhibens & benignum, eis ſupradictam capſam cum regula, privilegiis, inſtrumentis, libris & aliis rebus prædictis, necnon adminiſtrationem prædictam ſeu poſſeſſionem ipſius & prædictorum bonorum, quibus, occaſione prædicta, fuerunt injurioſe ac indebite ſpoliati, ut prædicitur, de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, & abſque difficultate qualibet reſtituere non omittas. Preces & mandatum noſtrum in hac parte taliter impleturus, quod ſuper hoc non oporteat nos aliud remedium adhibere, ſed tuæ devotionis promptitudinem poſſimus exinde merito commendare.

Privilegia, & bona Fratribus reſtituenda.

Datum apud Urbem veterem xii. Kal. Octobris, anno iv.

LXI.

Confirmat donationem illis factam de quadam Eccleſia. Reg. Vat. epiſt. 516.

Dilectis filiis fratri Petro Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Urbevetan.

§. I. Exigentibus veſtræ religionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noſter Franciſcus Epiſcopus, & dilecti filii Pandulphus Archipresbyter & Capitulum Urbevetan. attendentes, quod Parochialis Eccleſia ſancti Laurentii de Arari Urbevetan. eis ſubjecta, juxta locum veſtrum civitatis Urbevetan. ſita, & domibus ac horto ipſius loci

Fratrum petitionis tenor.

Digitized by Google

loci contigua exiſtebat, & quod vobis in eodem loco reſidentibus, tum propter nimiam propinquitatem ipſius ex ſonitu campanarum ejuſdem Eccleſiæ, ac vocibus clericorum divina officia in illa cantantium, tum etiam propter ejus loci arctitudinem, qui non poterat commode niſi verſus dictam Eccleſiam ampliari, multa vobis proveniebant incommoda, & veſtræ præſtabatur quieti turbatio, & nonnumquam Fratres in eodem loco oppreſſi infirmitatibus gravabantur, ac hujuſmodi veſtris incommodis piæ gerentes compaſſionis affectum, præfatam Eccleſiam cum cœmeterio, domibus, & platea ante ipſam Eccleſiam exiſtente, ac omnibus aliis pertinentiis ſuis conſiſtentibus circa eam, vobis & eidem loco veſtro, deliberatione provida, conceſſerunt, ac etiam donaverunt, eam veſtris & ſucceſſorum veſtrorum uſibus, qui ſub Ordinis veſtri obſervantia in eodem loco permanſerint, deputantes, ac omne jus eis in prædictis competens in vos totaliter transferentes, nihil ſibi & ſucceſſoribus ſuis in prædictis penitus reſervando; ita tamen quod infra parochiam dictæ Eccleſiæ unam Capellam eidem Eccleſiæ ſancti Laurentii ſimilem in loco congruo juxta determinationem dicti Epiſcopi cum cœmeterio & cameris ſacerdotum conſtrui faciatis, quæ a qualibet parte loci veſtri, & ab eadem Eccleſia ſancti Laurentii quadraginta vel triginta ſex cannarum ſpatio diſtet ad minus. Et quod idem Epiſcopus & ſucceſſores ſui illud jus obtineant in Capella præfata, quod in eadem Eccleſia ſancti Laurentii ſibi ac eiſdem Archipresbytero & Capitulo competebat, præter oblationes, quas apud Clericos ejuſdem Capellæ dicti Epiſcopus, Archipresbyter & Capitulum voluerunt ſine diminutione qualibet remanere, & in eadem Capella conſtruenda, Clericis & Parochianis dictæ Eccleſiæ ſancti Laurentii jus, quod habebant in ipſa Eccleſia ſancti Laurentii, nihilominus ſalvum fore, prout in inſtrumento publico inde confecto Epiſcopi, Archipresbyteri, & Capituli prædictorum ſigillo ſigillato plenius continetur.

§. II. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper præmiſſis ab eiſdem Epiſcopo, Archipresbytero, & Capitulo factum eſt, pie ac provide ratum & gratum habentes, ac ſupplentes defectum, ſi quis forte in prædictis ex quacumque cauſa extitit, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, id auctoritate Apoſtolica confirmamus; & præſentis ſcripti patrocinio communimus, prædictam Eccleſiam ſancti Laurentii cum cœmeterio, domibus, platea, & omnibus aliis pertinentiis ipſius ab omni juriſdictione, & poteſtate cujuslibet perſonæ, Collegii, & Univerſitatis Eccleſiaſticæ, ac etiam ſecularis penitus eximendo, ac decernendo, ut deinceps illis libertatibus & immunitatibus gaudeant, quæ prædicto loco veſtro cæteriſque bonis ejus uſibus veſtris conceſſis per privilegia & indulgentias Sedis Apoſtolicæ, vel alio juſto modo competere dignoſcuntur. Tenorem autem prædicti Inſtrumenti de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt.

Pontifex acta Epiſcopi, atque Capituli confirmat.

In nomine Domini Amen. Exigit divinæ providentiæ caritas, ut fratribus & proximis noſtris in ſuis opportunitatibus debeamus liberaliter providere. Hinc eſt, quod nos Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Urbevetanus, ac Pandulphus Archipresbyter, Capitulum, & Canonici Urbevetan. attendentes, quod Parochialis Eccleſia ſancti Laurentii de Arari Urbevetan. nobis Archipresbytero & Capitulo Urbevetan. ſubjecta, juxta locum Fratrum Minorum ejuſdem civitatis ſita & domibus & horto ipſius loci contigua eſſe dignoſcitur, & ipſis Fratribus in eodem loco reſidentibus, tum propter nimiam propinquitatem ipſius ex ſonitu campanarum ejuſ-

Inſtrumentum.

ejuſdem Eccleſiæ ſancti Laurentii, & vocibus Clericorum divina officia in illa cauentium, tum etiam propter ipſius loci arctitudinem, qui non poteſt commode niſi verſus prædictam Eccleſiam ampliari, multa incommoda provenire contingunt, & ipſorum præſtatur quieti turbatio, & nonnumquam ipſis languoribus prægravatis grave imminet detrimentum; hujuſmodi etiam incommodis, proat debemus, compaſſionem habentes, uuanimiter & concorditer ob reverentiam omnipoteutis Dei & beati Franciſci, tractatu diligenti ſæpe inter nos & deliberatione præhabitis, vobis, fratri Petro Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Urbevetan. & eidem loco veſtro Eccleſiam præfatam ſancti Laurentii cum cæmeterio, domibus, & platea, aute ipſam Eccleſiam exiſteute, & omnibus aliis pertinentiis ſuis couſiſtentibus circa eam pure, libere, & ſimpliciter per nos & noſtros ſucceſſores in perpetuum concedimus & donamus, ac veſtris & ſucceſſorum veſtrorum, qui ſub Ordinis veſtri obſervantia iu eodem loco permanſerint, uſibus in perpetuum deputamus, omneque jus nobis, Epiſcopo vel Capitulo in prædictis competens, in vos totaliter transferimus, nullo nobis in prædictis ſeu noſtris ſacceſſoribus reſervato, & fratrem Petrum de Urbe veteri Guardianum loci prædicti, de his omnibus veſtro nomine inveſtimus, & in corporalem poſſeſſionem & quaſi jus omnium prædictorum inducimus. Hoc tamen ſalvo, quod infra dictam Parochiam unam Capellam eidem Eccleſiæ ſancti Laurentii ſimilem in loco congruo juxta determinationem noſtri Epiſcopi ſupradicti, cum cœmeterio & cameris Sacerdotum conſtrui faciatis veſtris ſumptibus & expeuſis. Hoc etiam acto, quod ipſa Capella conſtruenda a qualibet parte loci veſtri, necnon ab Eccleſia ſancti Laurentii, quam nunc vobis coucedimus, quadraginta vel triginta ſex caunarum ſpatio diſtet ad minus, ac in eadem Capella nos Epiſcopus & ſucceſſores noſtri illud jus obtinebimus, quod in eadem Eccleſia ſancti Laurentii nobis, Archipresbytero & Capitulo competebat, præter oblaciones, quas apud Clericos ejuſdem Capellæ ſine diminutione qualibet volumus remanere. Et nihilominus in ipſa Capella conſtruenda Clericis & parochiauis ejuſdem jus ſalvum remaneat, quod eis in dicta Eccleſia ſancti Laurentii competebat. In cujus rei teſtimonium præſens inſtrumentum publicum per Andream Bonoſtis notarium confici fecimus, & ſigillorum noſtrorum appenſione muniri. Acta ſunt hæc in civitate Urbevetana in camera Epiſcopi ſupradicti ſub anno Domini MCCXCI. Indictione IV. Pontif. Domini noſtri Nicolai Papæ IV. anno IV., die XXIV. menſis Septembris, præſentibus Domino Citadino Epiſcopo, Presbytero Renaldo Capellano Eccleſiæ ſancti Augeli de Puſterula, Presbytero Joanne Capellano Eccleſiæ ſancti Blaſii, Ciolo Canonico ſancti Nicolai de Villa ſancti Felicis, & Hugolino Magiſtri Berardini, teſtibus ad hæc vocatis & rogatis. Et ego Andreas quondam Bonoſtis S. R. E. publicus auctoritate Notarius his omnibus præſens interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi & ſignavi, & in publicam formam redegi.

Nulli ergo &c. noſtræ ſuppletionis, confirmationis, exemptionis & conſtitutionis &c. ſi quis &c. Datum apud Urbem veterem V. Kal. Octobris, anno IV.

LXII.

LXII.

Ut in pactis & conventionibus quibuſcumque Clariſſarum neceſſarium poſſit præbere aſſenſum. Reg. Vatic. epiſt. 586.

Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali.

UT tu, cui Monaſteriorum &c. ut ſupra in bulla XIX. hujus Pontificis uſque ad *præſentium facultatem*. Datum apud Urbem veterem IV. Kal. Octobris anno IV.

LXIII.

Ut provideant Clariſſis Cuſentinis exulantibus, & multa patientibus. Reg. Vat. ep. 561.

Venerabilibus Fratribus Baren. & Brunduſin. Archiepiſcopis ac Epiſcopo Montis-viridis.

§. I. SUa nobis dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, & Sorores Monaſterii Cuſentin. Ordinis ſanctæ Claræ petitione monſtrarunt, quod olim eis ſignificantibus nobis quod Monaſterium ipſum, de cujus redditibus, & proventibus annuis quadraginta Sorores, quæ in eo divinis obſequiis inſiſtebant, congruæ ſuſtentationis auxilio hactenus fovebantur, propter violentos malignorum incurſus, & gravia guerrarum diſcrimina, quæ in illis partibus excreverant, adeo erat diſſipatum in bonis, quod jam non modici temporis ſpatio nihil poterant percipere de eiſdem; quamobrem contractis debitis, prout urgens neceſſitas exigebar, & eleemoſynarum quæſitis ſubſidiis, quas fidelium pia compaſſio erogabat eiſdem, ſe uſque tunc in eodem Monaſterio ſuſtentarunt, quodque quia jam ſumma egeſtate laborabant, omni pene ſuffragio deſtitutæ, cum generaliter dictarum partium incolæ illis ſubvenire non poſſent, paupertatis onere prægravati, ac eas oporteat de Monaſterio prædicto recedere, cum in illo unde poſſent vivere non haberent, nec eis ibidem moram contrahere tutum eſſet, ac ſupplicantibus nobis, ut ipſarum miſerabili ſtatui paterno compatientes affectu, circa eas tantis ac tam gravibus obductas anguſtiis dignaremur miſericorditer providere. *Miſera Monaſterii narratur cōditio.*

§. II. Nos hujuſmodi petitioni earum pie annuere intendentes, & volentes benignius ipſas ob reverentiam Dei, cujus ſe dedicarunt obſequiis, favore proſequi opportuno, bonæ memoriæ Gerardo Epiſcopo Peneſtrino tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legato, noſtris dedimus litteris in mandatis, ut eiſdem Abbatiſſæ, & Sororibus de aliqua ſumma pecuniæ, de qua expediens videretur eidem, ab aliquibus Eccleſiis, vel Monaſteriis vacantibus, vel non vacantibus in Apuliæ, vel Principatus, aut terræ laboris, ſeu terræ Idronſi partibus conſtitutis, donec ad præfatum Monaſterium redire, ibique ſecure morari valerent, faceret, auctoritate noſtra, annis ſingulis providere, aliquem locum, in quo interim honeſte morari poſſent, nihilominus concedendo. Contradictores &c. *Caritativa Pontificis proviſio.*

§. III. Verum licet idem Epiſcopus litteris receptis eiſdem, & ſuper hoc conſideratione habita diligenti, auctoritate litterarum ipſarum prædictis Abbatiſſæ & Sororibus, quæ ſunt numero quadraginta, a quibuſdam Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Monaſteriis exemptis & non exem-

exemptis, necnon hoſpitalibus ſancti Joannis, & domibus militis templi Hieroſolymitan. prædictarum partium, annis ſingulis donec ad Monaſterium memoratum redire, ac in eo tute morari valerent, in certa quantitate auri fore decreverit providendum, dilectis filiis Miniſtris & Cuſtodibus Ordinis Fratrum Minorum partium prædictarum, eiſdem Abbatiſſæ & Sororibus ſuper hoc per ſuas, ſub certa forma, litteras executoribus deputatis, eiſdem tamen Miniſtris & Cuſtodibus in executione hujuſmodi procedere differentibus, volentes aliorum indignationem vitare, præfata Abbatiſſa & Sorores facta eis in hac parte gratia penitus defraudantur. Quare non ſine gravi mentis anguſtia ſuper hoc ad noſtram recurrere providentiam ſunt coactæ.

Miniſtri ad executionem non procedunt.

§. IV. Volentes itaque, ut eiſdem Abbatiſſæ & Sororibus hujuſmodi gratia fructuoſa reddatur, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios prædictam auri quantitatem, juxta formam eiſdem Miniſtris & Cuſtodibus ab eodem Epiſcopo traditam, exigatis, & recipiatis ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Monaſteriis, hoſpitalibus, & domibus prædictis, illamque eiſdem Abbatiſſæ & Sororibus ſeu procuratori ipſarum rerum, ſine diminutione qualibet perſolvatis, proviſuri eis nihilominus de loco prædicto, juxta formam Epiſcopo traditam memorato. Contradictores &c. Non obſtante ſi a Sede Apoſtolica ſit indultum quod interdici &c.

Datum apud Urbem veterem Kal. Octobris anno iv.

LXIV.

Mittitur Genuam pro rebus gravioribus peragendis. Reg. Vatic. epiſt. 76.

Gentili Archiepiſcopo Reginen. Adminiſtratori Epiſcopatus Aliſani.

DE tuæ circumſpectionis induſtria nobis utique non ignota, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te ad civitatem Januen. pro Terræ ſanctæ negotio deſtinamus. Cum autem, ſicut accepimus; cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Siciliæ Illuſtris ad civitatem ſit venturus eamdem, ac ſua certa negotia cum Januenſibus civibus tractaturus, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfato Regi ſuper eiſdem negotiis licite promovendis, honeſtis conſiliis, digniſque favoribus & auxilis adeſſe procures, laboribus non parcendo; ſic te in his ſollicite & efficaciter habiturus, ut Deo exinde placeas, Romanæ Eccleſiæ honor creſcat, & tuæ operoſæ ſollicitudinis ſtudium præfatus Rex ſibi ſuper hoc ſentiat fructuoſum; Noſque prudentiam & diligentiam tuam exinde non immerito commendemus.

Datum apud Urbem veterem Kalend. Octobris anno iv.

LXV.

Hortatur ut vendat Minoritis quamdam portionem terræ. Regeſt. Vatic. epiſt. 581.

Archiepiscopo Terraconen.

SUa nobis dilecti filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum de villa Franca Barchinonenſ. diœceſis petitione monſtrarunt, quod locus eorum ejuſdem loci de Villa franca adeo eſt arctus, quod idem Guar-

Guardianus & Fratres non poſſunt in eo congrue commorari, & quod quemdam fundum ſitum juxta locum prædictum ab Eccleſia Romana ſub annuo cenſu noſceris obtinere. Quare prædicti Guardianus & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut tibi aliquam decentem partem dicti fundi ex eo latere unde contiguus loco præfato exiſtit, pro ampliatione ipſius loci eiſdem Guardiano & Fratribus aſſignandi, juramento quod de alienandis bonis ad menſam tuam Archiepiſcopalem ſpectantibus præſtitiſſe dignoſceris, non obſtante, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur dignum & congruum exiſtimantes bujuſmodi petitionem dictorum Guardiani & Fratrum, divinæ pietatis intuitu favorabiliter exaudire, Fraternitati tuæ concedendi & aſſignandi hujuſmodi partem dicti fundi pro hujuſmodi ampliatione dicti loci Guſrdiano & Fratribus memoratis, juramento non obſtante prædicto, liberam licentiam, auctoritate præſentium, elargimur. Volumus autem, quod poſtquam eamdem partem taliter conceſſeris & aſſiguaveris Guardiano & Fratribus memoratis, a ſolutione dicti cenſus, in quantum pro rata partem ipſam contingit, tu & ſucceſſores tui ſitis prorſus Immunes.

Datum apud Urbem veterem VI. Nonas Octobris anno IV.

Anno Christi 1292. Nicolai IV. anno 4.

LXVI.

Jubet dari Minoritis Eccleſiam quamdam Vercellen. Reg. Vatic. epiſt. 687.

Archidiacono Vercellen.

§. I. Pridem dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Vercellis inſinuantibus, intellecto quod ei ad ampliandum locum ipſorum, qui nimis arctus eſſe proponitur, Eccleſia ſancti Salvatoris de Mercatello Vercellen. cum domibus, cœmeterio & platea ipſius poſita juxta eam, neceſſaria plurimum exiſtebat; Nos neceſſitati Fratrum ipſorum benignius providere volentes, venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Vercellen. per noſtras ſub certa forma litteras rogandum attente duximus, & hortandum, dantes ſibi per eas nihilominus in mandatis, ut ſollicitis ſtudiis procuraret & perduceret in effectum, quod tu, ad quem prædicta Eccleſia cum domibus, cœmeterio & platea præfatis pertinere dignoſcitur, eam cum ipſis domibus, cœmeterio & platea propter hoc Guardiano & Fratribus concederes memoratis. Et ne tu ex hujuſmodi conceſſione damnum incurreres, tibi per litteras injunximus ſupradictas, ut in ejus concambium tibi de æquivalenti beneficio provideret. Idem vero Epiſcopus his mandatis noſtris volens humiliter obedire, tibi in Eccleſiæ memoratæ concambium, Parochialem Eccleſiam de Villa nova ejuſdem diœceſ. prædictam ſancti Salvatoris Eccleſiam in annua perceptione proventuum, prout aſſeritur, excedentem, liberaliter offerre curavit, ita tamen quod tam tu, quam ſucceſſores tui eidem Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus præſentare presbyterum ad gerendam animarum curam in eadem de Villa nova Eccleſia tenereris.

Neceſſitas Fratrum exponitur.

Archidiacono beneficium pro Eccleſia impendendum.

§. II. Sed quia tu ſub conditione huiuſmodi Eccleſiam ipſam, quam alias acceptare eras paratus, recipere noluiſti, cum ad præſentationem hujuſmodi ſibi, prout tua habebat aſſertio, in præfata ſancti Salvatoris Eccleſia faciendam minime tenereris, eidem Guardiano & Fratribus optatum ex litteris noſtris commodum non provenit. Quare pro parte ipſo-

Qui aliam Eccleſiam in concambium recuſat.

ipſorum ſuppliciter petebatur a nobis, ut providere ſuper hoc eis de benignitate ſolita dignaremur.

§. III. Unde nos gerentes corde negotium, & prædictis Fratribus pio compatientes affectu; volentes quoque neceſſitati eorum benignius providere, præfato Epiſcopo per alias noſtras litteras injungimus, ut prædictam Eccleſiam de Villa nova, ſi ad eum in ipſa Eccleſia libere pertinet inſtitutio ſacerdotis, alioquin aliam æquivalentem, in qua ſimilem inſtitutionem hujuſmodi obtinet, tibi in concambium Eccleſiæ ſancti Salvatoris ejuſdem, ſi tu ſimilem in ea inſtitutionem habere dignoſceris, ſublata difficultate qualibet, libere & abſque aliqua conditione concedat, ſic ſe in hoc efficaciter habiturus, ut exinde a Domino præmium, & a nobis commendationis titulum conſequi mereatur, reſervato jure Presbytero in ea ad præſens Eccleſia inſtituto, donec ſibi de alio beneficio æquivalenti provideri contigerit, vel de Presbytero ipſo aliter ordinari.

Sed jubetur ut recipiat.

§. IV. Cum itaque ſicut præmittitur, neceſſitati Guardiani & Fratrum ipſorum ſuper hoc piæ ſollicitudinis intendamus ſtudio providere, diſcretioni tuæ, ſicut iterum, ſic attentius per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictam Eccleſiam de Villa nova, vel aliam æquivalentem, in quibus ad eumdem Epiſcopum ſpectat inſtitutio ſupradicta, ſublato cujuslibet difficultatis obſtaculo, ab Epiſcopo ipſo recipiens præfatam ſancti Salvatoris Eccleſiam concedas libere Guardiano & Fratribus memoratis. Sic te habiturus efficaciter in hac parte, ſicque mandatis noſtris ſollicite pariturus, ut exinde tibi a Domino præmium conſequaris, & nos devotionem tuam non immerito commendemus. Volumus autem, quod infra duos menſes a receptione præſentium computandos, nobis quod ſuper hoc fieri contigerit, per tuas litteras diſtincte pleneque ſignifices, ut ſi opus fuerit aliud in hac parte remedium apponamus.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem XVIII. Kalend. Febr. anno IV.

LXVII.

Ut poſſit abſolvere a cenſuris latis in fautores Petri Aragonii & adhærentium. Reg. Vat. epiſt. 736.

Gentili Archiepiſcopo Reginen. Adminiſtratori Epiſcopatus Aliſani.

De tuæ circumſpectionis induſtria gerentes in Domino fiduciam pleniorem, illa tibi libenter concedimus, per quæ ſaluti conſulere valeas animarum. Hinc eſt, quod nos Fraternitati tuæ abſolvendi hac vice omnes illos tam Clericos, quam laicos, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, qui pro auxilio, conſilio, vel favore impenſis quondam Petro de Aragonia, ejuſque hæredibus ſeu fautoribus eorumdem, ſuper invaſione ac detentione Regni Siciliæ, & Terrarum illarum partium excommunicationis ſententiam latam per Sedem Apoſtolicam inciderunt, ad mandata Eccleſiæ redeuntes ab hujuſmodi excommunicationis ſententia juxta formam Eccleſiæ vice noſtra, & interdictum, cui propter hoc tales terræ ſunt ſuppoſitæ, relaxandi, injuncto eis, quod de jure fuerit injungendum & diſpenſandum cum prædictis Clericis, qui eadem Ligati ſententia divina officia celebrarunt, non tamen in contemptum clavium, ſeu ſe officiis immiſcuerunt eiſ-

eiſdem, injuncta eis propter hoc pœnitentia ſalutari, liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem XVI. Kal. Februarii anno IV.

LXVIII.

Præficitur Eccleſiæ Albinganenſi. Reg. Vatic. epiſt. 698.

Nicolao Epiſcopo Albinganen.

§. I. AD univerſalis Eccleſiæ regimen &c. ut ſupra in epiſt. 55. hujus Pontif. uſque *rectoribus diſponantur*. Quatenus illorum circumſpectione provida & providentia circumſpecta, operante illo, qui Paſtorum Paſtor & Rector agnoſcitur, ſpiritualium & temporalium proficiant incrementis.

§. II. Dudum ſiquidem Albinganen. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ L. Albinganen. Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta, duæ in ea, una videlicet de fratre Perberto Ordinis Minorum, alia vero de quondam Benedicto de Nigro Canonico Tripolitan. tunc vivente, a Capitulo ipſius Eccleſiæ fuerunt electiones in diſcordia celebratæ, ac poſtmodum eodem Fratre hujuſmodi electioni ſuæ recuſante præbere conſenſum, Venerabilis frater noſter Patriarcha Antiochenus ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, gerens curam & adminiſtrationem Eccleſiæ Januen. Eccleſiæ præfatæ Albioganen. Metropolitan. hujuſmodi electionem dicti Canonici auctoritate metropolitica confirmavit. Poſtea vero dicto Canonico viam univerſæ carnis ingreſſo, prædictum Capitulum alias duas electiones, unam ſcilicet de fratre Cherubino Ordinis Prædicatorum, aliam vero de quondam Ottobono Canonico Cathalaunen. tunc vivente, in eadem Albinganen. Eccleſia, ſimiliter in diſcordia, celebrarunt. Verum cum dictus frater Cherubinus noluiſſet electioni de ſe factæ præbere conſenſum, Nos tamdem cauſam, quæ ſuper hujuſmodi electione dicti Ottoboni coram eodem Patriarcha nonnullis illi ſe opponentibus auctoritate tractabatur eadem, ne protraheretur diutius in diſpendium Albinganen. Eccleſiæ memoratæ, ad examen Sedis revocavimus supradictæ.

§. III. Cumque poſtmodum idem Canonicus juri, ſi quod in hujuſmodi electione ſibi acquiſitum extiterat, in noſtris manibus renunciaſſet, Nos renunciatione admiſſa hujuſmodi, ad proviſionem ejuſdem Albinganen. Eccleſiæ ſalutarem ſollicitæ conſiderationis intuitum dirigentes, tamdem donis virtutum, quæ in te congeſſit Altiſſimus, nobis familiari experientia cognitis, attentione ſollicita recenſitis, in te tuuc Fratrem Minorum Ordinis memorati oculos direximus noſtræ mentis. Et firma concepta fiducia, quod per tuæ virtutis miniſterium eadem Albinganen. Eccleſia in proſperitatem conſurget optatam, & brachio conſolationis tuæ ſubnixa in ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, votivis proficiet incrementis, te ipſi Albinganen. Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, in Epiſcopum præfecimus & paſtorem, tibi poſtmodum de noſtris manibus munere conſecrationis impenſo. Rogamus itaque Fraternitatem tuam, & per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus ad dictam Albinganen. Eccleſiam in humilitate ſpiritus accedens, ipſius curam ſic agas ſollicite, ſic eam prudenter gubernare ſtudeas, ſic diligenter oves tibi creditas ab invaſoris inſultibus cuſtodire, quod tuis actibus ſuper

his

his apud Deum & homines dignis laudibus conſtitutis, ipſe bonorum omnium retributor una cum grege tuæ curæ commiſſo, ſupernorum civium conſtituat te collegam.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem v.Kal. Febr.anno iv.

Anno Christi 1293. Sedes vacat.

COELESTINUS V.

Electus eſt anno Chriſti MCCXCIV. III. *Nonas Julii*.

Anno Christi 1294. Coelestini V. anno 1.

I.

Liberat eos ab exactionibus ſecularibus. Archivum urbis Aquilæ.

Miniſtro, & Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia civitatis, diœceſis & diſtrictus Aquilenſis.

DIgnum eſſe credimus, ut in iis nos promptos inveniatis & faciles, quæ digne vos poſſint a gravaminibus præſervare. Cum igitur, ſicut accepimus, multis gravaminibus, & preſſuris ſitis oppreſſi, ac vos & veſtrum ſinguli pro rata bonorum veſtrorum, mobilia & immobilia in generalibus collectis, quæ hominibus civitatis Aquilenſis, & diſtrictus ipſius a Domino temporali pro tempore imponentur, vos paratos contribuere offeratis. Nos cupientes ut vos, qui noviſſima veſtra provide memorantes, derelictis ſeculi vanitatibus, pœnitentiam in corde contrito, & humili ſpiritu agere in domibus propriis, vel alibi decreviſtis, eo promptiores & devotiores in divinis laudibus vos reddatis, quo vos liberalius ab oneribus ſecularibus Sedes Apoſtolica præſervabit, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut vos faciatis libere, quod offertis, ad alias angarias, præſtitudines, vel onera, quæ a ſecularibus exiguntur, minime teneamini, & ad id cogi non poſſitis, invita devotione veſtra, auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Aquilæ iv. Non. Septembris, Pontificatus noſtri anno 1.

II.

Ut non teneantur ſiſtere ſe foro ſeculari. Ibidem.

Eisdem.

DEſideriis veſtris in his libenter annuimus, quæ digne vos poſſint a gravaminibus præſervare. Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati..... vobis, ut quamdiu parati fueritis coram diœceſano veſtro ſuper civilibus & perſonalibus actionibus ſtare Eccleſiaſtico juri, in ſeculari foro ad cujuſvis inſtantiam minime teneamini, & ad id cogi a quocumque non poſſitis, invita devotione veſtra, auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. Datum ut ſupra.

BO-

BONIFACIUS VIII.

Electus eſt anno MCCXCIV. IX. *Kalend. Januarii*.

Anno Christi 1295. Bonifacii VIII. anno 1.

I.

Fit Epiſcopus Spoletanus. Regeſt. Vatic. epiſt. 66.

Venerabili fratri Franciſco Spoletan.

§. I. Eccleſiarum omnium curam, prout noſtræ ſervitutis debitum exigit, ſollicitam gerere cupientes, circa ipſarum ſingulas continuæ attentionis oculis ad hoc potiſſime vigilamus, ut ipſarum regimen talibus committatur rectoribus, quorum ſollicitudine circumſpecta, & circumſpectione ſollicita laudabilibus in ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, proficiat incrementis.

§. II. Nuper ſiquidem Venerabili fratre noſtro Gerardo Atrebaten. olim Spoletano Epiſcopo ad Epiſcopatum Atrebaten. per nos gratioſe translato, nos diligentius attendentes, quam ſit onuſta diſpendiis, & quot & quanta pericula ſecum trahat Eccleſiarum vacatio diuturna, & propter hoc volentes eidem Spoletanæ Eccleſiæ per hujuſmodi translationem vacanti, ne ob ipſius vacationem in ſpiritualibus, vel temporalibus aliquod poſſet incurrere detrimentum, de perſona idonea providere, ad perſonam tuam, quam honeſtate morum, converſatione laudabili, vitæ munditia, litterarum ſcientia, & aliis gratioſis donis virtutum Dominus decoravit, convertimus noſtræ conſiderationis intuitum. Quapropter proviſione olim de te facta Senogallien. Eccleſiæ per dilectum filium fratrem Petrum de Murrhone, olim Cœleſtinum Papam prædeceſſorem noſtrum, dum Apoſtolatus officio fungeretur, cui poſtmodum ſponte ceſſit, ex certis cauſis, de Fratrum noſtrorum conſilio rite caſſata, Te Ordinem Fratrum Minorum profeſſum eidem Spoletanæ Eccleſiæ, de prædictorum Fratrum conſilio, præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Spoletanæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ſperantes quod dicta Spoletana Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam utilis præſidio munita paſtoris ſpiritualiter & temporaliter proſpere dirigetur, & optatis affluet incrementis. Quapropter fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus ſuſcipiens reverenter, ſic curam & adminiſtrationem prædictæ Spoletanæ Eccleſiæ diligenter gerere ſtudeas, ac ſalubriter & utiliter proſequaris, quod memorata Eccleſia ſub tua vigilantia votivis amplietur commodis, & in omnibus, divina operante clementia, proſpere dirigatur, tuque noſtram & dictæ Sedis gratiam exinde, tamquam benedictionis & obedientiæ filius, ulterius conſequi merearis.

Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno 1.

II. *Con-*

II.

Concedit eis poſſe applicari proventus unius Eccleſiæ. Regeſt. Vatican. epiſt. 231.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de domo gratiæ beatæ Mariæ Virginis extra muros Londonien. Ordinis ſanctæ Claræ.

VEſtræ religionis honeſtas, & dilecti filii nobilis viri Edmundi fratris cariſſimi in Chriſto filii noſtri E. Regis Angliæ Illuſtris precamina nos inducunt, ut vos illa gratia proſequamur, quæ neceſſitatibus veſtris fore dignoſcitur opportuna. Ipſius igitur nobilis, qui una cum cariſſima in Chriſto filia noſtra B. Regina Navarræ Illuſtri, uxore ſua, Monaſterium veſtrum dicitur ſundaviſſe, nobis ſuper hoc ſupplicantis, veſtriſque precibus ſavorabiliter annuentes, unam de Eccleſiis, in quibus dictus nobilis jus obtinet patronatus, cujus ſructus, redditus, & proventus valorem annuum quadraginta marcarum Sterlingarum attingant, vobis in proprios uſus, auctoritate præſentium, duximus concedendam, ita quod cum hujuſmodi Eccleſiam per ceſſionem, vel deceſſum Rectoris ipſius Eccleſiæ vacare contigerit, ejus poſſeſſionem, auctoritate propria, apprehendere, Diœceſani loci ſeu alicujus alterius aſſenſu minime requiſito, illamque in uſus prædictos perpetuo retinere libere valeatis, reſervata tamen de illius proventibus perpetuo Vicario in eadem Eccleſia ſervituro, congrua portione, de qua commode ſuſtentari valeat, jura Epiſcopalia ſolvere, & alia incumbentia eidem Eccleſiæ onera ſupportare.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, anno I.

III.

Concedit Tertiariis Capellas & Oratoria. Regeſt. Vatic. epiſt. 269.

Dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Ordinis de Pœnitentia beati Franciſci in Alemania ſuperiori &c.

CUpientes cultum Divini nominis ampliari, libenter ea vobis concedimus, per quæ cultus ipſe ſuſcipiet incrementum. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod vos plures domos & loca in diverſis partibus Alemanniæ ſuperioris obtinetis, in quibus ſub communi vita degitis in obſervantia Ordinis de Pœnitentia beati Franciſci, devote virtutum Domino ſamulantes, nec adhuc in eiſdem locis, & domibus, Capellæ, ſeu Oratoria ſunt conſtructa. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, ut Capellas, ſeu Oratoria in domibus & locis prædictis conſtruere poſſitis, & in eis divina officia celebrari facere, ac audire, nec non Eccleſiaſtica recipere ſacramenta, ſine juris præjudicio alieni, auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Anagniæ v. Idus Julii, anno I.

IV. Ut

IV.

Ut poſſint ſuos ſubditos punire, non ſervatis apicibus juris Regeſt. Vatic. epiſt. 636. & Specul. Min. Roderic. bulla 1.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

AD augmentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana ſuſcepit & approbavit Eccleſia, paternis ſtudiis intendentes, & conſiderantes attentius, quod non intermiſſa ſedulitas diſciplinæ religiones & Ordines ſupradictos, ſtatuſque regulares ſalubriter dirigit & conſervat, quodque ſi eam perire vel remitti contingeret, Ordo quilibet collabi neceſſario cogeretur. Penſantes etiam, quod ſi Regularium perſonarum correctio rimas juris & apices ſequeretur, hujuſmodi rigor lenteſceret, ac multiplici laxatione torperet. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis auctoritate Apoſtolica indulgemus, ut ad correctiones & punitiones Fratrum ejuſdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis ſupradicti, ad quos eædem ſpectare noſcuntur, rimulis & apicibus ipſis poſtpoſitis, libere procedere valeant ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam fienda ipſius Ordinis inſtituta, nec volumus eiſdem licere Fratribus ab eiſdem correctionibus & punitionibus aliquatenus appellare, prævia in hoc deliberatione & maturitate debita obſervatis.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Idus Novembris, Pontif. noſtri anno 1.

V.

Ut poſſint cum Prælatis ingredi Monaſteria Monialium. Reg. Vat. epiſt. 636. Arch. Arac. num. 17. & 108. Roderic. bulla 6.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum.

HAbet veſtræ devotionis aſſertio, quod Ordinis veſtri Fratres, ſæpe ab Eccleſiarum Prælatis, cum in aliquibus Monaſteriis, & aliis religioſis locis diverſorum Ordinum ſuarum Civitatum, & diœceſum intendunt officium viſitationis impendere, invitantur, vocantur etiam ad defunctorum celebrandas exequias, generales proceſſiones, & prædicationes faciendas, & audiendas etiam confeſſiones infirmorum. Et quia Fratres ipſi Monaſteria Monialium & loca quæ ſanctæ Claræ Ordinis non exiſtunt, ingredi nequeunt, veſtra illis Regula obſiſtente, ceteris religioſis & aliis tunc præſentibus Monaſteria & loca intrantibus ſupradicta, providere ſuper hoc, præſertim cum fel. rec. Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter certam ordinationem in hac parte duxerit faciendam, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, quod memorati Fratres a Prælatis eiſdem, ſicut præmittitur invitati, poſſint una cum ipſis Monaſteria & loca prædicta, cujuſcumque ſint Ordinis, libere ingredi, & in eis moram contrahere, Prælatis ibidem præſentibus antedictis, vobis & Ordini veſtro, auctoritate præſentium, indulgemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Idus Novembris, anno 1.

VI.

Eximit Ordinem a juriſdictione Prælatorum, & declarat illius bona dominii eſſe Apoſtolici. Specul. Min. tract. 1. fol. 14. Reg. Vat. epiſt. 635.

Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Quanta fuerit Pontificis erga Ordinem dilectio.

§. I. INter ceteros Ordines, quos cœleſtis Agricolæ ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſiæ, ſacrum veſtrum Ordinem tam per orbis provincias, ſuperna gratia propagante, diffuſum, dum minori fungeremur officio, ſincera caritate dileximus, ad ſtatum ejus feliciter promovendum ſollicitis ſtudiis intendentes. Nec minuit itaque, ſed auxit potius circa ipſam præhabitæ dilectionis affectum, perſonæ noſtræ ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, cum tanto propenſius ad ipſius Ordinis intendamus augmentum, quantum nobis facultas præſtantior, quamquam noſtris non exigentibus meritis, noſcimur cælitus attributa.

§. II. Licet igitur nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfatum Ordinem a Prælatorum juriſdictione quorumlibet prorſus exemerint, ipſumque fore decreverint per ipſorum litteras ſpeciales exemptum: nos tamen Ordinem ipſum ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus fidelium provenire, gerentes in viſceribus caritatis, & propterea nolentes omnino, ut quiſquam cujuſcumque ſit Ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, vos generaliter aut ſpecialiter ac præfatum Ordinem ſuper exemptione ipſius, ac aliis veſtri Ordinis libertatibus, & immunitatibus quibuſcumque, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, vobis & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, impugnare, turbare, ac impetere valeat, vel quomodolibet moleſtare, vos, & Ordinem ipſum, ab omni & ſingulorum quorumlibet Prælatorum & perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate & juriſdictione prorſus eximimus de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: decernentes vos & Ordinem ſupradictum immediate nulloque medio, eidem Sedi ſoli tantummodo & Romano Pontifici ſubjacere.

Ordo ſoli Apoſtolicæ Sedi ſubjectus.

§. III. Præterea Eccleſias, Oratoria, domos, loca, libros, utenſilia & alia quælibet mobilia & immobilia, quorum uſum licite habere noſcimini, cum ceteris omnibus quocumque modo, vel quavis cauſa pertinentibus ad prædicta, & aliquod prædictorum in jus & proprietatem beati Petri, Apoſtolica auctoritate, ſuſcipimus in perpetuum valitura, illis ex eis dumtaxat exceptis, in quibus evidenter & expreſſe donatores ſeu translatores ſibi proprietatem & dominium conſtiterit reſervaſſe. Eccleſias inſuper, Oratoria, domos & loca prædicta quæ tenetis & inhabitatis in futurum, dum & quoties vos illa tenere & inhabitare contigerit, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi ſubeſſe decernimus prælibatæ.

Et omnia ejus bona.

Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum III. Idus Novembris, Pontificatus noſtri, anno I.

VII. Fit

VII.

Fit Epiſcopus Agathopolis. Reg. Vatic. epiſt. 570.

Dilecto filio fratri Guidoni de ſancto Michaele electo Santagathen.

§. I. Militanti Eccleſiæ, diſponente Domino, licet immeriti præſidentes circa curam omnium Eccleſiarum ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta paſtoralis officii debitum commiſſi nobis Dominici gregis curam utiliter gerere, divina cooperante clementia, ſtudeamus, & quamquam aſſidue circa ſingularum commoda vigilemus, tamen erga illas, quæ deplorant viduitatis incommoda, propenſiori cura & majori propulſamur inſtantia, ut eis præficiamus viros idoneos in paſtores.

§. II. Dudum ſiquidem Eccleſia Santagathen. per obitum bonæ memoriæ fratris Euſtachii Santagathen. Epiſcopi, paſtoris ſolatio deſtituta, dilectus filius frater Petrus de Murrhone, tunc Cœleſtinus Papa V. anteceſſor noſter, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ bonæ memoriæ fratri Joanni tituli ſancti Vitalis Presbytero Cardinali duxit in ſpiritualibus & temporalibus committendam, ſed eodem Cardinali naturæ debitum perſolvente, proviſionem faciendam ipſi Eccleſiæ de paſtore ea vice nobis duximus reſervandam. Decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper hoc ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. III. Ac poſtmodum de ipſius ordinatione ne prolixioris vacationis expoſita maneret incommodis, attentius cogitantes, & volentes eidem Santagathen. Eccleſiæ de paſtore idoneo ſalubriter providere, in te Fratrem Minorum Ordinis profeſſorem, virum quoque prout fide dignorum habet aſſertio, vitæ laudabilis, converſationis placidæ, ac morum honeſtate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, direximus oculos noſtræ mentis, teque de Fratrnm noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ipſi Santagathen. Eccleſiæ in Epiſcopum præficimus & paſtorem, in illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quod prælibata Eccleſia Santagathen. per tuæ induſtriam providentiæ, a noxiis præſervabitur & adverſis, optatis quoque proſperitatis commodis ſpiritualiter & temporaliter proficiet, ac honoris.

§. IV. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino ſuſcipiens reverenter, curam & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ Santagathen. ſic diligenter geras & ſollicite proſequaris, quod ipſa gubernatori conſpicuo ac fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, & bonæ famæ tuæ odor, ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac præter benedictionis æternæ præmium, benevolentiæ noſtræ gratiam exinde plenius conſequaris.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVIII. Kalend. Decembris, anno I.

VIII.

Quod ei liceat libros ſuos per duos diſtribuere Conventus. Regeſt. Vatic. epiſt. 668.

Dilecto filio fratri Raymundo Gaufridi Ordinis Fratrum Minorum.

TUa nobis devotio intimavit, quod ad loca Fratrum tui Ordinis, quæ ſunt in Aquen. & Meſſilien. civitatibus conſtituta, pro eo ſpecialius geris ſinceræ devotionis affectum, quod in altero locorum ipſorum fuiſti nutritus, & in alio ipſius Ordinis habitum recepiſti. Quare humiliter petiiſti a nobis, ut quoſdam libros tuo uſui deputatos, quos pro majori parte fuiſti ab amicis tuis & parentibus conſecutus, conferendi locis eiſdem & dividendi eos inter loca prædicta licentiam tibi concedere dignaremur. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, licentiam tibi, auctoritate præſentium, concedimus poſtulatam. Et ne aliquis libros ipſos ſubtrahere, vendere, diſtrahere, obligare pignori, vel alio quoquo modo alienare poſſit, niſi pro aliis libris utilioribus faciendis, vel acquirendis pro locis eiſdem, cum licentia tamen Miniſtri Provinciæ, ac conſilio Fratrum prædictorum locorum, quibuſcumque ſtatutis, conſuetudinibus, indulgentiis, litteris & privilegiis contrariis nequaquam obſtantibus, Apoſtolica auctoritate diſtrictius inhibemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis & inhibitionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Non. Decembris, anno I.

IX.

Liberat eas a ſolutione decimarum pro negotio regni Siciliæ. Reg. Vatic. epiſt. 636.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Monaſteriorum, aliorumque locorum Ordinis ſanctæ Claræ.

SAnctitatis & pietatis opera, quorum obſervantiæ vos pro Chriſti gloria deputaſtis, adeo Apoſtolicæ Sedis gratiam promerentur, ut ea quæ cum Deo & honeſtate poſſumus, vobis favore benevolo concedamus. Volentes itaque favore vos proſequi gratiæ ſpecialis, veſtris nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, vos & Ordinem veſtrum a præſtatione decimæ nuper in ſubſidium negotii regni Siciliæ per Sedem Apoſtolicam deputatæ, auctoritate Apoſtolica, prorſus eximimus, vobis nihilominus indulgentes, ut ad ſolutionem ipſius decimæ minime teneamini, neque ad id compelli a quoquam aliquatenus valeatis. Sententias quoque ſuſpenſionis, interdicti, & excommunicationis, ſi quæ propter hoc contra hujuſmodi exemptionis, & indulti noſtri tenorem in vos & perſonas prædicti Ordinis hactenus forſitan ſunt prolatæ, & in poſterum ferri contigerit, irritas decernimus & inanes.

Nulli ergo noſtræ exemptionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum IX. Kal. Januarii, anno I.

X. Fit

X.

Fit Epiſcopus Piſaurenſis. Reg. Vatic. epiſt.596.

Venerabili fratri Petro Epiſcopo Piſauren.

§. I. IN ſupremæ dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, curis continuis angimur, & pulſamur inſultibus ſucceſſivis, ut de perſonis talibus provideatur Eccleſiis Paſtoribus viduatis, quarum induſtria & virtute eædem Eccleſiæ in ſuis juribus & libertatibus conſerventur, reddatur tranquillior cleri ſtatus, & commodis ſalutis & gaudii plebs lætetur. Olim ſiquidem Piſauren. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Salvi Piſauren. Epiſcopi, qui tempore fel. rec. Nicolai Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, dum a Curia Romana diſcedens, antequam ad Eccleſiam ſuam Piſauren. rediret, in itinere debitum naturæ perſolvit, Paſtoris regimine deſtituta, dictus prædeceſſor proviſionem faciendam dictæ Eccleſiæ de Paſtore, Sedi Apoſtolicæ reſervavit: decernens ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper iis contingeret attentari.

§. II. Nos igitur de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſollicite cogitantes, ac talem cupientes prædictæ Eccleſiæ præeſſe Paſtorem, de quo certam haberemus notitiam, & in cujus fide fida recumberet ſecuritas ſubditorum, in te Minorum Ordinis profeſſorem, tunc Cuſtodem fratrum provinciæ Campaniæ ejuſdem Ordinis, quem nobis & Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, morum maturitate, religionis honeſtate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia fide dignorum teſtimonia commendarunt, direximus oculos noſtræ mentis. Quapropter gregi Dominico ſpeciali volentes diligentia providere, de eorumdem Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, te præfatæ Piſauren. Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, tibique per venerabilem Fratrem noſtrum M. Portuen. Epiſcopum fecimus munus conſecrationis impendi, firma ſpe fiduciaque tenentes, quod eadem Eccleſia, Deo auctore, per tuæ induſtriæ, ac circumſpectionis fructuoſum ſtudium præſervabitur a noxiis, & adverſis, ac ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis.

§. III. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus, quam ſuave, & in delectatione Dei paſcendum ſuſcipe gregem ejus, ſuper quem noctis vigilias diligens ſollicituſque cuſtodi, ut liber non pateat aditus invaſori, & Dominus inſuſpicabili hora venturus, ſi te invenerit ſic agentem, curſu conſummato qui tuo labori præponitur, & horum fide ſervata, quæ tuæ ſollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico, ſupra multa conſtituat, ac in dilecta gaudiorum ſuorum tabernacula introducat.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kalend. Januarii, anno II.

XI.

Confert eis amplum privilegium. Reg. Vatic. epiſt.82.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis Monaſterii de Gratia beatæ Mariæ Virginis, ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. I. RELigioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas a pro-

a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ rellgionis eneruet. Ea propter dilectæ in Chriſto filiæ veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium de gratia beatæ Mariæ Virginis Londonien. diœc a nobis in jus & propietatem Apoſtolicæ Sedis aſſumptum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus

Monaſterium ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipitur.

§. II. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Sororum Minorum incluſarum, quæ ſub obſervantia regulæ, quæ ſervatur in Monaſterio Humilitatis beatæ Mariæ prope ſanctum Clodoaldum Pariſien. diœceſ. auctoritate Sedis Apoſtolicæ, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliia juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & eis, quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum in quo prætactum Monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, cum omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuls. Liceat quoque vobis perſonas liberas, & abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere & eas abſque contradictione aliqua retinere.

Bonorum poſſeſſio confirmatur.

§. III. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero altarium vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet Eccleſiaſtico ſacramento nullus a vobis, ſub obtentu conſuetudinis vel alio modo, quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis Epiſcopus diœceſanus vobis impendat, alioquin liceat vobis hæc omnia, auctoritate noſtra, recipere a quocumque malueritis Catbolico antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis obtinente. Quod ſi Sedes diœceſani ſorte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis recipere libere & abſque contradictione poſsitis, ſic tamen ut ex hoc impoſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur.

Facultas recipiendi Sorores.

Alia privilegia.

§. IV. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habeutem, de quo plenam notitiam habetis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones Monialium, vaſorum & veſtium, & conſecrationes altarium auctoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, divina officia celebrare, dummodo cauſam non dederitis interdicto. Obeunte autem te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel eorum aliqua quæ tibi ſucceſſerit, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia proponatur, niſi quam Sorores ejuſdem Monaſterii communi conſenſu vel earum major pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & prætactam regulam providerint eligendam.

§. V. Porro ſi Epiſcopi vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum vel perſonas regulares inibi Domino famulantes, ſuſpenſionis, excommunicationis & interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam

quam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere.

§. VI. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum veſtrorum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

§. VII. Præterea omnes libertates, & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ordini veſtro conceſſas, necnon libertates, exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, & Principibus, vel aliis chriſtifidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apoſtolica confirmamus, ac præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſubſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

§. VIII. Ad indicium autem perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam libram ceræ nobis noſtriſque ſucceſſoribus, annis ſingulis perſolvetis. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat & a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Cenſus annuus.

Ego Bonifacius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gerardus Sabinen. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Joannes Tuſculan. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Matthæus Portuen. & ſanctæ Ruffinæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Ugo Oſtien. & Velletren. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Thomas tit. ſanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Nicolaus tit. ſancti Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Fr. Robertus tit. ſanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego frater Jacobus tit. ſancti Clementis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego frater Simon tit. ſanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Jacobus ſanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Neapoleo ſancti Adriani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gulielmus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Benedictus SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Petrus ſanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Petri ſanctæ Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis & ſanctæ Rom. Eccl. Vicecancellarii, III. Idus Martii; Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, Pontif. vero Domini Bonifacii Papæ VIII. anno II.

In eumdem modum Abbatiſſæ Monaſterii Pietatis beatæ Mariæ Virginis de Watterbeche. Datum eodem die.

XII.

Transfert dominium quorumdam bonorum cum eiſdem Monialibus ad aliud Monaſterium translatis. Reg. Vatic. epiſt. 334.

Dilectis in Chriſto filiabus Joannæ Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Monialium ſancti Laurentii de monte Salernitan. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. Nuper fuit ex parte veſtra nobis expoſitum, quod cum olim tu filia Joanna Abbatiſſa, & dilectæ in Chriſto filiæ Franciſca de Salerno & Jacoba de Oliveto Moniales veſtri Monaſterii ſancti Laurentii de Monte Salernitano, eſſetis Moniales Monaſterii ſancti Spiritus de Salerno Ordinis ſancti Damiani, quædam vinea in territorio Salernitanæ diœceſis in loco qui dicitur Paſtoranum, cujus quidem vineæ fructus ſeu redditus quatuor unciarum auri de pecunia, quam tibi Joannæ prædictæ traſmiſerat pro aliquibus tuis neceſsitatibus ſublevandis Joannes de Procida pater tuus, de quadam vero alia pecuniæ quantitate præſatæ Franciſcæ pro ſuſtentatione ipſius a ſuo patre tranſmiſſa quædam apotheca in ipſa civitate, cujus apothecæ, redditus dimidiæ unciæ auri, quoddam inſuper viridarium cum quodam molendino in prædicto Territorio ejuſdem civitatis in loco qui dicitur Lambagine, ac quoddam Olivetum in territorio caſtri Ebuli Salernitanæ diœceſ. quorum quidem viridarii, molendini & oliveti fructus ſeu redditus unius unciæ & dimidiæ auri valores annuos non excedunt, de alia ſumma pecuniæ pro ſuſtentatione ſimili dictæ Jacobæ a quondam patre ejuſdem Jacobæ exhibita de conſenſu Abbatiſſæ & Conventus prædicti Monaſterii ſancti Spiritus, ipſi Monaſterio tui Joannæ & dictarum Franciſcæ & Jacobæ Monialium contemplatione empta & acquiſita fuerunt. Cenſus annuus.

§. II. Cum autem tu prædicta Joanna, & eædem Franciſca & Jacoba de prædicto Monaſterio ſancti Spiritus ad prælibatum Monaſterium ſancti Laurentii ſitis, de beneplacito noſtro, translatæ, fuit nobis ex parte veſtra humiliter ſupplicatum, ut præfatas res ſic emptas transferre in prædictum Monaſterium veſtrum ſancti Laurentii perpetuo dignaremur.

§. III. Nos igitur æquum & congruum reputantes, ut vinea & alia ſupradicta, quæ ſic, ut prædicitur, dum adhuc tu Abbatiſſa Franciſca & Jacoba eſſetis prædicti Monaſterii ſancti Spiritus Moniales, ei acquiſita fuerunt, & ipſis ad Monaſterium ſancti Laurentii memorati, cui tam tui Abbatiſſa, quam nominatarum Monialium ſuſtentationis onus incumbit, applicentur, & ut pro neceſſitatibus tuis & ipſarum, de dictarum rerum proventibus tibi & eis, dictæ ſanctæ Claræ Regulæ puritate ſervata, valeat ſubveniri, petitioni hujuſmodi favorabiliter annuendo, juribus exiſtentibus ſupradictis, vineam & apothecam, viridarium, molendinum, & olivetum ſupradicta ipſi Monaſterio veſtro ſancti Laurentii in jus & proprietatem, Apoſtolica auctoritate, perpetuo concedimus. Decernimus quoque irritum & inane ſi ſecus ſuper his, quavis auctoritate, fuerit attentatum. Nulli ergo noſtræ conceſſionis, applicationis, & conſtitutionis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Maii anno II.

XIII. *Com-*

XIII.

Committit eis examen injuriarum illatarum Fratribus Aurien. Reg. Vat. epiſt. 221.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Compoſtellano & Epiſcopo Mindonien. ac dilecto filio Archidiacono de Avantis in Eccleſia Lucen.

§. I. Quamvis grave feramus, & merito, cum aliqua ſcelerata, vel quæque ſiniſtra nobis de quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis referuntur; de illis tamen turbamur acerbius, qui Pontificali præditi dignitate, ſunt ad Eccleſiarum & ſubditorum regimina, ædificationem populi, & correctionem inſolentium deputati.

§. II. Sane ad audientiam noſtram clamoſa inſinuatione, non ſine gravi mentis noſtræ turbatione pervenit, quod cum nonnulli cives Aurien. propter minas & terrores illatos ſibi a venerabili fratre noſtro Petro Epiſcopo Aurien. qui utramque juriſdictionem in civitate Aurien. dicitur obtinere, ad locum dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem civitatis, tamquam tutum refugium pro ſuarum tuitione perſonarum, ipſis tamen Guardiano & Fratribus invitis, fiducialiter confugiſſent, Gometius Caſtellanus in dicta civitate juriſdictionem temporalem exercens, aliique officiales & familiares ejuſdem Epiſcopi, non ſine ipſius conſcientia & conſenſu, Martinus Petri Archidiaconus, Petrus Velaſci Magiſter Scholarum, & Gonſalvus Nuni Cantor Eccleſiæ Aurien. cum eorum familiaribus ac nonnullis aliis clericis & laicis, tamquam quietis & bonorum operum turbatores, abjecto divino timore pariter & amore, ad locum prædictum hoſtiliter accedentes, & fractis clauſuris domorum, & devaſtatis incendio portis Eccleſiæ dicti loci, ac igne in duabus partibus Eccleſiæ appoſito, nec non tecto & ſolario ſacriſtiæ ipſorum Guardiani & Fratrum deſtructis, in cives prædictos inhumaniter ſævientes, decem ex ipſis tam in dicta Eccleſia, quam in clauſtro, & infra locum ipſum inventos, quamquam duo eorum ante majus altare conſecratum ipſius Eccleſiæ, quorum alter tenebat reverendam imaginem Crucifixi, exiſterent, & eis de non interficiendo ipſos ab ipſis ſecuritas data fuiſſet, crudeliter trucidarunt: ſicque dicti Guardianus & Fratres in eadem Eccleſia, cum eſſet tam deteſtabili ſanguinis polluta, per decem menſes & amplius a divinorum celebratione ſunt ceſſare coacti. Moleſtiæ injectæ Fratribus recenſentur.

§. III. Cumque ipſi Guardianus & Fratres, dum Gometius & alii ſupradicti hujuſmodi operibus pernicioſis & nefariis inſiſterent, quatuor ex Fratribus ſuis ad dictum Epiſcopum, in quo credebant invenire remedium ſuper anguſtiis, in quibus erant poſiti, deſtinaſſent, ipſique dicto Epiſcopo duxerint humiliter ſupplicandum, ut Caſtellanum & alios ſupradictos a prædictis exceſſibus revocaret, idem Epiſcopus eorum ſupplicationibus non ſicut pius pater, ſed impii more tyranni, condeſcendere non curavit, & licet per Sedem Apoſtolicam ſit inhibitum, ut nullus infra clauſuram Fratrum dicti Ordinis damnabilem violentiam ſeu rapinam exercere præſumat: Caſtellanus tamen, & alii ſupradicti malis ab eis commiſſis & exceſſibus hujuſmodi non contenti, mala malis, & injurias injuriis cumulantes, nonnulla bona depoſita in loco prædicto, libros etiam, veſtimenta, ornamenta Eccleſiaſtica divino cultui deputa- Epiſcopus Neſatiis arridet.

ta, ibidem inventa, exinde nequiter aſportantes, partim ad domum ipſius Epiſcopi, & partim ad dictam Eccleſiam Aurien. auſu nefario detulerunt.

In Fratres manus violentas injiciunt.

§. IV. Poſtmodum autem quidam ſatellites & familiares dicti Epiſcopi ad locum redeuntes eumdem, & voluntatis ac propoſiti memorati Epiſcopi non ignari, afflictionem dictis Fratribus addentes afflictis, & ad eorum ruinam & interitum molientes, in ipſos Fratres ſacrilegas manus extendere, ac Fernardum fratrem ejuſdem loci vulnerare graviter, Dei timore poſtpoſito, præſumpſerunt, multis aliis dictis Fratribus injuriis, & gravaminibus irrogatis, præfatus Epiſcopus tamquam prædictorum exceſſuum fautor & actor, & alii per eum præſidentes civitati prædictæ ipſorum ſcelerum patratoribus mandaverunt, ut ſi aliqui patratores ipſos, vel eorum aliquem, occaſione præmiſſa, ſacrilegos vel excommunicatos eſſe dicerent, ſtatim capita dicentium talia, vibratis gladiis, percutere non tardarent.

Criminoſi ad comparendum citantur.

§. V. Cum igitur præmiſſa quæ redundant in gravem divinæ Majeſtatis offenſam, & prædicti Ordinis injuriam & gravamen, dicantur eſſe adeo notoria, quod nulla poſſint tergiverſatione celari, Nos nolentes ea impunita relinquere, ne aliis tribuatur audacia ſimilia committendi, diſcretioni veſtræ in virtute obedientiæ diſtricte per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios Epiſcopum, Archidiaconum, Cantorem, Magiſtrum ſcholarum, & Gonſalvum Caſtellanum prædictos ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra trium menſium ſpatium poſt citationem veſtram perſonaliter Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent pro meritis recepturi, ac facturi ſuper his quod juſtitia ſuadebit. Diem vero citationis & formam quidquid ſuper hoc feceritis per veſtras litteras harum ſeriem continentes, curetis fideliter intimare.

Datum Laterani VIII. Kalendas Junii anno II.

XIV.

Confirmat litteras Innocentii IV. circa curam de Monialibus habendam.
Reg. Vatic. epiſt. 227. Roderic. bulla 4.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Quaſdam litteras felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ nobis præſentatæ fuerunt, inſpeximus diligenter, & earum tenorem, ut de ipſis certitudo in poſterum habeatur, de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.

§. II. *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet olim quibuſdam veſtram per noſtras litteras formas diſſimiles continentes, quædam Monialium Ordinis ſancti Damiani Monaſteria duxerimus committenda, cupientes tamen ipſarum utilitatibus ſic veſtro miniſterio provideri, ne ſanctæ contemplationis otium occurſu occupationum multiplicium valeat impediri, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut dictæ Moniales, vel aliæ, ſi quas vobis de cetero ſub quacumque forma, committi contigerit, Apoſtolicæ Sedis indulgentia conceſſa vel concedenda in poſterum non obſtante, niſi expreſſam fecerint de præſentibus men-*

mentionem, hoc ſolum a nobis commiſſionis noſtræ beneficio conſequantur, videlicet, ut ipſæ ſub magiſterio & doctrina veſtra, & eorum, qui pro tempore Miniſtri fuerint, debeant permanere, illis gaudentes privilegiis, quæ veſtro Ordini ſunt conceſſa, vel in poſterum concedentur, & contraria conſtitutione ipſius Ordinis non obſtante, animarum ſuarum ſollicitudinem gerentes, & curam, ac eis de conſtitutionibus veſtri Ordinis, quæ ipſis competunt exhibentes eiſdem Monaſteriis per vos, vel per alios Fratres veſtros, quos ad hoc idoneos videritis, quotiens expedierit, viſitationis officium impendere ſtudeatis, corrigendo & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis ſeu reformationis officio noveritis indigere. Inſtituatis nihilominus, & deſtituatis, mutetis & ordinetis prout ſecundum Deum videritis expedire. Electio tamen Abbatiſſæ libere pertineat ad Conventum. Confeſſiones earum audiatis, & miniſtretis eis Eccleſiaſtica ſacramenta. Et ne pro eo, quod in eiſdem Monaſteriis Fratres veſtri Ordinis reſidere continue non teneantur, pro defectu ſacerdotis poſſit periculum imminere, ad confeſſiones earum in neceſſitatis articulo audiendas, & miniſtranda ſacramenta prædicta, nec non divina officia celebranda, deputetis aliquos diſcretos & providos Capellanos. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnia præmiſſa juxta conſtitutionis hujuſmodi tenorem, cum eas veſtro incorporari Ordini non velimus, curetis diligenter & ſollicite adimplere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni IV. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

§.III. Nos igitur ejuſdem prædeceſſoris veſtigiis inhærendo, prædictas litteras, & proceſſus per eas habitos, approbantes, ac omnia in litteris ipſis contenta, quæ idem prædeceſſor ſtatuit, inviolabiliter obſervari debere, auctoritate præſentium decernentes, diſcretioni veſtræ ad inſtar dicti prædeceſſoris per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnia præmiſſa, etiamſi eædem litteræ de cetero nullatenus apparerent, circa præfata Monaſteria, & eorum perſonas, ſive Ordinis ſanctæ Claræ, ſive ſancti Damiani, ſive Minoriſſæ dicantur, exequi diligenter & ſollicite ſtudeatis. Nulli ergo noſtræ approbationis &c.

Datum Anagniæ V. Nonas Junii anno II.

XV.

Concedit ut poſſint eis applicari proventus cujuſdam Eccleſiæ. Regeſt. Vatic. epiſt. 301.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii de domo pietatis beatæ Mariæ Virginis in Waterbeche Ordinis ſanctæ Claræ Elien. diœc.

VEſtræ Religionis honeſtas, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ Illuſtris precamina nos inducunt, ut vos illa proſequamur gratia, quæ neceſſitatibus veſtris fore dignoſcitur opportuna. Ipſius igitur Regis, & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Dioniſiæ de Monte Caniſio ejuſdem Regis conſanguineæ, quæ veſtrum Monaſterium dicitur fundaſſe, nobis ſuper hoc ſupplicantium, veſtriſque præcibus favorabiliter annuentes, unam de Eccleſiis non Collegiatis, in quibus dicta nobilis ſola jus obtinet patronatus, quam nobilis ipſa ele-

gerit, cujus fructus, redditus, & proventus valorem annuum quadraginta Marcharum Sterlingarum non excedant, vobis concedimus & donamus, auctoritate vobis præſentium indulgentes, ut poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ vacantis electæ per nobilem memoratam apprehendere, diœceſani loci &c.ut ſupra in bulla 1. hujus Pontif. uſque in finem.

Datum Anagniæ II. Nonas Junii anno II.

XVI.

Relaxat juramentum ab eis factum circa non recipiendas plures Sorores. Reg. Vatic. epiſt. 419.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Sororibus Ordinis ſanctæ Claræ in Nuſcia Colonien. Diœc.

§. I. EXhibita nobis veſtra petitio continebat, quod cum vos eſſetis olim in tanto numero, quod Monaſterium veſtrum eſſet ad hoc nimium oneratum, maxime cum de recipiendis pluribus in Sorores veſtras multæ vos inſtantius infeſtarent, vos inconſulte ſtatutum in veſtro Monaſterio edidiſtis, ut nulla reciperetur a vobis donec eſſetis ad trigenarium numerum primo redactæ, ſtatutum hujuſmodi juramento firmantes.

§. II. Verum quia poſtmodum proceſſu temporis percepiſtis, quod ſtatutum & juramentum hujuſmodi ſi ſerventur, poſſent in non modicum animarum veſtrarum, & ipſius Monaſterii præjudicium redundare, cum nonnunquam talem perſonam contingeret forſitan recuſari, ex cujus receptione poſſet animarum ſalus, & magna ipſius Monaſterii, ac etiam aliorum ædificatio provenire, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut ſuper hoc vobis providere ſalubriter dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui libenter perſonis & locis religioſis conſolationis & ædificationis commoda procuramus, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis ut non obſtante juramento prædicto, poſſitis non paſſim, ſed illas tantum ſupra jam dictum numerum perſonas laudabiles in veſtras & veſtri Monaſterii Monachas & Sorores recipere, ex quarum receptione magna videatur poſſe vobis, Monaſterio veſtro, & populo ædificatio provenire; dummodo ad id totius veſtri Conventus accedat aſſenſus, auctoritate præſentium duximus concedendum.

Datum Anagniæ VI. Kal. Julii, anno II.

XVII.

Confirmat donationem cujuſdam Eccleſiæ eis factam. Reg. Vatic. epiſt. 391.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Troppen.

Habes formulam in Regeſto Tomi I. fol. 431.

§. I. CUm a nobis petitur &c. uſque *effectum*. Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod cum in terra Troppen. Fratres veſtri Ordinis locum vel habitaculum non haberent, plebs Troppen. devotionis & caritatis ſpiritu ducta, Fratres eoſdem ad habitandum in eadem terra inſtanter inducens, venerabili fratri noſtro I. Epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo Troppen. humiliter ſupplicavit, ut Fratribus memorati Ordinis pro eorum manſione & habitaculo, parochialem Eccleſiam ſancti Petri ſitam juxta ripas Troppeæ, ſpectantem ad collationem ipſorum Epiſcopi & Capituli, quæ tamen collata erat in beneficium Ni-

Nicolao presbytero Eccleſiæ Troppen. cum horto ſibi contiguo, concedere dignarentur.

§. II. Ipſe autem Epiſcopus hoc pro ſalute animarum inibi habitantium, utile ac neceſſarium reputans, de conſilio & conſenſu prædicti Capituli, præfato Nicolao pro æquivalenti beneficio quadam Capella ejuſdem Troppen. Eccleſiæ collata, præfati Nicolai ad id libero & expreſſo accedente conſenſu, prædictam Eccleſiam ſancti Petri cum horto ſibi contiguo fratri Roberto tunc Guardiano Fratrum loci Montis Leonis prædicti Ordinis, & fratri Thomæ de Morano recipientibus vice & nomine Miniſtri Provinciæ Calabriæ, ac Fratrum dicti Ordinis, prout ſpectabat ad eum, duxit canonice concedendam, eoſque de dicta Eccleſia ſancti Petri, & horto per ſuum annulum præſentialiter inveſtivit, adjiciens, quod parochiani ipſius Eccleſiæ ſancti Petri ad parochialem dictæ Troppen. Eccleſiæ devolvantur: quodque ſi dictos Fratres, habitaculo ipſius Eccleſiæ derelicto, ad alias manſiones ſe transferre contingeret, liceat ſibi & ſucceſſoribus ſuis Eccleſiam ipſam ſancti Petri & hortum ad jus & proprietatem ipſius Troppen. Eccleſiæ revocare, prout de his omnibus per patentes litteras ipſius Epiſcopi ſigillo munitas plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc per eumdem Epiſcopum provide actum eſt, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo noſtræ confirmationis &c.

Datum Anagniæ xv. Kal. Julii, anno II.

XVIII.

Ut ad nulla teneantur tributa aut ſubſidia exhibenda. Regeſt. Vatic. epiſt. 228.

Dilectis in Christo filiabus univerſis Abbatiſſis & Conventibus Monialium incluſarum Ordinis ſanctæ Claræ, ſive ſancti Damiani, ſive Minoriſſæ dicantur &c.

§. I. Laudabilis ſacra religio, quæ in Monaſteriis veſtris a vobis & aliis perſonis in eis degentibus ſub onere voluntariæ paupertatis jugiter colitur, ſic a vobis mundanæ diſſolutionis relegavit illecebras, ut inter alia clauſtralis abſtinentiæ noxibus relegatæ puritate fulgeatis obſervantiæ regularis, & voluntatis libitum coarctantes, omnino ſub obedientiæ debito dignam & ſedulam exhibeatis Domino ſervitutem.

§. II. Hinc eſt quod nos pium & congruum reputantes, ut vos illa proſequamur gratia, quæ veſtris neceſſitatibus fore conſpicimus opportuna, vobis univerſis & ſingulis, auctoritate præſentium, indulgemus, ut ad præſtationem decimarum de quibuſcumque poſſeſſionibus & aliis omnibus bonis veſtris, quæ in præſentiarum habetis, & juſtis modis, præſtante Domino, acquiſiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum, & etiam Legatorum & Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, & quibuslibet talleis & collectis, ac ad exhibendum pedagia, telonia, & alias actiones quibuſvis Regibus, Principibus ſeu aliis perſonis ſecularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c.

Datum Anagniæ IV. Nonas Julii, anno II.

XIX.

XIX.

Applicat eis mille marchas argenti. Reg. Vatic. epiſt. 291.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Pariſien.

PAupertati veſtræ, quam propter Deum voluntarie ſuſtinetis, paterno compatientes affectu, ac volentes neceſſitatibus veſtris per noſtræ providentiæ ſtudium aliquod temporale ſubſidium provenire, dilecti filii noſtri Jacobi tituli ſancti Clementis Presbyteri Cardinalis, nobis ſuper hoc ſupplicantis precibus inclinati, de legatis indiſtincte in pios uſus relictis in regno Franciæ mille marchas argenti pro veſtris neceſſitatibus, auctoritate vobis præſentium duximus concedendas. Volumus autem ut ſi prætextu conceſſionis hujuſmodi aliquid ultra prædictas mille marchas receperitis, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurratis. Nulli ergo noſtræ conceſſionis & voluntatis &c.

Datum Anagniæ XVI. Kal. Auguſti, anno II.

XX.

Ut poſſint a Minoritis ſacramenta recipere. Reg. Vatic. epiſt. 317.

Dilectis filiis univerſis Fratribus, & dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Ordinis Continentium de Pœnitentia ſancti Franciſci vulgariter nuncupatis per Alemanniam conſtitutis &c.

DEvotionis veſtræ precibus benignum impertientes aſſenſum, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut vos qui ob reverentiam beati Franciſci Confeſſoris, qui Ordinis veſtri extitit inſtitutor, juxta ſalubre ſuper hoc conſilium a Sede Apoſtolica vobis datum, dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum doctrina dirigimini, & viſitatores veſtros de ipſis Fratribus noſcimini aſſumpſiſſe, poſſitis ab eiſdem Fratribus quoties fuerit opportunum, corporis Dominici recipere ſacramentum, præterquam in feſto Reſurrectionis Dominicæ, in quo pro divinis officiis audiendis, & eodem ſacramento recipiendo conſueviſtis in parochialibus Eccleſiis convenire, dictarum Eccleſiarum parochialium jure ſalvo. Nos enim excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, ſi quas in vos ſeu aliquem veſtrum contra præſentis noſtræ conceſſionis tenorem fieri contigerit, irritas decernimus & inanes. Nulli ergo noſtræ conceſſionis & conſtitutionis &c.

Datum Anagniæ V. Kal. Auguſti, anno II.

XXI.

Ut oblati poſſint in earum Monaſteriis ſuſcipere ſacramenta. Reg. Vatic. epiſt. 316.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis, & Conventibus Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ per Alemanniam conſtitutis.

DEvotionis veſtræ precibus benignum impertientes aſſenſum, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut oblati Monaſteriorum veſtrorum, qui ſe ac ſua vel majorem partem bonorum ſuorum ſine fraude ac dolo Monaſteriis ipſis ſponte ac libere obtulerunt, & nulli alii ſub no-

nomine ſeu colore hujuſmodi oblatorum, poſſint in eiſdem Monaſteriis corporis Dominici recipere ſacramentum, quoties fuerit opportunum, præterquam in feſto Reſurrectionis &c. *ut in præcedenti bulla &c.*

Datum Anagniæ iii. Kal. Auguſti, anno ii.

XXII.

Jubet conferri Fratribus Oxonienſibus locum Fratrum de Pœnitentia. Reg. Vatic. epiſt. 358.

Venerabili fratri Epiſcopo Lincolnien.

§. I. Ex parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Oxonien. Ordinis Minorum tuæ diœc. nobis extitit intimatum, quod locus eorum adeo arctus eſſe dignoſcitur, quod ſcolares ad ſtudium in ſacra pagina, aliique Chriſti fideles ad audiendum verbum Dei apud locum ipſum convenire commode nequeunt, & morari, maxime cum propter talia confluat ad locum ipſum non modica hominum multitudo, qui quidem locus nonniſi per domum ſive aream Fratrum Ordinis de Pœnitentia Jeſu Chriſti Oxonien. qui alias Saccitæ dicuntur, quæ ipſi loco Fratrum Minorum eſt nullo medio conjuncta, poteſt aliquatenus dilatari.

§. II. Licet autem dictus Ordo de Pœnitentia Jeſu Chriſti poſt generale Concilium inſtitutus, per Sedem Apoſtolicam confirmatus fuiſſe dicatur, eſt tamen de illis, quibus ad ſuſtentationem Fratrum ipſius Ordinis redditus aut facultates habere propriæ conſtitutiones, ſeu regula interdicit, ſed eis victum per quæſtum publicum ſolet incerta mendicitas miniſtrare. Verum fel. rec. Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter ſtatuit in Concilio Lugdunen. ut profeſſoribus talium Ordinum ſic in eis remanere liceret, ſi vellent, ut nullum ex tunc ad eorum profeſſionem admitterent, nec de novo domum aut aliquem locum acquirerent, nec domos aut loca, quæ habebant, alienare poſſent ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, reſervans ea diſpoſitioni Sedis prædictæ in Terræ ſanctæ ſubſidium vel pauperum, aut alios pios uſus per locorum Ordinarios, aut alios, quibus id Sedes ipſa committeret convertenda.

§. III. Cum autem domus ſeu area prædicta eorum Fratrum de Pœnitentia Jeſu Chriſti adeo dicatur ab ejuſdem Ordinis de Pœnitentia Fratribus derelicta, quod de Conventu eorum, qui ſatis honorabilis eſſe inibi conſuevit, nonniſi quinque Fratres tantummodo remanſerunt. Nos volentes hujuſmodi dictorum Fratrum Minorum indigentiæ providere, ipſorum devotis precibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur eiſdem, quinque Fratribus, qui inibi remanſiſſe dicuntur, decedentibus, vel ſe ad alios transferentibus Ordines, domum ſeu aream eorum prædictam cum juribus & pertinentiis ſuis memorato Guardiano & Fratribus Minoribus pro prædicti eorum loci ampliatione, auctoritate noſtra, concedas, inducens eos in ejuſdem domus, ſeu areæ ac jurium & pertinentiarum ſuarum corporalem poſſeſſionem, & defendens inductos. Contradictores &c.

Datum Anagniæ vi. Kal. Septembris, anno ii.

XXIII.

XXIII.

Concedit facultatem erigendi Monaſterium Urdumienſe. Reg.Vat.ep.563.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali Provinciæ Caſtellæ, Guardiano, & Lectori Bictoriæ Calaguritan. Diœc. Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. EX parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum viventium ſub habitu Monialium & ſecundum inſtituta Ordinis ſanctæ Claræ in Eccleſia ſanctæ Mariæ veteris de Urdumia ejuſdem Diœc. fuit expoſitum coram nobis, quod Eccleſia ipſa per earum induſtriam adeo excrevit in bonorum facultatibus & abundat, quod ex ipſorum bonorum redditibus & proventibus viginti quinque Moniales poſſunt commode ſuſtentari. Unde cum dicta Eccleſia, que a ſexaginta annis & ultra Eremus noſcitur extitiſſe, ſit locus aptus ut fiat in eo Monaſterium dicti Ordinis, ipſæque Sorores ejuſdem Ordinis regulam profiteri deſiderent, & ſub ea virtutum Domino famulari, concedi eis hujuſmodi Eccleſiam & regulam per providentiam Sedis Apoſtolicæ humiliter ſupplicarunt.

§.II. Nos igitur ipſarum Sororum tam ſalubre deſiderium in Domino commendantes, earum devotis ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de hujuſmodi Sororum, & loci ac facultatum conditionibus & circumſtantiis univerſis exquiſita diligentius veritate, ſi veris exiſtentibus ſupradictis & conſideratis omnibus, quæ in hac parte fuerint conſideranda, videritis expedire, quod in loco prædicto Monaſterium præfati Ordinis ordinetur, & quod tam jam dictæ Sorores, quam locus vel Eccleſia, in quo degunt, incorporentur Ordini memorato, & hoc fieri poſſit ſine juris præjudicio alieni, præterquam venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Calaguritani, cui ratione ſui juris vocem contradictionis interdicimus in hac parte, & nihilominus ſuper hoc omnia alia rite concurrant, quæ Ordo exigit memoratus, prælibatam Eccleſiam, auctoritate noſtra, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis prædictis Sororibus & ſucceſſoribus earum in jus & proprietatem in perpetuum concedatis, ac eamdem Eccleſiam cum officinis ejus erigatis in Monaſterium Ordinis ſupradicti, & ad ejuſdem Ordinis regulam a fel. rec. Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro traditam, & ad profeſſionem ejuſdem regulæ Sorores admittatis eaſdem. Clauſuram in eodem Monaſterio ſecundum eamdem regulam dictis Sororibus ordinantes, & facientes ab eis ipſius Regulæ profeſſionem emitti. Ceterum de Caſtellæ ſeu vicinis Provinciis quatuor vel ſex Sorores eligere ſtudeatis, præfatam hactenus profeſſas regulam, & informatas in ea, ipſaſque ad dictum locum earumdem Sororum transferre curetis, ut illæ, quæ in præſentiarum in loco ipſo degere dignoſcuntur, poſſint per eas in dicta regula informari ac virtutum exemplar ſuſcipere ab eiſdem proviſo, quod earum translatio fiat, prout decet perſonarum & Ordinis honeſtatem. Contradictores &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Idus Novembris, anno II.

XXIV.

XXIV.

Præficitur Eccleſiæ Lodonenſi. Reg. Vatic. epiſt. 629.

Dilecto filio fratri Iterio de Burdegala Ordinis Minorum Electo Lodonen.

§. I. PAſtoralis officii cura nos admonet, ut inter cetera ſollicitudinum ſtudia, quibus mens noſtra jugiter circumplexa deducitur, de ſtatu Eccleſiarum vacantium attentius & vigilantius cogitantes, ad proviſionem ipſarum celerem, ne prolixæ vacationis premantur incommodis, diſpendiis prægraventur, ſollicitum & efficax impendere ſtudium procuremus, illarum gubernationem & regimen perſonis talibus committendo, per quarum circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam illius favente clementia, qui bonorum omnium eſt largitor, utiliter dirigi valeant & ſalubriter exerceri.

§. II. Dudum ſiquidem Magalonen. Eccleſia per obitum bon. mem. Berengarii Magalonen. Epiſcopi ſolatio deſtituta paſtoris, nos venerabilem fratrem noſtrum Guacelinum de Lagarda Magalonen. tunc Lodonen. Epiſcopum ad Eccleſiam Magalonen. prædictam, duximus transferendum. Et tamdem volentes obviare diſpendiis, quæ ſolent Eccleſiis, ex earum vacatione diutina, imminere, ac intendentes propterea Eccleſiæ Lodonen. prædictæ de perſona juxta cor noſtrum idonea providere, ordinationem ſicut Lodonen. Eccleſiæ, Apoſtolicæ Sedis proviſioni ea vice duximus reſervandam, decernentes irritum &c. uſque *attentari*. Et demum ad perſonam tuam ut pote religione conſpicuam, ſcientia præditam litterarum, morum honeſtate venuſtam, vita & converſatione præclaram, & aliarum virtutum titulis inſignitam, attentæ conſiderationis intuitum extendentes, te de Fratrum noſtrorum conſilio, eidem Eccleſiæ Lodonen. præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo, firma concepta fiducia, quod actus tuos & opera, illius dirigente clementia, qui greſſus hominum dirigit, præfata Lodonen. Eccleſia ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis.

§. III. Cum reverentia igitur jugum Domini ſuſcipe, & ſuavi ejus oneri humiliter colla ſubmittere non poſtponas, manuſque mittens ad fortia, ipſius adminiſtrationem Eccleſiæ prudenter exequi ſtudeas, & commiſſi tibi Dominici gregis cuſtodiam proſequi diligenter, conſtanter opponens te murum pro domo Domini aſcendentibus ex adverſo, ut laudabili de ipſo reddita in die diſtricti examinis ratione, Regnum Patris Altiſſimi ab origine mundi paratum electis, accipias, in dilecta Domini tabernacula introeas, & eumdem gregem tibi commiſſum ad uberioris meriti fructum & retributionis majoris cumulum introducas.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVI. Kal. Januarii, anno II.

XXV.

Conſtituitur executor & conſervator Apoſtolicus circa bullam Clementis IV. de ſpatio cannarum quod intercedere debet inter ædificia Minorum & alia noviter conſtruenda. Reg. Vatic. epiſt. 597.

EPISCOPO ARETINO.

§. I. SUa nobis dilecti filii Generalis & Provinciales Miniſtri ac Fratres Ordinis Minorum petitione monſtrarunt, quod olim fel. *Prima Clementis IV. proviſio.*

fel. rec. Clemens Papa prædeceſſor noſter, ut inter Religioſos potiſſimæ æmulationis & diſſenſionis tolleretur occaſio, & caritatis integritas ſervaretur, per ſuas, ſub certa forma, litteras ordinavit & diſtricte inhibuit, quod ex tunc nulli liceret de Fratrum Prædicatorum, Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, beatæ Mariæ de Monte Carmeli, Eremitarum ſancti Auguſtini, ſanctæ Claræ aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prædictis, ſeu quibuslibet aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ædificare ſeu conſtruere; nulli quoque ſeculari ſeu religioſo cujuſcumque profeſsionis Eccleſiam vel Monaſterium ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, niſi ſpatium tercentarum cannarum ab Eccleſiis Generalis & aliorum Miniſtrorum & Fratrum prædictorum, menſurandarum per aera, etiam ubi alias recte non petmitteret loci diſpoſitio menſurari, ſtatuentes ut quidquid contra hujuſmodi ſuæ ordinationis & inhibitionis tenorem ex tunc ædificatum exiſteret, dirueretur omnino.

Ejuſque moderatio, §.II. Verum quia quod ad pacem eorumdem Generalis & aliorum Miniſtrorum & Fratrum ac Ordinum proviſum fuerat non ſolum eis, ſed etiam multis aliis, qui propter dictum diffuſum cannarum ſpatium in hujuſmodi ordinatione & inhibitione contentum, quaſi ab omnibus etiam ſolemnibus Civitatibus inveniebantur excludi, ad ſcandalum ceſſiſſe comperit, diverſis propterea litigiorum materiis ſuſcitatis, idem prædeceſſor ſuper his cum Fratribus ſuis deliberatione præhabita, hujuſmodi ſpatium, de conſilio Fratrum ipſorum reſtringens, ipſum ad centum & quadraginta cannas reduxit, omnibus aliis, quæ in præmiſſis his continebantur litteris in ſuo nihilominus robore duraturis.

Plærique inobedientes. §. III. Verum nonnulli Fratres Prædicatorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, & aliorum Ordinum prædictorum contra ordinationem vel inhibitionem hujuſmodi temere venientes, Eccleſias & Oratoria quamplura infra prædictum ſpatium centum & quadraginta cannarum prope Eccleſias & loca prædictorum Fratrum Minorum conſtruere, temeritate propria, præſumpſerunt, in dictorum Generalis & aliorum Miniſtrorum ac Fratrum dicti Ordinis Minorum non modicum præjudicium & gravamen. Quare Generalis & Provinciales Miniſtri & Fratres prædicti nobis humiliter ſupplicaverunt, ut providere ſibi ſuper hoc, & ne ſimilia in poſterum præſumantur, paterna ſollicitudine curaremus.

§. IV. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te vel per alium, ſeu alios, Eccleſias & Oratoria prædicta infra præfatum ſpatium ſic poſt hujuſmodi ordinationem & inhibitionem conſtructa, ſeu etiam inchoata in provincia Tuſciæ, facias demoliri, & nihilomiuus prædictis Miniſtris & Fratribus Apoſtolicæ defenſionis aſſiſtens præſidio, Eccleſias ſeu Oratoria infra prædictum ſpatium centum & quadraginta cannarum contra prædictarum conſtitutionis & inhibitionis memorati prædeceſſoris tenorem, conſtrui deinceps aliquatenus non permittas, juriſdictionem plenariam de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, ſuper his tamquam conſervator & delegatus deputatus a nobis, etiam circa ea omnia & ſingula, quæ judicialem requirunt indaginem exercendo. Contradictores, &c. uſque *compeſcendo:* Teſtes autem, &c. uſque *teſtimonium perhibere*. Non obſtantibus ſi dictis Fratribus vel Sororibus, &c. uſque *mentionem* & conſtitutione de duabus dietis uſque *judicium evocetur*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, IV. Kalend. Januarii, anno II.

XXVI. *San-*

XXVI.

Sanctus Ludovicus creatur Epiſcopus Tholoſanus. Reg. Vatic. epiſt. 630.

Dilecto Filio Ludovico Epiſcopo Tholoſano nato cariſsimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Siciliæ illuſtris, &c.

§. I. Fons ſapientiæ, Verbum Patris, Dominus Jeſus Chriſtus, qui pro generis humani ſalute de cœlorum excelſo in mediam exterminii noſtri terram exiliens, noſtræ carnis ex utero Virginis aſſumpta trabea, homo factus, ſe pro nobis mortis tormentis exponere non expavit, poſt devictum triumphatumque mundum, effectus in ara Crucis Summus Pontifex, & Rex Magnus ad cœlos aſcenſurus, ſuum in terris ad cuſtodiam unicæ ſponſæ ſuæ Vicarium dereliquit, cui in beato Petro cœleſtis regni Pontificiæ tradidit plenitudinem poteſtatis, & ſuper omnes Eccleſias contulit magiſterium. Præfatio.

§. II. Ipſius itaque dignatione, quamquam immeriti, ad hujuſmodi apicem magiſtratus aſſumpti, & in Apoſtolatus ſpecula conſtituti, licet Eccleſiarum omnium curam teneamur gerere generalem, de illis tamen quibus vacationis imminere incommoda dignoſcuntur, nos decet propenſius cogitare, ut ad earum regimen idonei Prælati per noſtræ providentiæ miniſterium aſſumantur, de quibus conſideratis virtutibus deſuper ſibi traditis, præſumitur veriſimiliter, & tenetur quod creditas ſibi animas verbo ſcientiæ ac exemplo vitæ inſtruere, & alia eorum ſtudio Eccleſiæ ipſæ grata ſuſcipere debeant incrementa.

§. III. Pridem ſiquidem Eccleſia Tholoſana per obitum bonæ memoriæ H. Tholoſani Epiſcopi, qui apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos diſpoſitionem ipſius Eccleſiæ nobis & Sedi Apoſtolicæ reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane ſi quid ſecus ſuper iis ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, ac de ipſius ordinatione ſollicite cogitantes, & cupientes illum eidem Eccleſiæ per noſtræ operationis ſtudium, Pontificem præſidere, per quem poſſet Eccleſia ipſa in utriſque ſalubriter gubernari, poſt vigilem curam, quam ſuper hoc adhibuimus diligenter, ad perſonam tuam ſublimibus natalibus productam, ex claris utriuſque parentis tui progeniebus Regalibus præfulgentem, eminenti litterarum ſcientia præditam, vitæ munditia redolentem, gravitate morum & conſilii maturitate conſpicuam, aliarumque donis virtutum ab Altiſsimo multipliciter decoratam, convertimus aciem noſtræ mentis, & tecum ſuper ætatis defectu, quem pateris, maxime cum defectum ipſum ſupplere prædictis virtutum donis & aliis eximiis & laudabilibus meritis, quæ tibi ſuffragari novimus, dignoſcaris, auctoritate Apoſtolica diſpenſavimus, ut eodem defectu nequaquam obſtante, ad Epiſcopalem dignitatem ipſius Eccleſiæ Toloſan. licite poſſis aſſumi, teque Fratrum Minorum Ordinis profeſſorem, ad ſacerdotium jam promotum, de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, præfecimus ipſi Eccleſiæ Toloſan. in Epiſcopum & Paſtorem, tibique ſubſequenter conſecrationis munus propriis manibus duximus impendendum, ſpe firma fiduciaque tenentes indubitata, quod prædicta Eccleſia Tholoſana per tuam ſolertem induſtriam & prudentiam circumſpectam præſervabitur a noxiis & adverſis, & alia ſpiritualiter & temporaliter, Deo auctore, augmenta ſuſcipiet commoditatis, & honoris, & tam clerus quam po- Electi dotes.

pulus tuo commiſſus regimini, tua ſalubri doctrina & piæ actionis exemplo ad ſalutem ædificabitur animarum.

Pontificia hortatio.

§. IV. Tu ergo tuum jactans in Domino cogitatum, ac juxta ſpem noſtram & gratiam tibi datam a Domino commiſſum tibi ſuper gregem Dominicum virga vigilantis, officium officioſe ac diligenter exercens, extirpandis vitiis & plantandis virtutibus ſollicitudine invigiles efficaci, ut tamquam ſtella fixa in Eccleſiæ firmamento tibi per vitæ meritum, & aliis proficiens per exemplum, dum plures erudieris ad ſalutem, in æternitatis gloria gratulari ac relucere inter alios clarius merearis, & nos qui tibi in omni opportunitate favorabiliter adeſſe proponimus, in tuis delectari laudibus merito valeamus.

Datum Laterani IV. Kal. Januarii, Pontif. noſtri anno II.

Anno Christi 1297. Bonifacii VIII. anno 3.

XXVII.

Monaſterium ſancti Laurentii Salernitanum facit Ordinis Clariſſarum, & ſubjicit regimini Miniſtri Terræ laboris. Reg. Vat. epiſt.40.

Dilectis filiis Generali & Provinciali Miniſtris Ordinis Minorum Fratrum Terræ laboris præſentibus & futuris.

Petitur ut Monaſterium collapſum reformetur.

§. I. DUdum ex relatione dilecti filii nobilis viri Joannis de Procida, & aliorum fide dignorum accepimus, quod Monaſterium ſancti Laurentii de Monte Salernitano Ordinis ſancti Benedicti, ad Monaſterium Caſſinen. tunc pertinen. pleno jure, collapſum in ſpiritualibus & temporalibus exiſtebat, quodque ipſius officinæ ac ædificia ruinam pro parte non modica minabantur.

§. II. Quare præfatus nobilis a nobis ſuppliciter poſtulavit, ut Monaſterium ipſum reformari de Ordine ſanctæ Claræ, ac dilectam in Chriſto filiam Joannam natam ipſius nobilis, de legitimo matrimonio procreatam, Monialem Monaſterii ſancti Spiritus Salernitan. Ordinis ſancti Damiani, & decentem Sororum ejuſdem Ordinis ſancti Damiani, & aliarum etiam numerum perſonarum volentium regulam Ordinis ſanctæ Claræ ſupradictæ recipere, in eodem Monaſterio inſtitui faceremus.

Benigne Pontifex annuit.

§. III. Nos autem prædictum Monaſterium ſancti Laurentii ſalubris reformationis profectum per noſtræ providentiæ ſtudium aſſequi cupientes, & attendentes, quod per nobilis ipſius auxilium officinæ & ædificia ſupradicta reparari & refici poterant, aliaque utilia eidem Monaſterio ſancti Laurentii multipliciter provenire, ac propterea ipſius nobilis ſupplicationibus in hac parte ſavorabiliter annuere intendentes, dilecto filio noſtro Landulpho ſancti Angeli Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato per alias noſtras, ſub certa forma, commiſimus & mandavimus litteras, ut præfatum Monaſterium ſancti Laurentii de jamdicto ſanctæ Claræ Ordine per ipſum vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra reformans, ac illud eximens ab omni jurisdictione, poteſtate, & dominio Abbatis, ac perſonarum ipſius Caſſinen. Monaſterii, & ab ipſo etiam Monaſterio Caſſinen. necnon a lege diœceſani Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Salernitani, & a poteſtate, juriſdictione, atque dominio tam ipſorum Archiepiſcopi & Capituli, quam alterius cujuſcumque Prælati, Eccleſiaſticæque perſonæ, ita quod nec Archiepiſcopus & Capitulum antedicti, neque iidem Abbas, & Perſonæ præfati Monaſterii Caſſinen. nec alia quævis perſona prænominatum S. Laurentii Mo-

na-

naſterium, utpote prorſus exemptum, vel Abbatiſſam & Conventum ipſius, aut perſonas ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ futuris ibidem temporibus Domino ſervituras interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valerent, ſeu quocumque alio modo in ſæpe fatum Monaſterium ſancti Laurentii ac membra, & perſonas ipſius, poteſtatem, vel juriſdictionem aliquam exercere, & ſi contra forte præſumptum exiſteret, inane & irritum nuntiaret, dictiſque Abbatiſſæ & Conventui ac illis, quæ in Monaſterio ipſo eiſdem ſuccederent, auctoritate noſtra concedens &c. in conſecrationem Eccleſiarum, ſeu altarium Monaſterii S. Laurentii ſupradicti &c. oleum quoque ſanctum, benedictiones Monialium, vaſorum & veſtium aliaque ſacramenta Eccleſiaſtica impendenda Abbatiſſæ & Conventui ejuſdem Monaſterii ſancti Laurentii, quæ forent pro tempore, poſſent a quolibet catholico Antiſtite Sedis Apoſtolicæ gratiam obtinente recipere, prædictam Joannam & Conventum decem vel duodecim Monialium, quas tam prælibatus nobilis, quam Joanna præfata ducerent nominandas, dum tamen ipſæ id vellent ſponte ſubire, inſtituere procuraret, ſub ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ obſervantia perpetuo in dicto Monaſterio ſancti Laurentii Domino ſervituris, eis ac illis, quæ in eodem Monaſterio ipſis ſuccederent Monaſterium ipſum cum omnibus ſuis domibus ædificiis & officinis infra Salernitan. conſiſtentibus civitatem, in jus & proprietatem ac in uſus proprios in perpetuum concedendo. *Privilegia conceſſa.*

§. IV. Ceteri vero Prioratus Eccleſiæ ejuſdem, domus, ædificia & officinæ qualibet, necnon grangiæ, membra, poſſeſſiones, jura, & juriſdictiones, redditus, & proventus, aliaque bona, quæ ad ipſum ſancti Laurentii Monaſterium pertinent ſita extra civitatem eamdem, ac ipſorum jura & pertinentiæ præfato Monaſterio Caſſinen. remanerent illæſa, & integra ſicut prius. Poſtquam vero memorata Joanna cum eodem Monialium numero in præfato Monaſterio ſancti Laurentii, ſicut prædicitur, ſtatuendo, eſſet ipſius Monaſterii poſſeſſionem pacifice aſſecuta, & tam ipſa quam Moniales prædictæ regulam profeſſæ exiſterent memoratam, eis omnibus & ſingulis earumdem, ut poſſent novitiatus tempore profiteri, qualibet conſtitutione, vel conſuetudine ipſius Ordinis, vel alia contraria non obſtante, liberam, auctoritate noſtra, licentiam largiretur, & poſtquam in eodem ſancti Laurentii Monaſterio eſſet ordinata clauſura ſecundum inſtituta ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, præfatam Joannam præficeret in ipſius Monaſterii Abbatiſſam, faciens ſibi a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Contradictores &c.

§. V. Volentes tamen quod prædictum Monaſterium ſancti Laurentii & Abbatiſſa & Conventus, ac perſonæ ipſius quæ forent pro tempore, ſubeſſent ſecundum inſtituta prædicti Ordinis ſeu Regulæ ſanctæ Claræ dilecto filio noſtro Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali Correctori, Gubernatori, & Rectori ejuſdem Ordinis a Sede Apoſtolica deputato, & aliis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſecundum ejuſdem ſanctæ Claræ regulam Correctores, Gubernatores, & Rectores fuerint Ordinis ſupradicti. Verum ſicut ejuſdem nobilis nobis patefecit aſſertio, auctoritate dictarum litterarum noſtrarum ad hoc dumtaxat in hujuſmodi negotio eſt proceſſum, videlicet quod eidem Joannæ prætactum ſancti Laurentii Monaſterium aſſignavit, quodque prædicta Joanna cum quibuſdam aliis Monialibus ejuſdem ſancti Damiani Ordinis, ac nonnullis ſecularibus & honeſtis mulieribus ad Monaſterium ipſum ſe tranſtulit clauſuram inibi faciendo. *Debent Moniales Correctioni Cardinalis Protectoris ſubeſſe.*

§. VI. Cum

§. VI. Cum autem prætacta Joanna ejuſdem ſancti Damiani regulam ab olim, ut dicitur, profeſſa fuerit, ac in ejus obſervantia continue vixerit, ſitque in ea competenter inſtructa & etiam informata, & propterea grave ſibi quamplurimum & quaſi importabile redderetur, ſi ſub Ordinis inſtitutis alterius jam de cetero vivere oporteret, providere ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſollicita meditatione penſantes, quod per auxilium prætacti nobilis, ut præmittitur, multa poterunt provenire utilia Monaſterio ſancti Laurentii ſupradicto, ac intendentes ipſi nobili ſuper hoc facere gratiam ſpecialem, dictæ Joannæ volentes deſideriis benigne annuere in hac parte, prætacti nobilis ſupplicationibus inclinati, eidem Cardinali auctoritate litterarum noſtrarum commiſimus, & mandavimus, quatenus prætactum ſancti Laurentii Monaſterium, præmiſſis omnibus nequaquam obſtantibus, juxta ipſius Ordinis ſancti Damiani regulam, per ſe, vel alium ſeu alios reformare, ac eamdem Joannam in Abbatiſſam & Conventum decem vel duodecim Monialium ex illis mulieribus, quæ ipſa jam ſecum aſſeritur aſſumpſiſſe, vel aliis honeſtis & decentibus, ac id volentibus in Moniales & Sorores dicti Monaſterii ſancti Laurentii ſecundum prætactam regulam ſancti Damiani virtutum Domino ſervituras, inſtituere non poſtponeret, faciens ipſi Abbatiſſæ a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Contradictores &c. uſque *compeſcendo*, ipſiſque Abbatiſſæ & Monialibus ſive Conventui ac illis, quæ in Monaſterio ipſo ſuccedent, Monaſterium ipſum cum omnibus ſuis domibus, ædificiis, & officinis intra Salernitanam conſiſten. civitatem perpetuo in jus & proprietatem, ac in uſus proprios concedendo.

Reformatio præſcribitur, & Abbatiſſa deſtinatur.

§. VII. Ceteri vero Prioratus, Eccleſiæ, domus, ædificia, & officinæ quælibet, necnon grangiæ, membra, poſſeſſiones, jura, juriſdictiones, redditus, & proventus, aliaque bona, quæ ad ipſius ſancti Laurentii Monaſterium pertinent ſita extra civitatem eamdem, ac ipſorum jura & pertinentia prætacto Monaſterio Caſſinen. remanerent illæſa, & integra ſicut prius. Prædictum quoque Monaſterium ſancti Laurentii, ac ipſius perſonas, & bona præſentia & futura in jus & proprietatem beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumat, ac illud eximat ab omni juriſdictione, poteſtate, atque dominio Abbatis, & perſonarum ipſius Monaſterii Caſſinen. & ab ipſo Monaſterio Caſſinen. necnon a lege diœceſani Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi & dilecti filii Capituli Salernitan. & a poteſtate &c. tam ipſorum Archiepiſcopi & Capituli, quam alterius cujuſcumque Prælati, Eccleſiaſticæque perſonæ, ita quod nec Archiepiſcopus, & Capitulum, neque iidem Abbas & perſonæ prætacti Monaſterii Caſſinen. nec alia quævis perſona prætactum ſancti Laurentii Monaſterium, utpote prorſus exemptum, vel Abbatiſſam & Conventum ipſius aut perſonas ipſius Ordinis ſancti Damiani futuris ibidem temporibus Domino ſerviturας, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, ſeu quocumque alio modo in ſæpe fatum Monaſterium ſancti Laurentii ac membra & perſonas ipſius, poteſtatem, vel juriſdictionem aliquam exercere, & ſi contra forte præſumptum extiterit, irritum denuntiet & inane, ac nullius exiſtere firmitatis.

Monaſterium a juriſdictione Monachorum, & Epiſcopi eximitur.

§. VIII. Ne igitur prædicto Monaſterio & perſonis pro tempore degentibus in eodem deſit opportunæ curæ præſidium, nos de ipſorum ſtatu proſpero, attenta meditatione, penſantes, ac gerentes de circumſpectione veſtra fiduciam in Domino pleniorem, diſcretioni veſtræ ipſorum Monaſterii ac perſonarum curam, Magiſterium & doctrinam, ac viſita-

tio-

Digitized by Google

tionem, correctionem, & reformationem, auctoritate præſentium, duximus committendam, ut vos vel alter veſtrum per vos, vel alium ſeu alios exercentes curæ, gubernationis, Magiſterii, doctrinæ, viſitationis, correctionis, & reformationis officium in ipſis Monaſterio & perſonis, videlicet Abbatiſſa, Conventu, Sororibus, Capellanis, converſis & familiaribus vice noſtra viſitetis, corrigatis, reformetis, quæ viſitationis, correctionis & reformationis officio in eis noveritis indigere. Inſtituendo nihilominus, deſtituendo, ordinando, ſtatuendo, & diſponendo ac alia inibi exercendo, quæ utilitati dicti Monaſterii ſecundum Deum videritis expedire, necnon contradictores uſque *compeſcendo*. Non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici &c. uſque *mentionem*. Prædicta autem Joanna Abbatiſſa cedente vel decedente, ſeu alias amota a regimine Monaſterii prælibati, electionem Abbatiſſæ ipſius Monaſterii ad ipſius Monaſterii Conventum, confirmationem vero electionis hujuſmodi juxta formam Canonicam faciendas ad vos, & quemlibet veſtrum inſolidum de cetero volumus libere pertinere.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kalend. Martii, anno III.

XXVIII.

Ne quis in diſcordia electus ad Prælaturas Eccleſiarum audeat admittere dignitatem abſque licentia ſui Prælati, & Pontificis. Regeſt. Vatic. epiſt. 22.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Quorumdam oculos ſic vitium ambitionis excæcat, quod ſuæ quaſi profeſſionis immemores, qua contemptis honoribus, abjectis divitiis, ſpretiſque delitiis, arbitrio proprio ſubjugato alterius ditioni, retro reſpiciunt ad aratrum manu miſſa, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus, cauſarum ſtrepitibus ſe involvunt, & extra adminiſtrationes proprii Ordinis ſolium Prælaturæ conſcendere moliuntur, electionibus, poſtulationibus, ſeu proviſionibus de ſe in diſcordia celebratis improvide Præſtando conſenſum, præbendi aſſenſum a ſuo ſuperiore nonnumquam extorta licentia, potius quam obtenta, ex quo animarum & Eccleſiarum diſpendia noſcimus proveniſſe, & proventura majora in antea veriſimiliter formidamus.

§. II. Volentes igitur huic peſti, ſalubri remedio, obviare, præſenti conſtitutione ſancimus, ut nullus religioſus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, necnon & quorumlibet mendicantium Ordinum electinni, poſtulationi, proviſioni, ſeu vacationi de ſe factæ in diſcordia, ad aliquam extra ſui Ordinis adminiſtrationis prælaturam præſtare poſſit aſſenſum, etiam ſi Magiſtri, Miniſtri, ſeu Priores, Generalium ſuorum Ordinum aut inferiorum Prælatorum ſuorum licentia vel aſſenſus, accederet, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali faciente plenam & expreſſam de conſtitutione hujuſmodi mentionem. Decernentes irritum &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Kal. Aprilis, anno III.

XXIX.

XXIX.

Committit Cardinalis Protector curam Clariſſarum Minoritis, præſcribitque eis modum regiminis. Specul. Min. tract. 1. fol. 15.

Matthæus miſeratione divina ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis. Venerabili & dilectis in Chriſto Fratribus Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum ſalutem in Domino.

Motivum harum litterarum.

§. I. INter cetera quæ humeris noſtris incumbunt, multum nos angit cura Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, quæ regulam a fel. rec. Urbano Papa IV. editam, qua Cardinalis, qui pro tempore fuerit gubernator veſtri Ordinis, Monaſteriis ipſis præficitur, ſuſceperunt, & quorumlibet aliorum, quæ ſunt noſtræ curæ commiſſa. Nec videmus nos ad id poſſe ſufficere, niſi onera circa curam eamdem per veſtra & Fratrum veſtri Ordinis Miniſteria releventur. Sane hujuſmodi noſtra onera tanto credimus poſſe ſaniori conſcientia ſupportare, quanto ipſa Monaſteria viſitari & reformari contigerit per vos & prudentium Fratrum dicti Ordinis miniſterium & doctrinam. Ex hoc enim ſperamus, quod Deo auctore, poterunt in debita honeſtate ſervari & conſequi ſtatum gratum Deo, exemplarem mundo, & ſibi ſalutiferum, & quietum.

Regimen Monaſterium Ordini cōmiſſum.

§. II. Et quoniam in deſideriis noſtris hoc agitur, ut præfata Monaſteria pacifice vivant, & ſalubriter gubernentur: & quod regularis obſervantia tam in capite, quam in membris vigeat in eiſdem, ideo viſitationis, inquiſitionis, correctionis, & reformationis officium Monaſteriorum dicti Ordinis vobis generali Miniſtro, quo ad ſingula dicta Monaſteria ubilibet conſtituta, quæ dictam regulam a præfato Domino Urbano editam ſuſceperunt, necnon & Monaſteriorum tam ſanctæ Claræ de Aſſiſio, quam omnium aliorum, quæ ſunt noſtræ gubernationi commiſſa, vel in poſterum committentur: ac unicuique veſtrum Provincialium Miniſtrorum, quo ad ea quæ de prædictis Monaſteriis tantummodo quæ fuerint infra limites Provinciarum commiſſarum veſtro regimini, vel committendorum in poſterum: præſentium tenore duximus committendum, attente rogantes, ut Deum habentes præ oculis, quæ vobis committimus, exequamini diligenter.

Poſſunt Generales, & Provinciales Viſitatores inſtituere.

§. III. Ut igitur levius ferre poſſitis onera commiſſionis præfatæ, volumus atque concedimus, ut non ſolum vos Generalis Miniſter ubilibet, ſed & quilibet veſtrum Provincialium Miniſtrorum unum vel plures Fratres idoneos in ſuis provinciis ad tale officium exequendum inſtituere & deſtituere valeatis de conſilio Fratrum ſuæ Provinciæ diſcretorum, qui, quando, ut ubi expediens fuerit dictis Monaſteriis, beneficium viſitationis, inquiſitionis, correctionis, & reformationis impendant: ipſoſque viſitatores poſſitis multiplicare, & minuere ſecundum quod multitudini & diſtantiæ Monaſteriorum & longitudini & latitudini provinciarum videritis expedire.

Viſitationis limitatio.

§. IV. Ingreſſus autem veſter, & viſitatoris cujuslibet intra eorum clauſuram intrinſecam, cum duobus vel tribus ſociis Ordinis veſtri fiat ad dictum officium, ſeu beneficium impendendum. Sic autem Viſitatoribus ut præmittitur, inſtituendis a vobis viſitationis infra certos limites & viſitandi, inquirendi, corrigendi, & reformandi certa Monaſteria officium committatur, quod in eodem Monaſterio viſitantium, ſeu Viſita-

ta-

tatorum plurium ſuper iiſdem viſitatio, inquiſitio, correctio & reformatio non concurrant: ſed unuſquiſque viſitatorum in decretis ſibi Monaſteriis, & infra certos limites conſtitutis, viſitationis, inquiſitionis, correctionis, & reformationis officium exequatur. Excitamus quoque prudentiam veſtram, ut provide indagetis qualiter commiſſa & committenda viſitationis, inquiſitionis, correctionis, & reformationis officia viſitatores hujuſmodi exercebunt: & informetis, corrigatis, & amoveatis eoſdem, prout fuerit opportunum.

§. V. Omnibus autem tam Abbatiſſis, quam Sororibus, & ſervitialibus, necnon Capellanis, converſis & ceteris de familia prædictorum Monaſteriorum, præſentium tenore, mandamus, quatenus vobis & aliis, qui ad viſitationis, inquiſitionis, correctionis, & reformationis officium ſunt aſſumpti, vel in poſterum aſſumentur, in omnibus quæ ad idem officium pertinent, obediant & intendant. *Tenentur Moniales Viſitatoribus obedire.*

§. VI. Facietis etiam ipſis de divinis officiis per Fratres veſtri Ordinis, vel alios, prout expedire videbitur, provideri, proviſuri Monaſteriis ſupradictis de Fratribus moraturis in eis quoties expedire videritis, pro ipſorum commodo, & Abbatiſſarum ſalute, necnon Sororum familiæ & perſonarum degentium in eiſdem. Nihilominus eis in opportunitatibus illis, quæ ipſis temporaliter imminent, vel in antea imminebunt per vos & Fratres, atque amicos veſtri Ordinis, conſiliis, ſubſidiis, favoribus, prout veſtra, & Ordinis veſtri patietur honeſtas, ſtudeatis aſſiſtere & adeſſe. *Debent Monaſteria de Fratribus provideri.*

§. VII. Ad hæc prudentiam veſtram excitamus attente, ut vos & viſitatores qui erunt pro tempore, diligentius intendatis, quod in Monaſteriis mendicantibus, in quibus Conventus, ſeu Sorores cum familiis, & in Monaſteriis degentibus non poſſint de ipſorum Monaſteriorum facultatibus ſuſtentari, non fiat Monialium, ſeu Sororum multiplicatio oneroſa: poſſet enim periculum fore multas perſonas mendicantes claudere ſub clauſura non habentes unde poſſint de Monaſteriorum facultatibus ſine mendicitate, ſaltem aliqualiter, ſuſtentari: ex hoc enim nonnumquam datur occaſio recipiendi Sorores per ſimoniacam pravitatem propter paupertatem perſonas nobiles; pauperes, licet ſanctæ converſationis, & vitæ, gratis recipi in Monaſteriis recuſantur, quia non habent pecuniam, ſive bona, quæ ad Monaſterium ſecum portent. Hæc experientiæ doctrina nos docet, hæc in lucem veniunt, cum a nobis petitur, ut cum receptis & recipientibus ſimoniace, diſpenſemus. *Non debent in Monaſteriis multiplicari Sorores.* *Neque gratis recipi.*

§. VIII. Ceterum ea quæ ſecundum præmiſſa per vos Miniſtros fieri volumus, vobis præſentium tenore committimus exequenda. Illa vero quæ per viſitatores prædictos, necnon & Fratres veſtri Ordinis fieri volumus ſeu concedimus, ut præſentibus exprimuntur, eiſdem viſitatoribus & Fratribus aſſumptis & aſſumendis, a nobis eodem tenore duximus committenda.

§. IX. Ut autem liberum vobis ſit piam dare operam his, quæ dictorum Monaſteriorum, præfatarum Abbatiſſarum & Sororum conſolationem, & profectum reſpicere dignoſcuntur; & ne capitulum veſtræ Regulæ vel declarationis cujuslibet ſubſecutæ, quo ab ingreſſu Monaſteriorum Monacharum Fratres arctantur, iis, quæ præſentibus continentur, poſſit obſiſtere, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, tenore præſentium, licentiam concedimus ſpecialem, ut pro præmiſſis, & pro exhibendis Eccleſiaſticis ſacramentis, celebrandis divinis, prædicationibus faciendis, impendendis conſiliis, & pro piis & rationabilibus cau-

cauſis congruis vel honeſtis, nec non & aliis, quæ ipſis & Abbatiſſis, & Sororibus, & Capellanis, converſis & familiaribus extiterint opportuna, quotieſcumque ſecundum Deum expedire videbitur, vos Generalis Miniſter ad ſingula Monaſteria dicti Ordinis, necnon & ad alia nobis commiſſa vel committenda, & ut quilibet veſtrum Provincialium Miniſtrorum ad dicta Monaſteria, & ad alia vobis commiſſa vel committenda, quæ fuerint infra provincias veſtræ adminiſtrationis commiſſa, poſſitis accedere cum uno vel pluribus Fratribus veſtri Ordinis, quos ducetis vobiſcum: etiam, ſi expedire videritis, intrinſecam clauſuram, cum duobus vel tribus Fratribus introire, & Fratres veſtri Ordinis accedere poſſint ad ea loca, ad quæ aliis licet accedere: quando a vobis Generali quo ad omnia Monaſteria ſupradicta, vel ipſorum aliqua, vel aliquod, vel quando a ſingulis vobis Miniſtris ad dicta Monaſteria, & infra provinciam uniuſcujuſque veſtrum adminiſtrationi commiſſam, ad ipſorum aliqua vel aliquod fuerint deſtinati: vel aliquando per illum ſeu illos fuerint miſſi, quibus mittendi vel deſtinandi ſpecialiter conceſſeritis poteſtatem.

Poſſunt Miniſtri, & Fratres ad Monaſteria accedere.

§. X. Necnon viſitatoribus Monaſteriorum ipſorum inſtitutis & inſtituendis in poſterum, ſimilem accedendi ad Monaſteria ſuæ viſitationi commiſſa cum uno ſocio pro præmiſſis, & alias ubi neceſſitas vel utilitas hoc expoſceret, licentiam ſpecialiter largimur. Et etiam accedendi ad Monaſteria ipſa, & intrandi intrinſecam clauſuram cum duobus ſociis vel tribus, viſitationis, inquiſitionis, correctionis, vel reformationis cauſa, aut alia neceſſitate vel utilitate urgente.

Nec non Viſitatores.

§. XI. Concedimus inſuper vobis Generali Miniſtro, ut ad ſingula Monaſteria, quæ fuerint Ordinis ſancti Damiani, eo tempore, quo Dominus Urbanus edidit Regulam ſupradictam, nec ipſam Regulam poſtmodum ſuſceperunt, & vobis Miniſtris Provincialibus ad ſingula Monaſteria talia infra veſtras Provincias conſtituta, cum uno vel pluribus Fratribus poſſitis accedere ad hortandum, monendum, & inducendum Abbatiſſas, Sorores, & perſonas Monaſteriorum ipſorum, ut recipiant Regulam a præfato Domino Urbano editam: & ut ad hoc poſſitis Fratres Ordinis veſtri mittere, & Fratribus ipſis ut miſſis taliter ad ea poſſint accedere, licentiam ſpecialem.

Miniſtri debent Moniales ad Regulam Urbani obſervandá, monere.

§. XII. Forma autem viſitationis, quam a vobis & viſitatoribus inſtitutis, vel inſtituendis a vobis, volumus obſervari, hæc eſt. Quilibet veſtrum viſitare volens, & quilibet viſitator inſtitutus, & inſtituendus in Monaſteriis ſuæ viſitationi commiſſis circa Abbatiſſas, Sorores, & ſervitiales, Capellanos & converſos, ceteramque Monaſteriorum familiam ſaltem ſemel in anno officium viſitationis exerceat, exceſſus corrigat publicos & privatos, ſed de correctis ſe nullatenus intromittat, niſi forſitan fuerint illegitime vel inſufficienter aut indiſcrete correcti. Alias noſtræ intentionis exiſtit, quod eodem anno viſitationes, inquiſitiones, correctiones, & reformationes, quæ per Miniſtros fient cum viſitationibus, inquiſitionibus, correctionibus, & reformationibus viſitatorum ſuper eiſdem articulis non concurrant. Nullam abſolvant Abbatiſſam a Monaſterii regimine, niſi de conſenſu & voluntate totius ſui Conventus vel majoris partis ejuſdem. Cum conſenſu tamen totius Conventus vel majoris partis ipſius, Abbatiſſam abſolvere poterit, cum ſecundum Deum viderit expedire.

Forma viſitationis præſcribitur.

§. XIII. Electiones autem Abbatiſſarum, quas celebrari contigerit in Monaſteriis conſtitutis in Ultramontanis partibus ſeu extra Italiam vel

Agenda circa electionem Abbatiſſæ.

in

in Sclavoniæ ſeu Romaniæ provinciis, quouſque aliud duxerimus ordinandum, inquiſita de electionum forma, eligentium ſtudiis, & electarum meritis diligentius veritate, de aliquorum diſcretorum Fratrum conſilio convocato confirmet, ſi eas invenerit canonice, & de perſonis idoneis celebratas: faciens ipſis a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Alioquin eis rite caſſatis, faciat Monaſteriis de perſonis idoneis in Abbatiſſas aſſumendis per electiones canonicas provideri: ad confirmationes vel infirmationes electionum ipſarum, &c. prout dictum eſt ſuperius proceſſurus. Super infirmatione vero & confirmatione electionum, quæ fient in Monaſteriis intra Italiam conſtitutis, extra provinciam Sclavoniæ ad nos habeatur recurſus.

§. XIV. Sorores vel ſervitiales numquam de Monaſterio ad Monaſterium transferant, niſi cauſa regiminis vel ſocietatis Abbatiſſarum, abſque noſtra licentia ſpeciali: vel niſi quando electa vel electæ de uno Monaſterio ad aliud transferuntur cauſa regiminis cum ſocia vel ſine ſocia, & poſtea fuerit abſoluta vel fuerint abſolutæ, quia tunc tam abſolutis quam ſociabus, quæ ſecum iuerunt vel ibunt, poteſt quilibet veſtrum dare licentiam ad primum Monaſterium redeundi, utriuſque Monaſterii Abbatiſſarum & Conventuum, vel majoris partis ad hoc accedente conſenſu, & hujuſmodi reditus fiat cum ſocietate decenti, quæ congruat Ordinis honeſtati. *Sorores de uno ad aliud Monaſter. non transferendæ.*

§. XV. Inſuper viſitantes & viſitatores inquirant diligenter de juribus Monaſteriorum ſive bonis, atque proventibus, redditibus, & judiciis legatis Monaſteriis ſive ſororibus & de his, qualiter diſpenſentur, & quomodo gubernentur, & ſpecialiter quod nulla profeſſa proprietaria inveniatur in Monaſteriis antedictis, ſuper quibus debita ratio exigatur atque reddatur ſaltem ſemel in anno, & puniantur Abbatiſſæ & aliæ quæ inventæ fuerint proprietariæ, vel culpabiles, ſeu remiſſæ vel negligentes. Eaſdem Abbatiſſas & Sorores ſæpius admoneant, ut receptiones ſimoniacas omnino non faciant, & quod in receptionibus nihil interveniat, quod receptiones ipſas inficiat vel infirmet. *Non ſit in Monaſterio profeſſa proprietaria.*

§. XVI. Specialiter autem unuſquiſque viſitans Miniſter, ſeu viſitator inſtitutus vel inſtituendus in poſterum, diligenter attendat, & faciat quod bene provideatur Abbatiſſis, Sororibus, converſis, & familiæ Monaſteriorum, tam de divinis officiis, quam de Eccleſiaſticis ſacramentis, & aliis quæ ad ſalutem pertinent animarum, & de ſtatu, & conditionibus cujuslibet Monaſterii perquirant attentius, ut circa ſtatum uniuſcuiſque, prout magis honeſtati & utilitati expedire viderit, juxta qualitatem perſonarum, locorum, & etiam regionum ordinent, diſponant, & ut regularis obſervantia tam in clauſura, quam honeſtatibus aliis vigeat in eiſdem, omniſque materia nocibilis relegetur ab ipſis. Inquirat etiam ſpecialiter qualiter in ſingulis Monaſteriis ſingula obſerventur, & corrigat & reformet tam in capite quam in membris, quæ correctione & reformatione noverit indigere. Opponentes ſe, & non obtemperantes circa præmiſſa, auctoritate noſtra, quam vobis Generali, & ſingulis Miniſtris viſitantibus, necnon viſitatoribus præſentibus & futuris committimus, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. *Sollicitudo de Sororibus præſtando obſequio.*

§. XVII. Volumus etiam ut præter communem viſitationem, quam ſaltem ſemel in anno debet facere quilibet viſitans vel viſitator, prout ſuperius ordinatur, pro quovis articulo emergente in aliquo Monaſterio, ſi viſitationis, inquiſitionis, & correctionis, & reformationis officium particulariter vel generaliter aliquando viderit opportunum juxta præ- *Viſitatio etiam in caſibus particularibus facienda.*

miſſam formam, illud adeo ſolerter impendat, ut quietem diligentes & pacem, eiſdem perfrui valeant, & inſolentes, prout convenit, compeſcant. Sane quia in his, quæ per Miniſtros vel viſitatores non poſſent utiliter exerceri, divina propitiante clementia, adeſſe proponimus, & conſilium & auxilium favorabiliter impartiri volumus, & quicumque articulus ſeu caſus emerſerit, in quo noſtrum videatur expectandum conſilium, ad nos recurri poſſit, ut emergentibus caſibus per nos poſſit remedium adhiberi. Ceterum noſtri fore beneplaciti cognoſcatis, ut tranſcriptum præſentis commiſſionis in ſingulis Monaſteriis habeatur, ut Abbatiſſis & Sororibus aliis liqueat, quando & pro quibus ab eis unuſquiſque Miniſter vel viſitator fuerit requirendus, & ut de his, quæ facimus & concedimus per præſentes non debeant dubitare. Nec volumus vos latere, quod nos illorum Monaſteriorum gubernationem, & curam gerimus, quæ præfati Domini Urbani regulam ſuſceperunt, necnon & Monaſteriorum ſanctæ Claræ de Aſſiſio & aliorum, quæ ex ſua regula, vel ex privilegio ſubſunt vel ſubeſſe debent Cardinali, qui eſt & erit pro tempore veſtri Ordinis gubernator. Demum veſtram prudentiam excitamus, & hortamur in Domino, nihilominus obſecramus per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut præmiſſa omnia ſic prudenter, & ſollicite exerceantur, & fiant a vobis, quod fructus Deo acceptus, & Monaſteriis utilis & conſolatorius inde proveniat, & tam noſtra conſcientia, quam veſtrorum Miniſtrorum, & viſitatorum conſcientiæ in tuto conſiſtant, & nos & vos æternæ retributionis præmium conſequi valeamus, noſque una cum prædictis Abbatiſſis & Sororibus vobis & veſtro Ordini amplius in Domino aſtringamur.

Exemplar harum literarum in ſingulis Monaſteriis retinendum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI. Idus Aprilis, anno Domini MCCXCVII. Pontif. Domini Bonifacii VIII. anno III.

XXX.

Fit Archiepiſcopus Spalatenſis. Reg. Vatic. epiſt. 202.

Petro electo Spalaten.

Eccleſia Romana omnium aliarum mater.

§. I. CUm Eccleſiarum omnium Romana, Domino diſponente, ſit mater, ſic eam præeſſe oportet in ſollicitudine univerſalis regiminis, præſertim illis, quæ poſſent ex diutinis vacationibus gravia incurrere detrimenta, & diſtributis affectibus pro varietate cauſarum ſpecialiter intendat per creditæ diſpenſationis officium, commodis ſingularum, ne per aliquos divinæ domus inobſeratos aditus, in gregis perniciem lupi pro paſtoribus, aut in peſtem domeſticam hoſtes pro hoſpitibus inducantur.

Prius electus ſuo juri cedit.

§. II. Sane Spalaten. Eccleſia dudum viduata Paſtore, licet in ea de dilecto filio Jacobo Archidiacono ipſius Eccleſiæ fuerit electio celebrata, quia tamen infra tempus a jure ſtatutum idem Archidiaconus non fuit negotium electionis hujuſmodi proſecutus, dicta electio juribus, ſi quæ habuit, extitit vacuata, & nihilominus poſtmodum idem Archidiaconus jus, ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, in manibus venerabilis fratris noſtri G. Epiſcopi Sabinen., de mandato noſtro, reſignationem ſuam recipientis, libere reſignavit.

§. III. Nos igitur qui circa viduatas Eccleſias continuæ attentionis oculis vigilamus, volentes eidem Eccleſiæ ne damna ex longa vacatione ſu-

ſubiret, ſalubriter providere, te Fratrum Ordinis Minorum profeſſorem, Capellanum cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Siciliæ Illuſtris, cui de vitæ munditie, religionis zelo, diſciplina morum, circumſpectione provida, & providentia circumſpecta laudabile teſtimonium perhibetur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eidem Eccleſiæ Spalaten. in Archiepiſcopum præficimus & Paſtorem, ſperantes firmiter ex laudabilibus teſtimoniis, quæ de te commendabiliter prædicantur, quod eadem Eccleſia ſub tuo regimine, grata ſuſcipiet, Deo propitio, in ſpiritualibus & temporalibus incrementa. Reverenter itaque ſuſcipe jugum Domini, & ſuavi ejus oneri humiliter colla ſubmitte, manumque mittens ad fortia, curam & adminiſtrationem ejuſdem Spalaten. Eccleſiæ prudenter exequi ſtudeas, & gregis tibi commiſſi cuſtodiam proſequi diligenter, ſolerter, & conſtanter, oppoſiturus te murum pro domo Domini aſcendentibus ex adverſo, ut laudabili per te de grege ipſo reddita in die diſtricti judicii examinis ratione, Regnum Patris æterni ab origine mundi præparatum electis accipias, lætabundus in dilecta Domini tabernacula intraturus. Et frater Petrus præficitur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI. Idus Maii, anno III.

XXXI.

Fit Archiepiſcopus Jadrenſis. Reg. Vatic. epiſt. 372.

Fratri Enrico de Tuderto Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori electo Jadren.

§. I. Romani Pontificis, quem Paſtor ille cœleſtis, & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena curis & onuſta anguſtiis ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſiæ ſic ipſe ſolerter invigilet, prudenterque excogitet, ac proſpiciat diligenter, ut per ejus circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, quatenus, ipſi ſuperni ſavoris opitulante clementia, lætis foveantur eventibus, & votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratulentur.

§. II. Sane Jadren. Eccleſia per tranſlationem venerabilis fratris noſtri Joannis Tranen. tunc Jadren. Archiepiſcopi ad Tranen. Eccleſiam per nos factam, nuper ſolatio deſtituta Paſtoris, nos ad ejuſdem Jadren. Eccleſiæ quietum ſtatum & proſperum, paternæ ſollicitudinis ſtudio intendentes, ordinationem & diſpoſitionem Sedi Apoſtolicæ duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hoc ſcienter vel ignoranter per quemcumque ſeu quoſcumque contingeret attentari.

§. III. Volentes igitur, prout ad noſtrum ſpectat officium, obviare diſpendiis, quæ poſſent ex prolixæ vacationis inſtantia eidem Jadren. Eccleſiæ imminere: conſiderantes etiam probitatis merita grandia, & virtutum dotes multiplices, quibus dono ſuperni numinis noſceris inſignitus, & propterea ſpem gerentes indubiam, fiduciamque plenam in Domino obtinentes, quod per tuæ laudabilis circumſpectionis induſtriam cum te celebris ſamæ præconium referat, quod multorum relatio fide digna confirmat, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, præfata Jadren. Eccleſia, Deo favente, proficiet in utriſque, deliberatione cum Fratribus noſtris ſuper hoc habita diligenti, te jam dictæ Jadren.

dren. Eccleſiæ Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, de Fratrum prædictorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, præficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committentes, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, eidem Jadren. Eccleſiæ per tuam curioſam ſolertiam, tuum miniſterium ſtudioſum, honoris & proſperitatis multiplicis, Deo propitio, deſiderata provenient incrementa.

§. IV. Ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus noſtris & Apoſtolicæ Sedis beneplacitis ſub promptæ humilitatis officio te coaptans, & reverenter ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus, ejuſdem Jadren. Eccleſiæ curam ſollicitam gerere ſtudeas, ejuſque vacare profectibus non omittas, gregem Dominicum in illa tuæ diſcretioni commiſſum, doctrina verbi & operis informando, ita quod Eccleſia ipſa per tuæ diligentiæ ſtudium laudabilibus in ſpiritualibus & temporalibus ad divini nominis gloriam, proficiat incrementis.

Datum apud Urbem veterem XIV. Kal. Julii, anno III.

XXXII.

Ut faciant vendi Minoritis Reginenſibus quædam loca ſuæ habitationi neceſſaria. Reg. Vatic. epiſt. 305.

Abbati Monaſterii ſancti Proſperi Regin. & Archidiacono Bononien. ac Præpoſito Parmen. Eccleſiarum.

§. I. Expoſuerunt nobis dilecti filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum Regin. quod licet ipſi locum cum officinis in civitate Regin. obtineant, jam dudum eis a bonæ memoriæ Guillelmo Epiſcopo Regin. conceſſum, & poſtmodum per Sedem Apoſtolicam confirmatum, cupiantque locum ipſum per adeptionem vicinarum poſſeſſionum convenientius dilatare, tamen dilectæ in Chriſto filiæ Sorores ſancti Petri martyris Ordinis Prædicatorum Regin. ne dicti Fratres Minores ſuum in hoc propoſitum valeant adimplere, quam plures hortos, domos, caſalina, & poſſeſſiones alias prædicto loco contigua, & vicina, quæ dictæ Sorores nequaquam inhabitant, jam dudum habere & tenere, ac etiam de novo plura emere, & ad penſionem, ac in emphyteuſim aliis ad longum tempus concedere; & ne appsrere poſſit quod ad eas horti, domus, caſalina, & poſſeſſiones hujuſmodi pertineant, ea per alienationes, permutationes, locationes alias, & venditiones, abſque Sedis Apoſtolicæ & diœceſani Epiſcopi licentia, transferre in alios temere præſumpſerunt, in eorumdem Guardiani & Fratrum præjudicium, & gravamen, ac ſcandalum plurimorum. Quare dicti Guardianus & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere eis ſuper hoc, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

§. II. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vos vel per alium, ſeu alios inquiſita ſuper præmiſſis celeriter abſque ſtrepitu & figura judicii, diligentius veritate, ſi rem inveneritis ita ſe eſſe, Sorores eaſdem, ac omnes alios detentores hortorum, domorum, caſalinorum, & poſſeſſionum hujuſmodi abſque productione temporis ad vendendum eos prædictis Guardiano & Fratribus, ſeu Procuratori ad eorum negotia per Sedem Apoſtolicam deputato, pro pretio competenti ſecundnm æſtimationem bonorum virorum, quos per vos, vel aliquem veſtrum duxeritis eligendos,

dos, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, prout juſtum fuerit, appellatione poſtpoſita, compellatis. Invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtante ſi memoratis Sororibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod per delegatos Sedis ejuſdem ſeu ſubdelegatos ab eis conveniri, ſeu ad judicium trahi, aut ad teſtificandum in cauſis, quæ coram delegatis, ſeu ſubdelegatis eiſdem tractantur cogi, quodque interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & prædicto Prædicatorum Ordine mentionem, & quibuslibet aliis litteris & indulgentiis generalibus, vel ſpecialibus cujuſcumque tenoris exiſtant, per quas effectus præſentium impediri valeat, vel differri, & de quibus in noſtris litteris fienda eſſet mentio ſpecialis.

Datum apud Urbem veterem x. Kal. Julii, anno III.

Anno Christi 1298. Bonifacii VIII. anno 4.

XXXIII.

Ut poſſint accipere poſſeſſionem Eccleſiæ de Hertindon. Regeſt. Vatican. epiſt. 96.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Sororum incluſarum Monaſterii de domo Gratiæ beatæ Mariæ Virginis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſanctæ Claræ Londonien. diœc.

PEtitio veſtra nobis exhibita continebat, quod olim nos tenuitatem redditum Monaſterii veſtri benignius attendentes, ac volentes vos favore proſequi gratioſo, unam de Eccleſiis, in quibus quondam Edmundus frater cariſſimi in Chiſto filii noſtri Eduardi Angliæ Regis Illuſtris jus patronatus habebat, cujus quidem Eccleſiæ fructus, redditus, & proventus valorem annuum quadraginta marcharum Sterlingarum attingerent, eodem Edmundo nobis dum adhuc viveret, ſuper hoc ſupplicante, auctoritate Apoſtolica vobis in uſus proprios conceſſimus. Ita quod cum hujuſmodi Eccleſiam ipſius cedente vel decedente rectore, vacare contingeret, ejus poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere diœceſani loci, ſeu cujuſcumque alterius aſſenſu minime requiſito, illamque in uſus proprios libere poſſetis perpetuo retinere; reſervata tamen de illius proventibus perpetuo Vicario in eadem Eccleſia ſervituro congrua portione, ex qua poſſet commode ſuſtentari, ac Epiſcopalia, ac alia jura incumbentia eidem Eccleſiæ onera ſupportare. Verum vacante poſtmodum Eccleſia de Hertindon Conventren. & Lichefelden. diœceſis in qua dictus Edmundus jus obtinuit patronatus, vos poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ de Hertindon, auctoritate noſtra, apprehendere curaviſtis: ſed venerabilis frater noſter Conventren. ac Lichefelden. Epiſcopus, loci diœceſanus, ac officiales ipſius aſſerentes quod fructus, redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ de Hertindon ſecundum verum valorem ipſorum quadraginta marcharum valorem excedunt, quamquam ſecundum taxationem proventuum Eccleſiarum noviſſime in regno Angliæ factam, ſummam non excedant eamdem, vos ſuper eadem Eccleſia multipliciter aggravant & perturbant. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna miſericordia dignaremur. Nos itaque paci & tran-

& tranquillitati veſtræ providere, ac hujuſmodi gratiam ampliare volentes, quod eamdem Eccleſiam de Hertindon, dummodo ſecundum taxationem prædictam, redditus & proventus ipſius ſexaginta marcharum ejuſdem monetæ valorem annuum non excedant, in uſus proprios retinere, ejuſque poſſeſſionem, ſi forte ipſius eſſetis commodo deſtitutæ, auctoritate propria apprehendere & tenere poſſitis, reſervata de illius proventibus prædicto Vicario, juxta prioris noſtræ conceſſionis tenorem, congrua portione, auctoritate vobis præſentium indulgemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Nonas Martii, anno IV.

XXXIV.

Fit Epiſcopus Redonenſis. Reg. Vat. epiſt. 140.

Dilecto filio fratri Joanni de Sanneſio electo Redonen.

§. I. INter cuncta, quæ nos, diſpoſitione divina, univerſali præſidentes Eccleſiæ ſollicita tenemur meditatione penſare, illud quaſi præcipuum fore dignoſcitur, ut viduatarum Eccleſiarum regimini per noſtræ diligentiæ ſtudium Paſtores idonei præponantur.

§. II. Sane Redonen. pridem Eccleſia per obitum bonæ mem. G. Redonen. Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta, duæ fuerunt electiones in ea, una videlicet de Guidone Cantore, & altera de Guillelmo ſcholaſtico ipſius Eccleſiæ in diſcordia celebratæ, dictarum autem electionum negotio per appellationem legitimam ad Sedem Apoſtolicam devoluto, iidem Cantor & ſcholaſticus, propter hoc ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter accedentes, tamdem ne ipſa Eccleſia ex periculoſis litigiorum anfractibus diutinæ vacationis diſpendiis enormiter ſubjaceret, in noſtra conſtituti præſentia, hujuſmodi electionibus de ſe factis renunciare libere in noſtris manibus curaverunt. Sicque nos hujuſmodi reſignatione recepta, ad ipſius Eccleſiæ proviſionem felicem plenis deſideriis aſpirantes, eam proviſioni Apoſtolicæ duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hac parte contingeret attentari.

§. III. Poſt vigilem itaque diligentiam & vigilantiam diligentem, quam ſuper hoc Apoſtolicæ ſollicitudinis more adhibere curavimus, ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, cujus vitam in Chriſto laudabilem, longa tui Pœnitentiarii quidem noſtri experientia nobis & noſtris Fratribus notam fecit, noſtræ conſiderationis intuitus dirigentes, te ipſi Eccleſiæ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, præfecimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi ſpiritualiter & temporaliter committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod cum tu de religionis obſervantia, compoſitione morum, fiducia commiſſorum, ſpiritualium providentia, & circumſpectione temporalium multipliciter commenderis, præfata Redonen. Eccleſia per tuæ ſollicitudinis ſtudium votiva, dante Domino, in utriſque ſuſcipiet incrementa.

§. IV. Tu igitur impoſitum tibi a Domino onus devote ſuſcipiens, ſuavi ejus oneri humiliter colla ſubmitte, & commiſſum tibi gregem Dominicum doctrina verbi, & operis informando, curam & adminiſtrationem ipſius Redonen. Eccleſiæ ſic diligenter gerere ſtudeas & ſalubriter ac utiliter proſequaris, quod ipſa ſub tua vigilantia votivis amplietur com-

commodis, & in omnibus, divina cooperante clementia, proſpere dirigatur, tuque proinde noſtram, & dictæ Sedis gratiam Apoſtolicæ, tamquam benedictionis & obedientiæ filius, uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. Kal. Aprilis, anno iv.

XXXV.

Dat Monialibus ſancti Silveſtri regulam Urbani IV. Reg. Vat. epiſt. 198.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, ſuperna diſpoſitione vocati, ex incumbente nobis ſollicitudine officii paſtoralis, vices temporum, qualitates locorum, & conditiones perſonarum ſolerti conſideratione penſamus, ut debitum ad ſingula reſpectum habentes, ſic circa ipſorum ſtatum proſperum & ſalubrem, vigilanti ſollicitudine intendamus, quod, gratia favente ſuperna, votiva proſperitate lætentur, & optata ſuſcipiant incrementa,

§. II. Inter alia ſiquidem, quæ mentem noſtram, ex ipſius officii debito, frequenter excitant, & ſolerter inducunt, ſpecialiter affectamus, ut perſonas & loca Eccleſiaſtica, & maxime religioſa, ſed illa præcipue, quæ per fragilitatem & impotentiam fœminei ſexus, majori noſcuntur auxilio indigere, ſic ſalubriter dirigamus, ſic eis de ſtatu provideamus proſpero, quod quietius & commodius circa ſalutis intendant opera & felicibus ſucceſſibus augeantur. Intendentes igitur circa ſtatum Monaſterii Monialium ſancti Silveſtri de Capite ſitum in Urbe Romana, dudum Ordinis, ſeu Regulæ pauperum Sororum Ordinis Fratrum Minorum, ac perſonarum ipſius taliter providere, quod, auctore Domino, votivis ſucceſſibus in ſpiritualibus & temporalibus gratulentur, auctoritate Apoſtolica, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, ut Ordo & Regula ſanctæ Claræ edita a bonæ mem. Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro de cetero in ipſo Monaſterio obſervetur, quodque Abbatiſſa & Sorores, Converſi etiam & ſervitiales, quos & quas de cetero in ipſo Monaſterio profiteri contigerit, profiteantur ſupradictam Regulam ſanctæ Claræ, & ſecundum eam perpetuo vivere teneantur. Ita quod deinceps prælibatum Monaſterium ſit & dicatur Ordinis ſanctæ Claræ. Si quæ vero, vel ſi qui ex Sororibus, converſis & ſervitialibus, dudum in Monaſterio ipſo profeſſis, quæ & qui in præſentiarum in dicto Monaſterio, quod nunc noſcitur Abbatiſſa carere, moram trahunt, profiteri noluerint præfatam Regulam ſanctæ Claræ, illas & illos in aliis Monaſteriis ſui Ordinis, quem profeſſi fuerint, præcipimus collocari.

§. III. Ceterum cum idem prædeceſſor Urbanus duxerit ſtatuendum ut quicumque pro tempore foret gubernator, protector, & corrector prædicti Ordinis Fratrum Minorum, eſſet etiam gubernator, protector, & corrector Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ſicque utrorumque dictorum Ordinum Fratrum Minorum, & Monaſteriorum Ordinis dictæ Sanctæ idem eſſe noſcatur gubernator, protector, & corrector, præſentium auctoritate decernimus, ſeu potius declaramus, ut dilectus filius noſter Matthæus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, qui nunc eſt, & ceteri Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui erunt pro tempore gubernatores, protectores, & correctores aliorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ac præfati Ordinis Fratrum Minorum, ſint de ce-

cetero gubernatores, protectores, & correctores prælibati Monaſterii ſancti Silveſtri, perſonarum atque bonorum ipſius, illamque in eiſdem Monaſterio ſancti Silveſtri, perſonis & bonis ejus habeant poteſtatem, quam habet dictus Cardinalis, & quam habebunt ipſe, vel alii in aliis Monaſteriis Ordinis dictæ Sanctæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Aprilis, anno IV.

XXXVI.

Concedit eis omnes gratias & privilegia conceſſa Minoritis. Specul. Min. tract.2. fol.44.

Dilectis in Christo filiabus univerſis Abbatiſſis, & Conventibus incluſarum ſanctæ Claræ præſentibus & futuris.

§. I. IN ſinu Sedis Apoſtolicæ veſter Ordo conſiſtens ſic ſplendet per incrementa virtutum, quod digne mereatur præcipuis attolli favoribus, & ſpiritualibus gratiis confoveri. Nos quidem Ordinem ipſum libenter proſequimur prærogativa favoris, & augmenta ſuorum proceſſuum promovemus.

§. II. Sane fel. rec. Urbanus Papa IV. prædeceſſor noſter cum multa providentia, Regulam veſtram inſtituit, ſub qua Domino ſervitis, & ut eam poſſitis ſalubrius obſervare, & ne ſub diverſorum magiſterio vivendi modos incurrere valeatis differentes: inter cetera ſtatuit, ut ſub illorum Cardinalium, qui forent pro tempore gubernationi, protectioni, atque correctioni Ordinis Fratrum Minorum a Sede Apoſtolica deputati, obedientia, cura, & regimine deberetis de cetero permanere, quibus teneremini firmiter obedire, & ipſi animarum veſtrarum ſollicitudinem gerentes & curam, Monaſteriis Ordinis dictæ Sanctæ, & perſonis degentibus in eis, Capellanis, Converſis & familiæ, tam per ſe, quam per viros idoneos, quoties expedire videbitur, viſitationis officium ſtuderent impendere, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, ſeu reformationis cauſa noſcerent indigere. Inſtituerent nihilominus & deſtituerent, ordinarent, atque diſponerent, prout ſecundum Deum expedire viderent.

§. III. Cum igitur per hæc & alia inter veſtrum & dictorum Fratrum Minorum Ordines ſpecialis eſſe claritas cenſeatur: nos volentes quod idem Ordo, ut felicioribus exinde augeatur auſpiciis, & ut tanto ſalubrius poſſitis Deo reddere vota veſtra, quanto potioribus fueritis libertatibus & gratiis a Sede Apoſtolica communitæ, Apoſtolica auctoritate vobis concedimus, ut vos ac omnia & ſingula Monaſteria veſtri Ordinis tam exemptionis privilegiis, quam omnibus immunitatibus, libertatibus & indulgentiis, ac aliis privilegiis quibuſcumque utamini & gaudeatis, ac uti & gaudere poſſitis, quæ præfato Fratrum Minorum Ordini, ac ejus Fratribus & perſonis ſunt ab eadem Sede conceſſa, vel in poſterum concedentur, quatenus hujuſmodi exemptionis privilegium & immunitates, libertates, indulgentiæ, ac alia privilegia vobis competunt, vel competere poſſunt vel poterunt, & quatenus vos & Monaſteria ipſa poteſtis & poteritis eſſe capacia eorumdem.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Aprilis, Pontif. noſtri, anno IV.

XXXVII.

XXXVII.

Fit Epiſcopus Ortanus. Reg. Vat. epiſt. 393.

Dilecto filio fratri Laurentio de Velletro Ordinis Minorum electo Ortano.

§. I. ET ſi de cunctis Orbis Eccleſiis, quibus nos, præſulis Apoſtolicæ præeminentia dignitatis, ſtudiis cogitare ſollicitis ex officii debito teneamur, ad illas tamen eſt potius noſtræ conſiderationis acies dirigenda, quæ Romanam dumtaxat Eccleſiam matrem & dominam recognoſcunt, ut dum paſtoris regimen expetunt, dum præſidium poſtulant defenſoris, munus accommodæ proviſionis & celeris, de noſtra ſibi ſollicitudine ſentiant provenire, ne tamquam relictæ neglectui, vacationis incurrant diſpendia longioris.

§. II. Nuper ſiquidem Ortana Eccleſia Sedi Apoſtolicæ nullo mediante ſubjecta, per obitum bonæ memoriæ Bartholi Ortan. Epiſcopi ſolatio deſtituta paſtoris; nos gerentes ad eamdem Eccleſiam, utpote devotam ipſius Eccleſiæ Romanæ filiam & fidelem, ſpecialis dilectionis affectum, & intendentes, prout ad noſtrum ſpectat officium, Ortanæ Eccleſiæ ne prolixæ vacationis experiri diſpendia cogeretur, de perſona idonea celeriter providere, prædictam Ortanam Eccleſiam a die ſuæ vacationis hujuſmodi, ordinationi vel proviſioni prædictæ Sedis & noſtræ, hac vice auctoritate Apoſtolica, duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum &c. uſque *attentari*.

§. III. Nos igitur conſiderantes attentius religionis honeſtatem laudabilem, morum elegantiam, converſationis, & vitæ munditiam, diſcretionis induſtriam, & aliarum dona virtutum, quibus te bonorum dator Altiſſimus decoravit. Volentes quoque paternæ ſollicitudinis ſtudio ipſius Eccleſiæ utilitatibus providere, de te ipſi Ortanæ Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius tibi ſpiritualiter & temporaliter committendo, firma concepta fiducia, ſpeque nobis indubia ſuggerente, quod illius favente clementia, & ſtudiorum tuorum dirigente ſolertia, a quo univerſorum chariſmatum dona manant, prælibata Eccleſia ſub tui regiminis tempore gubernata ſalubriter, ſpiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Suſcipe igitur reverenter jugum Domini, & ſuavi ejus oneri humiliter colla ſubmittere non omittas, manumque mittens ad fortia, ipſius adminiſtrationem Eccleſiæ prudenter exequi ſtudeas, commiſſi tibi Dominici gregis cuſtodiam proſequi diligenter, ut laudabili de ipſo reddita in die diſtrictæ examinationis ratione, regnum Patris altiſſimi ab origine mundi paratum electis accipias, & in dilecta Domini tabernacula lætabundus introeas, ac eumdem gregem tuæ diſcretioni commiſſum, ad uberioris meriti fructum & retributionis majoris cumulum introducas.

Datum Reate v. Nonas Octobris, anno IV.

XXXVIII.

Fit Archiepiſcopus Januenſis. Reg. Vatic. epiſt. 3.

Venerabili fratri Porcheto Archiepiſcopo Januen.

§. I. IN ſupremæ dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti curis continuis angimur, & pulſamur inſultibus ſucceſſivis, ut de perſonis talibus provideatur Eccleſiis paſtoribus viduatis, quorum induſtria & virtute eædem Eccleſiæ in ſuis juribus & libertatibus conſerventur, reddatur tranquillior cleri ſtatus, & commodis ſalutis & gaudii plebs lætetur.

§. II. Sane dudum Eccleſia Januen. per obitum bonæ memoriæ fratris Jacobi Archiepiſcopi Januen. Paſtoris ſolatio deſtituta, nos proviſionem ipſius Eccleſiæ hac vice diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ duximus reſervandam, & tamdem de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſolliciti cogitantes, ac volentes eamdem a viduitatis incommodis præſervare, in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, litterarum ſcientia, honeſtate morum & vitæ, ac aliis virtutum meritis redimitum direximus oculos mentis noſtræ, teque de Fratrum noſtrorum conſilio, ac Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eidem Eccleſiæ præfecimus in Archiepiſcopum & Paſtorem, & deinde per Venerabilem fratrem noſtrum M. Portuen. Epiſcopum munus conſecrationis impendi, ac poſtmodum pallium de corpore beati Petri ſumptum in plenitudine Pontificalis officii a te, cum inſtantia qua decuit, poſtulatum tibi fecimus exhiberi, ut eo utaris infra Eccleſiam tuam certis diebus, prout in ipſis Eccleſiæ privilegiis continetur, firma ſpe, fiduciaque tenentes, quod eadem Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam præſervabitur a noxiis, & adverſis, ac continua, Deo auctore, in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. III. Reverenter itaque ſuſcipe jugum Domini, & tua ejus oneri humiliter colla ſubmitte, manumque utiliter mittens ad fortia curam & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ prudenter exequi ſtudeas, & gregis tibi commiſſi cuſtodiam proſequi diligenter, ſolerter, & conſtanter, oppoſiturus te murum pro domo Domini aſcendentibus ex adverſo, ut laudabili de grege ipſo reddita in die diſtricti examinis ratione, regnum Patris æterni ab origine mundi præparatum electis accipias lætabundus, in dilecta Domini tabernacula intraturus.

Datum Laterani III. Nonas Febr. anno v.

XXXIX.

Transfertur ad Epiſcopatum Lexovienſem. Reg. Vatic. epiſt. 21.

Venerabili fratri Joanni Epiſcopo Lexovien.

§. I. APoſtolatus officium nobis, quamquam immeritis, ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur ac vigiles, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, ac eis commiſſas Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, duce Domino, gubernare.

§. II. Sa-

§. II. Sane dudum Lexovien. Eccleſia per obitum bonæ memoriæ G. Epiſcopi Lexovien. Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ipſius Eccleſiæ pro futuri Epiſcopi ſubſtitutione, die ad hoc præfixa vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt & oportuerunt commode intereſſe, ut moris eſt, convenientes in unum, dilectum filium Henricum de Tillejo eorum concanonicum, in minoribus Ordinibus conſtitutum, in Lexovien. Epiſcopum concorditer poſtularunt, ac nobis decretum poſtulationis hujuſmodi præſentantes, petierunt ut illam admittere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

§. III. Nos autem deliberatione ſuper his cum Fratribus noſtris habita diligenti, poſtulationem ipſam ex certis cauſis non duximus admittendam. Deinde vero de ipſius Lexovien. Eccleſiæ proviſione ſalubri ac celeri, ne diu vacationis incommodis remaneret expoſita, cogitantes, ac volentes eidem talem Paſtorem præficere, cujus ſtudio atque cura poſſet utiliter gubernari, ad te tunc Redonen. Epiſcopum, cui litterarum ſcientia, morum honeſtas, vitæ munditia & experientia Paſtoralis officii, quod laudabiliter geſſiſſe dignoſceris, ſuffragantur, convertimus aciem noſtræ mentis, teque de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, a vinculo, quo tenebraris prædictæ Redonen. Eccleſiæ abſolventes, ad præfatam Eccleſiam Lexovien. transferimus, præficientes te eidem Lexovien. Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo, liberam tibi dantes licentiam ad ipſius Lexovien. Eccleſiæ regimen tranſeundi, firma ducti fiducia, quod eadem Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, gratia tibi ſuffragante divina, proſpere dirigetur, & gratis, auctore Deo, proficiet incrementis.

§. IV. Jugum itaque Domini reverentia prompta ſuſcipiens, & ſuavi ejus oneri ſub humilitatis ſpiritu colla ſubmittens, ſic curam & adminiſtrationem ipſius Lexovien. Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus prudenter & utiliter exequaris, quod grex tuæ circumſpectioni creditus, in te ſalutis Miniſtrum reperiſſe gaudeat, & optatis commodis valeat augmentari, tuque velut paſtor ſollicitudine pervigili, Eccleſiam ipſam gubernaſſe fructuoſo regimine comproberis, ac exinde cœleſtis Regni gloriam & Apoſtolicæ Sedis gratiam uberius merearis.

Datum Laterani III. Nonas Februarii, anno v.

XL.

Creatur Archiepiſcopus Arborenſis. Reg. Vatic. epiſt. 166.

Venerabili fratri Alamanno Archiepiſcopo Arboren.

§. I. AD regimen univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino evocati, de univerſis orbis Eccleſiis juxta paſtoralis officii debitum cogitamus, ſed earum nos angit ſollicitudo propenſior, quæ propriis deſtitutæ paſtoribus viduitatis ſubjacent detrimentis, ut eis per noſtræ ſollicitudinis ſtudium de ſalubri proviſionis remedio ſuccurratur, ne, quod abſit, earum vacatione dilata, lupus rapax gregem Dominicum paſtore carentem invadat, oves rapiat & diſpergat.

§. II. Dudum ſiquidem Arboren. & Tyren. Eccleſiis, quæ per Sedem Apoſtolicam canonice ſunt unitæ, per obitum bonæ memoriæ Scolay Arboren. & Tyren. Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtitutis, dilecti filii Archipresbyter & Capitulum ipſius Eccleſiæ Arboren. ad quos Archiepi-

piſcopi Arboren. de jure communi, & Tyren. ex privilegio dictæ Sedis eis conceſſo, electio pertinet, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode intereſſe pro futuri ſubſtitutione paſtoris, die ad eligendum præfixs convenientes in unum, deliberaverunt ſuper hujuſmodi negotio per viam procedere compromiſſi, & tamdem poſt aliquot tractatus ab eiſdem Archipresbytero & Capitulo ſuper hoc habitos, in Marianum Mainelli, & Marianum de Ruo Canonicos Arboren. unanimiter & concorditer compromittere curaverunt, conceſſa eiſdem Canonicis providendi ea vice Arboren. & Tyren. Eccleſiis prædictis de paſtore, plena & libera poteſtate.

§. III. Prædicti vero Canonici, hujuſmodi compromiſſo recepto, venerabilem fratrem noſtrum Raynerium Plovacen. Epiſcopum, juxta formam hujuſmodi compromiſſi & poteſtatem ſibi traditam in Arboren. & Tyren. Archiepiſcopum concorditer poſtularunt, dictique Archipresbyter & Capitulum per ſupradictum Mariannm de Ruo & dilectum filium Marianum de Alexandro, earumdem Arboren. & Tyren. Eccleſiarum Canonicos ad nos propter hoc ſpecialiter deſtinatos, nobis decretum poſtulationis hujuſmodi præſentarunt, humiliter ſupplicantes, ut poſtulationem eamdem benigne admittere dignaremur.

§. IV. Nos autem decreto ipſo recepto, examinationem poſtulationis ejuſdem venerabili fratri Joanni Tuſculano Epiſcopo, ac dilectis filiis noſtris Roberto tituli ſanctæ Pudentianæ Presbytero, & Franciſco ſanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinalibus duximus committendam. Quibus decretum & proceſſum poſtulationis ejuſdem examinantibus diligenter, nobiſque, ac Fratribus noſtris ſuper his facta relatione fideli, hujuſmodi poſtulationem non ratione poſtulatæ perſonæ, ſed ex certis aliis rationabilibus cauſis non duximus admittendam, proviſionem earumdem Eccleſiarum Arboren. & Tyren. ea vice diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervantes, ac decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper hoc ſcienter vel ignoranter a quoquam contingeret attentari.

§. V. Et demum cupientes eiſdem Eccleſiis, ut ſalubriter gubernentur, de perſona idonea providere, ac talem illis præeſſe Pontificem, de quo certa eſſet nobis notitia, quod ipſum clara meritorum ſuorum inſignia redimirent, nec ejus caritas erga plebem ſuo regimini committendam dubia redderetur, & in ejus fide fida recumberet ſecuritas ſubditorum; in te Fratrum Ordinis Minorum profeſſorem, cui litterarum ſcientiam, honeſtatem vitæ, morum maturitatem, ſpiritualium & temporalium providentiam, aliaque virtutum merita grandia per familiarem experientiam novimus ſuffragari, quodque grata & devota obſequia Apoſtolicæ Sedi circa executionem negotiorum, ſub eadem Sede tuæ ſollicitudini commiſſorum, noſceris impendiſſe, direximus oculos noſtræ mentis, teque de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eiſdem Arboren. & Tyren. Eccleſiis in Archiepiſcopnm præficimus & paſtorem, plenam & liberam adminiſtrationem ipſarum tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo, tibi quoque poſtmodum per venerabilem fratrem noſtrum Matthæum Portuen. Epiſcopum munus conſecrationis impendi, ac demum per dilectos filios noſtros Matthæum ſanctæ Mariæ in Porticu, Neapolionem ſancti Adriani, Guillelmum ſancti Nicolai in carcere Tulliano, Franciſcum ſanctæ Mariæ in Coſmedin. Jacobum ſancti Georgii ad velum aureum, Petrum ſanctæ Mariæ novæ, & Richardum ſancti Euſtachii Diaconos Cardinales pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinis vi-

videlicet pontificalis inſigne, a te, cum ea qua decuit inſtantia poſtulatum, fecimus exhiberi: firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, eædem Arboren. & Tyren. Eccleſiæ per tuam circumſpectionem providam & providentiam circumſpectam ſalubri gubernatione lætabuntur, ac proſpero proinde regimine dirigentur.

§. VI. Jugum itaque Domini prompta devotione ſuſcipias, & tua ejus oneri reverenter colla ſubmitte, dictarumque Arboren. & Tyren. Eccleſiarum curam & adminiſtrationem gerere ſtudeas fideliter, & prudenter, ut ipſæ ſub tuo felici regimine ſpiritualibus & temporalibus commodis amplientur & dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, grata & votiva ſuſcipiant incrementa.

Datum Laterani IV. Kal. Maii, anno V.

XLI.

Fit Vicarius Urbis. Reg. Vatic. epiſt. 3.

Venerabili fratri Alamanno Epiſcopo Tyren. & Arboren.

§. I. Eccleſiarum omnium cura, univerſalis populi Chriſtiani regimen ad vigilantiam nos inducunt, Romana tamen Urbs inclyta, quam caput Orbis divina clementia ſtabilit, & ubi Petri Sedem cœleſtis diſpoſitio ſtatuit & firmavit, & ejuſdem urbis noſter peculiaris populus ſuis dignis prærogativis nos ſollicitant & inducunt de ipſorum ſtatu proſpero & ſalubri attentius & diligentius cogitare, ut ſpiritualiter & temporaliter de bono in melius recipiant incrementum.

§. II. Igitur de tua vita laudabili, religione probata, ſcientia & circumſpectione confiſi, te in Urbe præfata auctoritate Apoſtolica Vicarium noſtrum duximus ſtatuendum, tibi in ſpiritualibus caſibus viſitandi, corrigendi, & reformandi Eccleſias, & eas ac cœmeteria reconciliandi, conſecrandi altaria, necnon benedicendi & chriſmandi, ac etiam conferendi Ordines perſonis idoneis de Urbe, quos tibi contigerit canonice præſentari, audiendi quoque confeſſiones & imponendi ſalutarem pœnitentiam pro commiſſis, poteſtatem plenariam concedentes.

§. III. Tu itaque ſicut filius benedictionis & gratiæ, hujuſmodi officium humiliter & devote ſuſcipias, & illud ſecundum prudentiam, quam tibi Dominus miniſtrabit, ſtudeas exercere, ita quod a Deo exinde præmium, noſtram & Apoſtolicæ Sedis gratiam, & ab hominibus bonam famam merito conſequaris.

Datum Laterani IV. Kalend. Maii, anno V.

XLII.

Committitur eis ut reducant ad obedientiam Cardinalis Protectoris Monaſterium Iprenſe. Reg. Vatic. epiſt. 355.

Dilectis filiis Generali & Provinciali in Provincia Franciæ Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Ad audientiam noſtram pervenit, quod licet Monaſterium Ipren. Ordinis ſanctæ Claræ Morinen. diœc. receperit Regulam dictæ ſanctæ editam a fel. rec. Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro, tamen Margareta dicta Coos, quæ pro Abbatiſſa, & Sorores ſequaces ejus, quæ pro Conventu ſe gerunt, necnon ſervitiales & Converſi, ac fa-

familia ejuſdem Monaſterii adhærentes eidem, ſpiritu inobedientiæ ac rebellionis aſſumpto, dilectis filiis noſtris Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali & viſitatoribus conſtitutis ab eo, vel ejus auctoritate, non obediunt ut debent, & convenit, nec intendunt, quamquam Cardinalis ipſe tam Ordinis Fratrum Minorum, quam prædicti & aliorum Monaſteriorum conſtitutorum ubilibet, quæ dictam regulam receperunt, ſit gubernator, protector & corrector a Sede Apoſtolica deputatus: unde auctoritate Cardinalis ipſius contra prædictam Margaretam, quæ pro Abbatiſſa, dictaſque Sorores, quæ pro Conventu ſe gerunt, ac memoratos ſervitiales, converſos & familiam, diverſi habiti dicuntur eſſe proceſſus, etiam excommunicationis in perſonas ipſorum, & interdicti in ipſum Monaſterium ſententias continentes, a quibus, ex certis cauſis ſeu occaſionibus, ad præfatam Sedem aſſeritur appellatum, & propter hujuſmodi rebellionem & inobedientiam earumdem, & quia viſitationem & correctionem non recipiunt, quæ auctoritate Cardinalis ejuſdem in prædicto Ipren. Monaſterio imminent pro tempore faciendæ, Monaſterium ipſum in ſpiritualibus & temporalibus multipliciter eſt collapſum, in diſpendium animarum hujuſmodi rebellium, & ſcandalum plurimorum.

§. II. Nos autem nolentes perſonas ſexus fragilis anfractibus litigiorum involvi, & prædictarum rebellium animarum ſalutem ac proſperum ſtatum ejuſdem Ipren. Monaſterii affectantes, elegimus ſuper his per ſpecialis & opportunæ proviſionis ſtudium, dicto Ipren. Monaſterio ac perſonis ipſius utiliter & ſalubriter ſubvenire. De circumſpectione igitur veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum per vos, vel alium ſeu alios ad prædictum Ipren. Monaſterium accedentes, a præfatis inodedientibus & rebellibus, juramentis acceptis de parendo Eccleſiæ, ac dicti Cardinalis mandatis, quæ idem Cardinalis per ſe vel alium ſeu alios duxerit facienda ſuper omnibus, ſuper quibus per Cardinalem eumdem, vel ejus auctoritate invenietur eſſe proceſſum, vel fore hujuſmodi excommunicationis aut interdicti ſententias promulgatas, ad cujus juramenti præſtationem, ſi opus fuerit, compellatis eoſdem ex tunc auctoritate noſtra, ipſis juxta formam Eccleſiæ, abſolutionis ab hujuſmodi excommunicatione beneficium impendatis, & præfatam interdicti ſententiam relaxetis, ac impoſita pro qualitate delicti eis pœnitentia ſalutari, rigorem miſericordia temperetis, ac in eodem Monaſterio Ipren. viſitationis & inquiſitionis officium exercentes, corigatis & reformetis ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctione ac diſciplina videritis indigere, & amoventes tam de dictis Sororibus & ſervitialibus, quam etiam de Capellanis, converſis & familia dicti Monaſterii illos, quos pro pacifico ejuſdem Monaſterii ſtatu videritis amovendos, eaſdem Sorores, ſervitiales, & Converſos profeſſos, quos vos amovere contigerit, in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis collocetis, Capellanis & Converſis, de quibus expediens vobis videbitur, data licentia ad alios Ordines, qui tamen non ſint laxioris obſervantiæ, prout concedit, & permittit ſupradicta Regula, tranſeundi, præfatam inſuper Margaretam Coos, ac ſororem Margaretam dictam Wicte, quæ dicto Monaſterio præfuit aliquando, & extra ipſum Monaſterium nunc moratur, ſeu pro Abbatiſſa ſe gerit ejuſdem Monaſterii ad ceſſionem ſpontaneam inducatis. Alioquin pro bono & pacifico ſtatu ipſius Monaſterii amoveatis eaſdem, ne ipſis de propriis juribus litigantibus, Monaſterium ipſum gra-

grave in ſpiritualibus & temporalibus diſpendium patiatur, & nihilominus, auctoritate prædicta, præficiatis hac vice in Abbatiſſam ipſi Monaſterio perſonam idoneam aſſumendam de eodem Ipren. Monaſterio, vel etiam aliunde Ordinis dictæ Sanctæ, eam ad ſuſcipiendum dicti Monaſterii Ipren. regimen, ſi neceſſe fuerit, compellendo, & facientes ei a Conventu ipſius Monaſterii, ac aliis ſuis ſubditis obediri humiliter ac intendi. Sorores vero ſervitiales, Capellanos, & Converſos, ſeu familiam extra Monaſterium ipſum morantes, pro eo quod noluerunt dictis Margaritæ dictæ Coos, quæ pro Abbatiſſa, & Sororibus, quæ pro Conventu ſe gerunt, conſentire, reduci ad loca ſua, & reſtitui ad ſua officia faciatis.

§. III. Non obſtantibus quibuſcumque proceſſibus & ſententiis habitis ſeu latis per Cardinalem ipſum, vel ejus auctoritate & appellationibus a prædictis rebellibus, vel ſequacibus ſeu adhærentibus eis ad Sedem interiectis eamdem, cujuſcumque tenoris exiſtant, ſeu ſi aliquibus a prædicta ſit Sede indultum, quod interdici. &c. uſque *mentionem*. Contradictores &c. uſque *compeſcendo*. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Quidquid autem ſuper præmiſſis factum fuerit nobis per veſtras patentes litteras veſtro ſigillo ſignatas, harum ſeriem continentes quantocyus intimetis.

Datum Anagniæ III. Idus Julii anno V.

Anno Christi 1300. Bonifacii VIII. anno 6.

XLIII.

Ut faciat Minoritis Neapolitanis conferri quemdam hortum domui ſuæ contiguum. Reg. Vat. epiſt. 118.

Venerabili fratri Epiſcopo Averſano.

§. I. Ex parte dilectorum filiorum Guardiani & Conventus Fratrum Minorum ſancti Laurentii Neapolitani fuit nuper expoſitum coram nobis, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, & Moniales Monaſterii ſancti Gregorii Neapolitani Ordinis ſancti Benedicti, ſiti prope dictos Fratres habent quemdam hortum immediate juxta locum ipſorum Fratrum, quo quidem horto Fratres ipſi tam pro honeſtate, quam etiam pro neceſſitate ſive commoditate ipſorum plurimum indigere noſcuntur, pro eo maxime, quod tam ipſæ Moniales, quam interdum alii ſeculares utriuſque ſexus ad hunc hortum accedunt, quorum acceſſus ſic dicto loco contiguus vel vicinus multum ipſorum religioſorum derogat honeſtati, abſque eo, quod licet iidem Fratres ex parte illa dormitorium eorum conſtruxerint, cum ex aliqua alia parte ſine ipſorum incommoditatibus & inconvenientiis pluribus conſtruere non valerent, nondum tamen cellas ibi diſtribuere voluerunt, ne propter feneſtras reſpicientes eumdem hortum aliqua ſuſpicioſæ cogitationis materia cuiquam præberetur. Cujus reiconſideratione prædicti Fratres hortum ipſum a beiſdem Monialibus quaſi neceſſitate compulſi per competentem ac etiam ſuperabundantem compenſationem acquirere voluerunt; ſed ipſæ prætendentes ſe ſine ipſo horto ſufficientem hortum alibi non habere, vel alia ex cauſa, hortum ipſum concedere recuſarunt. Unde poſtmodum ad opus ipſorum Fratrum emptus extitit quidam alius hortus non ſolum prope dictum Monaſterium, ſed juxta murum clauſtri Monialium prædictarum,

qui hortus prædicto Moniallum horto æquivalere dicitur, ac etiam prævalere, ut per acquiſitionem horti hujus congrue poſſet fieri permutatio prædictorum inter Fratres & Moniales eoſdem, ſed Moniales ipſæ ſuper hoc ſe difficiles reddentes, adhuc omnino renuunt permutare, non obſtante quod ipſæ ad illum bortum earum accedere nequeant, niſi tranſeant quamdam viam publicam, quæ eſt inter locum Fratrum & Monaſterium Monialium prædictarum, quodque ipſi Fratres paratos ſe dicant ultra hortum hujuſmodi pro eis taliter acquiſitum in pecunia vel alias, compenſationem ſe velle facere competentem, ſi & quantum prædictus Monialium hortus videbitur plus valere. Quare prædicti Fratres fecerunt nobis humiliter ſupplicari, ut permutationem ipſam fieri modo congruo mandaremus.

§. II. Nos igitur qui inter ſingulos Religioſorum Ordines ſic vigere cupimus, & oſtendi mutuæ caritatis affectum, quod eis alternis viciſſitudinibus commoditas opportuna reſultet, & aliis ædificationis utilitas & virtutis exhibeatur exemplum, honeſtati & opportunitatibus Fratrum & Monialium prædictorum, quantum digne poſſumus, intendentes, ac gerentes de tuæ circumſpectionis induſtria fiduciam in Domino pleniorem, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi honeſtati aut neceſſitati, vel etiam commoditati Fratrum & Monialium prædictorum videris expedire, ſuper quo tuam intendimus conſcientiam onerare, Moniales ad permutationem faciendam, ac Fratres ipſos ad compenſationem hujuſmodi prædictis Monialibus impendendam, auctoritate noſtra, compellas. Contradictores &c. uſque *compeſcendo*. Non obſtante ſi prædictis Monialibus de non alienando præfato ſeu quibuslibet bonis ad Monaſterium ipſarum ſpectantibus præſtiterint juramentum aut ſi tam eis quam dictis Fratribus communiter, vel diviſim ſive quibuslibet aliis a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici &c. uſque *mentio ſit habenda*.

Datum Laterani Kal. Februarii, anno VI.

XLIV.

De non ſolvendo ultra quartam partem in funeralibus. Reg. Vat. epiſt. 417.

Dilecto filio Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. NUper ut diſcordiæ materia tolleretur, quæ inter vos ex parte una & Prælatos, Rectores, & Sacerdotes, ſeu Clericos parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi Provincias conſtitutos ex altera, ſuper nonnullis articulis conſueverat exoriri, ſtatuendum inter alia duximus, & etiam ordinandum, ut omnes poſſitis admittere ad Eccleſiaſticam ſepulturam, qui apud Eccleſias & loca veſtra eligerent ſepeliri, quodque de obventionibus omnibus tam funerabilibus, quam quibuſcumque & quomodocumque relictis indiſtincte, vel diſtincte ad quoſcumque certos & determinatos uſus, de quibus etiam quarta Eccleſiaſtica portio dari ſeu exigi non conſuevit, ſeu non debet de jure, necnon de datis ſeu qualitercumque donatis in morte, ſeu mortis articulo, aut in firmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocumque directe vel indirecte vobis vel aliis pro vobis quartam partem, quam Apoſtolica auctoritate taxavimus, & etiam limitavimus, parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus ſeu curatis integre teneamini elargiri.

§. II. Verum quia ſicut ex parte veſtra fuit expoſitum coram nobis; in

in quibuſdam locis conſuevit ſolvi medietas, & in aliis tertia, ſeu alia pars de prædictis pro hujuſmodi Eccleſiaſtica portione, propter quod ſuper medietate vel tertia ſeu alia parte hujuſmodi, præſertim de cera ultra dictam quartam per nos taxatam, aliquando impeti vos contingit. Nos ſuper hoc vobis ex abundanti, cum hujuſmodi ſtatutum & ordinatio noſtra evidenter id habeant, providere volentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, ut ad exhibendum de præmiſſis eiſdem Parochialibus ſacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus ſeu Curatis, niſi dictam quartam per nos, ut præmittitur, taxatam & limitatam in quibuſcumque locis, prætextu alicujus conſuetudinis, minime teneamini, nec poſſitis etiam coarctari. Nulli ergo noſtræ taxationis, limitationis, & declarationis &c.

Datum Anagniæ VI. Kal. Junii, anno VI.

XLV.

Concedit eis duas Eccleſias Anagniæ. Regeſt. Vatic. epiſt. 417.

Guardiano, & Fratribus Minoribus Anagnin.

§. I. Dum fructus uberes, quos in Eccleſia Dei veſter celebris Ordo producit, diligenti conſideratione penſamus, dignum non immerito fore conſpicimus, ut Apoſtolica Sedes eumdem Ordinem favoribus gratioſis attollat, & profeſſores illius gratiis muniat opportunis. Ad hoc namque noſtra laborat jugiter caritatis intentio, ut non ſolum vobis, ſed & aliis poſſitis proficere ad ſalutem.

§. II. Cum itaque vos Monaſterium veſtrum, quod circa confeſſiones audiendas, pœnitentias injungendas, & alia ſalutis opera incolis civitatis Anagninæ impenditis, ad quod frequenter, & aliquando etiam nocturnis temporibus, prout neceſſitas congruit, vos vocari contingit, non poſſitis libere, prout expedit vobis, in loco, qui dicitur *Colle de Porti*, ubi nunc degitis, manentibus, abſque magna incommoditate tam veſtra, quam vos ad hoc vocantium exercere. Nos ſuper his non tam veſtris, quam vocantium prædictorum incommoditatibus obviare, vobiſque in civitate prædicta de loco magis vobis, & eis commodo, providere volentes, Eccleſias ſancti Matthæi, & ſancti Stephani de Portario civitatis prædictæ, cum cœmeteriis, hortis, viis, plateis, & domibus adjacentibus, ac etiam circumſtantibus ad eaſdem vobis pro habitatione veſtra, & ædificanda ibi Eccleſia, Apoſtolica auctoritate concedimus, decernentes manſionem veſtram fore de cetero in eiſdem, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper hoc a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Priorem & Fratres ſancti Matthæi Ordinis ſancti Guillelmi, ac Archipresbyterum & clericos ſancti Stephani Eccleſiarum prædictarum ab eiſdem Eccleſiis penitus amovendo, per nos alibi, prout nobis expedire videbitur, collocandos. Nulli ergo &c.

Datum Anagniæ XVI. Kal. Auguſti, anno VI.

XLVI.

Fit Epiſcopus Lucæ. Reg. Vatic. epiſt. 311.

Venerabili fratri Henrico Epiſcopo Lucano.

§. I. Romani Pontificis, quem Paſtor ille cœleſtis, & Epiſcopus animarum, qui recte univerſa diſponit, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena vigiliis ſollicitudo requirit

ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſiæ ſic vigilanter excogitet, ſic proſpiciat diligenter, ut per ejus providentiam circumſpectam, prout locorum & temporum qualitas exigit, Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & Rector providus deputetur; ſicque Eccleſiæ ipſæ, ſuperni favoris auxilio ſuffragante, votivæ proſperitatis ſucceſſibus gratulentur.

§. II. Sane dudum Eccleſia Lucana per obitum bonæ memoriæ Paganelli Lucani Epiſcopi, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos proviſionem ipſius Eccleſiæ ea vice diſpoſitioni noſtræ, & Sedi Apoſtolicæ duximus reſervandam, decernentes irritum, &c. uſque *attentari*. Sed poſtmodum dilectis filiis Archidiacono & Capitulo dictæ Eccleſiæ Raynerium de Monte magno ejuſdem Eccleſiæ Canonicum in Lucanum Epiſcopum de facto contra reſervationem hujuſmodi eligentibus, dictoque Raynerio hujuſmodi electioni de ſe factæ, utpote de facto præſumptæ, conſentire nolente, nos de ipſius Eccleſiæ Lucanæ ordinatione celeri, ne diu viduitatis ſubjaceret incommodis, ſollicite cogitantes, & cupientes illum eidem Eccleſiæ per noſtræ providentiæ ſtudium præſidere, de quo etiam haberemus notitiam, quod ipſum clara meritorum ſuorum inſignia redimirent, nec dubia eſſet ipſius caritas erga plebem ſuo regimini commendandam, & in cujus fide fida recumberet ſecuritas ſubditorum, ad perſonam tuam generis nobilitate conſpicuam, litterarum ſcientia, munditia vitæ, religionis obſervantia, ac honeſtate morum, & aliis virtutibus decoratam, direximus aciem noſtræ mentis, teque Ordinis Fratrum Minorum profeſſum, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, eidem Eccleſiæ Lucanæ præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi plenam in ſpiritualibus, & temporalibus committendo, tibique poſtmodum fecimus per venerabilem fratrem noſtrum N. Oſtien. & Velletren. Epiſcopum munus conſecrationis impendi, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod eadem Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam præſervabitur a noxiis, & adverſis, & grata, Deo auctore, ſpiritualiter & temporaliter ſuſcipiet incrementa.

§. III. Reverenter itaque ſuſcipe jugum Domini, & tua ejus oneri humiliter colla ſubmitte, & curam & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ Lucanæ prudenter exequi ſtudeas, & gregis tibi commiſſi cuſtodiam proſequi diligenter, ſolerter, & conſtanter oppoſiturus te murum pro domo Domini aſcendentibus ex adverſo, ut laudabili de grege ipſo coram Deo reddita ratione, Regnum ejus ab origine mundi paratum, cum electis acquirere valeas, lætabundus in dilecta Domini tabernacula moraturus.

Datum Anagniæ Kal. Auguſti anno VI.

XLVII.

Nobili mulieri Iſabellæ Principiſſæ Achayæ viduæ.

§. I. AFfluentis devotionis affectum, & zelum reverentiæ ſpecialis, quibus anteactis temporibus clara progenitorum tuorum imitando veſtigia, erga Romanam Eccleſiam claruiſſe dignoſceris, & ſtudiis clarere ſollicitis non deſiſtis, benignæ conſiderationis indagine perſcrutantes, dignum & rationi conſonum arbitramur, ut perſonam tuam uberibus proſequendo favoribus, petitionibus tuis benevolum impendamus auditum, & eas, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

§. II. Obla-

§. II. Oblata ſiquidem nobis tua petitio continebat, quod tu pridem ſalubri ducta conſilio, & ad felicitatis æternæ dulcedinem ferventer aſpirans, quoddam Monaſterium in diœc. Olenen. ad honorem divini numinis, ac pro tuæ & progenitorum tuorum, ipſorumque animarum ſalute conſtrui, ſeu ædificari feciſti opere plurimum ſumptuoſo, in quo decentem Monialium numerum Ordinis ſanctæ Claræ affectas inſtitui, ut in eo divinis inſiſtant obſequiis, & exerceant ſollicite opera pietatis; ſed propter gravia ſumptuum onera, quæ pro defenſione continua terræ tuæ, quam deteſtanda Græcorum ſchiſmaticorum nequitia in partibus illis degentium, auſibus violentis impetere ac multipliciter moleſtare non ceſſat, oportet, ut aſſeris, te ſubire, ſufficientes proventus, & redditus, nequis, prout geris in votis, eidem Monaſterio aſſignare. Quare ſupplici poſtulabas inſtantia, ut ſpecialem tibi gratiam facientes, Eccleſiam beatæ Mariæ de Camina momoratæ diœc. quam quondam Guillelmus Princeps Achayæ patruus tuus, de bonis propriis fundavit, pariter & dotavit, conſuetam per monachos Monaſterii ſanctæ Mariæ de Scruſaria Ordinis ſancti Benedicti Cephalunen. Diœc. gubernari, cum nonnulli ex eiſdem Monachis tam per diœceſanum, quam Metropolitanum loci, de dicta Eccleſia jamdiu expulſi fuiſſe noſcantur: nonnulli vero ex eis propria temeritate diſceſſerint ab eadem, ſicque jam longi temporis ſpatio Eccleſia ipſa remanſerit gubernatoris præſidio deſtituta, præfato Monaſterio per te, ſicut præmittitur, jam conſtructo de gratia ſpeciali concedere dignaremur.

§. III. Nos itaque pium, & in oculis divinæ Majeſtatis acceptum non immerito reputantes, ut in hac parte jam dicti Monaſterii commodis, & ejuſdem Eccleſiæ ſtatui providere utiliter ſtudeamus, tuis ſupplicationibus inclinati præfatam Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Camina, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis ubilibet conſtitutis, prædicto Monaſterio per te conſtructo, prout ſuperius eſt expreſſum, Apoſtolica auctoritate concedimus, & donamus de gratia ſpeciali ab eo perpetuis futuris temporibus poſſidendam. Tibi nihilominus apprehendendi & nanciſcendi per te vel alium ſeu alios corporalem Eccleſiæ, bonorum & jurium ac pertinentiarum prædictorum poſſeſſionem nomine Monaſterii ſupradicti, aſſenſu diœceſani loci minime requiſito, facultatem plenam & liberam tribuentes. Volumus autem quod Moniales prædictæ in eadem Eccleſia faciant per idoneum Vicarium continue deſerviri, reſervata ſibi congrua ipſius Eccleſiæ fructuum, reddituum, & proventuum portione, de qua ſuſtentari commode valeat, & ejuſdem Eccleſiæ onera ſupportare, jure diœceſani prædicti in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim nihilominus irritum decernimus & inane, ſi ſecus a quoquam ſcienter vel ignoranter in hac parte contigerit attentari. Nulli ergo, &c.

Datum Laterani Kalendis Novembris, anno VI.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABaga Rex Tartarorum a Pontifice poſtulat Apoſtolicos viros. 35. VIII. auxilium offert cootra Sarracenos. 36. IX. Ei ſuccedit Taogodomor in Imperio. 198. VI.
Abagaro Regi Edeſſæ mittitur Salvatoris Effigies. 146. XVIII.
Abbas Moyſacenſis Minoritis infeſtus. 95. XII.
Abbas Puppienſis beati Torelli ultimam excipit ſacrameotalem Confeſſiouem. 110. VI.
Abrahami Bzovii menda corriguntur. 17. VIII. 46. XVIII. 85. XXVI. 86. XXVII. 92. II. 102. VIII. 106. III. 159. V. 176. XII. 203. XIV. 231. I. 293. IV. 323. VIII. 350. XI. 390. XLVIII. ſeqq. 393. LII.
Accumuli Conventus. 274. XLV.
Accurſius de Accurſiis Ricardinæ Conventus Fuudator. 273. XXXVIII.
Adalbertus beatæ Salomeæ confeſſarius obit in Domino. 230. IX.
Adamus de Callao. 430. XVI.
Adamus de Comis Inquiſitor Provinciæ Romanæ. 398. III.
AdolphusComes evehitur ad Imperium. 296. IX.
Adriana ſoror ſanctæ Margaritæ Cortou. 376. XXIX.
Adrianus V. Pontifex eligitur. 1. I. moritur Viterbii. ibidem.
B. Ægidius Aſſiſias jacet Peruſii. 278. LIX.
Ægidius Beſſa Opera Petri Joannis Olivi expendit. 121. I.
Ægidius Delphinus ubi floruit. 167. XXI.
Æſinus Conventus. 301. XIX.
S. Africani Conventus. 279. LXIII.
Agapitus Pontifex Mooaſterii ſancti Silveſtri de Urbe privilegia coufirmat. 146. XVIII.
S. Agatha Cardinali Columoæ in funere beatæ Margaritæ apparet. 133. XI.
Agatha Monialis celebris. 422. V.
Agatha quædam Monaſterii Verduni fundatrix. 318. IX.
Agelli Conventus. 278. LVIII.
Aginenſis Conventus. 269. XXVI.
Agoes Abbatiſſa Barcinone moritur. 100. V. Corpus ejus transſertur. ibid. Ejus ſepulcrale Epitaphium. 101. V. VI.
Agnes Aſturica Clariſſis extruit Monaſterium. 328. XIX.
Agnes Boema miraculis fulget, & moritur. 122. II. & IV. agitur de ejus Canonizatione. ibidem.
Agnes a ſaocto Domiuico miraculis glorioſa. 329. XIX.
Agnes Kioneria tertii Ordinis. 7. II.
Agoes Lotharingiæ Ducis filia Clariſſa. 394. LIII.
Agnes Ludovici Imperatoris filia Monialis. 138. XXIII.
Agnes de Saladinis beati Cooradi Auſculani genitrix. 213. XXVII.
B. Agnius multa patrat miracula. 58. XXXVII. ejus transferuntur exuviæ ibidem.
Agrigeotl Cooventus. 428. XIII.
Alamaunus de Balueoregio Inquiſitor in Proviocia Romana. 181. XXII. Evehitur ad Archiepiſcopatum Arborenſem. 417. III. fitque Vicarius Urbis. ibidem.
Albenſis Conventus. 94. X.
Albertucius de Mangona Minorita. 351. XIII.
Albertus Auſtriacus Rex Romanorum renunciatus. 416. I.
Albertus Bavarus Minoritis Conventum Monachii tribuit. 224. XLVIII.
Albertus Goozaga Epiſcopus Iporienſis. 209. XXI.
Albertus Salonenſis Epiſcopus Templum Minorum Mooachii conſecrat. 224. XLVII.
Albertus de la Schala Inquiſitoribus auxilium præbet. 207. XVIII.
Aldemarius beatus vir. 246. XXIX.
Aldrudis pia fœmina. 131. VIII.
Alensbachenſe Monaſterium. 126. XIII.
Alevanii Cooventus. 281. LXVII.
Alexander Oliva Cardinalis. 245. XXVIII.
Alexander de Verulis Minorita Epiſcopus Theramenſis. 117. XX.
Alexaudrioum Mooaſterium. 246. L.
Alexandrinus Conventus. 225. XLIX.

Ale-

Alexius Sanſon ab hæreticis interemptus. 270. xxx.
Alides Conjux Jo: de Chaſtillon Monaſterium Guiſchiæ ædificat. 27. xxiii. 193. iv. Ejus pietas, & obitus. ibidem.
Allarizii Monaſterium. 248. xxxv.
Almericus de Monte Forti e carceribus liberatur. 84. xxiv.
Alphonſus Aragonius Nuncios ad Pontificem Minoritas mittit. 182. xxiv. Pontifex a ferendis in eum cenſuris abſtinet. ibid. Obit & cum habitu Minoritico ſepelitur. 298. xii.
Alphonſus de Betanzos ubi initiatus. 223. xlv.
Alphonſus Colona Epiſcopus duo ſacra Corpora transfert. 100. v.
Alphonſus a Fonſeca Oxamenſis Epiſcopus ſacellum in Eccleſia Minorum conſtruit. 246. xxx.
Alphonſus Gonzaga Turonis moritur. 189. xxxix.
Alphonſus Luſitanus Rex Minoribus addictus. 3. iii. concitatur in filium. 47. xix. fuit frater Dionyſii. 114. xiii. & Eccleſiaſticæ libertati infenſus. 208. xx.
Alphonſus Minorita Marochiorum Epiſcopus. 223. xlv.
Alvarus Pelagius Epiſcopus. 319. ix.
Amatricis Conventus. 274. xlv.
B. Amatus Anconitanus. 215. xxxi.
S. Ambroſius Pelagiam virginem laudat. 253. ii.
Ameriæ Conventus. 167. xxi.
Amiliani Conventus. 279. lxiii.
Amoniaci Conventus. 164. xv.
Anagnienſis Conventus. 246. xxix.
Anaſtaſius Turonens. 305. xxviii.
Anconæ Conventus Schalarum. 225. xlix.
Anconitanæ Urbi a Sarracenis devaſtatæ Nicolaus IV. ſuccurrit. 296. viii.
Andegavenſis Conventus. 143. xiv.
Andradeorum familia unde proceſſerit. 223. xlv.
B. Andreas Anagninus de Comitibus. 246. xxix. claret miraculis. 335. x. Ei apparet Carolus Andegavenſis. 336. x.
B. Andreas Ariminenſis miraculis glorioſus. 303. xxiv.
Andreas alius Ariminenſis jura Ordinis propugnat. 302. xxiii.
Andreas miſſus a Pontifice ad Tartaros. 36. viii.
Andreas Inquiſitor Provinciæ S. Franciſci. 398. iii.
Andreas de Iſernia vir doctrina præditus. 119. xxv.
Andreas de Plano. 57. xxxv.
Andreas Scaleſius. 429. xiii.
Andronicus Paleologi decreta Concilii Lugdunenſis confirmat. 11. iii.
Angelarius de Bentivenga ad Epiſcopatum Tudertinum promotus. 141. viii.
Angelerius Pater Cœleſtini V. 319. i.
S. Angeli in Camerino Conventus. 225. xlviii.
S. Angeli Papalis Conventus. 302. xxi. & Monaſterium. 307. xxxvi.
Angelus de Bolſena ad Ducem Mediolanenſem Nuncius a Pontifice miſſus. 283. lxxvii.
Angelus Clarenus miraculoſe litteris græcis inſtruitur. 217. xxxiv. fuit Præceptor Simonis de Caſſia. ibid. miſſus ad Regem Armeniæ. 236. x. abit cum aliis Minoritis in Græciam. 324. ix.
Angelus Curiæ Advocatus aſſiſtit Pontifici Regulam explicanti. 73. x.
Angelus Gregorii de Gualdo teſtimonium de Indulgentia Portiunculæ reddit: 25. xxviii.
Angelus Reatinus Inquiſitor in Romana Provincia. 181. xxii. 262. xiv.
B. Angelus ſocius ſancti Franciſci apparet Joanni de Monte ſanctæ Mariæ. 216. xxxii.
Angelus de Tuderto diœceſis Spoletanæ Inquiſitor. 262. xiv.
Angelus Urbevetanus Nuncius ad Paleologum. 29. ii.
Anichohamini Reginæ Tartarorum Pontifex mittit Epiſtolam. 256. vi.
Anima rationalis eſt forma corporis. 385. xlii.
Anonymæ quædam Sorores Tertii Ordinis. 7. ii.
Anſaldus Buſſerius Hortum Conventui Savonenſi donat. 280. lxv.
S. Antheri Corpus ubi tumulatum. 148. xx.
S. Antoninus quid ſentiat de iis qui ſeipſos interimunt. 253. ii.
Antonius Burgenſis vir Dei. 164. xv.
Antonius de Garignano. 225. xlix.
Antonius de Luca Concionator & Scriptor inſignis. 418. v.
Antonius Mediolanenſis a Sarracenis interemptus. 188, xxxvi.
Antonius quidam Minorita Burgundus miraculis clarus. 415. ii.
Antonius Nietus. 223. xlv.
Antonius de Parma a Pontifice miſſus ad Tartaros. 36. viii.
S. Antonius Patavinus cum ſancto Franciſco languentem ſanat. 117. xviii. aliam a gravi tentatione liberat. 141. vii. ſuam Imaginem expungi non ſinit. 351. xiv. duodecim convertit Prædones. 300. xvi.
Antonius Romanus prophetiæ dono præditus. 306. xxxii.

An-

Antonius de Rupe ab hæreticis necatus. 270. xxx.
Antonius Siſſiraga fundator Conventus Laudenſis. 154. viii.
Antonius de Turno ab hæreticis pro fide occiſus. 95. xii.
Antonius de Valentia Epiſcopus Cajetanus. 417. iv.
Antonius de Velon. 247. xxx.
Antonius Vercellenſis. 245. xxvii.
Antonius de Villacre Exuvias beati Lupi transfert: 264. xix.
Apamiæ Conventus. 282. lxxii.
S. Apollonia in flammas ultro ſe projicit. 253. ii.
Appiani Conventus. 87. xxix.
Aquæ benedictæ virtus. 117. xix.
Aquaſpartanus Conventus. 246. xix.
De Aquaviva Familia Conventus Ebolenſis fundatrix. 306. xxxii.
Aquæ vivæ Conventus. 87. xxix.
Aquinus Dux Norvegiæ fundum Minoritis pro Cœnobio conſtruendo concedit. 271. xxxiii.
Aracœli Conventus. 393. lii. *Vide Tom. 3. ad ann.* 1251.
Aragonenſium erga Franciſcanos pietas. 58. xxxvii. inter eos, & Gallos pax firmata. 331. i.
Arbogenſis Conventus. 224. xlvi.
Ardmacanus Conventus. 271. xxxii.
Argellatæ Conventus. 137. xx.
Argentinæ Conventus. 309. xlii.
Argo Rex Tartarorum ab inſidiis Patrui liberatus. 128. ii. pro eo regnat. ibid. & 199. vi. valde Chriſtianis addictus. ibid. ad eum ſcribit Nicolaus Pontifex. 195. ii. & 255. v. ad fidem convertitur. 198. vi. commendatur. 199. vi.
Arimini Civitas interdicta. 303. xxiv.
Ariminenſis Conventus. 302. xxiii.
Arlottus de Prato Miniſter Generalis Ordinis renunciatus. 140. iv. obit in Domino, & commendatur. 150. i.
Armeniæ Regi Pontifex Nicolaus ſcribit. 199. vii. V. *Epiſtola. Hayto.* Minoritas ad eum Pontifex mittit. 128. ii. 199. vii. 236. x. Et ipſe ad Pontificem, alioſque Principes. 291. i.
Arminilaus Parens Nicolai IV. Pontificis. 295. viii.
Arnaldus Martinus de Bordis Minoribus Conventum, & Clariſſis Monaſterium ædificat. 318. viii.
Arronenſis Conventus. 280. lxvii.
S. Arthemiæ Corpus quo loco tumulatum. 148. xx.
Aſtæ tria Monialium Monaſteria. 230. vii. Civitatem Minoritæ ab interdicto abſolvunt. 56. xxxiii. Cives Cœnobium eis conſtruunt. 156. iv.
Aslojenſis Conventus. 271. xxxiii.
Aſtrivilliani, ſive Caſtrivilliani Conventus. 167. xxi.
Auguſtinenſes a Minoritis reformati. 56. xxxiii. Eis Conventus Minorum Cæſarauguſtæ conceſſus. 58. xxxvii. quidam ex eis Concionator in Franciſcanos invehitur. 83. xxii.
S. Auguſtinus dubium explicat de morte Sampſonis. 253. ii.
Avilleſii Conventus. 247. xxxi.
Avinionenſis Conventus. 244. xxvii. & Monaſterium. 248. xxxiv.
Aureæ Vallis Monaſterium. 249. xxxvi.
Aurelianenſis Conventus. 164. xv.
Aurienſis Conventus. 166. xix.
Auſtriæ Conventus. 87. xxix. 137. xx.
Auxiliani Conventus. 414. xli.
Auximanus Conventus. 304. xxv.

B

BAjonenſis Conventus. 120. iii. & Monaſterium. ibid.
Baito Tartarus Chriſtianis addictus. 199. vi.
Balaba de Janua Regis Tartarorum interpres. 173. viii.
Baldus quidam Magiſter. 306. xxviii.
Balneoregii Conventus. 272. xxxv.
Balthaſſar de la Hoz beati Lupi exuvias in decentiorem locum transfert. 264. xix.
Bandinus de Comitibus ſanctæ Floræ Franciſcanus. 351. xiii.
Bandogabar Sarracenus in bello interfectus. 291. i.
Baptiſmi ſacramenti quanta virtus. 135. xvi.
Baptiſta Varana Camerini Princeps Clariſſa. 308. xxxvii.
Barbaſtri Conventus. 243. xxv.
Barbezilii Conventus. 61. i.
Barnabas Malaſpina Minorita. 351. xiii.
Barri Conventus. 393. lii.
Bartholomæus de Amelia Legatus ad Imperatorem. 45. xvi.
Bartholomæus Baſſius Theologiæ Magiſter. 302. xxiv.
Bartholomæus de Buſchettis Nepoti in Epiſcopatu ſuccedit. 165. xviii.
Bartholomæus Cimarella. 306. xxxiii.
Bartholomæus de Gallicano Margaritam Columnenſem glorioſam videt. 133. xi.
Bartholomæus de ſancto Gemino ad bella compeſcenda a Pontifice miſſus. 91. i.
Bartholomæus de Groſſeto ad Regem Angliæ a Pontifice miſſus. 231. i. Inquiſi-

quiſitor Urbevetanus, & Provinciæ Romanæ inſtituitur. 262. xiv. Conſecrat Eccleſiam Suberreti. 190. xl. Moritur. 262. xiv.

Bartholomæus de Macerata Commiſſarius Generalis in Luſitania. 275. xlvii.

Bartholomæus Malateſta Epiſcopus. 303. xxiv.

Bartholomæus Minorita quidam Inquiſitor in Tuſcia. 207. xviii.

Bartholomæus Puccius fulget virtutibus, & miraculis. 239. xvi.

Bartbolomæus Roverius. 280. lxv.

B. Bartholus de ſancto Geminiano Tertii Ordinis. 424. iv. nobili ortus proſapia. ibid. præludia nativitatis ejus. ibid. Admiranda pueritia ibid. cum Monachis converſatur. ibid. Ejus pœnitentia. 425. iv. hoſpitalitas. 425. v. patientia. 426. vii. virtus in tribulatione. 426. viii. & caſtitas. 425. v. cnutra quam a fœmina ſtimulatur, & a Dæmone. ibid. Presbyteratu inſignitur. ibid. Apparet ei Chriſtus. 425. iv. & v. quem hoſpitio recipit. ibid. & horam mortis prædicit. 427. ix. Fœda lepra percutitur. 426. vii. multis fulget ante, & poſt mortem miraculis. 426. viii. 427. x. ſeqq. Ei ſanctus Geminianus apparet. 427. ix. in Domino quieſcit. ibidem. Qui de eo ſcripſerunt. 428. x.

Bartholus de Saxoferrato Juriſconſultus laudatur. 245. xxviii.

Baſilienſe Monaſterium. 6. viii.

Beatrix de Brhannia Comitiſſa Minoritis addicta. 118. xxii.

Beatrix Fliſca pietate, & ſanguine nobilis. 527. i.

Beatrix Lucemburgenſis Comitiſſa facultatem obtinet plura Monaſteria ingrediendi. 249. xxxvi.

Bellarminus Cardinalis perperam Nicolao IV. Regulæ ſancti Franciſci attribuit explicationem. 74. x.

Belliloci Monaſterium. 308. xl.

Belnenſis Conventus. 352. xv.

Belluni Conventus. 223. xlvi.

Beltrana Duerta erga Minores pientiſſima. 58. xxxvii. Triclinium Conv. Cæſarauguſtani conſtruit. 59. xxxvii. quando mortua. 226. l. ubi tumulata. ibidem.

Benedictini Monaci Conventum Montis Alcinoi Minoribus largiuntur. 545. xvi.

S. Benedictus Abbas Sublaci Incola. 281. lxxi.

Benedictus Aretinus ſocius ſancti Franciſci moritur, & laudatur. 92. ii.

Benedictus Cajetanus collaborat Nicolao III. in explicanda Regula. 73. x. Eamdem explicationem promulgat, & corpori Juris inſerit. 74. x. V. *Bonifacius VIII.* a Pontifice in Gallias mittitur. 254. iii.

Benedictus de Eſtercio pietate clarus. 421. ii.

Beneventi Conventus. 394. lii.

B. Benevenuta Anconitana. 313. xii.

Benevenuta quædam Minoribus Cœnobium concedit. 223. xlvi.

S. Benevenutus Anconitanus Epiſcopus Auximanus. 3. iv. Ejus Parentes, & Proſapia. ibid. ad inſulas Pontificias evebitur. 4. iv. ſed antea Regulam Minoriticam vovet. 4. iv. Ejus obitus, & Canonizatio, ibidem. Sacrum corpus e ſublimi ſepulcro divertit. ibid. quinam de eo ſcripſerint. ibidem.

S. Benvenutus Eugubinus Epiſcopus a Pontifice legatus ad plures Reges miſſus. 46. xviii. & ad Rodulphum Imperatorem. 231. i.

Benvenutus de Recineto miræ pietatis vir. 217. xxxiii.

Beniſovu Conventus. 421. iii.

Bentivenga de Bentivengis Tudertinus Epiſcopus. 5. vi. ad Cardinalitiam dignitatem evehitur. 49. xxiii. Moritur Tuderti. 223. xliv.

Berengelius de Bardeoxi Epiſcopus Conventum Oſcenſem auget. 94. x.

Bergenſis Conventus. 272. xxxvi.

Bernardi a Viridante oſſa transferuntur. 58. xxxvii.

Bernardinus a Gualdo. 278. lix.

Bernardus Aſteriacenſium Comes Cœnobium Minoritis ædificari curavit. 125. xii.

Bernardus de Beſſa ſancti Bonaventuræ ſocius. 55. xxxi.

Bernardus a Burdigala domum Minoribus donat. 190. xl.

Bernardus Carcaſſonæ Epiſcopus ad divinum judicium vocatus. 153. vii.

Bernardus de Colle eximius Theologiæ Magiſter. 298. xii.

Bernardus Peregrinus Barcinonenſis Epiſcopus. 188. xxxvii.

Berſaumas miſſus ab Argone Tartaro ad Pontificem. 169. iii.

Bertholdo Urſino a Pontifice Bartholomæus Minorita miſſus. 91. i.

Bertrandus Archiepiſcopus Elbreodunenſis Minoritis pro Cœnobio locum parat. 281. lxvii.

Bertrandus de Bajona vir eximius. 320. iii.

Bertrandus Berengarius poſt obitum beato Rogerio apparet. 164. xiv.

Bertrandus de Clgoterio Inquiſitor. 232.

iv. ei

iv. ei committitur examen Operum Olivi. 236. xi.
Bertrandus Dorteille Conventus Aggienſis Guardianus. 269. xxvi.
Bertrandus Gallus Cardinalis. 3. ii.
Betanzos Conventus. 223. xlv.
Bevanii Conventus. 281. lxvii.
Bethuniæ Conventus. 272. xxxiv.
Bindus de Senis ſcientia & virtute præclarus. 418. v.
Binii mendum corrigitur. 74. x.
Biterenſe Monaſterium. 96. xv.
Bituntinus Conventus. 137. xx.
Bituricenſis Epiſcopus ob locupletatos nepotes damnatus. 153. vii.
Bizochi qui dicebantur. 376. xxx. Minoritis in eos inquiſitio injungitur. ibid.
Blancha filia Ludovici Regis Galliæ Monaſterium Clariſſarum ingreditur. 153. vi.
Blancha Regina Navarræ Monaſterium Stellæ auget. 226. l. aliud Nogenti conſtruit. 420. xi. Conventus Politii fundatrix creditur. 318. viii.
Blaſius Anconitanus Magiſter. 305. xxx.
Bobii Conventus. 244. xxvii.
Boemiæ Rex Ottogarus moritur. 49. xxiv.
Boguslaus a ſecretis beatę Salomeæ obit. 421. iii.
Boleslaus Pius plurium Cœnobiorum fundator. 69. v.
Boleslaus Pudicus Franciſcanis addictiſſimus. ibid. & 90. iv.
Bolſenæ Conventus. 283. lxxvii.
Bonafinius de Senis plura edidit poſt obitum miracula. 239. xvi.
Bonagratia de ſancto Joanne Generalis Miniſtri vice fungitur. 16. vi. floret doctrina, & virtute. 55. xxxi. in Miniſtrum Generalem eligitur. 72. viii. petit a Pontifice Protectorem. 72. viii. Regulam explicatam in Provincias evulgat. 75. xi. vetat ne denarii in Æde Portiunculæ recipiantur. 101. vii. indicit Argentinæ Generalia Comitia. 107. i. Doctrinam Petri Joannis Olivi expendit. 121. i. Moritur. 122. i. multos miſit Fratres in Armeniam, & Aſiam. 128. ii.
Bonagratia de Pergamo. 224. xlvii.
Bonajuncta de Mantua Inquiſitor in Marchia Tarviſina. 262. xiv. & in aliis partibus dominii Veneti. 292. iv. Contradictores Dominicanos habet. 262. xiv.
Bonaventura Carolus Fabrianen. quemdam Agrum Minoritis donat. 306. xxxiii.
Bonaventura Comes de Monte Dolio Minorita. 351. xiii.

Bonaventura Parmenſis Archiepiſcopus Raguſinus. 101. viii.
Bonaventura Vivarucius partem Conventus Auſtriæ collabentem reſtaurat. 137. xx.
Bonifacius Comes de Depnonaco Minorita. 351. xiii. fit Epiſcopus in Sardinia. ibidem.
Bonifacius VIII. Summus Pontifex renunciatus. 323. viii. infauſta ſigna in ejus Coronatione apparent. ibid. Inter Gallos, & Aragonios Pacem firmat. 331. i. ejus Epiſtolæ. 340. i. V. *Epiſtola*. Regulam ſanctæ Claræ Monialibus de Pietate concedit. 340. i. Siciliam Carolo Claudo tradere cupit. 345. i. incaſſum ſancti Antonii imaginem expungi jubet. 351. xiv. Sanctum Ludovicum Regem Sanctorum canoni aſcribit. 365. xx. Mittit Generales Prædicatorum, & Minorum ad ſtabiliendas inducias inter Gallum, & Flandrum. 397. i. alios Minoritas Inquiſitores inſtituit. 397. ii. Albertum Auſtriacum Regem Romanorum confirmat. 416. i. Promulgat Jubilæum. 423. i. Obſervandas conventiones inter Parochus, & Fratres decernit. 395. i. Mandat non permutari Conventus abſque Sedis Apoſtolicæ facultate. 395. ii. V. *Benedictus Cajetanus*.
Bonifacius Ravennas Archiepiſc. inſtrumentum Imperatoris ſubſcribit. 43. xiv.
Bonjoannes Epiſcopus Laudenſis Eccleſiam Laudenſem Minoritis concedit. 154. viii.
Bonincontro de Vaſtavillanis Conventum Argellatæ conſtruit. 137. xx.
Bonromæus de Bonromæis ſpiritu prophetico clarus. 239. xvi.
Boſnenſe Regnum Inquiſitionem recipit. 260. xi.
Brageriacenſis Conventus. 245. xxvii.
Brugenſe Monaſterium. 1227. l.
Bulgarorum Imperatori, & Archiepiſcopo mittit Pontifex ſuas Epiſtolas. 258. ix.
Burdigalenſe Monaſterium. 248. xxxv.
Burgi ſancti Laurentii. 275. xlviii.
Burgenſe Monaſterium. 284. lxxxi.
Buſleria Familia fundum pro Cœnobio Savonenſi emit. 280. lxv.
Bzovius. V. *Abrahamus*.

C

CÆcilia Clariſſa virtute præclara. 150. iii.
Cœleſtinus V. ad ſummum Pontificatum eve-

evectus. 319. i. Decretum ejus electionis. 320. i. epiſtola Cardinalium ad ipſum. 330. ii. invitus dignitatem acceptat. 321. iii. Coronatus Aquilæ. ibid. tanto muneri non videtur idoneus. 322. iv. ipſum propterea renunciat. 322. vi. redit ad ſolitudinem. 323. vii. quatuor menſium & anni ſpatio carcere incluſus vivit. 323. vii. canonizatur. ibidem. ejus epiſtolæ. V. *Epiſtola*.
Cæſarauguſtanus Conventus. 58. xxxvii.
Caliſtus III. Minoribus Fabriani præcelſum ædificium largitur. 119. xxiv.
S. Caloceri corpus ubi requieſcit. 148. xx.
Cameracenſis Conventus. 287. xcviii.
Camerani Conventus. 305. xxx.
Camerini Conventus. 224. xlviii. & Monaſterium. 307. xxxvii.
Camerini Epiſcopus Rambortus primum lapidem Eccleſiæ Fabriani benedicit. 119. xxiv.
Camberonenſe Monaſterium. 249. xxxvi.
Cameſſonus nobilis vir Conventum Caſtillionenſem auget. 59. xxxviii.
Campagnus vir magnæ ſanctitatis. 217. xxxiii.
Campiniani Conventus. 277. lvi.
Canarii Monaſterium. 283. lxxix.
Cauturii Conventus. 225. xlix.
Capitulum generale. V. *Comitia generalia*.
Caprione Conventus. 275. xlvi.
Caprignanenſes Domini Conventum Caprionis fundant. 275. xlvi.
Carcoſſonæ Monaſterium. 248. xxxv.
Carolus Andegavenſis Cœleſtinum rogat ut Pontificatum accipiat. 321. iii.
Regnum Siciliæ perdit. 134. xv. moritur 140. iii.
Carolus Blaſenſis ſanctitate clarus. 125. xi.
Carolus Claudus in bello captivus. 135. xv. liberatur, & quibus legibus. 182. xxv. Rex coronatur Siciliæ, & Apuliæ. ibidem. promiſſa facit. 183. xxv.
Carolus IV. Imperator pro canonizatione beatæ Salomeæ inſiſtit. 123. iv.
Carolus V. Imperator. Minoribus quoddam privilegium concedit. 94. x.
Carolus VI. Rex Francorum canonizationem Caroli Bleſenſis ſollicitat: 125. xi.
Caſſiæ Conventus. 280. lxvii.
Caſſini Conventus. 281. lxx.
Caſſiano Regis Tartarorum filio Pontifex ſcribit. 257. vii.
Caſtellæ Rex nequit a Pontifice diſpenſationem obtinere. 208. xx.
Caſtelli Durantis Conventus. 190. xl.
Caſtilionenſis Conventus. 6. viii.
Caſtilionis Burgundiæ Conventus. 59. xxxviii.
Caſtinus Minorita Monaſterium Monachii extruit. 137. xxiii.
Caſtri Ficardi Conventus. 305. xxx.
Caſtri Milii Conventus. 301. xx.
Caſtri Novi Darii Conventus. 318. viii.
Caſtri Ordialis Conventus. 273. xl.
Caſtri Plebis Conventus. 246. xxix.
Caſtri Villani Conventus. 167. xxi.
Caſtrorum Conventus. 270. xxix.
Catalanus beatus Vir. 128. iii. 304. xxv.
S. Catarina Cardinali Columnæ in funere beatæ Margaritæ apparet. 133. xi.
Catarina filia Philippi Imperatoris. 182. xxiii.
Catarina Philippi Conſiliarii Regis Hiſpanarum uxor apud Minores tumulata. 59. xxxvii.
Caydono Tartarorum Principi ſcribit Nicolaus IV. 197. iv. ad fidem convertitur. 198. vi.
Cerreti Conventus. 280. lxvii. 420. x.
Caſtaciarii Conventus. 352. xv.
Charus Minorita Inquiſitor in Tuſcia. 207. xviii.
Chiappettæ Conventus. 94. ix.
Chiavellorum Familia Fabrianenſis. 119. xxiv.
Chonelengis Conventus. 271. xxxiii.
S. Chriſanti corpus ubi conditum. 148. xx.
S. Chriſoſtomus Pelagiam virginem laudat. 253. ii.
Chriſtiani multi a Sarracenis interfecti. 252. i.
Chriſtierna Duciſſa Hetruriæ beatificationem Margaritæ Cortonenſis ſollicitat. 376. xxviii.
Chriſtophorus a Capite Fontium Cæſarienſis Archiepiſcopus. 117. xxi.
Chriſtophorus Gittius Eccleſiam Minorum Leoniſſæ ædificat. 104. xii.
Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem primo beatæ Virgini apparuit. 216. xxxi. ejus meritorum valor. 123. vi. Tironibus duobus apparet. 239. xv. continuo a peccatoribus cruci affixus. 373. xxiv. poſt mortem vulneratus in latere. 386. xliv.
Ciaconi corriguntur errores. 46. xviii. 48. xx. 49. xxxii. 295. viii.
Cibattolii Conventus. 278. lviii.
Ciceſtri Conventus. 273. xlii.
S. Cirillæ corpus ubi ſepultum. 148. xx.
Citernæ Conventus. 273. xli.
Civitellæ Conventus. 137. xxii. 278. lviii.
Civitatis Novæ Monaſterium. 284. lxxxv.

Clara Neptis beatæ Agnetis Barcinonenſis moritur. 100. v.
S. Claræ ſolemnia novis hymnis celebrantur. 299. xv.
Claræ Conventus. 282. LXXIII.
Clariſſæ non tenentur ſolvere decimas. 149. XXII. 229. VI. 249. XXXVII. 288. CI. 340. XIX. poſſunt de bonis illicite aquiſitis eleemoſynas accipere. 292. XLIV. multis indulgentiis ditantur. 268. XXV. ſeqq. aliiſque privilegiis. 339. XVIII. 354. XX. 355. 21. 192. XLIV. *Vide in fine quorumlibet annorum, & præſertim in Additionibus Meliſſani*. Earum cura Minoritis demandata. 394. LV. Ptolemaidis pro fide a Sarracenis occiſæ. 252. I. earum Monaſteria. V. *Monaſterium*.
Clarus de Florentia ſcientia & pietate celebris. 418. v.
Clemens Groſſus Cardinalis. 280. LXV.
Clemens Bontadoſius Epiſcopus. 281. LXVII.
Cognacenſis Conventus. 189. XL.
Colongenſe Monaſterium. 190. XLI.
Columua Antoniana de Urbe. 149. XXI.
Comenſis Conventus. 26. XXII.
Comitia generalia Anagniæ. 348. VIII. Argentinæ. 107. I. 120. I. Aſſiſii. 70. VI. 209. XXII. 89. III. Lugduni. 419. VI. Mediolani. 140. IV. Montis Peſſulani. 158. IV. Pariſienſe. 298. XXIII. Patavii. 16. VI.
Compagnus de Burgo. 24. XVII.
Compoſtellanum Monaſterium. 226. L.
Conatius Macuarta a quodam hæthérodoxo interemptus. 271. XXXII.
S. Conciliæ corpus quo loco tumulatum. 148. XX.
Concilium Lugdunenſe a Paleologo acceptatum. 11. III.
S. Concordiæ corpus ubi conditum. 148. XX.
Condomienſis Conventus. 270. XXVIII. & Monaſterium. 283. LXXVIII.
B. Conradus Aſculanus Piceni Provinciam illuſtrat. 222. XXVII. quo anno ortus, quibuſve parentibus. 213. XXVII. ejus adoleſcentia. ibid. fuit Hieronymo Aſculano familiaris. ibidem. in Africa verbum Dei prædicat. 213. XXVIII. in Galliam pergit. 214. XXIX. inde iterato in urbem. 214. XXX. Lutetiæ ſacram Theologiam docet. ibid. ejus virtutes. 213. XXVIII. imaginem Virginis miraculoſam defert. 214. XXIX. febre corripitur. 215. XXX. pie moritur. ibidem. claret miraculis. ibid.
Conradus Mindenſis Epiſcopus quando mortuus. 394. LII.
Conradus Offidanus Infantulum Jeſum ulnis recipit 216. XXXI. ab obedientia Generalis Miniſtri recedit. 324. IX. confugit ad Cœleſtinum V. ibid. fuit abſtinentia, & ſanctitate clarus. 421. II.
Conradus Nocylkaimua vir ſanctiſſimus. 95. XI.
Conradus Saxo, & alius Conradus Martyres. 128. II.
Conradus Spoletanus ab obedientia Generalis Miniſtri recedit. 324. IX.
Conradus a Tubinga Imperatoris Nuncius ad Pontificem. 43. XIV. Eccleſiæ Tullenſis Epiſcopus creatur. 86. XXVII. dignitatem renuuciat. ibid. moritur. 348. VII.
Conſtantia Aragoniæ Regina Franciſcanis valde addicta. 115. XVII. habitum ſanctæ Claræ ſuſcipit. 242. XXIII.
Conſtantia de Caſtanea Minores diligit. 288. C.
Conſtantia de Caſtro miraculis fulget. 166. XX. ejus corpus incorruptum inventum. 167. XX.
Conſtantinus Bargellinus Lucenſis Antiſtes. 226. XLIX.
Conſtantinus Larcharius Minoritis pro conſtruendo Cœnobio fundum aſſignat. 94. IX.
Conventus Accumuli, 274. XLV. Æſinus. 301. XIX. ſancti Africani. 279. LXIII. Agelli. 278. LVIII. Aginenſis. 269. XXVI. Agrigenti. 428. XIII. Albenſis. 94. X. Alevanii. 281. LXVII. Alexandrinus. 225. XLIX. Amatricis. 274. XLV. Ameriæ. 267. XXI. Amiliani. 279. LXIII. Amoniaci. 164. XV. Auagoienſis. 246. XXIX. Anconæ Scalarum. 225. XLIX. Andegavenſis. 143. XIV. ſancti Angeli in Camerino. 225. XLVIII. ſancti Angeli Papalis. 302. XXI. Apamiæ. 282. LXXII. Appiani. 87. XXIX. Aquævivæ. 87. XXIX. Aquaſpartanus. 246. XIX. Aracœli. 393. LII. Arbogenſis. 224. XLVI. Ardmacani. 271. XXXII. Argellatæ. 137. XX. Argentinæ. 309. XLII. Ariminenſis. 302. XXIII. Asloenſis. 271. XXXIII. Avenionenſis. 244. XXVII. Avilleſii. 247. XXXI. Aurelianenſis. 164. XV. Aurienſis. 166. XIX. Auſtriæ. 87. XXIX. 137. XX. Auxiliani. 414. XLI. Auximanus. 304. XXV. Bajonenſis. 120. III. Balneoregii. 272. XXXV. Barbaſtri. 243. XXV. Barbezilii. 61. I. Barri. 393. LII. Belluni. 223. XLVI. Belnenſis. 352. XV. Beneventi in Regno Neap. 394. LII. Beniſovii. 421. III. Bergenſis. 272. XXXVI. Betanzos. 223. XLV. Bethuniæ. 272. XXXIV. Bevanii. 281. LXVII. Bituntinus. 137. XX. Bo-

Bobii . 244. xxvii. Bolſenæ . 283.
lxxvii. Brageriacenſis . 245. xxvii.
Burgi ſancti Laurentii . 275. xlviii.
Cæſaraugustanus . 58. xxxvii. Came-
racenſis . 287. xcviii. Camerani . 305.
xxx. Camerini . 224. xlviii. Campi-
niani . 277. lvi. Canturii . 225. xlix.
Caprinne . 275. xlvi. Caſſiæ . 280.
lxvii. Caſſini . 281. lxx. Caſtaciarii .
352. xv. Caſtelli Durantis . 190. xl.
Caſtilionenſis . 6. viii. Caſtilionis Bur-
guudiæ . 59. xxxviii. Caſtri Ficardi .
305. xxx. Caſtri Milii , ſive Æmilii .
302. xx. Caſtri Novi Darii . 318. viii.
Caſtri Ordialis . 273. xl. Caſtri Ple-
bis . 246. xxix. Caſtri Villani . 167.
xxi. Caſtrorum . 270. xxix. Cerreti .
280. lxvii. 420. x. Chiappettæ . 94. ix.
Chonclengis . 271. xxxiii. Cibatollii .
278. lviii. Ciceſtri . 273. xlii. Citer-
næ . 273. xli. Civitellæ . 137. xxii.
278. lviii. Claræ . 282. lxxiii. Co-
gnacenſis . 189. xl. Comenſis. 26. xxii.
Condomieuſis 270. xxviii. Corbii. 277.
liv. Corcinii. 421. iii. 274. xliii. Cori-
naldi . 306. xxxiii. Cornvetanus . 270.
xxviii. Cnſignani . 104. xii. Decii .
246. xxix. Deidoni . 137. xx. Dieuſis .
164. xv. Donecaſtriæ . 245. xxvii.
Dundalci . 118. xxiii. Eboli . 306.
xxxii. Eboracenſis. 246. xxix. Enaten-
ſis . 276. l. Engnliſmenſis . 118. xxii.
Eremitæ Arnulphorum . 280. lxvii.
Etorbonachenſis. 328. xviii. Eugubii.
274. xlvi. Fabrianenſis transfertur .
319. xxiv. Faleroni . 167. xxi. Faleſiæ.
189. xxxviii. Figiaci . 246. xxix. Fle-
sburgenſis. 280. lxvi. Floreutinus ſan-
ctæ Crucis . 328. xvii. Fnrmiſuii. 302.
xxiii. Foroſempronii . 305. xxix. ſan-
cti Franciſci in Monte . 279. lxiv.
Friaſtenſis . 273. xxxix. Furcenſis . 6.
viii. Garignani . 225. xlix. ſancti Ge-
neſii . 429. xv. Glacenſis . 421. iii.
Grayacenſis. 272. xxxvii. Grahanenſis.
246. xxix. Gualdi . 125. xii. Guincam-
pienſis . 125. xi. Hannnverii. 394. lii.
Hiſdinenſis . 245. xxvii. Jaderenſis .
275. xlix. Jani . 280. lxvii. De luſula .
339. xvii. Inſulæ Jordanis . 190. xl.
Iporienſis . 246. xxix. Juliæ Pacis. 244.
xxvi. Kaldegenſis . 279. lxi. Konoleu-
gis . 271. xxxiii. Landſutenſis . 95. xi.
Laudenſis . 154. viii. Lauſanenſis. 225.
xlix. Lautrici . 270. xxx. Ledonenſis .
246. xxix. Leonani . 305. xxviii. ſan-
cti Leonis . 305. xxviii. Leoniſſæ. 104.
xii. Liburni . 167. xxi. Limiricenſis .
276. li. Lincopenſis . 224. xlvi. Liſ-
ſordenſis . 245. xxvii. 247. xxxii. Lo-
mnlenſis . 244. xxvii. Lucanus . 225.
xlix. Lucigniani . 302. xxii. Luniani .
305. xxviii. Mabilonenſis . 277. lx.
Maceratæ . 275. xlvii. ſanctæ Mariæ
Venetiis . 245. xxvii. ſancti Marini .
305. xxviii. Marſciani . 278. lviii.
Marmardenſis . 269. xxvii. Marſalæ .
394. lii. Maſſilienſis . 244. xxvii. Ma-
tiſcnni . 330. ii. ſancti Maxentii. 422.
iv. Mazariæ . 276 lii. Medicinenſis .
288. xcix. Mercatelli . 273. xli. Me-
ſtranenſis . 271. xxxiii. Mimatenſis .
277. liii. Mirandæ . 125. xii. Molliа-
ni . 429. xv. Mnnachii . 224. xlvii.
Mnnaſterienſis . 189. lviii. De Monti-
cellis . 278. lx. Monticull . 304. xxvi.
Montionenſis . 95. xiii. Mnntis Alci-
noi . 145. xvi. Mnntis Alti . 273. xlii.
Mnntis Calerii. 281. lxx. Montis Com-
patrum . 282. lxxv. Montis Flaſconis .
272. xxxv. 280. lxvii. Montis Jovis .
283. lxxvii. Montis Leonis . 94. ix.
Montis Luponi. 309. xlii. Montis Ma-
cellarum . 245. xxvii. Mnntis ſancti
Martini . 280. lxvii. Montis Milo-
num . 429. xv. Montis Nnvi . 306.
xxxiii. Montis Peruſii. 278. lix. Mon-
tis Podii . 306. xxxiii. Montis Rega-
lis . 246. xxix. 279. lx. Motnnis . 273.
xli. Muri . 225. xlix. 275. xlvii: Na-
neti . 352. xv. Narbonenſis . 164. xv.
Nauli . 277. lv. Neſtrwith . 279. lxii.
Neyriaci . 270. xxviii. Ninſtaldienſis.
277. lvii. Nymphæ . 307. xxxv. Nior-
tii . 28. ii. Nociti . 428. xii. Novidarii.
318. viii. Nucerinus . 167. xxi. Nu-
garoli . 27. xxii. Occoſii . 280. lxvii.
Opavienſis . 421. iii. Opolienſis ibid.
Oſceuſis . 94. x. Otonienſis. 277. lvii.
Oxonienſis . 354. xix. Pacis in Bono-
nienſi Provincia . 420. x. De Penna
ſaucti Joannis . 275. xlvii. Petragori-
ceuſis . 244. xxvii. Pezzoli . 338. xvi.
Pictavienſis . 164. xv. Piperni . 307.
xxxiv. Piſaurieuſis . 305. xxxi. Pitilia-
ni . 281. lxviii. Placentiæ . 57. xxxvi.
Plani Caſtanearum . 57. xxxv. Podii
Canoſæ . 87. xxix. Pnlitii . 318. viii.
Pnrtus Gruarii . 104. xii. Pnſonienſis.
94. x. Preggienſis . 278. lix. Pyrenſis.
304. xxvi. Pyzdrenſis . 28. ii. Rapiſta-
ni . 95. xii. Reatinus . 326. xlix. Re-
dnnii . 167. xxi. 164. xv. Rhegii Lepi-
di . 352. xvi. Riccardinæ. 272. xxxviii.
Ripæ Tranſonis . 275. xlvii. Rodigii .
309. xlii. Roſſeuſis in Lagenia . 429.
xvi. Sagani . 432. iv. Sagunti . 328.
xviii. Salieuſis. 246. xxix. Salmuri. 95.
xii. Saltarienſis . 304. xxvii. Samata-
rienſis. 6. viii. Sangueſæ. 429. xiv. Sa-
rinienæ. 95. xiii. Savonenſis. 279. lxv.
Saxi Corbarii . 394. lii. Saxoferrati .
255.

245. xxviii. Sealarum Anconæ. 225. xlix. Scardeburgenſis. 246. xxix. Scotoneti. 306. xxxi. Seeutienſis. 281. lxx. Seguſdienſis. 328. xviii. Senogallienſis. 306. xxxiii. Senonenſis. 117. xxi. Serræ. 245. xxix. Serræ Alviani. 271. xxxi. Serræ Comitum. 306. xxxiii. Setabienſis. 328. xviii. Setiæ. 307. xxxiv. ſancti Severini. 245. xxvii. Sextri. 94. ix. Siſtaricenſis. 225. xlix. Slevicenſis. 280. xxvi. Stocholienſis. 224. xlvi. Stroneonii. 277. liv. Subereti. 190. xl. Sublaci. 281. lxxi. Svetiæ. 137. xx. Suineburgenſis. 277. lvii. Sutrii. 281. lxix. Tauri. 246. xxx. Terdonenſis. 225. xlix. Terracinæ. 307. xxxiv. Toletanus. 164. xv. Tonazanus. 304. xxv. Trevii. 280. lxvii. Tropenſis. 354. xix. Tuderti. 137. xxi. Tundrenſis. 279. lxi. Tunsbergenſis. 271. xxxiii. Turonenſis. 189. xxxix. Tuſcanellæ. 282. lxxiv. Tuſſenſis. 280. lxvii. Valcanonicæ. 225. xlix. Valencenenſis. 287. xcix. De Valle. 280. lxvii. Vallis Caprariæ. 145. xvi. Vallis Montanæ. 245. xxvii. Vapincenſis. 225. xlix. Variſii. 246. xxix. Vaſatenſis. 283. lxxvi. Veglenſis. 246. xxix. Vercellenſis. 245. xxvii. Vernolienſis. 274. xliv. Viecovarii. 281. lxxi. ſanctæ Victoriæ. 87. xxix. 353. xvii. ſanctæ Victoriæ Fractarum. 167. xxi. Viennæ. Alobrogum. 243. xxv. Viennenſis. 164. xv. Villæ Francæ. Confluentis. 87. xxix. 144. xv. Villæ Francæ Pœnitentium. 288. c. Villelpandi. 414. xlii. Villæ de Regula. 283. lxxvi. Viveri. 166. xx. Urbini. 154. viii. Utinæ. 87. xxix. Zamorenſis. 246. xxx.

Corciuii Conventus. 421. iii.

Corinaldi Conventus. 306. xxxiii.

Cornuetanus Conventus. 274. xliii.

Coſignani Conventus. 104. xii.

Coſmus de Pazzis Epiſcop. Arretinus ut tranferantur Oſſa beati Torelli annuit. iii. vi.

Coſtæ Granaroli Monaſterium. 248. xxxvi.

Ad Cumanos Minores mittuntur. 42. xiii. Eorum Converſioni Pontifex ſtudet. 181. xxiii.

Cunegunda. V. *Kunegunda*.

Cuſtodes omnes in Capitulo ſuffragia ferre non debent. 191. xliii.

Cyprianus Ariminenſis Epiſcopus quando mortuus. 304. xxiv.

Cyprianus Minorita Nuncius ad Sclavorum Regem. 173. ix.

Cyprianus Rector Eccleſiam ſancti Floriani Æſii Franciſcanis concedit. 301. xix.

D

DÆmon ab obſequiis expulſus cujuſdam ſuperſtitioſæ Mulieris. 5. v. Tironem Magiſtro inobedientem decipit. 317. v. & duos obedientes Fratres hoſpitio recipit. 102. ix. Ad memoriam Incarnationis Domini cruciatur. Ibid. Moleſtus ſanctæ Margaritæ Cortonenſi. 21. xii. S. Ludovico Epiſcopo. 185. xxx. & beato Torello. 109. iv. pavet Aquæ benedictæ virtutem. 117. xix. Videtur ſub Corvi ſpecie de ore cujuſdam pœnitentis recedere. 143. xii. ſecum ferre Avari animam damnatam ad Tartara. 143. xiii. Ordinis Seraphici perturbare pacem. 211. xxv. & ad ſeculares collocutiones exultare. 216. xxxii.

Danius Marchio Minoritis addictus. 280. lxv.

Dantes Alighierus Matthæi Aquaſpartaoi meminit. 210. xxiii.

S. Dariæ Corpus ubi conditum. 148. xx.

David Epiſcopus Suanæ primum lapidem Eccleſiæ Plani benedicit. 57. xxxv. obit in Domino. 209. xxi.

Decii Conventus. 246. xxix.

Deidoni Conventus. 137. xx.

Demetrio Regi Georgianorum Pontifex mittit epiſtolas. 201. x.

Deotalevi de Perusio abſolutio pro Peruſinis committitur. 138. xxiv.

Detractio quam pernicioſa. 361. xii.

Didacus a Solerzano ubi tumulatus. 246. xxx.

Dienſis Conventus. 164. xv.

S. Dionyſii Corpus ubi ſepultum. 148. xx.

Dionyſius Carthuſianus elucubrationum ſuper Regulam ſancti Franciſci auctor. 227. liii.

Dionyſio Epiſcopo in Tauriſio Pontifex mittit epiſtolas. 172. vii. 203. xiii.

Dionyſia de Monte Caniſio Monaſterii de Vaterbecbe Fundatrix. 354. xx.

Dionyſius Luſitaniæ Rex ſanctæ Eliſabethæ conjux. 114. xiii. 120. ii. Num conceſſerit fundum pro Conventu Juliæ Pacis extruendo? 244. xxvi.

Dominicus Beraldus Mirandæ Cœnobii incola. 125. vii.

Dominicus de Jaca. 333. iii.

Dominicus de Monte Ulmi. 305. xxviii.

Dominicus Puppienſis Abbas ſacramentalem Confeſſionem beati Torelli audit. 110. vi.

Donatus de Caſtella Epiſcopatum Suanenſem recuſat. 209. xxi.

Donecaſtriæ Conventus. 245. XXVII.
Dublinienſi Guardiano examinandi novam Epiſcopi electionem demandata commiſſio. 6. IX.
Dundalci Conventus. 158. XXIII.

E

EBoli Conventus. 306. XXXII.
Eboraceuſis Conventus. 246. XXIX.
Eberardus Ebnerus Minorita. 60. XXXIX.
Eduardus Rex Angliæ cum Gallo pacem init. 78. XVI. Ipſum multa adverſus Eccleſiam cogitantem Joannes Pecamus objurgat. 81. XVIII. Minoribus Domicilium extruit. 167. XXI.
Electus Vir beatus. 164. XV.
Electus item alius. Ibid.
Elegagi Tartarorum Reginæ ſcribit Nicolaus Pontifex. 172. VII.
Eliſabetha Hiſpaniarum Regina Monaſterium Segobienſe Monialibus extruit. 286. XCV.
S. Eliſabetha Lutſianiæ Regina Dionyſio matrimonio conjungitur. 114. XIII. 120. II. Ejus Converſatio. 115. XIV. Pietas & abſtinentia. Ibid. Liberalitas in pauperes. 115. XV. quorum pedes abluit. 116. XV. curat oſculo ulceratum. 116. XVI. alium ſanat. ibid. pecunias in roſas convertit. Ibid. ejus genitrix Conſtantia Regina. 116. XVII.
S. Elpidii Monaſterium. 284. LXXXV.
Enateoſis Conventus. 276. L.
Engleſius de Caballitiis Epiſcopus Novarienſis. 165. XVII.
Engoliſmenſis Conventus. 118. XXII.
Epiſtola Bonifacii VIII. Minoribus & Præd. 340. I. Fratribus Minoribus in partibus Tartarorum. 345. II. Fratri N. Miniſtro Marchiæ. 349. X. Prelatis univerſis Franciæ. 365. XXI. Fratri Matthæo de Theate Inquiſitori in Provincia ſancti Franciſci. 377. XXXI. Miniſtro Provinciæ Sclavoniæ. 398. II.
Honorii IV. Inquiſitoribus Tuſciæ. 142. X. Poteſtati, & Comuni Peruſino. 151. III. Philippo de Mantua Inquiſitori in Marchia Tarviſina. 152. IV. Galgano de Eugubio Inquiſitori Spoleti. 152. V. Generali & Fratribus Ordinis Minorum. 155. I.
Jo. XX. Philippo Ord. Min. Inq. 17. IX.
Martini IV. pluribus Prælatis. 98. III. Archiep. Rothom. & aliis Ep. 99. IV. Religioſis Mendicantibus. 105. I.
Nicol. 3. Michaeli Paleologo. 30. III. 31. IV. Andronico. 33. V. Patriarchæ & aliis Prælatis Græcorum. 33. VI. Barthol. Ep. Groſſet. & aliis. 35. VII. Abaghæ Regi Tartarorum. 36. IX. Imperatori Quolibey. Tartarorum. 38. X. Gerardo de Prato & ſociis. 40. XI. Philippo Firm. Ep. 42. XII. Miniſtro Regni Hungariæ. 42. XIII. Conrado Miniſtro Alemanniæ. 43. XV. Regi Siciliæ. 45. XVII. Hieronymo Aſculano Cardinali. 48. 21. 49. XXII. Capitulo generali Minorum. 70. VII. Archiep. Cantuar. 79. XV. Univerſis Chriſtifidelibus. 88. I.
Nicol. IV. Argoni Tartarorum Regi. 170. IV. 171. V. Tuctani Reginæ Tartarorum. 172. VI. Dionyſio Epiſcopo in Tauriſio. 172. VIII. Uroſio Regi Sclavorum. 174. X. Helenæ Reginæ Sclavorum. 175. XI. Jacobo de Voragine Ordinis Prædicatorum & Rufino de Alexandria Ordinis Minorum. 176. XIII. Provinciali Minorum Tuſciæ. 177. XV. Inquiſitori Forchaleberii & aliarum Provinciarum. 178. XVI. 179. XVII. 179. XVIII. 180. XIX. 180. XX. 180. XXI. Inquiſitoribus Prædicatoribus & Minoribus. 192. II. Argoni Regi Tartarorum. 195. II. 255. V. Cobilæ Principi Tartarorum. 196. III. Caldooo Principi Tartarorum. 197. IV. Jolo de Piſis. 198. V. Regi Armeniæ. 199. VIII. Mariæ Reginæ Armeniæ. 200. IX. Imperatori Ethiopiæ. 201. X. Patriarchæ Jacobitarum. 202. XII. Dionyſio Epiſcopo in partibus Orientis. 203. XIII. Duci & Comuni Venet. 204. XV. 293. V. Epiſcopis, aliiſque Primatibus Italiæ. 206. XIV. Inquiſitoribus Minoribus Provinciæ Romanæ. 206. XVII. Inquiſitoribus Arelatenſis Ebradunenſis &c. 232. III. Archiepiſcopis & aliis Prælatis Arelatenſis &c. 233. V. Rectori Comit. Venayſini. 234. VI. Inquiſit. Prov. Rom. 234. VII. 235. VIII. Inquiſitoribus Ordinis Minorum. 235. IX. Univ. Chriſtifid. per Africam conſtit. 241. XX. Baronibus &c. Marrochii, Tuniſii &c. 241. XXI. Anichoamini Reginæ Tart. 256. VI. Saroni filio Regis Tartarorum. 256. VII. Nicolao filio Regis Tart. 257. VIII. Archiep. Bulgar. 258. IX. Stephano Regi Serviæ. 260; XII. Helenæ Reginæ Serviæ. 261. XIII. Provinciali Prov. Tuſciæ. 267. XXIV. Regi Franciæ. 292. II. Cardinalium Cœleſtino Pontifici. 320. II.
Mich. Palæologi Pontifici. 9. III. 62. II. ejuſdem per Ogerium Nuncii Imperiali. 65. III.
Andronici Pal. Pontifici. 12. III.
Jo. Patr. Conſtant. Pontifici. 63. III.

Wen-

Wenceslai Regis Boemiæ Clariſſis. 423. VI.
Bonagratiæ Generalis cuidam Miniſtro. 75. XI.
Eremitæ Arnulphorum Conventus. 280. LXVII.
Etorbonachenſis Conventus. 328. XVIII.
Eugubii Couventus. 274. XLVI. & Monaſterium. 248. XXXV.
Euphemia filia Rodulphi Imperatoris Clariſſa. 318. VII.
Euſebius Mulierem laudat quæ ſemetipſam occidit. 253. II. caſum refert Sophroniæ. ibid.
Euſtachius Comes de Levis Auxiliani Conventus reſtaurator. 414. XLI.
Euſtatius Epiſcopus Ebroicenſis. 117. XX.
Excommunicatorum opem poſſuut Inquiſitores contra hæreticos implorare. 180. XXI.

F

FAbrianenſis Conveutus transfertur. 119. XXIV.
Falleroni Conventus. 167. XXI.
Faleſiæ Conventus. 189. XXXVIII.
Faventinum Monaſterium. 284. LXXXIII.
S. Fecati Monaſterium. 284. LXXXIV.
Felemeus Ocora. 271. XXXII.
Feltrenſe Monaſterium. 284. LXXXIV.
Ferdinandus Alvarus Epiſcopus Ovetenſis. 336. XI. antequam obtineat Poutificiam confirmationem, decedit. ibid.
Ferdinandus Perez. 323. XLV.
Fergallus Bardeus ab hæreticis cæſus. 271. XXXII.
Fernandus Epiſcopus Burgeuſis. 92. I.
Figiaci Conventus. 246. XXIX.
De Figuerra familia Minoribus addicta. 94. X.
Firmanum Monaſterium. 284. LXXXV.
Flesburgenſis Conventus. 280. LXVI.
Flurentinus S. Crucis Conventus. 328. XVII.
Formiſini Conventus. 302. XXIII.
Foroſemprouii Conventus. 305. XXIX.
Franciſca Formica domum Minoritis tradit. 280. LXV.
Franciſcani V. *Minores*.
S. Franciſci in Monte Conventus. 279. LXIV.
S. P. Franciſcus ſanat puerum variis laborantem morbis. 16. VII. Mulierem ex puerperio languentem. 116. XVII. Adoleſcentulam membris contractam. 117. XVIII. ſanctum Ludovicum Toloſanum Epiſcopum a graviſſima infirmitate. 183. XXVII. alium puerum languentem. 282. LXXIV. Reſtituit lumen cœco. 305. XXVIII. & vitam puero defuncto. 274. XLIII. liberat Urbem Aginenſem a lue. 269. XXVI. Margaritæ Columnenſi apparet. 130. VI. diabolum videtur abigere. 212. XXV. Arimini hoſpitio receptus. 303. XXIV. Num Auximanum Cœuobium conſtruxerit? 304. XXV. & Saltarienſe. 304 XXVII. Commendatur. 151. III. ejuſque ſacra celebrantur ſtigmata. 267. XXIV.
Franciſcus de Apea ſancti Ludovici coufeſſarius. 334. VII.
Franciſcus Ariminenſis vir egregius. 303. XXIV.
Franciſcus Baleſtracius. 58. XXXVI.
Franciſcus Fagnanus Vicarius Eugubinus. 352. XV.
Franciſcus Fevardentius opera Lirani publico prælo tradit. 266. XXI.
Franciſci Gonzagæ menda corriguntur 243. XXV. 265. XX. 274. XLIV. 283 LXXXI.
Franciſcus Leoneti. 380. XXXV.
Franciſcus de Maleficiis miraculis clarus. 239. XVI.
Franciſcus de Mayronis. 225. XLIX.
Frauciſcus Maronius claret Placeutiæ. 58. XXXVI.
Franciſcus Milianus beati Couradi Aſculani Pater. 213. XXVII.
Franciſcus Miuorita Epiſcopus Piſaurenſis. 346. III.
Franciſcus Minorita Inquiſitor in Provincia Romana. 207. XVIII.
Franciſcus de Monpezat Conventus Aginnenſis fundator. 269. XXVI.
B. Franciſcus Papienſis Animam Ludovici Theutonici in Cœlum euntem videt. 278. LIX.
Franciſcus Pellicerius ab hæreticis interemptus. 270. XXX.
Frauciſcus Penna corrigitur. 52. XXIX.
Franciſcus Reatinus Romanæ Provinciæ Inquiſitor. 181. XXII.
Franciſcus Scårerius Epiſcopus vitam ſancti Ludovici exaravit. 407. XXIII.
Franciſcus Seuogallienſis, & poſtea ſpoletanus Epiſcopus. 336. XI.
Frauciſcus a Soſa. 246. XXX.
Franciſcus de Tonſis Fauenſis Epiſcopus. 305. XXVIII.
Franciſcus de Villamizar miraculis illuſtris. 246. XXX.
Friaſtenſis Conventus. 273. XXXIX.
Fridericus Gonzaga Clariſſis extruit Monaſterium. 394. LIII.
Fridericus Piccardus Inquiſitoribus auxiliatur. 207. XVIII.
Fulcberius Inculthus Epiſcopus Minoritis extruit Cœnobium. 104. XII.

Fulginii Monaſteria ſancti Claudii. 60. XL. SS. Trinitatis. 247. XXXIV. de Virginibus. 308. XXXIX.
Furcenſis Conventus. 6. VIII.

G

GAbriel Ridlerius Minorum benefactor. 224. XLVII.
S. Gaji Corpus ubi tumulatum. 148. XX.
Galganus Eugubinus Inquiſitor. 152. IV.
Galienus de Piſis Monialibus bona quædam immobilia tribuit. 190. XLII.
Gallus vir devotiſſimus in Conventu ſtrigonienſi ſepultus. 160. VII.
Gallus Montanerius Monaſterium Stellæ ædificat. 226. XL.
Garignani Conventus. 225. XLIX.
Garſias Blandes vir ſanctiſſimus. 248. XXXV.
Garſias Hiſpalenſis Archiepiſcopus. 144. XV.
Gaſpar Scatzgerus. 224. XLVII.
Gaufridus Epiſcopus Taurini. 9. III.
Gazanus Rex Tartarorum. 199. VI.
S. Geneſii Conventus. 429. XV.
Gentilis de Monte Florum Cardinalis renunciatus. 398. IV. Sacellum in Eccleſia Fabrianenſi erigit. 119. XXIV.
Gentilis Rhegienſis Epiſcopus ad Adolphum Imperatorem a Pontifice miſſus. 301. XVII.
Genuenſes a Cenſuris Minoritæ abſolvunt. 176. XIII.
Georgio Bulgarorum Imperatori ſcribit Nicolaus IV. 258. IX.
Ad Georgianorum Regem Minoritæ miſſi. 259. X.
Georgius Cuſi Imperatoris Tartarorum interpres. 173. VIII.
Gerardinus Epiſcopus Humanenſis. 209. XXI.
Gerardus Blancus Cardinalis. 47. XIX.
Gerardus Bonetus ab hæreticis occiſſus. 95. XII.
Gerardus Moguntinus Archiepiſcopus. 296. IX.
Gerardus Parmenſis Cardinalis. 231. I.
Gerardus de Prato ad Tarrarorum Regem a Pontifice miſſus. 36. VIII. Ei examen operum Olivi commiſſum. 122. I.
Gerardus de Villa magna moritur. 19. X. Ejus acta recenſeutur. ibid.
Geſvaldus Generalis ſcripta Conventus Montis Novi comburit. 306. XXXIII.
Gilia ſocia ſanctæ Margaritæ Cortonenſis. 376. XXIX.
Glacenſis Conventus. 421. III.
Gluſianus Comes de Caſate in explicatione Regulæ Pontifici aſſiſtit. 73. X.
Gondiſalvus Nuncius Sancii Regis ad Pontificem. 208. XX.
Gonzaga Franciſcus. V. *Franciſcus*.
S. Gorgonii corpus ubi ſepultum. 148. XX.
Gottifredus Cardinalis Pontificem Honorium IX. conſecrat. 139. II.
Gottifridus Salzburgenſis Nuncius Pontificius ad Imperat. 45. XVI.
Græci aliquando Monaſterii ſancti Silveſtri Urbis incolæ. 146. XVIII. eorum Imperator. V. *Michael Paleologus*.
Grahunenſis Conventus. 246. XXIX.
Grayacenſis Conventus. 272. XXXVII.
Gregorius Ariminenſis. 304. XXIV.
Gregorius X. Pontifex a Paleologo commendatus. 10. III.
Gualdi Conventus. 125. XII.
Gualteri mendum corrigitur. 74. X.
B. Gualterius Brugenſis invitus ad Pictavienſem Epiſcopatum promotus. 77. XII. ejus virtutes. ibidem. Summum Pontificem citat ad divinum judicium. ibidem.
Gualterus Piſanus a beato Joanne de ſancta Maria in agone viſitatus. 216. XXXII.
Guardianus Aracœlitanus Apoſtolicus reformator Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Rotundæ. 126. XIV.
Guardianus Barchinonenſis, cum Cæſarauguſtano Nuncius Pontificius. 182. XXIV.
Guardiano Dublinienſi examen Epiſcopi Lechlinienſis committitur. 6. IX.
Guardiæ Monaſterium. 286. XCVI.
Guarrinus de ſancto Severino Guardianus Auximi. 26. XXI.
Guido de Avernia Viennæ Archiepiſcopus. 243. XXV.
Guido de Bolſena, ſive de Wulſinio. 238. XV.
Guido Bonatus Florentinus Aſtrologus percelebris. 55. XXXII.
Guido Cameracenſis Epiſcopus Templum Cameracen. Cœnobii conſecrat. 287. XCVIII.
Guido Magiſter & Doctor inſignis. 305. XXVIII.
Guido de Marchia multis virtutibus ornatus. 287. XCVIII.
Guido de ſancto Michaele Agathopolitanus Epiſcopus. 335. XI.
Guido primus Guardianus Conventus Argentinæ. 309. XLII.
Guido Montis Feltrii dat Franciſcanis nomen. 348. IX. Ejus laudabilis converſatio & obitus. 350. XII.
Guido Rupefucaldi Comes. 118. XXII.
Guillelmus Abricenſis Decanus. 57. XXXIV.

Guil-

Guillelmus de Bothum Archiepiſcopus Dubliuienſis. 346. III.
Guillelmus de Cherio Pœnitentiarius Poutificius, & Nuncius. 254. IV.
Guillelmus Durantes auctor ſpeculi juris. 190. XL.
Guillelmus Eyſſengrenius Lyranum laudat. 266. XXII.
Guillelmus do Falgario ſacri Palatii Lector. 55. XXXI. Vicarius Generalis Ordinis renunciatus. 127. I. 138. I. ſancto Lndovico Epiſcopo valde fuit familiaris. 187. XXXIII. Fratribus laicis ſuffragium pro Accademicis concedit. 150. I. Epiſcopus Vivarienſis eligitur. 424. III.
Guillelmus Ferrarius Cardinalis apud Minores ſepultus. 332. III.
Guillelmus de ſancto Marcello Inquiſitor. 232. IV. Vitam ſancti Ludovici ſcribit. 407. XXIII.
Guillelmus Marchio Maleſpinus Minorita. 351. XIII.
Gnillelmus Marchio Montis Ferrati a Miniſtro Minorum abſolvitur. 56. XXXIII.
Guillelmus de la Mare Oxonienſis Profeſſor. 240. XVIII.
Guillelmns de Matiſcone Ambianeuſis Epiſcopus. 97. II.
Guillelmus Minorita Epiſcopus Dignienſis. 209. XXI.
Guillelmus Ocham ubi tumulatus. 244. XLVII.
Guillelmus de Rieux Cœnobium Naneti Minoritis extruit. 352. XV.
Guillelmus Sanſeverinus Archiepiſcopus Salernit. locum quemdam Fratribus cedit. 306. XXXII.
Guillelmus de Valentia quo tempore Viennæ Antiſtes. 243. XXV.
Guillelmus de Vaſtavillanis Conventum Argellatæ conſtruit. 137. XX.
Guincampienſis Conventus. 125. XI.
Gninigia Familia Cœnobium Lucæ ampliat. 225. XLIX.
Guiſchiæ Monaſterium. 27. XXIII.
Gyrardus V. *Gerardus*.

H

HEretici in caſtro Siriano reſipiſcere nolunt. 56. XXXIII. a Sinibaldo Minorita profligati. 86. XXVIII. qualiter contra eos procedendum. 152. IV. & agendum cum reſipiſcentibus. 179. XVII. qui tenentur Inqniſitoribus obedire. 179. XVIII. pœnæ in eos latæ. 180. XIX. ſeqq. quomodo eorum bona dividenda. 235. VIII. Rectores & Communitates contra eos invitati. 232. IV. leges confirmatæ. 208. XX. & Inquiſitores iuſtituti. V. *Minores Inquiſitores*. Irruunt in oppidum Dundalci. 118. XXIII. in Conventus ſancti Africani. 279. LXIII. Apamiæ. 282. LXXII. Brageriacenſem. 245. XXVII. Caſtrorum. 270. XXIX. Condomienſem. 270. XXVIII. Faleſiæ. 189. XXXVIII. Lauſanenſem. 225. XLIX. Lautricenſem. 270. XXX. Marmandenſem. 269. XXVII. Petragoricenſem. 244. XXVII. & Vaſateuſem. 283. LXXVI. in Provincia Viennenſi Zizania ſeminant. 292. III.
Hailbrunenſe Monaſterium. 319. IX.
Hanuoverii Conventus. 394. LII.
S. Helpis corpus ubi ſepultum. 148. XX.
Helena Regum Tartarorum mater. 173. IX. ei Nicolans IV. epiſtolas dirigit. 175. XI.
Helena Serviæ Regina. 261. XIII.
Henricus de Africa clarus miraculis. 189. XXXVIII.
Henricus Bavariæ Dux Cœnobia Minoritis conſtruit. 95. XI.
Henricus Bremenſis Gneſnæ Archiepiſcopus. 101. VIII. 106. III.
Henricus Briſingamus Anglus. 93. VI.
Heuricus Brittaniæ Dux Guincampienſem Minorum Eccleſiam ſacris reliquiis ditat. 125. XI.
Henricus Cluſieuſis Epiſcopus. 241. XIX.
Henricus Fremlamhaid. 271. XXXII.
Henricus Galliæ Rex cum Eduardo Anglo pacem init. 78. XIII.
Henricus Knoderer Monaſterium Baſileenſe incipit. 6. VIII. pacis inter Germaniæ Principes auctor. 165. XVIII. ſacros Ordines apud ſuos Couſodales confert. 166. XVIII. ſolemnia dedicationis Templi transfert. ibid.
Henricus Lucanus Epiſcopus 424. III.
Henricus Sedulius ſancti Ludovici Epiſcopi vitam exaravit. 407. XXIII. ejus mendum corrigitur. 54. XXXI.
Hieremias a Sarracenis Ptolemaide interfectus. 252. I.
Hieronymus Aſculanus a Pontifice inter Hiſpaniæ, & Galliæ Reges pacis auctor delectus. 15. V. nequit Capitulo generali intereſſe. 16. VI. in abdicato officio couſirmatus. ibid. ad Cardinalitiam dignitatem evectus. 47. XIX. 48. XX. quam invitus admittit. 48. XXII. jubetur ut retineat Ordinis præfecturam. 49. XXII. Capitulum generale Aſſiſii indicit. 70. VI. Regulam Monialibus ſancti Silveſtri Urbis præſcribit. 133. X. & voluutates explorat. 147. XIX. Legatus mittitur ad Imperato-

rorem. 91. I. in ſummum Pontificem eligitur. 168. I. iterato dignitatem renunciat. 169. I. per quos gradus ad ipſam aſcenderit. 169. I. valde fuit beato Conrado addictus. 213. XXVII. V. *Conradus. Nicolaus IV.*
Hieronymus Graiſſettus ab Hæreticis necatus. 270. XXX.
Himoredis Monaſterium. 249. XXXVI.
Hiſdinenſis Conventus. 245. XXVII.
Hiſpalenſe Monaſterium. 319. IX.
Honorius IV. creatur ſummus Pontifex. 139. II. jubet corpus Martini IV. ad Eccleſiam Aſſiſiatem transferri. 151. II. dat litteras pro Minoritis, & Terra ſancta. 155. I. ſeqq. moritur. 156. I. in Aracœli ſepultus. ibidem. & 168. I.
Hugo le Brun Engoliſmenſis. 118. XXII. Conventum Cognacenſem ædificat. 189. XL.
Hugo Cæſaraugnſtanus Epiſcopus votum emittit de conſtruenda Minoritis æde. 58. XXXVII. moritur Romæ in Aracœli ſepultus. ibidem.
Hugo Gaotolinus Regis Tartarorum interpres. 173. VIII.
Hugo Manceſtriæ quid ſenſerit in cauſa Olivi. 83. XXIII.

I

JAcobitarum Patriarchæ ſcribit Pontifex Nicolaus. 202. XII.
Jacobus de Almante ubi ſepultus. 118. XXI.
Jacobus Anaſtaſii Fulginii Antiſtes eligitur. 346. III.
Jacobus Aragonius a Miniſtro Generali Minorum poſtulat benedictionem. 182. XXIV.
Jacobus Ariminenſis Epiſcopus Eccleſiam Minoritis largitur. 302. XXIII.
Jacobus Aſculanus ſcientia illuſtris. 55. XXXII.
Jacobus Auximanus vir Dei. 212. XXV.
Jacobus Bartholi Syndicus Min. Fabriani. 119. XXIV.
Jacobus de Camerino. 263. XVI.
Jacobus de Capoli. 25. XVIII.
Jacobus Columna: vitam celibem Margaritæ ſorori ſuadet. 129. IV. de qua mirabilem habet viſionem. 130. V. cum ipſa Romam proficiſcitur. 131. VIII. ei Clariſſarum Regulam non tradidit. 133. X. quæ poſt obitum ipſi apparet. 133. XI. non fuit Epiſcopus Prænestinus. 133. X. Monaſterium ſancti Silveſtri de Urbe regit. 147. XIX. & ornatum ſanctæ Mariæ Majoris perficit. 264. XVII.
Jacobus de Fallerone Confeſſarius beati Joannis de Alverna. 217. XXXIV.
Jacobus Ferentinus Epiſcopus. 9. III.
Jacobus de Griſanto. 418. V.
Jacobus de Guilly opera Lyrani evulgat. 266. XXI.
Jacobus Laicus ſanctitate illuſtris. 421. II.
Jacobus Magnelottus prudentia, & doctrina præditus. 118. XXII.
Jacobus Majoricarum Rex Collegium linguarum fundat. 157. II.
Jacobus ejus filius Minoritis adſcribitur. 420. IX.
Jacobus de Montier Conventum Barri ædificat. 393. LII.
Jacobus de Oſa familiaris ſancto Ludovico Epiſcopo. 187. XXXIII.
Jacobus Sabellus Cardinal. novum Pontificem conſecrat, & coronat. 97. I. a Martino IV. executor teſtamentarius inſtitutus. 139. I. ad infulas Pontificias evectus 139. II.
Jacobus Thomaſius Cajetanus Eccleſiam ſui tituli exornat. 335. IX.
Jacobus Torriti Baſilicam ſanctæ Mariæ Majoris exornat. 264. XVII. & etiam Lateranenſem. 263. XVI.
Jacobus Tudertinus cum aliis ſe ab obedientia Ordinis eximit. 324. IX.
Jacobus, ſive Jacoponus a Tuderto Bonifacium VIII. redarguit. 407. XXIV. cujus ſomnium interpretatur. 408. XXIV. detinetur in vinculis. ibidem. ejus Patria, & Parentes. 408. XXV. adoleſcentia, & exercitium. ibidem. piam ducit uxorem. 409. XXV. qua mortua mundum contemuit. 409. XXVIII. tertio Ordini adſcribitur. ibid. ejus pro Chriſto ſtultitia. 410. XXIX. XXX. nuptias diſturbat peregrino ſpectaculo. 410. XXXI. gaudet opprobriis. 410. XXXII. oſtendit domum noſtram eſſe ſepulcrum. 411. XXXII. primum Ordinem ingreditur. 411. XXXIII. ſtatum humiliorem eligit. 411. XXXIII. ſeverus in ſeipſum. 412. XXXIV. perfectam Dei ſuique cognitionem aſſequitur. 412. XXXV. imitari Chriſtum deſiderat. 412. XXXV. & pro eo pati. 412. XXXVI. ebrius in ſpiritu ſe oſtendit. 413. XXXVIII. dæmones eludit. 413. XXXIX. Chriſtus eum alloquitur. 414. XL.
Jacobus de Voragine Januenſes abſolvendi facultatem accipit. 176. XII.
Jadrenſis Conventus. 275. XLIX. & Monaſterium. 285. LXXXVII.
Jani Conventus. 280. LXVII.
Ildebrandino Comiti de S. Flora Pontifex ſcribit. 50. XXV.

Il-

Ildebrandino de Pitiliano ſimiliter. 50. xxv.
Illuminatus Epiſcopus Aſſiſias. 25. xix.
Imago Salvatoris Romam a Græcis aſportata. 146. xviii.
Indulgentia Portinnculæ quantum valeat. 337. xiii.
Innocentius V. poſt ſui electionem ad Pontificatum moritur. 1. 1. 6. 1.
Inquiſitio in Sardinia inſtituitur. 141. ix. in Paleſtina, & Syria. 231. ii. in Regno Boſnenſi. 260. xi. in Provincia Viennenſi, & Albanenſi. 292. iii. Inquiſitores Minoritæ. 177. xiv. ſeqq. varia ad eos data diplomata. 177. xv. V. *Epiſtola*. Pontificem circa quædam dubia conſulunt. 179. xvii. quibus ſatisfit per reſponſa. 262. xiv. eis reſipiſcentes hæretici parere debent. 179. xviii. eorumque ſeutentiæ executioni mandandæ. 180. xix. debent contra recurrentes ad judæos inquirere. 232. iii. ſeqq. eorum auctoritas cum Pontifice eam concedente non ſpirat. 235. ix.
Inſulæ Conventus. 339. xvii.
Inſulæ Jordanis Conventus. 190. xl.
Interamnenſe Monaſterium. 285. lxxxviii
Joanna de Caſtilione Monaſterium Colongenſe fundat. 190. xli.
Joanna Caſtri Villani Comitiſſa Cœnobium Minoritis extruit. 167. xxi.
Joanna Ebroicenſis Regina Monaſterium Nougenti complet. 420. xi.
Joanna Navarræ Regis filia. 318. vii.
Joanna de Toledo majorem partem extruit Cæſarauguſtani Cœnobii. 59. xxxvii.
Joaunellus Tertiarius. 376. xxix.
Jo annes de ſancta Agatha. 36. viii.
Joannes de Alvernia S. P. Franciſcum pro ſuis pugnantem videt. 211. xxv.
Joannes de Alviano miraculis clarus. 271. xxxi.
Joannes Angelus Gittius cum Fratre Minorum Eccleſiam Leoniſſæ ditat. 104. xii.
Joannes Aragonius diem immaculatæ Conceptionis ſanctificari jubet. 94. x.
Joannes Aprilis Martyr. 118. xxiv.
Joannes Baldus acta S. Benevenuti ſcribit. 4. iv.
Joannes Barenſis Archiepiſcopus Inſtrumentum Imperiale ſubſcribit. 43. xiv.
Joannes Barlara Regis Tartarorum Interpres. 173. viii.
Joaunes Baroucius clarus miraculis. 303. xxiv.
Joannes Beccus Conſtantinopolit. Patriarcha doctas elucubrationes edit. 14. iv. Nicolao Pontifici gratulatur. 63. iii.
Joannes de Bonachia Regis Tartarorum interpres. 173. viii.
Joannes Bonavita Syndicus Minoritis Cœnobium ædificare incipit. 352. xv.
Joannes de Boneſtra laudatus a Pontifice. 259. x.
Joannes Bucamantius Cardinalis. 86. xxvii.
Joannes de Burnino Epiſcopus Conventum Minorum inſtaurat. 243. xxv.
Joannes de Cabrera vir pius. 415. xlii.
Joannes Caetanus Urſinus. 122. iii.
Joannes de Caſaria Regis Tartarorum interpres. 179. viii.
Joannes Caſtilionenſis Cuſtos a Matthæo de Caſtilione veritatem SS. Stigmatum inquirit. 108. i.
Joannes Caſtillioneus Monaſterium pro Clariſſis fundat. 193. iv. Monaſterium item Colongenſe. 190. xli. & Guiſſchiæ. 27. xxii.
Joannes Caſtillioneus Inquiſitor vitam ſanctæ Margaritæ Cortonenſis approbat. 376. xxviii.
Joannes Caſtri Villani Comes Conventum Minoritis extruit. 167. xxi.
Joannes Cioleti Cardinalis Legatus in Gallia. 249. xxxvi.
Joannes Coutingerus prophetia donatus. 126. xiii.
Joannes Cretenſis. 166. xix.
Joannes Dadræus opera Lyrani evulgat. 266. xxi.
Joannes Daudalus Venetiarum Dux jubetur arma deponere. 181. xxiii.
Joannes de Diciaco nuvum Conventum Senonenſem extruit. 117. xxi.
S. Joannes Evangeliſta Joanni de S. Maria apparet. 216. xxxii.
Joannes Feretrinus Epiſcopus in Conveutu Ariminenſi floruit. 303. xxiv.
Joannes Fiſcanenſis Monachus Joanni Pecamo infenſus. 82. xxi.
Joannes de Flos fundum Franciſcanis pro Conventus fundatione concedit. 287. xcviii.
Joannes Franciogia Cardinalis. 122. iii.
Joannes de Gabrielis. 305. xxviii.
Joannes Gozerius Martyr. 125. xii.
Joannes Hungarus miraculis clarus. 159. vii. & ejus ſucceſſor. 160. vii.
Joannes Jaderenſis Epiſcopus. 264. xviii.
Joannes Juliani. 380. xxxv.
Joannes Londinenſis Doctor Anglus. 93. vii. ejus laudes, & acta. ibid.
Joannes de Mandalago ubi tumulatus. 92. iv. ſepulturæ Epitaphium. ibid.
Joannes de Martello vir beatus. 246. xxix.

Joannes Martini ad Epiſcopatum Egitanienſem transfertur. 50. xxv.
Joannes Martinius Aulicus Regis Luſitaniæ. 114. xiii.
Joannes de Medina Epiſcopus Sunenſis. 118. xxi.
Joannes quidam Minorita floret in Apulia. 421. ii.
Joannes de Monte Caſali claret in Provincia Montisferrati. 417. iv.
Joannes de Monte Corvino ad Orientis partes iterato miſſus. 194. i.
Joannes de Monte S. Mariæ apparitionibus Virginis fruitur, aliorumque Sanctorum. 216. xxxii. quædam ſcripſit S. Franciſci geſta. ibid. alia ejus acta. ibid.
Joannes de Muro Lector S. Palatii. 158. iv. & Miniſter Generalis. 348. viii. Nuncius Pontificius ad Reges Galliæ, & Angliæ. 397. i. S. Ludovicum Toloſanum Epiſcopum recipit ad Ordinem. 347. vi.
Joannes Parmenſis a Joanne XXII. dilectus. 8. i.
Joannes Pater S. Benevenuti. 3. iv.
Joannes Pecamus Anglus cujus Patriæ & indolis. 52. xxx. eligitur Provincialis. 53. xxx. & Sacri Palatii Magiſter. ibid. Eum Crucifixus alloquitur. ibid. multas calumnias patitur. ibid. & 82. xx. quas eum patientia ſuffert. 54. xxx. invitus ad Epiſcopatum Cantaurienſem evebitur. 78. xiii. Synodos plures celebrat. 78. xiv. ſuamque juriſdictionem tuetur. 79. xiv. xv. viſitat majorem Angliæ partem. 80. xvi. Cambriæ Principes unire ſtudet. ibid. & plura Cœnobia reformari. ibid. Abhorret a muneribus. 80. xvii. vult idoneis beneficia conferri. ibid. Regem monet pro Eccleſiaſtica auctoritate. 81. xviii. de eo conqueruntur Epiſcopi. 81. xix. quibus ſatisfactum cupit. 81. xix. ſuorum Conſodalium verus amator extitit. 83. xxii. & Catholicæ doctrinæ propugnator. 83. xxiii. Opuſcula quædam compoſuit. 84. xxiii. & loca pia ædificavit. 84. xxiv. Ejus liberalitas ibid. & aliæ virtutes. 85. xxv.
Joannes de Penna vir extaticus. 275. xlvii.
Joannes de Peruſio Inquiſitor. 262. xiv.
Joannes Picus Generalis Miniſter Camerini incola. 225. xlviii.
Joannes Pitzeus Bacconium a calumniis vindicat. 51. xxvii. Ejus error chronologicus. ibid.
Joannes Primi multa paſſus. 380. xxxv.
Joaunes Parochita ſollicitus de pace Italiæ. 332. i.
Joannes Rada. 246. xxx.
Joannes Rauletus ab Hæreticis interfectus. 282. lxxii.
Joannes Richardus. 270. xxx.
Joanues Rodriguez de Puertocarero Sacellum in Eccleſia Tauri extruit. 246. xxx.
Joannes Sameſius Pontificius Nuncius. 230. i. ſollicitat Canonizationem ſancti Ludovici. 365. xx. creatur Redonenſis Epiſcopus. 399. iv. ad Eccleſiam Lexovienſem transfertur. 417. iii
Joannes Siſirraga Epiſcopus tumulatus Laudæ. 154. viii.
Joannes Spalatenſis Archiepiſcopus. 280. lxv.
Joannes Stamfordius Archiepiſcopus Dublinienſis. 134. xiii.
Joannes Thenaudus Abbas Mellinenſis. 118. xxii.
Joannes Tranquerius Martyr. 270. xxix.
Joaunes Tullenſis Epiſcopus Eccleſiam Clariſſarum Novi Caſtri conſecrat. 394. liii.
Joaunes Velho Luſitani Regis ad Aragonium Orator. 114. xiii.
Joannes Vercelleuſis Dominicanus pro ineunda pace inter Reges Galliæ, & Hiſpaniarum delectus. 15. v. 46. xviii. Patriarchatu Hieroſolimitano inſignitur. 48. xx.
Joannes de Veti extruit Monaſterium Novi Caſtri. 154. ix.
Joannes Viennæ Archiepiſcopus Conventum Minorum inſtaurat. 243. xxv.
Joannes Vincentius vir egregius quo anno mortuus. 118. xxi.
Joannes de Valle. 380. xxxv.
Joannes Virolault ab Hæreticis pro fide occiſus. 118. xxii.
Joaunes de Viterbio Dominicauus. 46. xviii.
S. Joaunis Baptiſtæ Caput ubi aſſervatum. 146. xviii.
Jolenta uxor Boleslai Pii Clariſſa. 70. v.
Jolo de Piſis Nicolaus Pontifex ſcribit. 198. v.
Jordaues ab Inſula Conventum Franciſcanis ædificat. 190. xl.
Joſephus Patriarcha dignitatem abdicat. 68. iv.
Iporienſis Conventus. 246. xxix.
Iprenſe Monaſterium. 420. xi.
Iſabella Achajæ Princeps Monaſterium Clariſſis extruit. 430. xvii.
Iſabella Aragoniæ apud Minores tumulata. 59. xxxvii.

Iſabella Comitis Flaodriæ uxor Clariſſarum Monaſterium conſtruit. 154. IX.
Iſabella Davaugourt Cooventum Andegaveoſem ampliat. 143. XIV.
Iſabella Navarræ Regis filia. 318. VII.
Iſernienſe Monaſterium. 119. XXV.
Iſotta Sigyſmundi Malateſtæ Amaſia. 303. XXIII.
Jubilæum Romæ a Bonifacio VIII. promulgatum. 423. I.
Julenta Princeps quando mortua. 89. IV. Monaſterium Clariſſarum ingreditur. 90. IV. pluribus gratiis a Deo ditata. ibid. Mooaſterium Gneſnæ conſtruit. 90. V. cum ſociis a Tartarorum incurſione fugit. ibid.
Juliana Abbatiſſa Monaſterium Colooceuſe ingreditur. 190. XLI.
S. Julianæ Corpus ubi ſepultum. 148. XX.
Juliana de Trecis prima Abbatiſſa Monaſterii Guyſchiæ. 27. XXIII.
Julianus Britonis pietate, & doctrina celebris. 291. V.
Julianus David Turoniæ Miniſter. 352. XV.
Julianus de Padua Inquiſitor. 292. IV.
Julianus Paſinus. 305. XXVIIII.
Julianus Theutooicus. 54. XXXI.
Juliæ Pacis Conventus. 244. XXVI.
Julius Magnanus Placentiæ Epiſcopus. 57. XXXVI.
Juncta de Bevegnatis ſanctæ Margaritæ Cortonenſis a Confeſſionibus. 376. XXVIII.
Ivo Presbyter Capellam in Eccleſia Minorum conſtruit. 168. II.

K

KAldegenſis Conventus. 279. LXI.
Konolengis Conventus. 271. XX XIII.
Kunegunda Boleslai Pudici uxor poſt viri obitum Clariſſarum Regulam profitetur. 70. V. ſpiritu prophetico, & miraculis clara. ibidem. Ejus progenies, virtutes, & miracula referuntur. 310. III. ſeqq.

L

LAdislaus III. Rex Hungarorum duo Cœnobia Franciſcanis ædificat. 94. X.
Lambertus Epiſcopus Veglênſis. 240. XIX.
Landſuteoſis Cooventus. 95. XI.
S. Largi Corpus ubi requieſcit. 148 XX.
Laudenſis Conventus. 154. VIII.
Latinus Cardinalis Oſtienſis in comitiis pro eligendo Pontifice Petrum de Murrone commendat. 319. I.
Laurentius Guillelmi. 280. LXV.
Laurentius de Villitro Ortanus Epiſcopus. 399. IV.
Lauſanenſis Conventus. 225. XLIX.
Lautrici Conventus. 270. XXX.
Ledonenſis Conventus. 246. XXIX.
Lelius Mediceus. 58. XXXVI.
Lemoſii Comes. V. *Petrus Alvarez*.
B. Leo Joanni de S. Maria in viſu apparet. 216. XXXII.
Leo Abbas ſancti Silveſtri de Urbe. 146. XVIII.
Leo Minorita Placentinorum Compromiſſarius. 57. XXXVI.
Leonani Cooventus. 305. XXVIII.
Leonardus Fulginas ſanctitate & miraculis elarus. 240. XVII.
Leonardus Miniſter Provinciæ Romanæ Nuncius Apoſtolicus. 332. II.
Leooardus Tricaricenſis Epiſcopus. 134. XIV.
S. Leonis Conventus. 305. XXVIII.
Leoniſſæ Conveutus. 104. XII.
Leonora a Regibus Clariſſa virtutibus emicans. 329. XIX.
Leonora a Sabaudia. 356. V.
Liberatus de Macerata ab obedientia Geoeralis eximitur. 324. IX.
S. Liberius Ancooæ Protector. 328. XVI.
Liburni Conventus. 167. XXI.
Limiricenſis Conventus. 276. LI.
Lincopenſis Conventus. 224. XLVI.
Liſſordenſis Cooventus. 245. XXVII. 247. XXXII.
Lomolenſis Conventus. 244. XXVII.
Londineuſe Monaſterium. 309. XLII.
Lucanus Cooventus. 225. XLIX.
Lucas Antooius Minorita Cooveotum Lucenſem exornat. 226. XLIX.
S. Lucia Cardinali Columnæ in funere beatæ Margaritæ apparet. 133. XI.
Lucigniani Couventus. 302. XXII.
S. Lucii Papæ corpus ubi requieſcit. 148. XX.
Ludovicus Amboiſia Epiſcopus Ambienſis. 95. XII.
Ludovicus Bavarus Monachii Monaſterium abſolvit. 224. XLVII.
Ludovicus Cœlius Rhodiginus. 309. XLII.
Ludovicus ex Comitibus de Moute Granello Minorita. 351. XIII.
Ludovicus Dooatus Cardinalis. 204. XIV.
S. Ludovicus Galliarum Rex claret miraculis. 57. XXXIV. 419. VIII. de quibus fit inquiſitio. 57. XXXIV. & 98. II. de ipſius actis & prodigiis compendioſa narratio. 365. XXI. Ei dedicatum inſigne Tem-

Templum. 419. vii. Alia V. *Tom. IV.*
Ludovicus X. Galliarum Rex num fuerit Conventus Vernolii fundator? 274. xliv.
Ludovicus Miranda elucubrationes ſuper Regulam Tertii Ordinis edit. 228. liii.
Ludovicus Suberretanus nonnullorum operum auctor. 190. xl.
Ludovicus Theutonicus ſanctitate clarus ubi tumulatus. 278. lix.
S. Ludovicus Tuloſanus Epiſcopus datur hoſtibus obſes. 183. xxvi. in captivitate ægrotat. 183. xxvii. cœlitus liberatur. 184. xxvii. Votum iterato emittit de ſuſcipiendo Minorum habitu. ibid. 333. iv. & 334. vii. equitans cadit illæſus. 184. xxviii. a captivitate ſolvitur. 333. iv. cogitat in Alemanniam proficiſci. 334. vi. initiatur Sacris Ordinibus. 347. v. ad Pontificatum Toloſanum aſſumitur. 346. iv. 347. vi. emiſſa prius Seraphica Regulæ profeſſione. ibidem a Pontifice commendatur. 348. vii. a ſua Eccleſia honorifice excipitur. 357. ii. quo anno ætatis ad Pontificatum evectus. 348. vii. ejus aſpectus efficax ad virtutem. 357. ii. Febre corripitur. 400. viii. devote ſuſcipit ſalutare viaticum. 401. ix. in Domino obdormit. 401. ix. anima per Angelos in cœlum fertur. ibid. quo anno mortuus. 399. vi. quo loco ſepultus. 401. ix. 244. xxvii.

Sancti Ludovici virtutes.

Ejus admiranda in captivitate conſtantia. 183. xxvi. divitias contemnit, & gloriam. 333. iv. 357. i. 363. xviii. aurea, & argentea aſpernatur. 358. iv. Epiſcopatui cedere cupit. ibid. Pedes pauperum abluit. 359. v. eoſque caritative alit. 358. v. 362. xiv. viſitat infirmos. 362. xv. captivos. 362. xvi. pauperculam conſolatur. ibid. Humilia Fratrum exercet officia. 359. vii. oſculatur leproſum. 359. v. corripientes libenter audit. 361. xi. Corpus macerat. 360. viii. Fœminarum fugit colloquia. 360. viii. maternum oſculum recuſat. 347. v. improbum conſilium rejicit. 360. ix. turpes ſermones abigit. 360. x. execratur murmurationem. 361. xii. Paci ſtudet, & caritati. ibid. omnium ſaluti conſulit. 361. xiii. Mores initiandorum ſerio explorat. 363. xvii. Transfert jus regni ad Robertum fratrem natu minorem. 363. xviii.

Sancti Ludovici miracula, aliaque gratiarum dona.

Veſtis tactu mundat leproſum. 359. vi. cibi reſiduo febrim ambigit. ibid. in ſuis manibus capo in flores convertitur. 359. vi. in ejus funere cœlitus faces accenduntur. 401. ix. plures defunctos ad vitam revocat. 402. xii. 402. xiii. ſeqq. Accipitrem mortuum ſuſcitat. 404. xviii. Regem Dionyſium e ſummo periculo liberat. 404. xix. ab aliis gravia diſcrimina propulſat. 405. xx. alia miracula. 406. xxi. eorum veritati detrahentes puniuntur. 406. xxii. admirandi flores germinant ſuæ feſtivitatis die. 407. xxiii. ejus vitæ ſcriptores. ibidem.
Lupus ſancti Franciſci diſcipulus obdormit in Domino. 264. xix. corpus ejus bis translatum. ibid.

M

MAceratæ Conventus. 275. xlvii.
Magnus Rex Svecorum plura Cœnobia Minoritis extruit. 223. xlvi.
Majus Gualdenſis apud Minores ſepultus. 126. xii.
Mambilonenſe Monaſterium. 286. xciii.
Manfredus Lancia de pace Italiæ ſollicitus. 332. i.
Mantuani Cives a Franciſcanis abſoluti. 56. xxxiii.
S. Marcelli prope Luthetiam Monaſterium. 190. xlii.
Marchiſinus de Reggio. 418. v.
Marcus Bembo Dux Venetorum. 204. xv.
Marcus de Monte Luponum miſſus ad Regem Armeniæ. 236. x. a Rege remittitur Nuncius. 291. i. ejus patria. 309. xlii.
Marcus Suanenſis Epiſcopus. 209. xxi.
Margarita Columnenſis virtute, & ſanguine præclara. 129. iv. ſuaſu Dei Genitricis Virgo permanere proponit. ibid. Ejus ſpiritualia exercitia ibidem. pœnitentia, & lacrymæ. ibid. Caritas erga egenos, & ægrotos. 131. vii. in infirmitate patientia. 132. viii. pluries ditata ſupernis apparitionibus. 129. v. 130. v. 130. vi. 132. viii. 132. ix. a Chriſto Domino corona annuloque ornatur. 131. vii. & Chriſtum & Præcurſorem hoſpitio recipit. ibid. ad cœlos videtur efferri. 130. v. Ordinem Clariſſarum ingreditur. 130. vi. triennio languet. 132. ix. ſanctiſſime moritur. 133. ix. poſt obitum quibuſdam glorioſa apparet. 133. xi. plurimis miraculis fulget. 133. xi. & in ejus translatione campanæ miraculoſe perſonant. ibid. Qui ejus vitam ſcripſerunt. ibidem.

S. Mar-

S. Margarita Cortonenſis Alviani in Etruria progenita . 20. XI. lubricam ducit vitam . ibid. Convertitur, & palam pœnitet . ibid. Tertium profitetur Iuſtitutum . ibid. Ejus aſpera pœnitentia . ibid. Paupertas . 21. XIII. humilitas, & manſuetudo . 23. XV. ſui ipſius contemptus . ibid. humilitas . 24. XVI. fervens oratio . ibid. Diaboli repellit inſidias . 21. XII. 23. XV. cum magno timore operatur ſalutem . 22. XIII. Filium per epiſtolam hortatur . 22. XIV. quanta ejus erga Chriſtum dilectio . 22. XIII. 372. XXIII. Chriſti, & Deiparæ dolorum fit particeps . 372. XXII. Chriſti apparitionibus, & collocutionibus ſæpe ſæpius ditatur . 371. XXII. 372. XXII. 372. XXIII. 373. XXIV. XXV. &c. Ei revelata cordium ſecreta . 374. XXVI. Bellum orationibus ſedat . 374. XXVII. obſeſſam a dœmone liberat . 375. XXVII. Puerum in extremis laborantem ſanat . ibid. defunctum ad vitam revocat . ibid. Purgatorii animæ ejus deprecationes expoſcunt . ibid. Præſcit ſui obitus diem . 375. XXVIII. Moritur Cortonæ . ibid. quo die . 371. XXII. Plures animas ſecum ducit ad gloriam . 375. XXVIII. miracula poſt obitum . ibid. Corpus integrum, & incorruptum . ibidem . Feſtum rite colitur, 376. XXVIII. vita a proprio confeſſario exarata . ibid.

Margarita Gonzaga Clariſſis Monaſterium ædificat . 394. LIII.

Margarita Gonzaga ejus filia Monialis . ibid.

Margarita de Puechi Tertii Ordinis. 7. II.

Margarita Verneria locum pro conſtruendo Conventu Marſciani concedit . 278. LVIII.

Maria Anna Gilberti Barcinonenſis Abbatiſſa . 100. V.

Maria de Cerda an fuerit Regina . 144. XV. Minoribus Cœnobium extruit . ibid.

Maria Dei Genitrix Margaritæ Columnenſi apparet. 129. IV. & beato Joanni de Monte ſanctæ Mariæ. 216. XXXII. omnium prima Dominum poſt reſurrectionem videt . 216. XXXII.

Maria Guitarte Monaſterii Santandarenſis fundatrix . 283. LXXXI.

Maria de Sille miraculis clara . 189. XXXIX.

Mariæ Armeniæ Reginæ Nicolaus IV. ſcribit . 200. IX.

S. Mariæ in Salicæ Monaſterium . 248. XXXV.

S. Mariæ de Venetiis Conventus . 245. XXVII.

Marianus de Monte Mellino Minorita . 351. XIII.

S. Marini Conventus . 305. XXVIII.

Marinus Minorita ad Regem Sclavorum miſſus . 173. IX.

Marmandenſis Conventus . 269. XXVII.

B. Marquardus ubi tumulatus . 224. XLVII.

Marſalæ Conventus . 394. LII.

Martinus Aragonius diem Immaculatæ Conceptionis ſolemniter celebrari jubet . 94. X.

Martinus Madronius . 305. XXVIII.

Martinus IV. Pontifex eligitur . 97. I. non vult conſecrari Viterbii . ibid. dat Miniſtris Minorum facultatem Syndicos inſtituendi . 126. XIV. alia concedit in bonum Ordinis, & Terræ Sanctæ . 104. I. 120. I. 127. I. 138. I. V. *Epiſtola*. Bellum in Petrum Arragonium decernit . 138. XXIV. moritur . 139. I. in habitu Franciſcano tumulatus . ibid. & 149. I. multa patrat miracula . ibid. Non annuunt Peruſini ejus cadaveris translationi . 151. II.

Maſſæi de Marignano de indulgentia Portiunculæ teſtimonium . 25. XVIII. quando obiit . 92. III.

Maſſæus de Bellavalle Minoritis valde addictus . 96. II.

Maſſæus Severinas . 215. XXXI.

Maſſilienſis Conventus . 244. XXVII.

Matiſconi Conventus . 330. II.

Matthæa Duciſſa Gerundæ apud Minores tumulata . 59. XXXVII.

Matthæus Agrigentinus Epiſcopus ſancti Bernardini ſocius . 429. XIII.

Matthæus Aquaſpartanus lector ſacri Palatii . 101. VII. Miniſter Generalis eligitur . 158. IV. & Cardinalis . 169. II. adhuc retinet regimen Ordinis ibidem Nicolai Miniſtri Franciæ libellum reprobat . 209. XXII. Comitia generalia Aſſiſii indicit . 210. XXII. ejus in Cardinalatu regimen non parum nocuit Ordini . 210. XXIII. Pallium Archiepiſcopo Nicoſienſi tradit . 188. XXXVII. Epiſcopus Portuenſis eligitur . 264. XVIII. mittitur in Lombardiam Legatus . 424. II.

Matthæus de Aretio Miſſionarius Apoſtolicus apud Tartaros . 36. VIII.

Matthæus de Caſtilione vir ſanctitate clarus . 108. I.

Matthæus Citrarius . 428. XII.

Matthæus Ovetenſis . 246. XXX.

Matthæus Picquetus ab hæreticis occiſus . 189. XXVIII.

Matthæus Rubeus Cardinalis Urſinus Minorum Protector eligitur . 73. VIII. in vinculis detinetur . 97. I. ſede va-

cante Cardiualium partes ducit. 297. ia. Coronat Nicolaum IV. 169.i. Cœleſtinum V.321.iii.& BonifaciumVIII. 323. viii. Minoritis committit Clariſſarum curam. 394.lv. ſuſcipit regimen Monaſterii ſancti Silveſtri de Urbe. 415. alii.
Matthæus de Theate ad Tartaros a Pontifice mittitur. 254. iv.
Matthias Doring Lyranum vindicat. 266. xxi.
Maturinus de pulchro viſu Martyr. 279. lxiii.
Mauritius de Argegnano. 217. xxxiii.
Mauritius de Cedronio. 143. xiv.
Maurus Epiſcopus Amaliæ. 92. i.
S. Maxentii Conventus. 422. iv.
Mazariæ Conventus. 276. lii.
Mazzochius Piſanus Cœnobium Fabriani transferri curat. 119. xxiv. dat Minoritis nomen. ibidem.
Mea tertiaria. 222. xliii.
Medicenenſis Conventus. 288. xcix.
S.Melchiadis corpus ubi ſepultum. 148. xx.
Melech-Seraph Soldanus Tholemaydem obſidet. 252. i.
Mercatelli Couventus. 273. xli.
Meſtranenſis Conventus. 271. xxxiii.
Michael Bernardutius. 25. xviii.
B. Michaelis de Carcano caput ubi conditum. 154. vii.
Michael Grelet ab hæreticis interemptus. 118. xxii.
Michael de Tadera Inquiſitor. 275. xlix.
Michael Minorita miraculis inſignis. 164. av.
Michael Paleologus. V. *Paleologus*.
Mimatenſis Conventus. 277. liii.
Miniſter Generalis Pontifici Regulam explicanti aſſiſtit. 73. x. Ejus poteſtas. V. *Minores* infra.
Miniſtri Generales Hieronymus Auſculanus. V. *Hieronymus*. Bonagratia. 72. viii. Arlottus a Prato. 140. iv. Matthæus Aquaſpartanus. 158. iv. Raymundus Gaufridus. 210. xxii. Joannis de Muro. 348. viii.
Minnius Altimani. 238. xv.
Minores Nuucii mittuntur a Pontifice ad Tartaros. 195. i. 254. iv. 345. ii. ad Regem Armeniæ. 199. vii. ad Adolphum Imperatorem. 301. xvii. ad Jacobum Aragonium. 345. i. ad conciliandos Reges Anglum, & Gallum. 397. i. ad Siculos. 332. ii. ad Gennenſes. 264. aviii. ad alios plures. 91. i. A Rege Caſtellæ ad Pontificem. 228. iii. a Rege Aragoniæ ad eumdem. 182. xxiv. a Rege item Armeniæ. 299. xiv. a Miniſtro Generali in Aſiam, & Armeniam. 128. ii.
Eis committitur Canonicorum ſancti Auguſtini reformatio. 56 xaxiii. & Canonicæ ſanctæ Mariæ Rotundæ Urhis. 126. xiv. abſolutio Haymonis Laudemoniæ Epiſcopi. 56. xxxiii. quorumdam Mantuanorum Civium. ibid. civitatum Aſtenſis. ibid. Veronæ. ibid. Novariæ. 57. xxxiii. Papienſis. ibid. Peruſinæ. 138. xxiv. Vercellenſis. 57. xxxiii. Guilelmi Marchionis Montis Ferrati. 57. xxxiii. recognitio cauſarum Epiſcopatuum Carthaneſiæ. 87. xxviii. Magdeburgenſis. 86. xxviii. Viennenſis. 87. axviii. collectio decimarum Terræ ſanctæ. 87. xxviii. 117. xx. ejuſdemque Terræ ſanctæ recuperationis tractandum negotium. 416. ii. prædicatio crucis contra Infideles. 228. iii. 424. i. 316. ii. 254. iii. Inquiſitio contra Epiſcopum Troppenſem. 94. ix. Bononienſis Accademiæ compoſitio. 117. xx. reconciliatio Sancii Regis cum Eccleſia. 208. xx. nec non aliorum Principum. 230. i. examen privilegiorum Hoſpitalis Dubliuienſis. 287. xcviii.
Eis conceditur facultas Matrimonium inter conſanguineos diſpenſandi. 347. axxi. ut a quocumque Antiſtite Eccleſias, & Oratoria poſſint facere conſecrare. 155. x. tempore interdicti divina celebrandi. 191. alii. cum Prælatis ingrediendi Monialium Monaſteria. 339. xviii. ſepelieudi defunctos. ibid. prædicandi & confeſſiones audiendi. ibid.
Multis ditantur indulgentiis. 269. xaxvi. ſeqq. aliiſque privilegiis. 287. xcviii. 339. xviii. quibus etiam eorum benefactores fruuntur. 188. xxxvii.
Eximuntur ab Epiſcopali juriſdictione. 189. xxxix. 96. i. 191. xliii. 339. aviii.
Eorum Prælati poſſunt prædicatores inſtituere. 104. aii. Syndicos Apoſtolicos nominare. 126. xiv. 249. xxxvii. procedere contra Fratres delinquentes, non ſervatis juris apicibus. 339. xviii.
Inſtituuntur Inquiſitores. 56. xxxiii. 86. xxviii. 141. ix. 152. iv. 177. xiv. 203. xiv. ſeqq. 206. xvi. ſeqq. 231. ii. 233. v. ſeqq. 260. ai. 262. aiv. 292. iii. 376. xax. 297. ii. 416. i.
Vexantur ab Abbate Moyſiacenſe. 95. xii. ab Epiſcopo Placentino. 95. xiv. a Priore Cluniacenſi. 96. xiv. & a Mouachis ejuſdem Ordinis. 288. xcia. a Clero Gallicano. 104. xii. ab Epiſcopis Aurienſi. 227. li. & Asloenſi 271. xxxiii. a quibuſdam Clericis Bituntinis. 288. c. a nonnullis in Provin-

vincia ſancti Franciſci. 126. XIV. & a pleriſque aliis. 191. XLIII.
Eis eleemoſynas negans miraculoſe plectitur. 307. XXXIV. demandatur cura Clariſſarum. 394. LV. Cœnobia conceduntur. V. *Conventus*.
Deus eos diligentes diligit. 102. IX. ſeqq.
Quomodo ſe gerere debeant, Miniſtro Generali deſuocto, io Succeſſoris ſubſtitutiooe. 191. XLIII. & quomodo debeant Regulam obſervare. 381. XXXVIII.
Pacta ab eis facta in Ordinis præjudicium ſuut irrita. 155. X.
Nequeunt novas domos abſque Sedis Apoſtolicæ ſacultate cooſtruere. 431. XVII.
In Concilio Mediolanenſi concionem habent. 315. I.
Mionius Altimanni. 238. XV.
Mirandæ Conventus. 125. XII.
Molliani Conventus. 429. XV.
Monachii Conventus. 224. XLVII. & Monaſterium. 137. XXIII.
Monacbii Monaſterium tertii Ordiois. 344. III. 137. XXIII.
Monaldus de Anatolia miſſus in Luſitaniam. 117. XX.
Monaldus Ancooitaous Martyr. 188. XXXVI.
Monaldus Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ. 188. XXXVII.
Monaldus Monaldeſcus Epiſcopus Suanenſis. 399. IV.
Monaſteria Monialium Alarizii. 248. XXXV. Alesbecheuſe. 126. XIII. Alexandriæ. 226. L. S. Angeli Papalis. 307. XXXVI. Aſtenſe. 230. VII. item ibid. alia duo. ibid. Avenioneuſe. 248. XXXIV. Aureæ Vallis. 249. XXVI. Baſilienſe. 6. VIII. Belli loci. 308. XL. Biterenſe. 96. XV. Brugneoſe. 227. L. Burdigalenſe. 248. XXXV. Burgenſe S. Marinæ. 284. LXXXI. Cambcronenſe. 249. XXXVI. Camerini. 307. XXXVII. Canarii 283. LXXIX. Carcaſtonenſe. 248. XXXV. Civitatis Novæ. 284. LXXXV. Colongenſe. 190. XLI. Compoſtellauum. 226. L. Condomii. 283. LXXVIII. Coſtæ Granaroli. 248. XXXVI. S. Elpidii. 284. LXXXV. Eugubinum. 248. XXXV. Faventinum. 284. LXXXIII. S. Fæcati. 284. LXXXIV. Feltreuſe. ibid. Firmanum. 284. LXXXV. Fulginatenſe S. Claudii. 60. XL. S. Mariæ de Virginibus. 308. XXXIX. SS. Trinitatis. 247. XXXIV. Guardiæ. 286. XCVI. Guiſchiæ. 27. XXIII. 193. IV. Hailbrunenſe. 319. IX. Hiſpalenſe. ibid. Himorenſe. 249. XXXVI. Jadræ. 285. LXXXVII. Interamnenſe. 285. LXXXVIII. Iprenſe. 420. XI. Iſernienſe. 119. XXV. Londinenſe. 309 XLII. Mabilonenſe. 286. XCIII. S. Marcelli prope Lutetiam. 190. XLII. 249. XXXVI. S. Mariæ in Salice. 248. XXXV. Monachii. 137. XXIII. Montis Nigri. 283. LXXX. Montis Peſſulani. 285. XC. Montis Sancti. 308. XXVIII. Narbonenſe. 248. XXXV. Nicoſiæ. 289. I. Nogenti. 420. XI. Norimbergen. 60. XXXIX. Novi Caſtri. 154. IX. Papiæ. 226. L. de Ordunia. 353. XVIII. Petrioli. 227. L. Placentinum. 6. VIII. Prati. 284. LXXXVI. Preſagnoli. 284. LXXXII. Recioetl. 248. XXXV. Roſchildenſe. 286. XCIV. Salernitanum S. Laurentii. 354. XX. 394. LV. Sanctandarenſe. 283. LXXXI. Segovieuſe. 286. XCV. S. Seraphiæ. 248. XXXV. S. Severini. 307. XXXVII. S. Silveſtri. 145. XVII. Stellæ. 126. L. Stocholinenſe. 223. XLVI. Suſelenſe. 285. LXXXIX. Tollouenſe. 226. L. Vallencenſe. 287. XCIX. Vallis ſancti Lamberti. 249. XXXVI. Ubetenſe. 247. XXXIII. Vellitreuſe. 286. XCVII. Verduni. 318. IX. Victoriæ. 226. L. Ulliſypponenſe. 328. XIX. Urbevetanum. 287. XCIX. Waterbcchenſe. 354. XX. Wercbineuſe. 154. IX. Wicenſelenſe. 285. XCII. Yporienſe. 432. V.
Monaſterienſis Conventus. 189. XXXVIII.
Moniales. V. *Clariſſæ*.
Monticelli Conventus. 278. LX.
Monticuli Conventus. 304. XXVI.
Moutionenſis Conventus. 95. XIII.
Montis Alti Conventus. 273. XLII.
Montis Calerii Conventus. 281. LXX.
Montis Compatrum Conventus. 282. LXXV.
Montis Flaſcbonis Conventus. 272. XXXV. 280. LXVII.
Moutis Ilcinii Conventus. 145. XVI.
Montis Jovis Conventus. 283. LXXVII.
Montis Leonis Conveotus. 94. IX. 280. LXVII.
Montis Luponi Conventus 309. XLII.
Montis Macellarum Conventus. 245. XXVII.
Montis S. Martini Cooventus. 280. LXVII.
Montis Milonum Cooveutus. 429. XV.
Montis Novi Conveutus. 306. XXXIII.
Montis Peruſii Conveutus. 278. LIX.
Montis Podii Conventus. 306. XXXIII.
Montis Regalis Conveutus. 246. XXIX. 279. LX.
Motonis Conventus. 273. XLI.
Muri Conventus. 225. XLIX. 275. XLVII.

N

NAneti Conventus. 352. xv.
Narbonenſis Conventus. 164. xv. & Monaſterium. 248. xxxv.
Nauli Conventus. 277. lv.
S. Nemeſii Corpus Romæ tumulatum. 148. xx.
Neſtruit Conventus. 279. lxii.
Neyriaci Conventus. 270. xxviii.
Nicolacius de Senis Tertiarius. 222. xliv.
Nicolaus Albinganenſis Epiſcopus. 300. xvii.
Nicolaus Anconitanus Epiſcopus Eccleſiam ſancti Franciſci Scalarum conſtruit. 225. xlix.
Nicolaus de Camplis Pontificius Pœnitentiarius, & Prædicator Crucis. 378. xxxii. 310. i.
Nicolaus de Canino Vir ſanctus. 133. xi.
Nicolaus de Cuſoach Epiſcopus Darenſis. 86. xxvii.
Nicolaus de Lira habitu Franciſcano induitur. 264. xx. Ejus Patria, Profeſſio, & obitus. 265. xx. & ſeq.
Nicolaus de Lonareto Epiſcopatum Suanenſem recuſat. 209. xxi.
Nicolaus Miniſter Franciæ contra declarationem Regulæ ſcribit. 209. xxii.
Nicolaus Minorita Sancii Regis Nuncius ad Pontificem. 208. xxi.
Nicolaus de Monte Calerio Civitatem Aſtenſem ab interdicto abſolvit. 56. xxxiii.
Nicolaus Narnienſis Inquiſitor. 56. xxxiii.
Nicolaus III. Papa ad Pontificatum aſſumitur. 8. ii. de maximis ſtatim negotiis cogitat. 29. i. Minoritas mittit ad Græcorum Imperatorem. 29. ii. & ad Tartaros. 35. viii. quibus Epiſtolas ſcribit. V. *Epiſtola*. Eoſdem etiam mittit ad Convertendos Cumanos. 42. xiii. & ad pacificandos Reges. 46. xviii. a quibuſdam vindicatur calumniis. 45. xvi. Carolum Regem hortatur pro ſalvo conductu concedendo Græcis. 45. xvii. vult Nepotem ſuum Franciſcanis præeſſe. 72. viii. quorum etiam explicat Regulam. 73. x. moritur, & commendatur. 92. v.
Nicolaus IV. Papa eligitur. 169. i. multas ſcribit ad varios Epiſtolas. V. *Epiſtola*. Invitus dignitatem ſuſcipit. 169. i. Plures ad Purpuram Cardinalitiam promovet. 169. ii. & Minorum ope in arduis negotiis utitur. 176. xiii. 177. xiv. 208. xx. V. *Minores*. Regem Hungarorum ad Frugem, & Cumanos ad Fidem conatur adducere. 181. xxiii. Monet Regem Galliæ Eccleſiaſticæ indemnitatis. ibid. & Venetos ne vexent Patriarcham Aquilejenſem. ibid. Siculis alia præſcribit. 182. xxiii. nec non Alphonſo Regi Aragoniæ. 182. xxiv. in favorem Inquiſitorum duo edit diplomata. 206. xvi. copias mittit auxiliares in Syriam. 207. xix. graviſſima cum Principibus negotia perpendit. 208. xx. 230. i. Archiepiſcopum Colonienſem e vinculis liberari jubet. ibid. diligenter in hæreticos animadvertit. ibid. Luſitaniæ componit diſcordias. ibid. diſpenſationem Regi Caſtellæ negat. ibid. corruptelas extirpari jubet in Regno Scotiæ exortas. 209. xx. plures Minoritas ad Epiſcopatus aſſumit. 209. xxi. Fratribus Tertii Ordinis Regulam, & habitum præſcribit. 289. cii. & confirmat. 227. liii. Inquiſitionem inſtituit in Paleſtina. 231. ii. in Provincia Vienuenſi. 292. iii. & in Regno Boſnenſi. 260. xi. contra quoſdam Provinciæ Narbonenſis inquiri jubet. 236. xi. cupit ſuccurri Chriſtianis in Syria. 254. iii. Templa Urbis exornat. 262. xv. Clariſſarum Monaſteria privilegiis ditat. 249. xxxvii. & indulgentiis. 283. lxxviii. ſeqq. Romandiolam, aliaque loca ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ reducit. 294. vi. Ejus litteræ & conceſſiones. 193. iii. 228. ii. 250. i. 289. i. moritur, & commendatur. 294. vi. ejus Epitaphium. ibid. & 295. vii.
Nicolaus V. Papa Minoribus Fabriani Deambulatorium largitur. 119. xxiv.
Nicolaus Quirinus Venetorum apud Pontificem Procurator. 204. xv.
Nicolaus Tartarorum Regis filius. 257. viii.
Nicoſiæ Conventus. 289. i. & Monaſterium. ibid.
Nimphæ Conventus. 307. xxxv.
Ninſtaldienſis Conventus. 277. lvii.
Niortii Conventus. 28. ii.
Nociti Conventus. 428. xii.
Nogenti Monaſterium. 420. xi.
Norimbergicæ Monaſterium. 60. xxxix.
Novi Caſtri Monaſterium. 154. ix. 394. liii.
Novidarii Conventus. 318. viii.
Nucerinus Conventus. 167. xxi.
Nugaroli Conventus. 27. xxii.

O

OBizo Marchio Franciſcanis Cœnobium ædificat. 309. xlii.

Occi-

Occidere ſemetipſum num aliquando liceat? 253. II.
Occoſii Conventus. 280. LXVII.
Ocham. V. *Guillelmus*.
Oddo Gualdenſis ſitum Minoritis pro construendo Cœnobio concedit. 126. XII.
Oddo Rigaldi moritur & commendatur. 5. V.
Odoricus de Portu Naono. 87. XXIX.
Ogerius Paleologi Protonotarius. 68. IV.
S. Oltillæ V. M. Caput. 154. VIII.
Opavienſis Conventus. 421. III.
Opolienſis Conventus. ibid.
S. Optati Corpus. 148. XX.
Ordo Minorum. V. *Minores*.
De Orduuia Monaſterium. 353. XVIII.
Oſcenſis Conventus. 94. X.
Otonienſis Conventus. 277. LVII.
Ottogarus Rex Boemiæ moritur. 49. XXIV.
Oxonienſis Conventus. 354. XIX.
Ozolus de Piſis laudatus a Pontifice. 259. X.

P

PAcis Conventus. 420. X.
Pœnitentiæ quanta virtus. 5. V. a Diaboli poteſtate liberat. 136. XIX.
Paganus Dominicanus Franciſcanis moleſtus. 262. XIV.
Paleologus Imperator multis vexatus anguſtiis. 9. III. ad eum Nuncii mittuntur. ibid. Epiſtolas Pontifici dirigit. ibid. valde pro Eccleſiarum unione laborat. 14. IV. & acta Concilii Lugdunenſis confirmat. ibidem. Legatos mittit ad Nicolaum Pontificem. 62. I. conatur populum Conſtantinopolitanum in ſuam ſententiam trahere. 69. IV. a Pontifice Martino IV. proſcribitur. 105. I. moritur. 296. X. quo tempore, & loco. 297. X.
S. Pamphyli corpus Romæ conditum. 148. XX.
Panzani Januenſes Fratres Minorum Eccleſiam conſtruunt. 94. IX.
Papiæ Monaſterium. 226. L.
S. Parthenii corpus. 148. XX.
Patareni hæretici Caſtro ſermionis infeſti. 17. IX. profligantur. ibid.
Patritius Bononienſis. 226. XLIX.
Patritius Lambreti Conventus Barri constructor. 394. LII.
S. Pauli Mitis corpus ubi quieſcit. 148. XX.
Paulini Vice-Comites Raptiſtani Conventum ædificant. 95. XII.
Paulucius de Trincis. 277. LIV.
Paulus Burgenſis in opera Lyrani objecit. 266. XXI.
Paulus Jovia Theologiæ Magiſter. 226. XLIX.
Paulus de Marchia Guardianus Ptolomaydis. 236. X.
Paulus Minorita Epiſcopus Melphitenſis. 301. XVII.
Paulus de Socio ſanctæ Margaritæ Cortonenſis a confeſſionibus. 376. XXVIII.
Paulus Tonclier ab hæreticis pro fide interemptus. 167. XXI.
B. Pax virtutibus, & miraculis clarus. 280. LXVII.
Pelagia virgo ob caſtitatem tuendam ſemetipſam occidit. 253. II.
Pelbartus de Themeſvar ſermonem de ſancto Ludovico inſtituit. 407. XXIII.
Pellegrinus de Fallerono. 167. XXI.
Pennæ mendum corrigitur. 74. X.
Pennæ ſancti Joannis Conventus. 275. XLVII.
Peruſini obſtant translationi corporis Martini IV. 151. II.
Petragoricenſis Conventus. 244. XXVII.
Petrioli Monaſterium. 227. L.
Petroleonii Fratres Ariminenſes. 304. XXIV.
Petrus Alvarez Oroſii Comes. 144. XV.
Petrus Aragoniæ infans Franciſcanis addictus. 58. XXXVII. 242. XXII.
Petrus de Arcanano ab hæreticis occiſus. 128. III.
Petrus Arcudius vir eruditus. 14. IV.
Petrus Bardulius ad Græcos reconciliandos in Paleſtinam miſſus. 230. I.
Petrus Boneau Martyr. 118. XXII.
Petrus Boni erga Minores pientiſſimus. 318. VI.
Petrus de Cochonate Epiſcopus Placentinus. 58. XXXVI.
Petrus de Cornibus. 352. XV.
Petrus Coronel partem Cœnobii Cæſarauguſtani ædificat. 58. XXXVII. & 243. XXIV.
Petrus Campaniæ Provinciæ cuſtos Epiſcopus Piſaurienſis. 346. III.
Petrus Capellanus Reginæ Hungariæ Archiepiſcopus Spalatenſis. 377. XXXII.
Petrus Epiſcopus Epulanus vitam ſancti Ludovici Epiſcopi ſcribit. 407. XXIII.
Petrus Fernandez examen actorum conſtantiæ de Caſtro perpendit. 167. XX.
Petrus Gradonigus Venetorum Dux. 293. IV.
Petrus Joannes Olivi accuſatus apud Generalem Miniſtrum. 51. XXVIII. In Deiparæ laudibus modum non ſervavit. ibid. ejus obedientia mirabilis. 52. XXVIII. Ejus ortus, & converſatio.

tio . 52. XXIX. diſſolutos objurgat . ibid. iterum accuſatus in Argentinæ Comitiis . 108. II. ejus opera examinantur . 121. I. Palinodiam canit. 122. I. iterum vocatur ad judicium . 140. V. contra ejus ſectatores inquiritur . 236. XI. intereſt Pariſienſi Capitulo . 298. XIII. innocens abſolvitur . 299. XIII. Moritur . 378. XXXIII. quid de paupertate Franciſcana ſenſerit . ibid. ejus fidei profeſſio . 379. XXXIV. etiam defunctum quidam perſequuntur . 380. XXXV. & ſevere in ejus fautores animadvertunt . ibid. Opera etiam ad tempus proſcripta. ibid. quæ ab aliquibus indigne traducuntur . 390. XLVIII. quo tempore floruit . 391. XLIX. Fuit vir catholicus . 391. L. Ejus præconia . 392. L. ſeqq.

Petrus a Molerio Martyr. 282. LXXII.

Petrus a Moliano . 224. XLVIII.

Petrus de Molina Regis Tartarorum . interpres . 173. VIII.

Petrus de Monte Ulmi . 305. XXVIII.

Petrus de Monticulo. 324. IX. 304. XXVI.

Petrus de Murrone ſummus Pontifex renunciatus . 319. I. V. *Cæleſtinus V.*

Petrus Pavonius Ariminenſis . 304. XXIV.

Petrus Peregroſſus Cardinalis in Aracœli tumulatus . 338. XVI.

Petrus Philagerius domum Minoribus ædificat in Civitate Nuceriæ. 167. XXI.

Petrus Pectinarius Tertii Ordinis . 217. XXXV. Ejus virtutes , & curationum gratiæ . 218. XXXV. 220. XL. Cœlites ei familiares . 218. XXXVI. & Dœmones hoſtes . ibid. Meditationibus divinis intentus. 219. XXXVII. illuſtris prophetiæ dono . 219. XXXVIII. 222. XLIII. ad vitam revocat puerulum defunctum . 219. XXXIX. alia ejus miracula . ibid. aliis etiam ditatur donis ſupernaturalibus . 220. XLI. ſeq. obitus,& ſignorum fama . 222. XLIII.

Petrus Peregroſſus Pontifici aſſiſtit Regulam explicanti . 73. X.

Petrus de Ponte Oilleii Minoribus Cœnobium ædificari curat . 189. XXXVIII.

Petrus de Pulchro-Monte Martyr. 282. LXXII.

Petrus Queſvellus . 418. V.

Petrus Reatinus Epiſcopus . 104. XII.

Petrus Rhegini Archiepiſcopus . 301. XVII.

Petrus Toelatus ab hæreticis interemptus . 245. XXVII.

Petrus de Trenalibus Biterrenſis Guardianus . 153. VII.

Petrus Vicarius Epiſcopi Fanenſis . 305. XXVIII.

Petrus Zelfanus . 25. XXVIII.

Pezzoli Conventus . 338. XVI.

B. Philippinus ſocius ſancti Antonii Patavini moritur . 236. XII. ejus vita & virtutes diſcribuntur . 237. XII. Ejus corpus miraculoſe ad Montem Ilcinum translatum . 237. XIII.

Philippus de Aviſio cum ſociis a Sarracenis occiſus . 188. XXXVI.

Philippus Bonaccorſius Inquiſitor in Marchia Tarviſina . 16. VIII. Archiepiſcopus Raguſinus eligitur. 86. XXVII. ei tabelliones aſſignantur . 152. IV. invitus ad Epiſcopatum Tridentinum evehitur . 209. XXI.

Philippus de Buſchettis Guardianus Placentinus . 57. XXXVI. creatur Epiſcopus Mutinenſis . 165. XVIII.

Philippus Buſſerius . 280. LXV.

Philippus de Caſtilione vitam ſanctæ Margaritæ Cortonenſis approbat. 376. XXVIII.

Philippus Clemens Conſiliarius Regum Hiſpaniarum apud Minores ſepultus . 59. XXXVII.

Philippus Firmanus Epiſcopus in Hungaria Legatus . 42. XII.

Philippus Gualenſis pietate , & doctrina celebris . 419. V.

Philippus Peruſinus quemdam Fratrem ſuper indulgentiam Portiunculæ examinat . 108. I.

Philippus de Mantua Inquiſitor. 207. XVIII.

Philippus Nurſinus pietate celebris. 431. II.

Philippus de Neuſtaſio Monaſterii Clariſſarum Iſerniæ benefactor . 119. XXV.

Philippus a Podio Martyr. 230. VII.

Philippus Pulcher Rex Gallorum poſtulat ut Pariſiis celebrentur generalia comitia . 298. XIII. honore Miniſtrum Generalem proſequitur . 299. XIV.

Philippus Rex Gallorum moritur. 139. III.

Philippus Rex Gallorum monetur a Romano Pontifice . 181. XXIII. Cœnobium Minorum evertit , & aliud conſtruit . 269. XXVI.

Pictavienſis Conventus . 164. XV.

Piperni Conventus . 307. XXXIV.

Pirenſis Conventus . 304. XXVI.

Piſaurienſis Conventus . 305. XXXI.

S. Piſtis corpus ubi tumulatum . 148. XX.

Pitiliani Conventus . 281. LXVIII.

Pizzardus Corſus domum quamdam Minoritis donat . 280. LXV.

Placentiæ Conventus . 57. XXXVI. & Monaſterium . 6. VIII.

Placentinus Epiſcopus Minoritis infeſtus. 95. XIV.

Plani Caſtanearum Conventus. 57. XXXV.

Podii Canoſæ Conventus . 87. XXIX.

S. Polichani corpus . 148. XX.

Po-

Politii Conventus. 318. VIII.
Polonia a Tartaris devaſtata. 159. V.
Pontius Carbonellus ſancti Ludovici Epiſcopi Præceptor. 187. XXXIII. multa paſſus ab emulis Olivi. 380. XXXV. ſanctitate, & miraculis claruit. ibid.
Porchettus Spinola Archiepiſcopus Januenſis. 416. III. ei committitur pacis inter Januenſes & Carolum Regem confirmatio. 431. XVII.
Portiunculæ indulgentia magis magiſque evulgata. 24. XVII. ſcriptorum hac de re monumenta. 25. XVIII. & aliorum teſtimonia. 25. XIX. Defunctis prodeſt. 26. XX. opitulatur obſeſſis. 26. XXI. Pontificio confirmatur oraculo. 101. VII. miraculis comprobatur. 337. XIII.
Portus Gruarii Conventus. 104. XII.
Poſonienſis Conventus. 94. X.
Prati Monaſterium. 284. LXXXVI.
Predufour Guardianus ab hæreticis tormentis laniatus. 270. XXVII.
Prægienſis Conventus. 278. LIX.
Preſagnoli Monaſterium. 284. LXXXII.
Primislai Octogari miraculoſa victoria. 122. III.
Privilegia. V. *Minores. Clariſſæ. Tertiarii.*
Ptolemaidis Civitas a Sarracenis occupata. 252. I.
Puppienſis Abbas beati Torelli confeſſionem excipit. 110. VI.
S. Pycmenii corpus ubi tumulatum. 148. XX.
Pyrenſis Conventus. 304. XXVI.
Pyzdrenſis Conventus. 28. II.

Q

QUegato Tartarus improbe regnat. 199. VI.
S. Quirini corpus. 148. XX.
S. Quiriaci corpus Romæ conditum. 148. XX.
Quolibey Cam Tartarorum. 38. X.

R

RAdizicioviensis Conventus. 415. III.
Rambortus Camerini Epiſcopus primum lapidem Eccleſiæ Fabriani benedicit. 119. XXIV.
Rapiſtani Conventus. 95. XII.
Raymundus de Auriliano. 380. XXXV.
Raymundus Barravi Carcaſſonæ tumulatus. 153. VII.
Raymundus Brunus. 167. XXI.
Raymundus Confeſſarius beati Rogerii. 163. XIII.
Raymundus Gualfredi ſive Gaufridus Petro Joanni Olivæ ſummopere adhæret. 52. XXIX. eligitur Generalis Miniſter. 210. XXII. fuit Obſervantiæ regularis zelator. 235. X. celebrat Aſſiſii Generale Capitulum. 336. XII. Patavinum Epiſcopatum reſpuit. 338. XIV. Miniſteriatu privatur. ibid.
Raymundus Lullus maximo ſtudio incumbit in Sarracenorum converſionem. 157. II. Egrotus Minorum habitum petit, nec obtinet. ibid. moleſta tentatione agitatus. 158. III. a Sarracenis conjicitur in vincula. ibid. ejectus e Regno Tuniſii venit Neapolim. ibid. ſuam docet ubique artem. 240. XVIII. a Generali Miniſtro univerſis Fratribus commendatur. ibid. valde laborat pro unione militarium Ordinum. 316. II. & pro deturbandis Sarracenis. 316. III. profitetur ſe in ſuæ vocationis propoſito ad ultimum uſque perſtiturum. 317. III.
Raymundus Petri beati Rogerii Confeſſarius. 160. IX.
Raymundus Royſſellius Martyr. 269. XXVII.
Raymundus Turrianus Epiſcopus Comenſis. 87. XXIX. incipit ædificare Conventum Auſtriæ. 137. XX.
Raynaldus Aretinus Cuſtos ad tertium Ordinem ſanctam Margaritam Cortonenſem recipit. 20. XI.
Raynaldus de Caſtillione. 24. XVII.
Raynerius Aretinus. 25. XVIII.
Raynerius Epiſcopus Trojæ. 91. I.
Raynerius Senenſis vitam ſanctæ Margaritæ Cortonenſis approbat. 376. XXVIII.
Reatinus Conventus. 226. XLIX.
Recinetenſe Monaſterium. 248. XXXV.
Redonis Conventus. 164. XV. 167. XXI.
Reginaldus Lector ſacri Palatii. 399. IV.
Regula Minorum quomodo obſervanda. 381. XXXVIIII. V. *Minores*.
Renatus Rex Siciliæ. 144. XIV.
Rhegii-lepidi Conventus. 352. XVI.
Ricardinæ Conventus. 272. XXXVIII.
Richardus de Clare in Conventu Limiricenſi tumulatus. 276. LI.
Richardus de Columberio Pontificius Pœnitentiarius. 190. XLI.
Richardus Hannibaldenſis tumultus Viterbienſis auctor. 97. I.
Richardus de Mediavilla. 54. XXXI. examinat doctrinam Petri Joannis Olivi. 121. I. fuit ſancto Ludovico Epiſcopo familiaris. 187. XXXIII.
Ripæ Tranſonis Conventus. 275. XLVII.

Robertus Atrebatenſis Comes. 182.xxiii.
Robertus Batbonienſis ab Epiſcopatu Cantuarienſi rejicitur. 78. xiii.
Robertus Gubernator num fuerit Conveutus Bethuniæ fundator? 272.xxxiv.
Robertus Kilvarbius Cantuarienſis Antiſtes, & Cardinalis. 78. xiii.
Robertus de Licio de ſancto Ludovico Epiſcopo ſermonem habet. 407.xxiii.
Robertus Malateſta. 303. xxiii.
Robertus Minorita Epiſcopatum Albiuganeoſem reſpuit. 300. xvii.
Robertus Turnheamus Theologus Anglus. 93. viii.
Rodericus Borgia Cardlnalis Deambulatorium Eccleſiæ Fabriani ædificari curat. 119. xxiv.
Rodericus Epiſcopus Marrocbitaous. 209.xxi. Legatus per Africam. 241.xix.
Rodigii Conventus. 309. xlii.
Rodulpbus beatus Vir in Conventu Redonii jacet. 164. xv.
Rodulpbus Imperator omnia Eccleſiæ jura confirmat. 42. xiv. de Primislao Ottogaro triumphat. 122. iii. moritur. 254. iii.
Rodulphus Petrus de Toſſiniano acta ſancti Beuevenuti recenſet. 4. iv. ejus menda corriguntur. 16. vi. 73. ix. 92. ii. 158. iv. 353. xvi. 354. xix.
Rodulphus de Turribus Epiſc. primum lapidem Eccleſiæ Petragoricenſis jacit. 245. xxvii.
Rodulphus de Stratbis Regis Galliæ Mareſchallus. 57. xxxiv.
Rogerius Baccon vindicatur. 51. xxvii. moritur. 134. xii.
Rogerius Lauria de Pace Italiæ ſollicitus. 332. i. ſeqq.
Rogerius de Proviocia Proviociæ ingentis perfectionis vir. 160. ix. ejus virtutes. ibid. in ſenſibus cuſtodiendis ſollicitus. 161. ix. extaſis gratia ditatus. 161. x. & ſupernis viſionibus. 163. xiv. valde contra errantes zelator. 162. xi. in declamando efficax. 163. xiii. cupit ex hac vita diſcedere. 164. xiv. moritur. ibidem.
Rogerius Laicus ſancti Franciſci ſocius. 144. xv.
Rogerius Varro Doctor Anglus. 240. xviii.
Rogerius Viguerius ab bæreticis ioteremptus. 270. xxx.
Romandiola ad Eccleſiæ dominium a Pootifice reducitur. 294. vi.
Roſchildenſe Monaſterium: 286. xciv.
Roſſenſis Conventus. 429. xvi.
Roſtagnus vir Dei moritur. 113. x.
Ruffinus Mediolaoenſis Epiſcopatum Suanenſem recuſat. 209. xxi.

S

SAbadinus miſſus ab Argone Tartaro ad Pontlficem. 169. iii.
S. Saberii corpus Romæ conditum. 148. xx.
Sagaui Conventus. 432. iv.
Sagunti Conventus. 328. xviii.
Saleroitanum ſancti Laurenti Monaſterium. 354. xx.
Salieoſis Conventus. 246. xxix.
Salmuri Conventus. 95. xii.
Saltarienſis Conventus. 304. xxvii.
Salvius Lector Lucanus Nuncius ad Palæologum. 9. iii.
Samatarienſis Conventus. 6. viii.
Sampſon an de ſui occiſione excuſandus? 253. ii.
Sangueſæ Conventus. 429. xiv.
Saocius Alphonſi Regis frater de Regoi ſucceſſione contendit. 15. v. nequit a Pontifice diſpenſationem obtinere. 208. xx. Mouaſterium Hiſpalenſe conſtruit. 318. ix. apud Mioores ſepultus. 59. xxxvii.
Sanctaudarenſe Monaſterium. 283. lxxxi.
Sannienæ Conveutus. 95. xiii.
In Sardinia Inquiſitio inſtituitur. 141. ix.
Sarraceni Ptolemaidem occupant. 252. i.
Savonenſis Conventus. 279. lxv.
Saxi Corbaril Conventus. 394. lii.
Saxoferrati Conveotus. 245. xxviii.
Scardeburgenſis Conventus. 246. xxix.
Sclaramuoda Regina pietate floret. 432. iii.
Sclavorum Reges hortatur Pootifex ad ſuſcipiendam fidem. 174. x. ſeqq.
Scotiæ Miniſtro quædam committuntur negotia. 86. xxviii.
Sebaſtianus Poggius Ripæ Tranſonæ Epiſcopus. 424. iii.
Secutieuſis Conventus. 281. lxx.
Segovieuſe Monaſterium. 286. xcv.
Segusdienſis Conventus. 328. xviii.
Seoibat Rex Armeniæ Regnum Fratris occupat. 399. v.
Senogallienſis Conventus. 306. xxxiii.
Senonenſis Conventus. 117. xxi.
Seotligerii Cives Mouaceuſes Minorum benefactores. 224. xlvii.
S. Seraphiæ Monaſterium. 248. xxxv.
Serræ Conventus. 245. xxix.
Serræ Alviaoi Coovoventus. 271. xxxi.
Serræ Comitum Conventus. 306. xxxiii.
Setabienſis Conventus. 328. xviii.
Setiæ Conventus. 307. xxxiv.
S. Severioi Couventus. 245. xxvii. & Monaſterium. 307. xxxvii.
Sextri Conventus. 94. ix.

Si-

Sibilla Sabauda Minoritis addicta. 330. III.
Siculi pacis conditiones reſpuunt. 332. II.
Sifridus Archiepiſcopus Colonienſis in vinculis detentus. 208. XX.
Sigiſmundus Malateſta. 303. XXIII.
S. Silveſter Auximanus ſancti Benevenuti Comes. 4. IV.
Simon Aſſiſii Epiſcopus. 101. VIII. fuit contra hæreticos Inquiſitor. 262. XIV.
Simon de Azlor vir nobilis. 333. III.
Simon Comes de Battifolio Minorita. 351. XIII.
Simon de Bria Cardinalis Legatus in Gallia. 46. XVIII. & ſummo Pontificatu inſignitus. 97. I. 104. I.
Simon a Caſſia Angeli Clareni diſcipulus. 217. XXXIV.
Simon de Corſciano claruit Ameriæ. 167. XXI.
Simon Fontanus in Conventu Senonenſi vixit. 117. XXI.
Simon Okolski Subleſtæ in ſcribendo fides. 107. V.
Simon de Perrucbeo Carnotenſis Epiſcopus. 97. II.
Simon quidam Vir Dei in Conventu Pictavienſi floruit. 164. XV.
Singularitas Religioſis noxia. 317. V.
Sinibaldus de Lacu Inquiſitor in Patrimonio. 56. XXXIII. in Marchia Tarviſina. 92. I. & Provincia Romana. 262. XIV. creatur Melphienſis Epiſcopus. 92. I.
Siſtaricenſis Conventus. 225. XLIX.
Slevicenſis Conventus. 280. LXVI.
SS. Smaragdi. & Sophiæ corpora Romæ aſſervantur. 148. XX.
Sophronia Matrona Nobilis ſemetipſam interimit. 253. II.
Stellæ Monaſterium. 226. L.
Stephanus Fidelis tumulatus in Eccleſia Senonenſi. 118. XXI.
Stephanus Fulbornius Archiepiſcopus Tuamenſis. 134. XIII. 153. VI.
Stephanus Hungarus a Schiſmaticis pro fide necatus. 128. II.
Stephanus Laicus Campaniani ſepultus. 277. LVI.
Stephanus II. Papa omittitur in Pontificum Catalogo. 2. II.
Stephanus Rex Sclavorum a Pontifice epiſtolas recepit. 173. IX.
Stephanus Rodenſis partem Conventus Cæſaraugustani extruit 58. XXXVII.
Stigmata S. P. Franciſci commendantur. 267. XXIV. 88. I. ſeqq. eis detrahens a Pontifice corripitur. 267. XXIII.
Stocholinenſis Conventus. 224. XLVI. & Monaſterium. 223. XLVI.

Tom. V.

Stronconii Conventus. 277. LIV.
Suanenſes Minores diligunt. 209. XXI.
Subereti Conventus. 190. XL.
Sublaci Conventus. 281. LXXI.
Svetiæ Conventus. 137. XX.
Svetiæ Regis filia dat nomen Clariſſis. 223. XLVI.
Svineburgenſis Conventus. 277. XLVII.
Suſelenſe Monaſterium. 285. LXXXIX.
Sutrii Conventus. 281. LXIX.

T

Tancredus de Monte Fuſculo Neocaſtrenſis Epiſcopus. 85. XXVII.
Tangodomar Tartarus Apoſtata. 198. VI.
S. Tars Martyr Romæ ſepultus. 148. XX.
Tartari Miſſionarios poſtulant. 35. VIII. ſupplicationibus Pontifex annuit. 36. VIII. 194. I. eorum Imperatori litteras dirigit Nicolaus Pontifex. 36. IX. ſeqq. Nunciis ad eos miſſis multa privilegia conceduntur. 40. XI. ex eis non pauci a Minoritis converſi. 42. XII. 169. III. Poloniam invadunt. 159. V.
Tauri Conventus. 246. XXX.
Tediſius de Camilla injuſte Eccleſiaſtica beneficia retinet. 82. XX. in eum Joannes Peccamus invehitur. ibid.
Tellius Archiepiſcopus Braccarenſis. 50. XXV. fuit ſtrenuus Eccleſiaſticorum jurium defenſor. 208. XX.
Templariorum exitium Hugo de Dina prædicit. 54. XXXI. eos Raymundus Lullus cum aliis Ordinibus unire cupit. 316. II.
Tentialbene ſocius beati Juniperi in Eccleſia Serræ Alviani ſepultus. 271. XXXI.
Terdonenſis Conventus. 225. XLIX.
Tereſia Alphonſi IV. uxor apud Minores tumulata. 59. XXXVII.
Terracinæ Conventus. 307. XXXIV.
Tertiariorum Ordo floret. 227. LIII. eorum Regula a Pontifice confirmata. ibid. deinde alia cum habitu præſcripta. 289. CII. a Florentino Antiſtite vexati ibidem. debent Minoritam viſitatorem habere. 249. XXXVII. a quo poſſunt S. Euchariſtiam recipere. 355. XX. ditantur privilegiis a Cœleſtino V. 329. XX. & a Bonifacio VIII. 340. XVIII.
Tadæus Dalæus Martyr. 276. LI.
Theobaldus Aſſiſias Epiſcopus de Indulgentia Portiunculæ teſtimonium reddit. 25. XVIII.
Theobaldus Campaniæ Comes Monaſte-

LIII rium

rium Novi Caſtri dicat. 394. LIII.
Theobaldus Rex Navarræ Conventum Sangueſæ reædificat. 429. XIV.
Theodoricus Boemiæ Miniſter. 168. II.
Theodoſius Florentius Auximanus Epiſcopus novum ſepulcrum ſancto Benevenuto extruit. 4. IV.
Theſeus Rodulphus Peruſinus Collem Mintium Franciſcanis de Gualdo relinquit. 126. XII.
Thomas de Anfuſis miſſus ab Argone Tartaro ad Pontificem. 169. III.
S. Thomas Aquinas ſuam doctrinam cenſuræ Pariſienſium ſubmittit. 84. XIII.
Thomas de Averſa contra Stigmata ſancti Franciſci impio conatu prædicat. 267. XXIII.
Thomas Bungejus doctrina præditus. 240. XVIII.
Thomas de Caſtro Marini ſtrenuus Obſervantiæ regularis zelator. 211. XXIV.
Thomas Colnius Conventum Faleſiæ reſtaurat. 189. XXXVIII.
Thomas Nepeſinus Epiſcopus. 50. XXV.
Thomas quidam Minorita clarus miraculis. 275. XLVI.
Thomas de ſancto Omero mortuus in Provincia Tuſciæ. 418. V.
Thomas de Sabaudia Minoribus addictus. 120. II.
Thomas Tolentinas Seraphicæ paupertatis propugnator. 211. XXIV. in carcerem conjicitur. ibidem. liberatur. 236. X. ad Regem Armeniæ mittitur ibid. a quo ad Reges Galliæ & Angliæ Legatus conſtituitur. 291. I.
Thomas de Trevio cum ſociis ab obedientia Genaralis Miniſtri recedit. 324. IX.
S. Thraſonis corpus Romæ aſſervatum. 148. XX.
Tobias Præpoſitus Conventum Glacenſem conſtruit. 421. III.
Toletanus Conventus. 164. XV.
Tollonenſe Munaſterium. 226. L.
Touazanii Conventus. 304. XV.
Tondellinus Comes Minorita. 351. XIII.
Torellus de Caſtro Puppii adoleſcens ad bonam frugem convertitur. 108. III. ejus habitus, & victus. 109. III. tentatur a dæmone. 109. IV. Lupis imperat 109. V. multa alia patrat miracula. 110. V. admonetur ſui obitus. 110. VI. moritur. ibid. Incolæ pro corpore habendo contendunt. 110. VI. tumulatur. 111. VI. ſucceſſu temporis transfertur. ibid. poſt mortem miraculis coruſcat. 111. VII.
Tollanctius Fortinus ab hæreticis pro fide occiſus. 167. XXI.
Tricalenſis Epiſcopus in vinculis detinetur. 68. III.
Trevii Conventus. 280. LXVII.
SS. Triphonis, & Trophymi Corpora Romæ condita. 148. XX.
Troppenſis Conventus. 354. XIX.
Tuctana Tartarorum Regina baptizatur. 172. VI. ad eam Pontifex gratulatorias mittit litteras. ibid.
Tuderti Conventus. 137. XXI.
Tundelinus Comes. V. *Tondellinus*.
Tundrenſis Conventus. 279. LXI.
Tunsbergenſis Conventus. 271. XXXIII.
Turonenſis Conventus. 189. XXXIX.
Turſellus Fabrianenſis Franciſcanorum benefactor. 119. XXIV.
Tuſcanellæ Conventus. 282. LXXIV.
Tuſſenſis Conventus. 280. LXVII.

V

VAlcanonicæ Conventus. 225. XLIX.
De Valle Conventus. 280. LXVII.
Valencenenſis Conventus. 287. XCIX. & Monaſterium. ibid.
Vallis Caprariæ. 145. XVI.
Vallis S. Lamberti Monaſterium. 249. XXXVI.
Vallis Montanæ Conventus. 245. XXVII. & Monaſterium. 248. XXXV.
Vapincenſis Conventus. 225. XLIX.
Variſii Conventus. 246. XXIX.
Vaſeus Pirezius Orator Luſitani Regis ad Aragonium. 114. XIII.
Ubaldus de Colle S. Margaritæ Cortonenſis Confeſſarius. 376. XXVIII.
Ubetenſe Monaſterium. 247. XXXIII.
Ubertinus de Caſali Petro Joanni Olivi valde addictus. 52. XXIX. cujus doctrinam propugnat. 380. XXXVI. quando floruit. 418. IV.
Veglenſis Conventus. 246. XXIX.
Velitrenſe Monaſterium. 286. XCVII.
In Venayſino Comitatu inſtituitur Inquiſitio. 177. XIV.
Veneti ſubſidium contra infideles Pontifici impendunt. 207. XIX. eis præcipit Nicolaus IV. ne vexent Patriarcham Aquilejenſem. 181. XXIII. in eorum Civitate inſtituitur Inquiſitio. 204. XIV.
Vercellenſis Conventus. 245. XXVII.
Verduni Monaſterium. 318. IX.
Vernolienſis Conventus. 274. XLIV.
Veronenſes Conradino adhærent. 56. XXXIII.
Uguetus miſſus ad Pontificem ab Argone Tartaro. 169. III.
Viccovarii Conventus. 281. LXXI.
Vicedominus de Vicedominis num fuerit

rit Romanus Pontifex. 2. n. 7. 1.
S. Victoriæ Conventus. 87. xxix. 353. xvii.
S. Victoriæ Fractarum Conventus. 167. xxi.
Victoriæ Monaſterium. 226. L.
Viennæ Alobrogum. Conventus. 243. xxv.
Viennenſis Conventus. 164. xv.
Villalpandi Conventus. 414. xlii.
Villæ Francæ Pœnitentium Conventus. 288. c.
Villæ Francæ Confluentis Conventus. 87. xxix. 144. xv.
Villæ de Regula Conventus. 283. lxxvi.
Vincentius Ridlerius Minoribus addictus. 224. xlvii.
Violantes Caſtellæ Regina Clariſſis Monaſterium extruit. 248. xxxv.
Virodunenſe Monaſterium. 314. xv. 422. v.
Virtus prudentum conſortio acquiritur. 187. xxxiii.
Vitalis de Podio vir celebris. 127. 1.
Viterbii diſſidia in electione Pontificis. 97. 1.
B. Vivaldus Tertiarius ſanctiſſime moritur. 428. xi.
Viveri Conventus. 166. xx.
Vivianus a Caſtro domum quamdam Minoritis donat. 190. xl.
Vivianus Dominicanus Franciſcanis moleſtus. 262. xiv.
Uliſtypponenſe Monaſterium. 328. xix.
Voislaus pro fide a Sarracenis occiſus. 230. viii.
Urbanus VIII. Pontifex Beatorum canoni aſcribit Margaritam de Cortona. 375. xxvii. & Martyres Japponenſes 415. xlii.
Urbevetanum Monaſterium. 287. xcix.
Urbini Conventus. 154. viii.
Uroſium Sclavorum Regem hortatur Pontifex ad ſuſcipiendam fidem. 174. x.
Urſus Urſinus monetur, ut hæreticorum rebellionem puniat. 56. xxxiii.
Utinæ Conventus. 87. xxix.
Waterbeche Monaſterium. 354. xx.
Werkinenſe Monaſterium. 154. ix.
Wicenſelenſe Monaſterium. 285. xcii.

X

XAntes Regis Argonis Cuſtos commendatur. 259. x.

Y

YAulacham Epiſcopus in partibus Orientis. 173. viii.
S. Yppoliti Corpus Romæ ſepultum. 148. xx.
Ypporienſe Monaſterium. 432. v.

Z

S. ZEffirini Corpus ubi ſepultum. 148. xx.
Zelandonius Martinez Minorum benefactor. 226. L.
Znoimæ Monaſterium. 422. vi.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Quinti Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam; Romanus per ordinem poſitas Bullas.

AD apicem. *Bonifacii VIII.* 593. XXXV.
Ad audientiam. *Martini IV.* 486. VIII.
Ad audientiam. *Nicolai IV.* 549. LX.
Ad audientiam. *Bonifacii VIII.* 599. XLII.
Ad augmentum. *Bonifacii VIII.* 561. IV.
Ad fovendum. *Nicolai IV.* 522. XXIII.
Ad fructus uberes. *Martini IV.* 479. I.
Ad perſonam tuam. *Nicolai III.* 478. XXXV.
Ad regimen. *Bonifacii VIII.* 597. XL.
Ad ſtatum pacificum. *Nicolai IV.* 504. II.
Ad univerſalis. *Nicolai IV.* 544. LV.
Ad univerſalis. *Ejuſdem.* 557. LXVIII.
Affluentis devotionis. *Bonifacii VIII.* 604. XLVII.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* 596. XXXIX.
Aſcendit fumus. *Honorii IV.* 490. II.
Aſſumpti. *Nicolai IV.* 532. XXXVII.
Attendentes benignius. *Honorii IV.* 494. V.
Attendentes benignius. *Nicolai IV.* 524. XXV.
Circa ea. *Nicolai III.* 476. XXXIV.
Conſulte tunc. *Ejuſdem.* 475. XXXIII.
Cum a Nobis petitur. *Nicolai IV.* 537. XLIV.
Cum a Nobis petitur. *Ejuſdem.* 547. LVIII.
Cum a Nobis petitur. *Bonifacii VIII.* 572. XVII.
Cum cura. *Nicolai IV.* 520. XX.
Cum cura. *Ejuſdem.* 521. XXI.
Cum cura. *Ejuſdem.* 523. XXIV.
Cum Eccleſiarum. *Bonifacii VIII.* 488. XXX.
Cum ſicut noſti. *Nicolai IV.* 449. XI.
Cupientes cultum. *Bonifacii VIII.* 560. III.
Debitum officii noſtri. *Nicolai III.* 445. IX.
Deſideriis veſtris. *Cæleſtini V.* 558. II.
De tuæ. *Nicolai IV.* 554. LXIV.
De tuæ circumſpectionis. *Ejuſdem.* 556. LXVII.
Devotionis veſtræ. *Bonifacii VIII.* 574. XX.
Devotionis veſtræ. *Ejuſdem.* 574. XXI.
Dignum eſſe credimus. *Cæleſtini V.* 558. I.
Dilecti filii. *Nicolai IV.* 528. XXXIII.
Dilectus filius. *Honorii IV.* 501. XIV.
Dudum ex relatione. *Bonifacii VIII.* 580. XXVII.
Dudum in poteſtatem. *Martini IV.* 487. X.
Dum fructus uberes. *Bonifacii VIII.* 603. XLV.
Dum ſollicitæ. *Nicolai IV.* 510. VI.
Dum ſollicitæ. *Ejuſdem.* 511. VII.
Eccleſiarum omnium. *Bonifacii VIII.* 559. I.
Eccleſiarum omnium. *Ejuſdem.* 599. XLI.

Etſi

Etſi de cunctis. *Ejuſdem*. 595. XXXVII.
Etſi omnes. *Nicolai IV.* 533. XXXIX.
Exhibita nobis. *Honorii IV.* 494. VI.
Exhibita nobis. *Bonifacii VIII.* 572. XVI.
Exigentibus. *Nicolai IV.* 550. LXI.
Ex parte cariſſimi. *Ejuſdem*. 503. I.
Ex parte dilectæ. *Honorii IV.* 497. X.
Ex parte dilectorum. *Joannis XX.* 435. I.
Ex parte dilectorum. *Nicolai IV.* 526. XXIX.
Ex parte dilectorum. *Bonifacii VIII.* 575. XXII.
Ex parte dilectarum. *Ejuſdem*. 576. XXIII.
Ex parte dilectorum. *Ejuſdem*. 601. XLIII.
Ex parte tua. *Martini IV.* 488. XI.
Ex parte veſtra. *Honorii IV.* 495. VII.
Ex parte veſtra. *Nicolai IV.* 506. V.
Ex parte veſtra. *Ejuſdem*. 531. XXXV.
Expoſuerunt nobis. *Nicolai III.* 457. XX.
Expoſuerunt nobis. *Bonifacii VIII.* 590. XXXII.
Expoſuit nobis. *Nicolai IV.* 543. LII.
Ex ſuſceptæ. *Honorii IV.* 502. XV.
Ex ſuſceptæ. *Nicolai IV.* 541. XLVIII.
Exultantes in Domino. *Martini IV.* 485. VII.
Fons ſapientiæ. *Bonifacii VIII.* 579. XXVI.
Fragilitatis humanæ. *Nicolai III.* 462. XXVIII.
Habet veſtræ. *Bonifacii VIII.* 561. V.
Illa te credimus. *Martini IV.* 484. VI.
Illius licet. *Nicolai IV.* 534. XL.
In diſpenſatione. *Nicolai III.* 441. IV.
In mandatorum. *Honorii IV.* 492. III.
In ſinu. *Bonifacii VIII.* 594. XXXVI.
In ſupremæ. *Ejuſdem*. 565. X.
In ſupremæ. *Ejuſdem*. 596. XXXVIII.
In ſupremæ dignitatis. *Nicolai III.* 452. XIV.
In ſupremæ dignitatis. *Ejuſdem*. 458. XXIII.
In ſupremæ dignitatis. *Ejuſdem*. 474. XXXII.
Inter cetera. *Bonifacii VIII.* 584. XXIX.
Inter ceteros. *Ejuſdem*. 562. VI.
Inter cuncta. *Ejuſdem*. 592. XXXIV.
Inter varia. *Nicolai IV.* 536. XLIII.
In veſtri Ordinis. *Ejuſdem*. 514. XIII.
Inundans malitia. *Martini IV.* 486. IX.
Laudabilis. *Bonifacii VIII.* 573. XVIII.
Laudanda tuorum progenitorum. *Joannis XX.* 436. II.
Licet continuata. *Nicolai III.* 473. XXXI.
Licet continuata. *Nicolai IV.* 524. XXVII.
Licet in Regula. *Ejuſdem*. 519. XVIII.
Litterarum dilectæ. *Honorii IV.* 500. XIII.
Litterarum tuarum. *Ejuſdem*. 500. XII.
Litteras felicis recordationis. *Nicolai III.* 457. XXI.
Literas felicis recordationis. *Ejuſdem*. 457. XXII.
Meritis veſtræ Religionis. *Nicolai IV.* 515. XV.
Militanti Eccleſiæ. *Nicolai III.* 442. V.
Militanti Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 443. VI.
Militanti Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 450. XII.

Militanti Eccleſiæ. *Nicolai III.* 454. XVII.
Militanti Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 460. XXVI.
Militanti Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 461. XXVII.
Militanti Eccleſiæ. *Martini IV.* 480. II.
Militanti Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 481. III.
Militanti Eccleſiæ. *Bonifacii VIII.* 563. VII.
Mundi ſpernentes. *Nicolai III.* 444. VIII.
Nuper ad noſtrum. *Martini IV.* 483. IV.
Nuper dilectæ. *Honorii IV.* 493. IV.
Nuper exponentibus. *Nicolai III.* 455. XIX.
Nuper fuit. *Bonifacii VIII.* 568. XII.
Nuper ut diſcordiæ. *Ejuſdem*. 602. XLIV.
Olim dilectus. *Nicolai IV.* 516. XVI.
Olim dilectus. *Ejuſdem*. 519. XVII.
Olim ex relatione. *Nicolai III.* 465. XXIX.
Officii. *Joannis XX.* 437. III.
Oneroſa paſtoralis. *Ejuſdem*. 437. III.
Oneroſa paſtoralis. *Martini IV.* 482. III.
Paſtoralis officii. *Bonifacii VIII.* 577. XXIV.
Paupertati veſtræ. *Nicolai IV.* 542. XLIX.
Paupertati veſtræ. *Bonifacii VIII.* 574. XIX.
Perſonis, quæ Mundo. *Nicolai IV.* 527. XXXII.
Petitio dilectorum. *Ejuſdem*. 539. XLVII.
Petitio veſtra. *Nicolai III.* 446. X.
Petitio veſtra. *Bonifacii VIII.* 591. XXXIII.
Præclara glorioſiſſimi. *Nicolai IV.* 511. VIII.
Præexcelſa glorioſiſſimi. *Ejuſdem*. 524. XXVI.
Pridem dilectis. *Ejuſdem*. 555. LXVI.
Quamvis grave. *Bonifacii VIII.* 569. XIII.
Quanto ex poteſtate. *Nicolai III.* 437. I.
Quanto ex poteſtate. *Ejuſdem*. 439. II.
Quanto ſtudioſius. *Nicolai IV.* 527. XXXI.
Quanto ſtudioſius. *Ejuſdem*. 544. LIV.
Quaſdam litteras. *Bonifacii VIII.* 570. XIV.
Quia nonnulli. *Nicolai IV.* 513. XII.
Quia præſentis. *Ejuſdem*. 505. IV.
Quia præſentis. *Ejuſdem*. 531. XXXVI.
Quia præſentis. *Ejuſdem*. 545. LVI.
Quia provinciarum. *Ejuſdem*. 505. III.
Quoniam revocatur. *Ejuſdem*. 515. XIV.
Quorumdam oculos. *Bonifacii VIII.* 583. XXVIII.
Rationis oculis. *Nicolai III.* 459. XXV.
Recte tunc. *Ejuſdem*. 458. XXIV.
Reducentes. *Nicolai IV.* 512. X.
Reducentes. *Ejuſdem*. 513. XI.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 533. XXXVIII.
Religionis favor. *Honorii IV.* 496. IX.
Religionis favor. *Nicolai IV.* 542. L.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 529. XXXIV.
Religioſam vitam. *Bonifacii VIII.* 565. XI.
Romani Pontificis. *Honorii IV.* 498. XI.
Romani Pontificis. *Nicolai IV.* 526. XXX.
Romani Pontificis. *Bonifacii VIII.* 589. XXXI.
Romani Pontificis. *Ejuſdem*. 603. XLVI.

San-

Sanctitatis, & pietatis. *Bonifacii VIII.* 564. IX.
Sacram Religionem. *Nicolai IV.* 535. XLI.
Sicut nuper. *Nicolai III.* 453. XV.
Sicut nuper. *Ejuſdem.* 453. XVI.
Significarunt nobis. *Honorii IV.* 489. I.
Significarunt nobis. *Nicolai IV.* 542. LI.
Significarunt nobis. *Ejuſdem.* 546. LVII.
Significarunt nobis. *Ejuſdem.* 548. LIX.
Sollicitudinis Apoſtolicæ. *Nicolai III.* 450. XIII.
Sponſo Cœleſti. *Nicolai IV.* 521. XXII.
Sua nobis. *Nicolai III.* 443. VII.
Sua nobis. *Ejuſdem.* 472. XXX.
Sua nobis. *Nicolai IV.* 525. XXVIII.
Sua nobis. *Ejuſdem.* 553. LXIII.
Sua nobis. *Ejuſdem.* 554. LXV.
Sua nobis. *Bonifacii VIII.* 577. XXV.
Summæ devotionis. *Nicolai IV.* 512. IX.
Super iis. *Ejuſdem.* 544. LIII.
Tua nobis. *Bonifacii VIII.* 564. VIII.
Vacante dudum. *Nicolai III.* 455. XVIII.
Vacante dudum. *Nicolai IV.* 535. XLII.
Veſtram non credimus. *Honorii IV.* 496. VIII.
Veſtræ Religionis. *Bonifacii VIII.* 560. II.
Veſtræ Religionis. *Ejuſdem.* 571. XV.
Unigenitus Dei Filius. *Nicolai IV.* 538. XLV.
Vocatis nobis. *Nicolai III.* 440. III.
Volentes vobis. *Nicolai IV.* 539. XLVI.
Ut tu. *Ejuſdem.* 520. XIX.
Ut tu. *Ejuſdem.* 553. LXII.

FINIS TOMI QUINTI.

Menda, quæ in hujus Quinti Tomi editione irrepſerunt; benevole Lector ita corriges.

Pag. 125.	§. X.	*lin.* 9.	inintelligere	intelligere
163.	§. XIII.	*lin.* 23.	libri	libris
293.	§. V.	*lin.* 39.	guadia	gaudia
305.	§. XXVIII.	*lin.* 2.	More	Monte
373.	§. LIV.	*lin.* 7.	Detrabentes	Detrahentes

A01 147 1230

Digitized by Google

Digitized by Google